BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 Q
2

Cy: XII = Lop: 2 = 1: 2

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
7 E
9

XVIII g 64

12. 12. 2. 10.

Digitized by Google

Digitized by Google

ISB. DE DIEMERBROECK,

Med. Doct. & Profess.

TOMVS SECVNDVS

IN QVO CONTINENTVR TRACTATVS VARII

DE PESTE

DE VARIOLLIS, ET MORBILLIS.

ITEM

OBSERVATIONES ET CVRATIONES MEDICÆ

CENTVM.

DISPVTATIONES PRACTICÆ DE MORBIS

Capitis Thoracis, & Infimi Ventris.

Antiq. Rar. Medic. Biscalcens. S. M. de Victo Romæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Patauij, ex Typographia Petri Mariæ Frambotti. 1688.

Superiorum permissu.

Digitized by Google

BENEVOLE LECTOR.

QVos antehac, cum plurimorum ſtupore, ex ipſius Cerberi faucibus ſatis audacter eripui bolos, illos nunc pluribus gratis offero, nempe obſervationes meas de Peſte, quas olim in truculentiſſima Noviomagenſium peſte, ſummo cum vitæ periculo collegi. Hunc meum laborem paucis quidem deſtinaveram, ſed ne viderer communi ſaluti invidere, eundem omnibus communicandum ſenſi, propterea quod multi præſtantiſſimi Medici, exitialis contagii metu deterriti, à curioſiore multarum rerum, in peſte omnium maximè notandarum, inquiſitione abſtinuerint, atque hinc peſtis hiſtoriam ſatis accurate non deſcripſerint, & varia quidem uſu obſervata tradiderint, ſed interim innumera alia, quæ ipſis videre non contigit, partim ex incerto aliorum relatu, partim pro ſuis ſinguli ſpeculationibus diverſimode adjunxerint, aliique ex aliis rurſus exſcripſerint, & ſolummodo diverſiſſimis theoricis rationibus, aliorumque auctoritatibus confirmare conati fuerint. In quibus cum varia animadverterem, tam in mali cognitione, quam in curatione, quæ experientiæ minus reſponderent, hunc meum à multis diu exoptatum de Peſte tractatum, nunc magis quam in prodromo, ante aliquot annos edito, perpolitum, multumque adauctum, publici juris facere volui, hoc imprimis tempore, quo dira Lues Inferioris Germaniæ Provinciis bellum minari videtur: ut ille aliis quibuſcunque Medicis, peſtiferorum curationi, hìc aut ullibi terrarum, incumbentibus, ex uſu eſſe, melioremque, quam hactenus ab aliis tradita eſt, præcautionem ac curationem oſtendere poſſet. Lector autem percipiet, me in toto hoc tractatu non tam in probandis aut improbandis veterum & recentiorum ſcriptis, ac in ſermone expoliendo laborare, quam ipſius morbi veram naturam, mòrem, cognitionem, præcautionem, ac curationem inquirere, & hac in parte me plurima longè aliter, quam multi alii antehac fecerunt, explicare, eaque partim clariſſimis rationibus demonſtrare; partim meâ, aliorumque doctiſſimorum virorum, cum veterum tum neotericorum, experientiâ confirmare. In quibus omnibus ſi forte adhuc obſcura quædam ſuperſint, aut talia inveniantur, quæ ad votum à me non ſatis perfectè potuerunt declarari, non eſt quod quiſpiam miretur, quandoquidem in hoc morbo divinitatis involucro multa obteguntur, quæ nos præſtat pio animo ignorare, quam arroganti ſpiritu explicare velle. In cæteris tamen, monente Galeno, lib. de uſu reſpir. cap. 1. *audendum, & veritas inueſtiganda, quam etiamſi in omnibus non aſſequamur, omnino tamen propius, quam nunc ſumus, ad eam perueniemus.* Vt autem quælibet huius morbi myſteria fieri poſſint notiora & clariora omnes Medicos rogatos velim, ut ſi aliquid melius, quod ad maiorem eius dilucidationem facere poſſit, inuenerint, vel obſervaverint, illud humaniter & liberaliter in medium conferre dignentur. Interim quæ ſcripſi, Candide Lector, boni conſule & Vale.

SE

SERIES CAPITVM

Cujusque Libri.

LIBRI I.

CAPVT PAG.

1 De Pestis nominibus. 1
2 Pestis definitio. 2
3 De peste Neapolitana principio, vigore, & fine. 7
4 De pestilentiæ subiectis. 8
5 De nonnullis quæ in hac peste notanda occurrerunt. 11
6 De signis pestem antecedentibus & præsagientibus. 13
7 De signis & symptomatibus pestem concomitantibus. 15
8 De pestilentiæ causis. 28
9 De pestilentis inquinamenti processu. 52
10 De contagio. 55
11 De causis infectionis. 65
12 De causis febris pestilentis, quæ pestem comitatur. 68
13 De causis symptomatum pestis. 76
14 De causis bubonum, carbunculorum, & exanthematum. 78
15 De prognosticis. 88

LIBRI II.

CAPVT. PAG.

1 De præseruatione in genere. 97
2 De prophylaxi Theologica. 97
3 De prophylaxi Politica. 99
4 De prophylaxi Medica in genere, & de fuga. 111
5 De prophylaxi diætetica, & primò de aere. 116
6 De cibo & potu, repletione & inanitione, balneis & vestimentis. 123
7 De somno & vigilijs, motu & quiete, ac animi perturbatis. 132
8 De prophylaxi Chirurgica. 134
9 De prophylaxi Pharmaceutica; & primo de purgatione. 136
10 De antidotis internis. 139
11 De antidotis externis. 152
12 De meo ipsius viuendi modo. 160

LIBRI III.

CAPVT. PAG.

1 De curatione in genere. 162
2 De dieta peste laborantium. 163
3 De auxilijs chirurgicis. 167
4 De purgationibus. 170
5 De antidotis & sudoriferis. 175
6 De curationis methodo. 207
7 De symptomatum pesti coniunctorum, & primo de curatione febris. 212
8 De curatione doloris capitis, delirij, vigiliarum, & nimij soporis. 213
9 De curatione anxietatis, debilitatis, siccitatis linguæ, vomitus & singultus. 170
10 De curatione hæmorrhagiæ narium, menstruorum, & sputi cruenti. 219
11 De curatione alui fluxus & lumbricorum. 221
12 De curatione bubonum pestilentialium, 223
13 De curatione carbunculorum & exanthematum. 232

LIBRI IV.

Continet centum & viginti historias ægrotorum peste laborantium. 236

SERIES CAPITVM
Hujus Libri
DE
VARIOLIS ET MORBILLIS.

CAPVT.		PAG.
1	DE *Variolis & Morbillis in Genere.*	322
2	*De Variolis in specie.*	324
3	*De Variolarum Causis.*	325
4	*De signis diagnosticis.*	328
5	*De Signis Prognosticis.*	329
6	*De Curatione Prophylactica, seu praeseruatoria.*	330
7	*De Curatione therapeutica, & primo de dieta.*	331
8	*De auxilijs Chirurgicis.*	333
9	*De remedijs pharmaceuticis, & primo de purgantibus.*	334
10	*De pharmacis diaphoreticis, & variolas expellentibus.*	335
11	*De partium corporis prae cateris magis afflictarum, & primo de internarum curatione.*	339
12	*De externarum partium curatione.*	340
13	*De Morbillis.*	344
	Historiae viginti Aegrotorum Variolis & Morbillis laborantium.	346

DE PESTE,
LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE PESTIS NOMINIBVS.

DEscripturus historiam truculentissimæ illius Pestis, quæ annis post Christum natum 1635, 1636, 1637, totum Belgium, maximamque Germaniæ Superioris partem diris furiis peragravit, & inprimis Geldriæ provinciam, atque in ea omnium maximè civitatem Noviomagensem anno 1536 miserrimè afflixit, pauca quædam de morbi hujus nominibus præmittenda esse judicavi.

Quemadmodum crudeles Tyranni, magnique Principes plurimis heroicis titulis donari solent, ut ex iis eorum excellens potestas clarissimè queat innotescere: sic etiam magno huic morbo varia nomina attributa fuerunt, quibus crudelissimi Tyranni pernicioſissima vis & natura manifestissime indigitatur. Græcis appellatur λοιμὸς (1.) ὄλεθριον (2.) ἐπιδημία (3.) vel ἡ νόσος ἐπιδήμιος: etiam νόσος (4.) simpliciter, & νόσος Θεῦ, (5.) Latinis nominatur *Pestis* (6.) & *Pestilentia*: *Lues* (7.) & *Contagium* (8.) Lucretius & Paracellus vocant *Pestilitatem*.

ANNOTATIONES.

I. APpellatur λοιμὸς, παρὰ τὸ λείπειν, id est, à deficiendo, quia hominum defectum inducit; seu, ut aliis placet, παρὰ τὸ λιμῶ, id est, à fame, indigentia, vel quia hominum penuriam seu famem parit; vel quia post famem seu annonæ caritatem non raro sequi solet: secundum Græcum proverbium, λοιμὸς μετὰ λιμὸν, *pestis post famem*. Etiam appellatur λοιμικὴ νόσος, & ἡ λοιμώδης διάθεσις.

II. Ὀλέθριον, ab ὄλλυμι, pessundo, quod plurimos pessundet.

III. Ἐπιδημία, *popularis*, vel *vulgaris*, quia maximè communis existit. Sciendum tamen Pestem ita solummodo vocari per excellentiam; nam differentia est inter morbum vulgarem & pestilentem. Vulgaris enim, est quilibet morbus qui in una regione eodem tempore multos invadit (tales morbi sæpe sunt variolæ, morbilli, colica, dysenteriæ, &c.) Pestilens verò morbus est, qui non solum plurimos invadit, sed eorum maximam partem occidit. Ita ut morbus pestilens sit species morbi epidemii, seu vulgaris, eaque pessima, utpote qui morbus nō tantum communis est ratione causarum manifestarum & externarum; verum etiam absque illis causis communis esse potest ratione suæ occultæ malignitatis & contagiositatis. Dico, *esse potest*, nam licet unus solus sit peste infectus, inde tamen non licet concludere, illum peste non laborare, quia communiter plures ea non laborant: sufficit illi inesse potentiam malignum morbum contagio diffundēdi ac communicandi, licet actu nondum communis sit.

IV. Νόσος, κατ' ἐξοχήν, tanquam morborum omnium maximus ac potentissimus. Ita etiam

Gallis per excellentiam appellatur *La maladie*, Italis *il morbo*.

V. Νόσος Θεῖα, *morbus Dei*, seu *divinus*, non tantum quia occultum & incognitum quid in se continet, verum etiam quia justissima ira Dei mortalium delicta non tarò punire solet immissione huius morbi.

VI. *Pestis*, à depascendo appellata: & Isidorus, *lib. 4. cap. 6. Pestilentiam* quasi *pastulentiam* dictam fuisse refert: quia scilicet, instar immanissimæ feræ humanum genus absumit & depascit: unde Galenus, *de theriaca ad Pison.* inquit, quod pestis, ceu fera quædam venenata, non paucos aliquos miserè perdat, sed totas civitates depopuletur. Vocabulum autem *Pestis*, non semper uno modo sumitur. Interdum in genere sumitur pro quocunque morbo vulgari, qui multos interimit: sic Galenus, 3. *epid. com. 3. text.* 20. inquit: *Non est certum morbi nomen Vulgare, vel Pestilens: cæterum quicunque in uno loco multos simul invadit, Vulgaris hic vocatur: qui si simul hoc habeat, quod multos interimat, Pestilens est.* Interdum specialiter significat Pestilentiam, & nonnunquam Pestilentem constitutionem. Sæpe quoque Pestis nomẽ detorquetur ad omne id quod in perniciem & detrimentũ alicuius rei cedit: sic Cicero inquit: *Tam detestabilis pestis nulla est, quæ non homini ab homine nascatur.* Alibi malos consules imperii pestes, Catilinam reipublicæ pestem, pecuniæ cupiditatem, pestem in amicitia nominat. Ità quoque Terentius: lenones iuventutis pestes; & Seneca invidiam pestilentem vocat.

VII. *Lues* simpliciter per excellentiam, propterea quod magis & vehementius quam ulla alia lues polluat.

VIII. *Contagium*, à contingendo, propterea quod contactu inficiat.

CAPVT II.

PESTIS DEFINITIO.

CVm definitio, teste Cicerone, sit rerum opertarum & incognitarum, quasi patefactio, qua quidnam aliqua res sit, aperitur: etiam hìc à Pestis definitione inciendum est, ut de quali morbo acturi sumus, clarius innotescat.

Est autem Pestis (1.) morbus (2.) communissimus (3.) peracutissimus (4.) pernicio-sissimus (5.) & maximè contagiosus (6.) ex maligno & occulto (7.) spiritibus calorique nativo tota substantia infestissimo inquinamento ortus, à quo omnium viscerum, & imprimis cordis (8.) functiones læduntur.

---

1. QVercetanus, *in Alex. cap. 1.* definit pestem, *quod sit morbus epidemius contagiosus, venenatus, & pernicios us, qui omnes quidem in genere corporis spiritus, imprimis verò cor, arcem vitæ, cum dependentibus ab eo spiritibus aggreditur.* Mindererus illam sic definit: *Pestis est lues venenata, summeque lethalis & contagiosa, cor primariò afficiens, febre, bubone, anthrace, aut exanthematis ut plurimum comitata.* Hermetici definiunt pestem hoc modo: *Pestis est morbus astralis, igneus, ac contagiosus, qui venenato suo vapore, ceu spiritu arsenicali aut napellino, corporis meatus subintrans, citissimè omnium spirituum principalia subiecta, cor scilicet, cerebrum & hepar occupat, eaque malignitate & acuitate sua inficit, corrumpit ac dissolvit; & tandem sulphuris accensi adminiculo sal sub auribus, alis, ac inguinibus coagulando, varia, apostematum genera, ut sunt bubones ac carbunculi, protrudit.* Hæc Hermeticorum definitio plurimas patitur obiectiones; in ea tamen non male venenum pestilens assimilatur veneno arsenicali & napellino, ab effectuum similitudine, quam latius exponit Quercetanus

in *Alex. cap. 6.* Iulius Palmarius, Angelus Sala, aliique multi pestem definientes, dicunt, *illam esse febrem peracutam, contagiosam, malignam, & communiter grassantem.* Quæ definitio pesti planè non convenit, cum febris propriè non sit de essentia pestis, sed ab illa separabilis, eiusque symptoma, ut *cap. 12. annot. 2.* latius docebimus. Sic etiam plane non convenit pesti definitio Iacobi Sylvii, qua dicit, *febris pestilens est incendium quod præcedit aut consequitur illos tumores, qui pestis sunt certissimi characteres*, scilicet carbunculos aut bubones. Non convenit dico, quia præterquā quod febris non sit de essentia pestis, ut jam dictum, etiam isti tumores non constituunt eius essentiam, sed sunt eius symptomata & signa separabilia, sine quibus etiam pestis esse potest, ut liquet ex iis quæ scribimus *sequente cap. 7. annot. 1.* Adde, quod exanthemata quoque pestis characteres & signa sint separabilia, quæ tamen non sunt tumores, sed tantum maculæ, ut docebimus *sequente cap. 14. annot. 7.*

II. Morbi quicunque eodem tempore multos invadunt, *vel sunt dispersi* (quos *Sporadicos* appellant) id est, qui genere diversi, in una vel pluribus regionibus grassantur, multosque infestant, ut si eodem tempore multi ophthalmia, hydrope, colica, dysenteria, aliisve morbis laborent. *Vel sunt communes.* Horum autem sunt *alii Endemij*, in inquilini, patrii, ac vernaculi dicuntur, & sunt alicui regioni solummodo communes & perpetui, qualis est Phthisis in Lusitania, elephantiasis in Ægypto, scorbutus in maritimis Septentrionalibus, quartana in Zelandia. *Alij verò sunt Epidemij*, qui in una pluribusve regionibus pro tempore dominantur, & postea desinunt, quia regioni non sunt patrii & familiares. Atque hi vel sunt *mitiores*, vel *pernicioſi*. *Mitiores* magna ex parte cum salute ægrorum finiuntur, nec tam multos interimunt, quales sæpe sunt, variolæ, morbilli, febres quædam putridæ, dysenteriæ, peripneumoniæ communes (quales observavit Dodonæus *observat. med. c. 31.*) colli tumores (quales observavit VVierus) tusses, & catarrhi, quales communiter vagasse notavit Forestus *lib. 6. observat. 3. Pernicioſi* verò plurimus sunt lethales: hos Græci λοιμώδεις, hoc est, pestilentes, appellant, quales sunt, febres pestilentes, dysenteriæ pestilentes, anginæ & peripneumoniæ pestilentes (quales se vidisse refert VVierus) aliique similes, quibus præcipuè ipsa pestis annumeranda est, quia est morbus communissimus maximeque lethalis. Porrò hîc inquirendum venit: Cum quo sint morborum genera, nempe morbi intemperiei, & pravæ conformationis; ad quam classem pestis referenda sit? Certum est non esse morbum pravæ conformationis, cum non consistat in vitio magnitudinis, numeri, situs, nexus, aut continuitatis (tumores enim & ulcera non sunt ipsa pestis, sed producta pestis) ergo eam esse morbum intemperiei, quam classem Mercurialis ei etiam adscribit. Intemperies autem duplex est, alia materiæ, alia totius substantiæ. Hanc multi vocant intemperiem formæ. Fernelius totam rei substantiam appellat insitum calorem, facultates, ac formam, quæ junctim perfectionem & integritatem, qua res unaquæque constat, constituunt. Hæc autem totius substantiæ temperies quoties immutatur, & de perfectione recedit, (quod citissimè, & quasi in momento fieri posse docent multa venena) res tota subito pertringitur, atque illa illius temperiei recessio est morbus totius substantiæ. Sic Galenus *lib. 2. ad Glaucon. cap. 2.* scribit, *immoderate laxantia robur solvere, refrigerantia calorem extinguere, & qualitates extraneas vim ac facultatem debilitare.* Quo loco in partibus corporis duas intemperiei species manifestè constituit, alteram manifestam, alteram occultam seu totius substantiæ. Ex. gr. ventriculo intemperies humida inducitur a multo pinguium, humidorum, & laxantium usu, frigida verò a largo frigidæ potu, aliorumque frigidorum usu: quæ duæ intemperies instrumentum ad debitum officium, nempe coctionem, ineptum reddunt. Sed totius substantiæ intemperies ventriculo imprimitur, cum à veneno, aliave re occulta eius calidum innatum affligitur vel extinguitur, à quo calido ipsius actionis principium depēdet. Quia autem pestis hoc calidum innatum cum suo subjecto, scilicet humido primigenio, præcipue impugnat, hinc necessario referenda est ad illos intemperiei morbos, qui occulti, seu totius substantiæ appellari solent.

III. Dico, *esse morbum communissimum*,

quia plerumque omni ætati, sexui, & temperamento communis existit, ijs in locis ubi grassatur, quod alijs epidemijs morbis tam familiare non est. Morborum autem alij sunt communes actu, alij etiam potentia; utrique à communi causa inducuntur. Sed illi ab illa sola causa fouentur, neque se ipsos diffundere valent, sicut interdum à certa quadam aeris dispositione, vel communi victu, anginæ, catarrhi, tusses, aliive morbi communes, sed minimè contagiosi, inducuntur. Hi verò, vel iam actu communiter grassantur; vel posito communiter non grassari, habent tamen in se potentiam se ipsos contagio diffundendi & communes faciendi: & horum ordini etiam pestis annumeranda est, ut dictum *præcedente capite*, *annot.* 3. Haly dicit, *Pestem esse morbum multiplicem, pluribus eodem tempore communem*. Multiplicem autem & communem appellat, propter duas rationes. 1. Quia sola non manet, sed statim post inuasionem illi plures alij morbi adiunguntur, ut febres, carbunculi, bubones, syncope, &c. qui tamen morbi non sunt de essentia pestis, sed eam inlequuntur & comitantur, ut eius symptomata. 2. Quia tempore pestilenti pestis adiungitur & communis fit omnibus fere morbis, ita ut tunc vix vllus alius morbus peste incomitatus conspiciatur.

IV. Morbi acuti dicuntur qui celeriter & cum vehementia ac periculo cursum suum absolvunt. Hos Medici diuidunt in tres ordines, scilicet in acutos, acutissimos, peracutissimos. Acuti sunt illi qui plerumque ad vigesimum diem protrahuntur, eoque spatio vel desinunt, vel ægros occidunt: si ad trigesimum vel quadragesimum diem excurrant, tunc appellantur acuti ex decidentia. Acutissimi sunt illi qui ad quartum, vel septimum, rarius ad decimumquartum diem extenduntur, ut pleuritis, peripneumonia, cholera, angina. Peracutissimi sunt illi, qui citissimè ad vitam vel mortem mouentur, & rarò ad quartum, rarius ad septimum diem protrahuntur, quales sunt, apoplexia, pestis, sudor Anglicus.

V. Dico, *pernicioſissimus*, quia nullus unquam morbus cognitus fuit, qui tantam stragem in genere humano edit, sicut pestilentia: quod non tantum nodierna obuia exempla docent, verum illud ipsum, præter Sacras literas (quæ super hac re videri poterunt Exodi cap. 5. Leuitici cap. 26. Ieremiæ cap. 14. 37. & 51. Isaiæ cap. 37. Ezech. cap. 5. & 14. 2. Regum cap. 24. & 4. Regum c. 19.) etiam ex Historicorum scriptis passim liquet. Eusebius, *in Chronic.* refert in illa peste quæ sub Vespasiano & Commodo Imperatoribus Romæ sæuijt, quotidie decem hominum millia interijsse. Suetonius, *in Nerone*, unius autumni peste triginta hominum millia (ubi Lipsius putat legendum esse, 300000.) Romæ occubuisse testatur. Thucydides, Manilius, & Lucretius, adeo truculentam pestem Athenienſium describunt, qua durante neminem repertum fuisse, tradunt, quem vel morbus, vel mors, vel luctus non attingeret. Sub Marco Antonio duas pestes sæuisse legimus, quibus pene ad internecionem usque humanum genus delectum est. Procopius, *lib.* 11. *de bello Persico*, describit pestem, quæ in urbe Constantinopoli qualibet die quinque, & sæpe etiam decem hominum millia occidit. Illa verò pestis quæ ab anno 1343, toto quinquennio per totum terrarum orbem diris furijs debacchata fuit, totius mundi dimidiam ferè partem pestilendedit, ut refert Iacobus Forolivienſis, *in exposit. can.* 1. *Auicenſen.* 2. *doct.* 12. Platina narrat sub Bonifacio VIII. plures peste fuisse mortuos, quam superstisse viuos. De peste illa quæ sub Clemente VI. Papa sæuijt, testatur Guido, quod vix quartam mortalium partem in viuis reliquerit. Petrarcha refert suo tempore, anno 1359, tantam pestem Italiam inuasisse, ut ex milleno quibuque hominibus vix decem superstites. Nicephorus, *lib.* 17. *histor. Eccles. cap.* 17. narrat pestem ex Æthiopia universum pene orbem inuasisse, ita ut neminem fere hominum intactum reliquerit, & totas ciuitates incolis vacuas fecerit. Cayri aliquando ad decem dies, spatio 24. horarum, viginti millia peste sublata fuisse, narrat Radzeuillius, *in itiner. Hierosol.* Spangenbergius, *in Chronicis*, refert anno 1348 Hierosolymis una die 1500 homines peste interijsse. Michael Saxo refert anno 1453, in eadem urbe unica peste 28000. hominum millia succubuisse. Palmarius, *lib. de pest cap.* 5. *Pestem*, inquit, *avi nostri descripserunt, anno Christi* 1382

1382 ortam, quæ Auenioni primum gliscere visa fuit, atque illinc Allobrogas, Italiam, Græciam, Germaniam, Britanniam, Galliam, Hispaniam, Celtiberiam, uniuersas denique orientis & occidentis regiones peruagata est. Talem etiam commemorant, anno 1450, in Asia exortam fuisse, quæ per Illyricum Dalmatiamque serpsit in Italiam, per Germaniam verò in Galliæ & Hispaniæ fines, multisque annis in omnes fere populos misere adeo debacchata fuit, vix ut tertia hominum pars superstes euaserit. Qui plures hujusmodi historias scire desiderat, ille legat Plutarchum in vita Camilli: Paulum Orosium lib. 7. cap. 15: Baronium tom. 2. Paulum Diaconum & Crusium, part. 1. lib. 11. Leonclauium in Pandect. Hist. Turc. Iohannem VVolfium cent. 2. memorab. lect. Iustum Lipsium lib. 2. de Constant. cap. 23. Georgium à Frunsberg in Hist. Funccium in Chron Blondum l. 7. Decad. 2. Polidorum Virgilium lib. 7. Riccium Neapolitanum, Pomarium, Hedium, aliosque plurimos, qui immanissimam pestis pernicicm notis historijs describunt & confirmant. Ex quorum omnium, & aliorum plurium historijs, cum sacris, tum profanis, Franciscus Ptens concinnauit egregiam chronologiam pestium magis insignium celebriorumque, quæ post diluvium ad hoc usque tempus orbem terrarum infestarunt, quam chronologiam interuit suo tractatui de febribus, post historiam febrium pestilentialium.

VI. Dico, *Maximè contagiosus*, ad differentiam aliorum morborum contagiosorum (ut lepræ, phthiseos, luis Venereæ, &c.) quorum contagium tam facile, citò, & vehementer non dispergitur. Præterea etiam ad differentiam multarum febrium pestilentium hinc peste, quales sæpe plurimas citra ullum contagium fieri, clarissimè docet Galenus, lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 4. Notandum etiam pestem dici contagiosissimam non quod pestiferi semper alios actu inficiant (hoc enim multis de cautis impediri potest) sed quod nullo dato impedimento alios inficiendi potestatem habeant.

VII. Dico, *Maligno & occulto*, quia est excellens, incognitum, ac vix explicabile inquinamentum, quod non constitit in aliquo manifestarum qualitatum excessu, sed in venenositate quadam vitæ nostræ prorsus contraria, cuius natura difficultet describi potest. Hic tamen dubitant nonnulli, an inquinamentum illud verè venenosum, aut venenum sit; putantque potius tale quid esse, quod in corpore nostro facile in venenum mutatur, vel efficit ut humores venenum fiant: nec aerem venenosum fieri, vel esse posse arbitrantur; quia si talis foret, omnes eo inficerentur, cum eius usu nemo carere possit. Hanc partem defendit Mercurialis, qui *lib. de peste. cap.* 17. ita scribit: *Dixi, &, ni fallor, clarissimè demonstraui aerem nunquam fieri posse venenatum, eodem modo quo sunt alia venena, propter animalium custodiam. Fit quidem ut aer possit esse occasio gignendis venenis, in corporibus dispositis.* Cum Mercuriali pro eadem opinione pugnat Marsilius Ficinus, *lib. epid. cap.* 1. *Cum dico venenosum*, inquit, *hunc esse vaporem, tu ne credideris ipsum fore talem secundum formam & totam sui naturam, quia omnes inde inficerentur: sed huiusmodi est qualitatis, ut quam facillimè in veneni naturam transeat. Et propriè venenum efficitur, quando per ipsum in humano corpore certo quodam gradu putrefiunt humores simul & ebullunt.* Verum hæc opinio longissimè aberrat à vero. Nam respondeo Mercuriali, pestilens illud quatecunque inquinamentum aeri immissum, non minus illum speciali modo corrumpere & venenatum reddere posse, quam humores, nec eum hac in parte maiore prærogatiua gaudere quam alios quoscunque humores: & quod talis venenatus aer non inficiat omnes, hoc fieri, quia ubique & per omnes sui particulas non est venenatus, atque non ab omnibus malignus, ut neque æque venenatus inspiratur: præterea dispositionum corporum diuersitas huc plurimum facit, quæ talis est, ut ab eodem veneno alij facillimè, alij planè non lædantur. Marsilio Ficino respondeo, ut inquinamentum malignum ac contagiosum in corpore humores putrefaciendo venenum fiat, quod factum vires suas exerat, tempore opus esse, cum tanta mutatio in minimo momento fieri nequeat, at e contrà experientiam docere, multos auræ pernicioſæ afflatu illico pestem contraxisse, item multos fortes ac sanos, tanquam fulmine

ictos, subitò concidisse (hæc de re vide *sequens cap.* 12. 1.) quod tam citò fieri non posset, si prius debuisset gigni venenum, & tunc in actum prodire: nam eventus docet repentinas istas consternationes non procedere à veneno gignendo, sed iam actu genito. Ità ut pro certissimo concludendum sit, inquinamentum pestilens venenatum, imò venenum esse antequam humanum corpus ingreditur, non verò venenum in corpore fieri.

VIII. Hoc venenosum inquinamentum nonnunquam extrinsecus partibus adhærens, corde robusto existente, in iis carbunculos excitat, etsi id rarissimè contingat; quod tamen contingere, in me ipso expertus sum, qui tempore pestilenti carbunculum in sinistra manu habui, reliquo corpore prorsus sano existente; quod ipsum vidi in Capitanei famulo, ut & in illa muliere cuius meminimus *lib.* 4. *histor.* 90. cujus rei etiam plura aliorum medicorum extant testimonia, quorum aliqua collegimus *sequente cap.* 12. *annot.* 2. Sed plerumque, simul ac corpus humanum inuadit, vitalitatis primariam arcem, cor, peculiari antipathia impugnat, idque omnium grauissimè afficit; quod ex eo apparet, quia syndrome grauissimorum symptomatum, à læto corde procedentium, ut plurimum ingruit, animali igne facultate usque ad mortem parum labefactata. Hic quidem nonnulla repugnantia, sed admodum frivola, occurrunt, quæ videntur docere cor à veneno pestilenti primario non affligi. 1. Quia multis pestiferis vitalis facultas robusta est, animali maximè læsa, ut sæpe docent deliria, sopores, &c. Sicut contigit Paræo (ut scribit *lib. de peste cap.* 12.) cum pestilentem halitum per nares ad cerebrum attraheret. 11. Quia sapius venenum pestilens in alijs partibus iedem capere, eaque magis quam cor afflígere vitium est: sicut contigit in truculentissima illa colica pestilenti, quæ tempore Pauli Æginetæ totam Italiam aliasque regiones plurimas deuastauit: Sicut etiam ex grauissimo vomitu, doloribus pleuriticis, aliisque symptomatibus, id pluries contingere animaduertitur. 111. Quia sapius carbunculi & bubones viti sunt absque ulla manifesta cordis læsione. Verum, nos respondemus ad *primum*, pestilens venenum per nares attractum, posse quidem primò & grauiter afficere ipsum cerebrum, (nam quamcunque partem primo inuadit, illam primo lædit: ut si cum saliua deglutiatur, primo ventriculum cardialgia, nausea, & vomitu affligit; si extrinsecus cuti adhæreat, in ea carbunculos excitat, &c.) in eoque deliria, vigilias, sopores, convulsiones, atque etiam membranas eius acriter vellicans, graues dolores suscitare, sed illam malignitatem non posse non statim etiam ad cor deferri; (circulatio enim sanguinis continuè procedens, etiam infectionem sanguini aut spiritibus in capite impressam, protinus cordi communicat.) idque adhuc multo grauius afflígere, quod manifestissimè apparuit in Paræo, qui venenum quidem per nares hausit, sed ab illo etiam cor ilico affectum fuisse, testis erat lipothymia, quæ protinus insequebatur. Ad *secundum*: in pestilenti colica, pleuritide, aliisve pestilentibus morbis, venenum pestilens etiam primario impugnare cor; sed illud validum ac robustum existens, magnam virulentiæ partem à se depellere, modò ad intestina, & tum colicam; modò ad ventriculum, & tunc vomitum; modò ad pleurã, & tum pleuritidem pestilentem facere, ita ut hi affectus tanquam symptomata, ex pugna cordis cum veneno pestilenti, procedant, non verò sine prævia cordis graui afflictione, ex se ipsis oriantur. Quare autem in tali casu venenosum virus magis ad unam quam ad alteram partem propelatur; & quare in eadem parte; sumamus cerebro, in uno ægro phrenitidem, in alio soporem inducat, docebimus *sequenti cap* 13. Ad *tertium*: bubones & anthraces sine manifesta aut notabili cordis afflictione duobus modis apparere: Primò, cum cor adeo validum est, ut venenum pestilens, simul ac in ipsum irruit, ilico a sese ad partes exteriores propellere possit; in quo tamen casu ipsum cor primitus fuit impugnatum. Secundo, cum à pestilentis contagii externo, contactu carbunculus contrahitur, corde robusto existente, & hostem suum eminus extra limites suos profligante: in quo casu cor quidem primitus & maximè non afflígitur, sed quia hoc rarissimè, imò ex tribus ægrorum millibus vix uni contingit, non potest talis rarissimus casus communem regulam

euertere.

euertere. Hic adhuc aſſiud examinandum occurrit, ſcilicet, cum cor primario afficiatur, idque conſtet ex ſpiritibus, humoribus, & ſolidis, quodnam horum afficiatur? Dico vel ſimul omnia tria, vel tantum aliqua ex his affici poſſe. Spiritus tamen omnium primo affici, veriſimile eſt, utpote qui à veneno peſtilenti interdum protinus corrumpuntur, interdū nimis diſſipantur, ſed frequentius nimis concentrantur, atque ita figuntur, ut amplius propelli nequeant. Humores verò & ſolida cordis, illi facilius & citius, hæc difficillimè & cum exitio corrumpuntur, ac à peſtiferi venena ſeptica qualitate enecantur. Hæc veneni peſtilentis operatio manifeſtiſſimè apparet in anthracibus, de quibus agemus infra, *cap.* 14. Avicenna hæc tria, explicans, dicit: aërem peſtilentem corrumpere complexionem ſpritus cordis, deinde putrefacere quod circumdat ſpiritum, tertiò accendere calorem præter naturam, quartò hunc calorem diffundere in corpus.

CAPVT III.

De Peſtis Noviomagenſis principio, vigore & fine.

VEr anni 1635 tepidum & modicè humidum fuit: poſt hoc ſecuta eſt æſtas vehementer calida & ſicca: qua tempeſtate maximæ putredines, multiq; graves morbi epidemii plurimis in locis excitati fuerunt. Imprimis autem graviſſima peſtis Lugduno Batavorum uno anno ultra viginti millia funerum extorſit. In nos autem & totam Geldriam, aliaſq; plures regiones febris quædam peſtilens epidemia diris furiis debacchata fuit, magnamque hominum ſtragem edidit. Circa autumnum, adhuc permanente, imò magis adaucto aëris feruore, ſummis ſiccitatibus coniuncto, undique adhuc maiora putredinis indicia, & undique plures maligni morbi apparuerunt, variolæ, morbilli, diarrhœæ, & dyſenteriæ peſſimi moris paſſim graſſabantur, ſed omnium maximè prædicta febris peſtilens, quæ indies maiora incrementa ſumens, magis magiſque in peius mutabatur, & purpurata (quam *Petechialem* vocant Itali) evadebat, donec tandem in apertiſſimam peſtem tranſiret. Quæ Noviomagi menſe Novembri anno dicto initium ſumens, paulatim illa (1.) hyeme ſpargebatur. Hyems autem nullo magno frigore excellebat, in ſiccitate & humiditate mediocris erat. Menſe Ianuario ſequentis anni 1636, omnia peiora reddi cœperunt: at circa Martium peſtis longè maiora incrementa ſumpſit: ſummo autem acumine exarſit circa finem menſis Aprilis, atque in iſto furore uſque ad finem menſis Octobris continuavit, quo temporis intervallo tam crudeliter graſſatus fuit morbus, ut in tota urbe nulla fere, quod ſcio, domus à peſte immunis fuerit. Innumeri undique conſpiciebantur ægri, inter quos Mors ſceptra tenebat: plures enim moriebantur quam evadebant: inexplicabilis morbi malignitas omnium fere remediorum efficaciam illudere ac ſuperare videbatur. Quibus menſibus morbum in vigore ſeu ſtatu fuiſſe, certum eſt. Poſtea lues hæc paulatim cœpit declinare, ita ut tandem menſe Decembri multo pauciores ægri, & rariores mortes viderentur. Hyems illa præter conſuetudinem valde tepida fuit, hincque peſtis diutius perduravit. Anno ſequenti 1637, circa medium Februarii, magno frigore præter exſpectationem repentè oborto, per ſex ſeptemve dies fortiter gelavit; quod acerrimum, licet breve, frigus horrendæ huius luis vires adeo infregit, ut in principio menſis Martii eius reliquiæ apud Noviomagenſes penitus eradicatæ fuerint (2.) quo tempore ultimos hoc contagio infectos inviſimus. Dico, *apud Noviomagenſes*, nam multis aliis in locis etiam, toto illo anno 1637, maximam tyrannidem exercuit,

cuit, & præter alia loca, in diœcesi Vltrajectensi, charam mihi patriam Montfurtum oppidum, totumque territorium Montfurtense, adeo misere afflixit, ut vix dimidia incolarum pars superstes remanserit. Quemadmodum annus 1635, æstate & autumno maximis aeris fervoribus excellebat, ita sequens annus 1636, non minori fervoris vehementia, à Vere usque ad hyemem perdurante, antecedentem annum excipit. Venti à Vere usque ad hyemem perdurante, antecedentem annum excepit. Venti à Vere usque ad hyemem fere semper meridionales, vel zephyri erant, cum magnis aeris squalloribus. Ad hæc, à mense Martio usque ad finem Augusti continuæ erant siccitates, quales vix unquam antea tam diuturnæ visæ fuerant: quæ omnia anni præcedentis mala plurimum adauxerunt.

I. PEstis quæ in autumno vel hyeme incipit, longè vehementior & diuturnior esse solet, quam quæ aliis temporibus initium sumit. Petrus Paschalis, *de febr. pest.* bene sic ait: *Quæ Vere & æstate incipit pestis, hyeme solet desinere: quæ verò autumno vel hyeme, longius protenditur.*

II. Pestis apud Noviomagenses duravit per sexdecim menses, postea inde ad alia loca demigravit. Cardanus, *lib. 2. Subtil.* scribit, nullam pestem ultra triennium sævire; (quod de uno eodemque loco est intelligendum) eiusque rei has causas subiungit. 1. Quia si tam diu sæviat, non habet ferme in quos ulterius sævire possit. 2. Quia aer ipse cum sit levissimæ substantiæ, ulteriorem corruptionem pati nequit. 3. Quia vix fieri potest, quin tanto tempore aer motu suo in ventos transferat totam corruptionis labem. 4. Quia omnibus pessimis rebus Dei beneficio modus quidam impositus est; nec ullum vehemens malum potest esse diuturnum.

CAPVT IV.

DE PESTILENTIÆ SVBIECTIS.

PEstis hæc, bruta (1.) fere intacta relinquens, solis hominibus bellum indixerat. Nihil sexum, nihil temperamenta curabat, non humorum syncritatem, ac bonitatem, non eorundem corruptionem: (2.) laudabiles humores eandem non impediebant, & propter vitiosos citius non invadebat. Corpora cacochyma sæpe intacta relinquens, optimè temperata inficiebat. Æque mulieres (3.) atque viros, æquè virgines atque prægnantes, æquè infantes, pueros, juvenes, atque constantis ætatis homines corripiebat: sola senectus (4.) maximè immunis erat. In principio morbi à contagio plurimi inficiebantur, postea verò adeo immanis evasit dira lues, & aeris tam horrenda labes, ut nullus fere in tota civitate locus non infectus inveniretur. Tunc æque fere inficiebantur, qui contagiosa & infecta loca fugiebant (5.) atque alii qui indiscriminatim quoslibet ægros & sanos adibant. Præterea non rarò, quasi sympathiâ quadam occultâ, integræ familiæ eodem tempore inficiebatur: imò vidimus nonnullas familias, longissimè à se invicem dissitas, & diversis in locis ac urbibus habitantes, eodem fere tempore exitialissimis hujus tyranni spiculis graviter afflictas, & fere delectas fuisse. (6.) Tanta crudelitate grassabatur hæc lues, ut totum Noviomagum, quasi instar ignis, ab ea accensum videretur, & in tota urbe vix aliqua domus ab illius contagio immunis fuerit. Eheu, quam triste spectaculum erat, sæpe tria quatuorve cadavera ex iisdem ædibus simul ad sepulturam efferri videre! ferentia funeralia per omnes plateas ante plurimorum civium ædes deposita, & mortuos hinc illinc ad sepulchra deportatos conspicere!

I. Pestis

I. PEstis Nouiomagensis bruta animalia à furoris sui violentia excusauit: si fortè hic vel illic aues quasdam domesticas, vel etiam nonnullos canes (quod tamen rarum erat) corripuerit; quia tamen inter bruta non fuit communis, non debet inde concludi pestem inter bruta dominatam fuisse: nam boues, equi, oues, cuniculi, columbæ, porci, anseres, aliaque huiusmodi animalia tam immunia à peste fuerunt, ut vix unum peste mortuum fuisse nouerim; imò ipsi etiam feles & canes, quos maximè pestilenti contagio infici vulgò credunt, rarissimè infecti sunt; quemadmodum etiam paucissimæ gallinæ: de syluestrium brutorum strage toto tempore nihil audiuimus. Aues quidem syluestres regionem nostram maxima ex parte deseruisse (fortè aeris prauitatem persentientes) sed nihil de earum strage obseruauimus. Homerus, nec non Hippocrates, *lib. de flat.* meminerunt etiam pestis quæ sola bruta animantia inuadit, & alterius, qua homines & bruta æqualiter corripiuntur. Villanouanus, *cap. 2. epid. antid.* scribit, pestem humanam pecora non inuadere, & vice versa, frequenter homines sanos ac solpites degisse, interim contagio pestifero armentorum myriades cateruatim prosternente. Cuius rei historias describunt, Michael Saxo, *in Cæsarum chronica*, & Matthias Menonius, *in Chronica*. Fernelius, *lib. 2. abdit. cap. 12.* refert anno 1514 irrepsisse pestem, quæ solos feles corripuit. Ioh. Vierus, *lib. 4. de præstig. dæmon. cap. 30.* de brutorum peste ita scribit: *Superioribus annis contigisse meminimus, ut solos iugulauerit boues pestilentia quædam. Irrepsit etiam quæ sues, & quæ oues, item alia quæ gallinas interimit.* Addit paulo inferius, anno 1552. circa pagum Menabiam pecora tam pestilentem morbum inuasisse, ut statim correpta ac tumescentia concidere rent mortua, & si horum infectorum tanguis nudum hominis corpus contingeret, anthraces procrearet, qui aliquibus mortis causa erant. Furiosam pestem quæ pecudes inuasit, etiam describit Virgilius, his versibus:

Hic quondam morbo cæli miseranda coorta est
Tempestas, totoque autumno incanduit æstus,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum.
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.

II. Nonnulli Medici arbitrantur pestem magis vel citius inuadere corpora cacochyma, quam pura, quia illorum constitutio malignæ putredini recipiendæ aptissima est. Sic Mercurialis, *lib. de pest. cap. 1.* notauit in peste Patauina maximè infectos fuisse ignobiles, seruos, ministros, intemperantes, incontinentes, & qui nullam prorsus rationem vitæ aut valetudinis habuerant. Contra verò, alij putant corpora pura & bene sana citius peste infestari, quia, teste Hippocrate, *Exacta quæ ad summum peruenit, periculosa*. Dicendum ad huius dubij solutionem: Pestilens venenum interdum solum in aere diuagari, sine manifesta putredine; interdum cum magna putredine coniunctum esse. In priore casu magis timendum esse cuchymis & optimè temperatis corporibus, utpote quæ minimas qualesque noxas tum longè citius percipiunt, quam corpora cacochyma, quæ iam dudum multis vitijs morbosis, ab humorum impuritate productis, assueuerunt. In posteriore casu magis periclitari cacochymos, utpote quorum impuri humores ab aëris aliarumque rerum occurrente putredine facillimè afficiuntur, & ad pestem recipiendam disponuntur. Verum, utcunque se res habeat, ego auctor esse volo euchymis & robustis, ne multum confidant suæ dispositioni ac fortitudini; cacochymis quoque, ne impuritatibus suis aliquid tribuant immunitatis ab hoc morbo: nam hac pestilenti constitutione manifestè edocti sumus, pestem nullam cuiuscunque temperamenti, vel boni, vel mali, vel mediocris, rationem habere, & morbi inuasionem non dependere à corporum puritate vel impuritate, sed ab occulta quadam dispositione, de qua pluribus agemus alibi.

III. Dionysius Halicarnasseus, *histor. Rom. lib. 9.* similem truculentissimam pestem Romam inuasisse scribit, quæ promiscuè sæviebat in omnes, sine ullo discrimine ætatis aut sexus, aut corporum roboris, vel imbecillitatis, nec arti & remediis, quæ morbum levare & expellere

creduntur, cedebat. Idem auctor, *lib. 4. histor. Rom.* describit pestem, qua solummodo virgines fuerunt correptæ. Et quod virgines peste correptæ plerumque moriantur, videtur observasse Mindererus, nam, *lib. de pest. cap. 10.* dicit: *Virgines nubiles peste correptæ difficulter evadunt: an*, inquit, *quia spirituosum semen in motu cum sit, facile succenditur, an verò quia intrò detentum, facile corrumpitur, & in veneni perniciem abit. Unde Iacobus de Partibus, comm. super primam quarti, experientia sibi notum asfirmat, venenum tempore pestis in virginibus genitum irremediabile quodammodo existere: cui Hieron. Mercurialis, lect. de pestil. subscripsisse meminimus.* Contra vero in illa peste quæ tempore Gentilis Medici grassata fuit, paucæ mulieres, sed non nisi viri robusti mortui sunt. Sic Ioannes Boterus, *lib. 3. relat. univ. de mundo novo*, magnam enarrat pestilentiam quæ solos juniores fuit adorta, paucis triginta annos egressis illius contagionis insultu tentatis. Quare autem, pestis modò hæc, modò illa subiecta magis invadat & unde magna symptomatum diversitas procedat, videndum *sequente capite 7. annot. 2.*

IV. Plinius, *lib. 7. cap. 50.* dicit, *Senes pestilentiam minimè sentire*: hoc est, minus cæteris, vel omnium minimè. Sic quoque Mercurialis observavit, in peste illa Patavina senes maximè immunes fuisse: quod ipsum in Delphensi peste se quoque animadvertisse, refert Forestus. At Platerus scribit pestem illam quæ anno 1563 Basileæ grassata est, neque senibus, neque decrepitis pepercisse. Causam autem, quare senes plerumque à peste maxime immunes sint, inquirit Mindererus, *cap. 10. Tandem senes*, inquit, *& decrepitos, ob siccam forsan & frigidam temperaturam, à peste præ reliquis securos esse, fuit creditum, cum quod in victu ubi probe se gubernare norint, sibique bene præ reliquis prospiciant; tum quia frigido & sicco temperamento præditi paucum ac rarum spiritum attrahunt.*

V. Ratio fuit, quia aër Noviomagi ubique æquali tere modo (quod tamen in aliis pestibus rarissimè accidere solet) intectius erat, nec multo magis in ædibus ægrotantium, quam extra eadem, & tantum erat ubique locorum aëris contagium, ut qui aptam ad pestem dispositionem habebant, nusquam fere tuti essent, sed quocunque loco peste corriperentur: qui verò hanc occultam dispositionem non habebant, omni in loco, etiam in ædibus infectis non minus quam extra easdem, tuto versari possent. Guilhelmus Fabr. Hildanus, *cent. 4. obs. 23.* refert anno 1613 similia contigisse in peste Lausannensi, in qua dicit rusticos, & illos qui in altissimis montibus, ab omni hominum consortio separati, vivebant, non minus peste infestatos fuisse, quam illos qui in civitate habitabant; qui licet etiam maxima diligentia à se invicem separarentur, nihilominus tamen infinitos, qui cum ægris nullum consortium habuerant, trucidatos esse.

VI. Multa huiusmodi extiterunt exempla. Novimus civem, N. van Dans appellatum, qui pestem timens, & liberos amans, duos eorum Gorcomum in Hollandiam ad amicos transmisit, tertium domi retinuit. Cum autem illi duo in ista civitate (in qua tunc temporis nulla pestis erat) per duos tresve menses bene sani vixissent, tandem simul peste correpti & mortui fuerunt, eodem tempore quo etiam pater cum tertio filio Noviomagi peste extinctus est: mater autem venenatæ luis spicula sensit, sed tamen feliciter effugit. Circa idem tempus illius civis soror, & adhuc duo tresve liberi, qui ab alia sorore superstite erant (singuli satis longè à se invicem habitantes) plurelque eiusdem familiæ nepotes & cognati peste interierunt. Sic aliam novimus familiam, è qua intra octiduum circiter viginti occubuerunt. Ita etiam Euagrius, *lib. 4. histor. Eccl. cap. 28.* refert, in peste Antiochena certas familias prorsus interisse, salvis manentibus reliquis urbis incolis. Causa verò ob quam pestis integras familias corripiat, dependet ab arcana quadam dispositionis similitudine, quam inter se habent, quæ apta est ad pestem recipiendam. Hanc dispositionis similitudinem etiam agnovit Duncanus Liddelius, qui *lib. 3. de febr. cap. 2.* sic inquit: *Ex naturæ proprietate quadam a peste immunes sunt, licet cum peste infectis perpetuò vivant: alij, licet bene constituti, contagione tamen facillimè inficiuntur. Quod evenit ob peculiarem naturæ proprietatem & similitudinem, quam habent corpora,*

quibus

quibus contagium communicatur, ad illa quæ communicant. Nam communicatio sive receptio per similitudinem fit: ac ob similitudinem sæpe videmus integras familias contagio perire: ob dissimilitudinem verò belluas ab hominibus infici, item in peste belluarum verò homines affici. De hac dispositionum similitudine paucis agemus *cap.* 11.

CAPVT V.

De nonnullis quæ in hac peste notanda occurrerunt.

DVobus tribusve diebus ante & post novilunium, ut & (1.) pleniluniun, hæc dira lues semper exacerbata fuit, eoque tempore, & plurimos morbus corripiebat, & quos tunc invadebat, illi fere omnes moriebantur, idque valde citò; nam multi antequam vix ægrotare viderentur, nescio quam virium labefactatione oppressi, intra paucas horas extinguebantur, multi secunda, aut tertia die deficiebant, iis præcipue mensibus quibus morbus in vigore erat.

Pestis sine febre (2.) paucis incipiebat & finiebatur: pluribus sine febre quidem incipiebat, sed quæ tamen non diu post insequebatur: plurimos autem ab ipso principio cum parvo rigore pestis corripiebat, cui febris protinus adjungebatur, interdum ardens, nonnunquam mitis, ut plurimum verò mediocris.

Mulieres gravidæ (3.) plurimæ abortiebant, ac simul etiam peste corripiebantur, à qua pauciſſimæ evadebant. Quæ verò ad iustum partus tempus perveniebant, & feliciter pariebant, etiam has dira lues, cum suo fœtu, citiſſimè occidebat, ita ut quoque tales mortis spicula rarius subterfugerent.

Viri Veneri nimis assueti, si eandem nimis strenuè exercerent, brevi post peste corripiebantur (4.) ac cum cymba Charontis ad Elysios campos citiſſime deferebantur. Hinc factum quod plurimis sponsis, secunda tertiave post tedam nuptialem die, funebris teda accensa fuerit.

Si quispiam alio quodam morbo corriperetur, intra viginti quatuorve horas pestis illi morbo adjungebatur (5.) ita ut toto anno vix ullus morbus peste incomitatus visus fuerit.

Ægri qui in ipso morbi principio antidota sudorifera sumebant, multi sanabantur: principio transgresso grave periculum imminebat.

Plurimi ægri ante septimam diem interibant, multi subitò prima die extinguebantur, multi quoque tertia vel quarta, plures autem quinta vel sexta.

Qui diem septimum & nonum supervivebant, de iis aliqua spes erat. Aliquos tamen vidimus qui ad tertiam, & paucos qui ad quartam septimanam morbum protraxerunt, & tandem tamen mortui sunt. Febres enim pestilentiales lentæ valde taliaces erant (6.) nam propter symptomatum minorem violentiam sanationis magnam spem dabant, & ægros longo tempore circumducebant, sine magnis (ut videbatur) symptomatibus, & tandem tamen ex improviso sæpe eosdem trucidabant.

---

1. QVemadmodum in hac peste circa novilunium & pleniluniun morbum valde exacerbatum fuisse obseruavimus, sic etiam Joubertus suo tempore in plena atque silente Luna id ipsum notauit. Hinc quoque monet Ioannes Morellus, *lib. de febr. purp. ut unusquisque sibi caueat circa novilunium & pleniluniun, quia*, inquit, *tunc fortiter aerum*

reum venenum mouetur. Hoc ipsum quoque animaduertit Iohannes Heurnius, *de peste cap.* 8. qui adhuc aliam obseruationem addit: *Caue tibi*, inquit, *circa nouilunium & plenilunium, tunc enim aereum venenum mouetur violentius. Vis*, addit, *aliquid secretioris in natura? caue tibi cum singulis mensibus Luna venit in eum locum cœli, in quo erat Saturnus cum nascereris: idem de Marte dictum puta, quod tamen vix millesimus obseruat.* E contra verò Gemma scribit in peste anni 1575, Lunæ decrescentis quadraturam fuisse efficaciorem. Paræus, *lib. de peste*, ait Lunam decrescentem peste correptis sæpe fatalem esse ad interitum. Illud ipsum quoque affirmat Duncanus Liddelius, *lib. 3. de febr. cap. 4. Luna decrescens*, inquit, *peste laborantibus lethalis esse solet, plures enim Lunæ crescente, quam decrescente restituuntur.* Quercetanus, *lib. 1. Alex. cap. 7.* dicit tenes & fœminas peste laborantes frequentius Luna decrescente, plethoricos verò in plenilunio plerumque interire. Alij particulatim de quolibet subiecto annotarunt, in noua Luna natis circa nouilunium maximum pestiferæ infectionis periculum impendere, & in plena Luna natis circa plenilunium: idque obseruauit Goclenius, *de peste quæst.* 8. De Lunæ in corpora sublunaria viribus, diuersissimæ sunt opiniones, quas hic examinare nimis longum foret: inter has tamen verior videtur illa, quæ statuit, ad motum aquarum, humorum, succorum, &c. Lunam nihil facere, sed illa sponte naturæ moueri eodem modo & tempore quo Luna, atque Lunam istius motus tantum signũ esse, non verò causam efficientem.

II. Pestem esse quid diuersum à febre, & febrem eius esse symptoma, durante hac pestilente constitutione multoties obseruauimus, ac proinde nonnulli pestem malè per febrem definiunt, cum febris non sit de ipsius essentia, ut infra probabitur *cap.* 12. *annot.* 2.

III. Quare mulieres grauidæ tempore pestis magis afficiantur & periclitentur, docebitur *cap.* 15. *annot.* 22.

IV. Ratio erat, quia nimia feminis profusio spirituum dissipatione corpus eneruans, nec non humorum omnium excalefactio, atque ex his procedens primariorum viscerum debilitatio, & ad veneno pestilenti resistendum maior impotentia, corpora citissimè crudelitati huius tyranni subijciebant. Alexander Massaria, *lib. 2. de peste*, de Veneris usu cum quadam distinctione, sic bene scribit: *Coitu*, inquit, *arbitror non esse omnino interdicendum iuuenibus, bono habitu præditis, laute degentibus, assuetis, si modo illi moderationem adhibeant. Alij huiusmodi conditionibus destituti, illo prorsus abstineant, ne viribus labefactatis, & spiritibus exsolutis, naturalis calor debilior reddatur, quam ut tanti veneni violentiæ obsistere possit. Laertius semel interroganti, quando liceret uti coitu, respondit, Cum aliquis se ipso imbecillior fieri cupit.* Quantum sanitati noceat nimius Veneris usus, scitè admodum designauit Plato, dicens; inprimis tria esse capita seruandæ sanitatis: Ventrem cibis non repiere, ad labores impigrum esse, semen denique naturæ custodire. Aliud quid de Veneris usu, infra videndum, *lib. 2. cap. 7.*

V. Sic etiam Sennertus scribit, se obseruasse in magnis pestibus annorum 1616, & 1626. fere omnes alios morbos siluisse; & si nonnulli quosdam inuaderent, illis statim pestem adiunctam fuisse. Hoc ipsum quoque obseruauit Mindererus, *de peste cap.* 11.

VI. Si pestilens venenum substantiæ cordis firmius infigeretur, & valde exiguam humorum putredinem induceret, adeo paruo sæpe inducebatur febris, ut ipsi ægrotantes se febricitare vix sentirent. Cum huiusmodi febribus agri, vel citò interibant, si nempe pestilens venenum maiore quantitate, aut fortiore qualitate cor inuaderet: vel morbum longius protrahebant, si minori quantitate vel qualitate cordi se insinuaret. Atque tales febres lentæ valde fallaces erant. Quod etiam Auicenna animaduertens, ex Galeno *lib. 3. de præsag. ex pulsu. fen.* 1. *lib.* 4. sic inquit: *Sunt quippe ex ijs pestilentibus febribus nonnullæ, in quibus neque æger, neque ipsum tangens, excellentem febrilem calorem persentiunt, imò ipsius ægri pulsus & urina à naturalibus non multum distant, & tamen febris ipsa interficit.* Qua propter oportet ut Medici tempore pestis de talibus ægris prudenter iudicent, ne calumniam incurrant, & salutem promittant dum mors in propinquo est. Qua ii

ob

ob causam Galenus carpit Medicos sui temporis, qui in diuturna quadam peste hæc discernere nescirent, eosque nihil plebe præstantiores, imò imperitiores esse dicit.

CAPVT VI.

De signis pestem præcedentibus, & præsagientibus.

QVia prima pestis causa cœlitus dimittitur & occulta est, hinc etiam difficulter eiusdem adventus ex signis seu præsagiis certò prævideri potest: nam haud rarò obscurè ac furtim, nullis sui indiciis præmissis, multa loca repente invadit: nonnunquam etiam quibusdam in locis sui signa quædam, modò obscuriora, modò clariora, præmittit, maximè ab occulti pestilentis veneni effectu primo ac leviore, nec non ab iis quæ corpora ad pestem præparant, desumpta. Huius quoque generis varia signa pestem Noviomagensem prænunciare visa sunt: Tota enim æstate anni 1635, non minus quam anni 1636, huiusmodi indicia se prodiderunt: Nempe, stellarum ardentium in cœlo oberrantium magnus concursus, & in terram (1.) prolapsio. Plurima & fere continua nocturna, fulgura, cœlo non nubiloso existente, sine pluviis & tonitruis. Venti austrini (2.) diuturniores, sæpe etiam nulli venti manifesti. Maximi æstatis fervores, & siccitates diuturnæ, quæ hyemem tepidam humidamque sequebantur, & rursus ab hyeme tepida excipiebantur. Avium (3.) multo rarior numerus quam alis temporibus. Maxima & incredibilis insectorum (4.) copia, qualis vix unquam visa fuit, ut culicum, papilionum, scarabeorum, crabronum, cicadarum, omniumque maximè muscarum, quarum utroque anno tam stupenda ubique copia reperiebatur, ut ædium interiorum parietes undique muscis consiti viderentur, & foris ipse aer multis in locis quasi muscarum nubibus obfuscaretur. Carnium aliarumque rerum putredines, præter consuetudinem, longe citriores & graviores. Mulierum gravidarum (5.) frequentes abortus. Morbi epidemii mali moris, ut erant variolæ, morbilli, dysenteriæ valde malignæ & contagiosæ, imprimis febres putridæ malignissimæ, & purpuratæ, plurimisque lethales. Pueri in lusibus suis mortuorum (6.) sepulturam agentes; aliaque similia, quæ omnia huic regioni imminentia mala prænunciabant: quibus & illud accedebat, quod pestis crudelissima Lugdunum Batavorum iam miserrimè affligeret. Pro singulis autem individuis invasuræ pestis paucissima vel nulla dabantur præsagia, nam fere omnes ex improviso feriebat, nec nisi effectis & eventis deprehendebatur. Hoc unum adhuc observavimus, ubi aviculæ (quas nonnulli caveis inclusas delectationis & cantus gratia alunt) moriebantur, in illis ædibus etiam non diu post, imò frequentissimè intra duos treve dies, inter inhabitatores homines pestem dominatam fuisse, idque multis in locis seu ædibus contigisse vidimus.

---

1. MErcurialis, Forestus, aliique Medici, in ijs pestibus quas describunt, hujusmodi meteora quoque visa fuisse notarunt: atque sic etiam Trithemius, Andreas Gallus, & Crusius, similium præsagiorum pestis in suis historijs meminerunt. Verum nec cometæ, nec terræ motus pestem Noviomagensem prænunciarunt, quæ tamen signa nonnullas alias pestes præsagijsse & præcessisse, testes sunt Sigebertus, Platina, Paulus VVarnefridus, Michael Saxo, aliique Historici. Aliud aereum signum referunt Titus Livius & Sabellicus, contigisse anno 290 ab Vrbe condita, scilicet, cœlum multo tempore, omnium cum stupore animique con-

consternatione, apparuisse in forma flammæ ardentis, post quod signum furiosissima pestis subsecuta est. Nonnulli etiam inter hæc prælagia referunt pluvias sanguinolentas (quales ante paucos annos Buscoduci visæ dicuntur) funerum per nubes delatorum visiones, tonos lugubres in aere, sonitus in cæmiterijs auditos, aliaque similia. Alii credunt astra sæpius in terram excrementa quædam exspuere, è quibus imminens pestis, eiusque forma prælagiri possit. Sic aiunt Paracelsum anno 1538 huiusmodi recrementa stellarum discipulis suis monstrasse, eaque inuenisse intestinis similima, atque hinc exactis ab eo paucis mensibus secutam fuisse pestem crudelissimam, quæ homines una cum colica atrocissima affligebat. Ita eundem quoque in Vngaria dicunt notasse hæc stellarum excrementa, repræsentantia linguam crassitudine digitali, punctis atris signatam, ac paulo post secutam fuisse truculentissimam pestem, cum angina, & faucium ac linguæ exustione. Atque in Borussia illum vidisse huiusmodi recrementa maculis luteis, nigris, ac liuidis insignita, ad quæ, ecthymata cum peste secuta fuerunt. Verum quia solus Paracelsus, nec alius quispiam, quod scio, huiusmodi stellarum recrementa obseruasse dicitur, rei veritatem cuilibet iudicandam relinquimus. Porrò, soient etiam Astrologi ex coniectarum apparentijs, & ex eclypsibus, item ex varijs syderum aspectibus & concurrentijs, pestem imminentem prædicere: verum illa prædictio potius inanis coniectura, quam certa præscientia appellari debet, ut patet ex iis quæ dicentur *sequente cap. 8. problem. 2.*

II. Hippocrates agens de peste, austrinæ constitutionis plerumque mentionem facit. Ita quoque Galenus annum australem pestilentium morborum feracissimum esse, passim testatur. Quia nempe auster corpora ad pestem facilius suscipiendam maximè præparat ac disponit, si modò aliquod pestiferum venenum cœlitus in aerem dimissum fuerit: nam alioqui auster per se nullas pestes induxit; (hoc latius docebimus *cap. 8. annot. 1. problem. 5. & annot. 7.*) & austrini venti multoties longo tempore perstiterunt sine vllo sanitatis incommodo. Frater austrum, etiam acris quies, si nempe à ventis non agitetur, ad pestis præparationem plurimum facit. Hinc Hippocrates, *3. epidem.* dele constitutionem pestilentem describens, inquit, *Sine aura usque annus fuit.*

III. Aues, quia illud aëreum pestilens venenum citius ac facilius persentiscunt, regionem mutare, & ad loca salubria se conferre, etiam nidos, oua, & pullos non rarò deserere solent: quod à multis Historicis & Medicis antehac quoque obseruatum fuisse, passim legimus.

IV. Insectorum copiam pestem præsagire, iam à multis seculis annotatum fuit. D. Augustinus, *de ciuit. Dei, cap. 31*, scribit, post immensam, locustarum copiam, tantam pestem insecutam fuisse, qua in solo regno Mauritaniæ octies centum millia hominum perierunt, & prope Carthaginem bis centum millia, & Vticæ ex triginta millibus iumorum militum, qui ibi erant, decem millia remanserunt. Sic quoque D. Hieronymus, *in Ioel. Propbet.* scribit, tempore Theodosij Imperatoris maximam locustarum copiam in Iudæa horrendam pestem prælagisse. Simile quoque in Gallia Cisalpina contigisse, tradunt, Agricola, *de pest. lib. 1.* & Iohannes Wolffius, *cent. 16 lection. memorab.* Refert Hildanus, *cent. 4. obs. 24.* in peste Lausannensi, anno 1613. tantam ubique fuisse muscarum copiam, ut post hominum memoriam vix similis visa fuerit.

V. Mulierum abortus pestem sæpe præsagisse, etiam obseruarunt Alexander Benedictus, Forestus, Sennertus, aliique plurimi. Fiunt autem, quia teneelli & imbecilles fœtus, propter cordis & reliquorum viscerum debilitatem, venenatæ aeræ malignitati minus resistere valent, sed ab ea facile enecantur, tumque mulieri pondere & putredine molestam irritationem facientes, abortu excluduntur.

VI. Gallus Fridericus, *fascic de pest.* agens de pestis præmunctis, inter cætera etiam huius prælagij meminit: *Pueri*, inquit, *ab intelligentia non errante aucti, presbyterorum modo cantant, alios viuos pueros sepelire simulant, banc uniuersam animantibus perniciem futuram præsagientes.* Mindererus, *lib. de peste, cap. 9.* de hoc prælagio hæc scribit: *Admiratione digna res est, pueruli una ludentes & vespillonum*

more sepulchra fodientes, ac feretra deportantes, quasi genio id eos docente, venturam pestem hoc suo lusu prædixisse. Forestus ante pestem Delphensem illud præsagium etiam obseruauit. *Pueri*, inquit, *antea colludentes sepulchra instar sepulchorum faciebant, & feretra in humeris, ut vespillones, portabant: & quamquam hæc & similia ab alijs pro portentis, ab alijs pro nugis habeantur, tamen sæuissima pestis subsecuta est.* Sic etiam nos anno pestem hanc præcedente, Noviomagi varijs in locis, atque etiam in vicinia nostra, puerulos mortuorum sepulturam agere vidimus. Memini me quondam Montfurti vidisse puerulos quosdam per aliquot dies continuos, ante ædes vicini nostri Arentii Vos, mortuum, ut aiebant, lusisse, nec ab illo lusu prohiberi potuisse; atque post duos ab inde menses iisdem in ædibus tres liberos a variolis extinctos fuisse.

CAPVT VII.

De signis & symptomatibus pestem concomitantibus.

SIgna & symptomata (1.) quæ pestem hanc comitabantur, eamque adesse testabantur, varia (2.) erant: Febres; iactationes (3.) corporis: summa anxietas: æstus sæpe internus magnus: dolores capitis (4.) rarius acres, sæpius gravativi: terrores: deliria, (5.) convulsivi subsultus, & quasi leves contractiones membrorum: in aliis continuæ vigiliæ, (6.) in aliis graves sopores: visus (7.) turbidus: aurium tinnitus, & in nonnullis surditas: linguæ siccitas (8.) rarius tamen nigredo: oris & sudoris graveolentia: syncope: pulsus sæpe validus (9.) & naturali pene similis, interdum debilis, creber & inæqualis, ac in nonnullis intermittens, in multis valde parvus & creber, modo æqualis, modò inæqualis. Hæmoptysis: tussicula (10.) sicca: sitis (11.): inappetentia: oris ventriculi dolor: nausea, vomitus, singultus: alvi deiectiones crudæ, admodum fœtentes, ut plurimum turbidæ, ac interdum cum vermibus: diarrhœæ (12.) perniciosæ. Vrinæ (13.) multis optimi coloris & sedimenti, sanorum urinis similes, multis igneæ, aliis tenues & crudæ, interdum quoque turbidæ, nonnullis etiam unica die variæ, nempe modò bonæ & laudabiles, modò turbidæ, vel igneæ, aliquibus quoque sanguineæ. In aliis repentina virium deiectio & impotentia ad motum ab ipso morbi principio, in aliis vires robustæ usque ad mortem. Color corporis in aliis acer & vehemens: in aliis tantum (14.) naturalis. Color vultus aliis pallidus, aliis erysipelaceus, plurimis verò sanorum colori non multum absimilis. Maculæ (15.) purpureæ, nigræ, violaceæ, vel rubeæ, modo paucæ, modò multæ, modò angustæ, modo latæ, at fere semper (16.) exactè rotundæ, modò in una corporis parte, modò in alia, sæpe in toto corpore apparentes. Tumores (17.) in emunctoriis. Carbunculi (18.) in variis corporis partibus. Hæc dicta signa non pleraque in eodem subiecto (19.) videbantur, sed modò hæc in uno, illa in altero.

1. VIx aliquod exactè certum pathognomonicum pestis signum reperiri potest, quo posito pestis necessariò ponatur, sublato auferatur. Quia morbus hic multoties variat, neque eundem morem semper servat, unde quoque varia eius ac intricata, & pleraque fallacia signa sunt, partim propter occultam malignitatem primò efficientem, partim propter humorum corporumque varietatem: propterea unum, duo, vel tria ex his signis nihil certi concludunt sola, sed ex multorum in congerie certius iudicium ferri potest. Quamvis enim pestilens venenum suas habeat notas peculiares quibus se prodit, nempe bubones, car-

mestícorum repentina morte illos omnes peste interiisse, & domum fugiendam esse dixi; quod tamen pauci tunc temporis crediderunt. Sed ultimò, una, quæ adhuc superat, ancilla, Amsterodamum ad fratrem suum profectura, in itinere male habere cœpit; mox prodijt ipsi bubo inguinalis cum duobus anthracibus, sicque omne de peste dubium tuolatum est. Ipsa tamen ancilla sanata est, sed Amsterodami duos fratris liberos suo contagio infecit. Sic interdum diu occultum latet hoc malum, cuius tamen præsentia ex concursu prauorum symptomatum & alijs circumstantijs dijudicanda est. Verum hic maximè mirandum videtur, quod exista domo aeris illius pestis seminaria ulterius non fuerint disseminata, nec quispiam alius in tota urbe infectus, nec etiam Amsterodami per ultimam ancillam malum ulterius propagatum fuerit. Certe plaga illa in illam solam domum depluisse, in eaque, cum suo contagio, rursus extincta fuisse videtur: cuius origo nulli putredini adscribi poterat, cum splendidissima esset domus, nitidè inhabitata, ab omnibus cloacis & fœtoribus longissimè remota, in qua domestici erant valde nitidi, & ante huius mali inuasionem omnes optimè sani longo tempore vixerant, nec ullis corruptis, sed optimis semper cibis usi fuerant. Neque etiam contagio imputari poterat, cum pestis tunc nusquam grassaretur, & in illa domo post hominum memoriam nemo unquam peste infectus fuisset. Ex his iam liquet, quod differentia sit inter morbum epidemium & pestilentem: & quod epidemius seu communis non semper sit periculosus, & quod pestilens non necessario semper sit communis. Imò quod ad huius essentiam non pertineat ut sit communis, sed hoc potius accidens quoddam sit, quod vel eius communem causam, vel eius effectum, scilicet contagium, sequitur.

11. Symptomatum diuersitatem nonnulli malè opinati sunt dependere a veneni pestilentis naturæ diuersitate, quod tamen semper est unius eiusdemque naturæ, differens tantum in quantitatis vel qualitatis minore vel maiore excessu, non in natura, cuius ratione modò plures & vehementiores, modò pauciores & leuiores effectus edit. Præterea illam symptomatum diuersitatem parit, partim diuersa corporum dispositio, quæ in causa est quod alia in bilijosis, alia in pituitosis, alia in euchymis, alia in cacochymis, alia in iuuenili, alia in senili corpore producantur: partim ipsius pestilentis constitutionis varietas, quæ prout coniuncta est, cum putredine, prauis exhalationibus, feruoribus vel frigiditatibus, humiditatibus vel siccitatibus longè diuersa symptomata suscitat, unde fit ut in una peste non contingant eadem quæ in alia; nec in omnibus pestibus semper eadem lædantur subiecta. In una enim maximè corripiuntur mulieres, in alia viri; in una pueri, in alia adulti; in una interdum sola bruta, in alia soli homines; pro ut scilicet modò horum, modò illorum corpora (ratione aeris, temperamentorum, alimentorum, animi motuum, &c.) magis ad infectionem suscipiendam apta sunt. Non enim una peste omnes peccatores simul castigare & extinguere, sed modò brutorum internecione nonnullos magno damno mulctare, sicque Dei sui suorumque peccatorum (quorum nomine talia fiunt) memores facere; modò multos homines è medio tollendo, alios superstites ad timorem Domini & pœnitentiam adducere, decreuit Altissimus. Alia non considerantes Franciscus Ioel, *tom. 5. lib. 1. sect. 3.* aliique multi Medici, putarunt hactenus ipsum venenum pestilens esse diversum, idque interdum dipsadis, interdum viperæ, interdum cicutæ, interdum napelli, interdum arsenici, interdum alterius toxici naturam æmulari: cum tamen operationum diversitas, non à naturæ ipsius veneni diuersitate, sed potius aliunde procedat, ut modò dictum & ut latius infra docetur, *cap. 12. annot. 2. in quæst. an pestis sit certum morbi genus*. Qualiacunque autem fuerint symptomata quæ pestis inducit, pleraque grauia sunt & multum timenda: hinc, iuxta Paulum & Aëtium, bene dixit Altomarus: omnia horrendissima in peste fieri posse, & grauissima supervenire symptomata.

111. Iactationes corporis fiunt ob angustiã cordis veneni malignitate oppressi, & virium debilitate: dum enim cor graviter angitur, artus debiles, tanquam cordi aliquod iuvamen & solatium allaturi, huc illuc iactantur: eodem modo sicut in gravi dolore alicuius partis,

tis, aliæ omnes partes se contrahunt, tanquam hoc modo levamen aliquod allaturæ. Ioubertus, *lib. de peste*, aliam iactationis rationem reddit: *Plerisque*, inquit, *maxima est inquietudo, ob æstum, & pectoris, quæ premuntur, angustiam, quod suscitati vapores minus diffiari & discuti possint, magisque incluſus maneat calor: unde fit ut nusquam consistere valeant, huc atque illuc agitati, & in lecto se dimovere impotentes, velamenta abiciant.* Verum non valet hæc ratio, quia Ioubertus præsupponit veneni pestilentis operationem consistere in fervore seu æstu, vel saltem sine illo non peragi, quod minimè verum esse alibi latus docebimus: quod ex eo uno etiam satis liquet, quia sæpe huiusmodi iactationes contingunt absque ullo interni ardoris signo, sed nunquam tamen absque cordis anxietate; quod indicium est cor à venenositate, non verò ab ardore angi.

IV. Fallopius, *lib. de tumor. cap. de bubon.* inter alia pestis signa etiam recenset vehementem capitis dolorem cum tensione & calore vehementissimo coniunctum: verum nos in hac peste Noviomagensi, præter capitis dolores solos, inprimis grauatiuos, nec ullam tensionem, nec vehementem calorem animaduertimus.

V. Delirium in peste frequentissimum esse solet, in hac tamen nostra peste illud rarius erat. Thucydides refert in peste Atticâ deliria fuisse maximè communia, imò à deliriis memoriam multis abolitam, eosque tanta rerum oblivione captos fuisse, ut restituti, nec amicorum, nec rerum gestarum memorem essent, sed sibi ipsis quasi peregrini & incogniti haberentur.

VI. Sic etiam Hippocrates, 3. *epidem.* inquit: *In totum autem plurimos aut gravis sopor comitabatur, aut parvos ac tenue somnos habebant.* Causas soporis & vigiliarum describimus *cap.* 13.

VII. Sunt qui inter alia pestis signa etiam statuunt rubores oculorum; & Galenus, *lib. de præsag. ex pulſ.* hos non tantum accuratè obseruari, verum etiam ægrorum oculos aqua frigida ablui vult: qua ablutione si magis magisque inflammentur, illud pro certissimo & infallibili pestis signo reputatur. Nos tamen in furiosissima hac peste rubores oculorum in paucissimis obseruare potuimus.

VIII. Quercetanus, *in pestis Alex.* inter certiora pestis signa etiam nigredinem linguæ numerat, eamque semper necessariò subsequi ait. Verum eandem in hac nostra peste raram obseruauimus: fortassis quia illi pesti, quam ipse vidit, magnus ardor; huic verò nostræ exiguus fervor adiunctus erat.

IX. Varietatem pulsus inducit naturæ ac veneni pugna, dum in se vicissim agunt, alter in alterius perniciem. Cum venenum cor ferit, fit aliqua humorum cordis fixatio, quam mox sequitur non sufficiens sanguinis dilatatio ac propulsio; hinc magna procedit anxietas, & pulsus obscurus, frequens, & intercidens evadit: qui è contra fit plenior & firmior, cum cordis robur in venenum insurgit, & humorum fixatio jam minuitur, sanguinisque dilatatio melius procedit. Interdum etiam pulsus naturali plane similis est, quod Mercurialis, *de febr. 3. cap.* 17 dicit fieri, quia facultas motrix est debilis, & necessitas euentilationis magna, ita ut ex his duobus fiat motus quidam moderatus, exemplo illius qui debilis sit & hostes fugiat. Alii melius arbitrantur id fieri, quod aura venenata, non aucto incendio, nec nigredi modo, sed alia quadam deleteria qualitate cor impugnet. Vtcunque se res habeat, ex solo pulsu de peste nihil certi iudicatur; sic etiam Ioannes Baptista ab Helmont ingenuè fatetur, se ex pulsu pestem non posse agnoscere: *Nunquam*, inquit, *potui ex pulsu vel urina, quantumvis distillata, pestem novisse præsentem: urina enim & pulsus nunquam apud meam ruditatem detexerunt pestem.* Forestus scribit, in peste Delphica interdum per totum morbi decursum nonnullos probum pulsum habuisse, & tamen mortuos fuisse. Quod ipsum quoque asserit Galenus, 3. *de præsag. ex pulſ.*

X. Galenus, 5. *method. cap.* 12. tussim siccam omnibus fere pestilentialibus affectionibus adesse refert. Hoc dictum Galeni ab experientia confirmari tradit Quercetanus, *in alexic.* Nos tamen in hac peste, licet tussim siccam multoties, non tamen communiter nec valde frequenter obseruauimus.

XI. Sitis est symptoma quod frequenter pestem comitatur, sed non tamen semper: & quamvis Rondeletius dicat esse symptoma à

peste

peste inseparabile, nostamen multos etiam absque siti peste laborasse & extinctos fuisse, vidimus.

XII. Alui excretiones in peste non sunt similes illis quæ in alijs alui fluxibus contingunt, sed sunt fœtidissimæ, turbidæ, confusæ, liquidæ quidem, verum quasi oleaginosæ, hincque illas à colliquatione oriri, putat Galenus. In his excretis, præter colorem & fœtorem, aliud quippiam ipsis familiare obseruauit Sennertus, nimirum exigua quædam glutinosa corpuscula, modò albi, modò crocei, modò viridis coloris. Forestus obseruauit in iis aliquando apparere quippiam simile ouo fœtido aqua diluto.

XIII. Ex solis urinis certò pestis præsentia iudicari nequit; hinc Galenus, 3. *de præsag. ex puls.* inquit *Verum ex urina in huiusmodi febribus, præsertim ubi corpus cordis occupauerint, certam notitiam petere semper non licet.* Sunt itaque alia quoque consideranda. Optimi coloris & sedimenti sunt urinæ, sanorum urinis similes, vel parum mutatæ, cum venenata labes in cor & spiritus solummodo agit, humoribus adhuc illæsis relictis: vel cum humores plus peccant maligna qualitate, quam putredine. Igneæ vel rubicundæ fiunt, cum calor internus nimis excandescit: turbidæ autem à caloris nativi imbecillitate, & magna humorum tam putrefactorum ebullitione ac contusione: quæ ebullitio & contusio si per intervalla fiant, huius causa sunt quod urinæ modò turbidæ, modò laudabiles appareant.

XIV. Calorem sæpe ad tactum mitem ac placidum esse, obseruauit etiam Auicenna, *Can. 4. lib. 1. cap. de febr. pest.* Quod ipsum quoque asserit Galenus, 9. *simpl. cap. de bono ar.* Ratio est, quia morbo magis infestat maligna & venenata qualitas, quam excessus caloris aut frigoris, vel putredo.

XV. Maculæ hæ communiter & plerumque erant purpureæ: rariores erant rubeæ, violaceæ, vel nigræ. *Omnes quidem maculæ* (inquit Crato, *tract. de febr. petech.*) *quacunque fuerint, febris pestilentis sunt indices, sed non omnes febris pestilentis contagiosæ: nam cum in progressu morbi, videlicet quarta vel nona die, rubræ primum se produnt, pestilentis spuriæ notæ sunt: cum verò in initio morbi conspiciuntur, contagiosam febrem indicant, aut cum liuidæ apparent vel nigræ, quæ rarò in viuis, in cadaueribus plerumque se offerunt, cum nempe contagij vis subitò vitam adimit.* Hæc Crato; cuius dictis in hac nostra peste non respondit experientia: nos enim tertia, quarta, quinta, sextave, imò & septima die prodeuntia rubra exanthemata contagiosissimæ luis, & plerumque mortis instantis certissimum indicium dedisse vidimus; nam in tota hac peste vix viginti cum maculis rubris euaserunt; cum purpureis; unum tantum; cum nigris aut violaceis nullum euasisse nouimus. Præterea etiam istas maculas liuidas, imò & instar atramenti nigras, non solum in mortuis, sed in viuis quoque non rarò obseruauimus, certa quidem mortis indicia, sed cum quibus tamen nonnulli ægri aliquando per biduum triduumve adhuc superuiuebant. Huiusmodi maculæ, cuiuscunque formæ vel coloris fuerint, semper vel pestem, vel saltem febrem maximè malignam & pestilentialem (qualis etiam est petechialis) indicant, in nullo enim alio morbi genere reperiuntur. Interdum quidem apparent in alijs quoque affectibus maculæ his non multum abimiles (ut in scorbuto, lue Venerea, &c.) circa pestem vel pestilentem febrem, sed earum ab his differentiam peritus Medicus sola inspectione & circumstantium consideratione facile animaduerteret. Adde quod procedant à longe diuersa causa, nempe a sanguinis nimia tenuitate, colfugine, vel aliquo excrementitio humore illi permixto, qui a calore effervescens & agitatus, a facultate expultrice foras ad cutem propellitur, in eaque efflorescit.

XVI. *Dico, fere semper rotundæ*, quia vidimus etiam maculas liuidas & nigras oblongas, quasi calamo scriptorio inscriptas; alias quoque maiores, quasi flagellis inductas; nonnullas etiam maximas, totum aliquod membrum, vel magnam eiusdem partem occupantes. Sic etiam scribit Iulius Palmarius, *lib. de peste, cap. 24.* se multoties vidisse maculas, quæ interdum brachium, aut crus totum, aut faciem, aut aliam maximam partem occupabant.

XVII. Tumores in emunctoris frequentissimi, & inter omnia symptomata pestis certa

ciora signa erant, sicut etiam carbunculi & exanthemata, ac proinde vulgares his tribus indiderunt nomen pestis.

XVIII. Carbunculi ut plurimum ab exili pustula oriebantur, magnitudinis milii seminis, interdum à pluribus huiusmodi pustulis simul iunctis: his sensim increscentibus pars subrus emoriebatur quasi cauterio inusta, & pravum colorem, vel nigrum, vel cinereum acquirebat, in eiusque summitate ut plurimum omnes vesiculæ in unam ichore nigricante plenam coibant. Caro in circuitu magnopere inflammabatur. Hi carbunculi in aliis erant parui, in aliis magni: imò non semel vidimus illos, instar sphaceli, mortificationis labem breuissimo tempore latissimè in vicinias partes extendisse.

XIX. Licet venenum pestilens nullarum non corporis partium actiones interturbare, omniaque mala inducere possit, tamen non eadem mala omnes affligunt, nec in omnibus pestilentibus constitutionibus eadem apparent; imò vix duos eodem contagio infestos, planè eadem symptomata pati videas. Huius diuersitatis rationem dedimus annotatione secunda præcedente.

CAPVT VIII.

DE PESTILENTIÆ CAVSIS.

OMnis vera pestis, qualis etiam fuit hæc Noviomagensis, tres causas habet, quarum secunda à prima, tertia à secunda descendit. Prima & primaria causa est iustissima summi Dei (1.) ira, quam turpissimæ ac teterrimæ exhalationes è stagnis fœdisque peccatorum nostrorum cloacis sursum elatæ provocarunt & incenderunt. Ab hac causa promanat illud τὸ Θεῖον (2.) quod pesti inesse animadvertitur, cujus etiam Hippocrates sæpe mentionem facit.

Secunda causa, quæ à prima originem sumit, est maligniſſimum, occultum (3.) venenosum & naturæ humanæ infensissimum pestilens seminarium, cœlitus (4.) demissum, quod minima quantitate aeri infusum, instar subtilis cuiusdam fermenti sese per aerem dilatat; eumque inquinat, (5.) ac plurimis eius particulis, multis in locis seu regionibus, similem venenositatis labem imprimit, per cuius communionem non pluribus tantum unius loci incolis, sed pluribus etiam orbis terrarum partibus pestis plerumque communicatur. Hujus autem causæ, scilicet venenatæ inquinationis aeris, origo non ab astrorum aliorumve corporum cœlestium variis motibus & influentiis, non tempestatum certis constitutionibus, non à sublunarium putredine (6.) aut certa quadam elementorum mistione, non à prauis exhalationibus, sed ab illo *Diuino*, seu primo immisso seminario resultat ac dependet. Huic tamen inquinationi aeris plerumque variæ aliæ causæ adjutrices seu secundariæ, partim per corruptiones à dicta inquinatione introductas genitæ, partim aliunde aduenientes, adiungi solent, quibus non primariò pestis inducitur, sed humorum alterationes, putredines, aliæque præparationes ad pestem suscipiendam generantur. Quales causas secundarias (7.) etiam in hac peste varias habuimus; nempe malignas siderum (8.) coniunctiones, (si modò malignæ dentur, & sidera in inferiora quicquam operentur) aeris cælique maximos ardores & squallores, ventos meridionales, & sæpe fere nullos ventos manifestos; siccitates diututinas, hyemis & veris tepores, putridarum rerum fœdissimas exhalationes, aliasque similes.

Tertia causa, quæ à secunda procedit, est contagium, quod est, morbi primò soboles, postea causa. *Dico, Soboles*, quia non existit nisi post morbum primò inductum; nam qui primus

primus peste corruptus fuit; illam à contagio non contraxit; sed post semel factum morbum, exivit contagium, quod similem quoque morbum multis aliis communicare potuit. De quo plura capite decimo sequente.

His tribus pestilentiæ causis nonnulli etiam adiungi volunt animi emotiones (9.) iram, terrorem, metum, luctum, repentinam lætitiam, & tristem (10.) imaginationem. Sed cùm hi motus nihil maligni in se contineant, & solummodo per accidens spirituum commotione corpora disponant ad facilius recipiendum pestilentem labem, eamque ad cor deferant, nullo modo causæ pestem efficientes, sed tantum secundariæ seu præparatoriæ ad pestem recipiendam, dici possunt.

1. DE causis pestis maximè ardua inter Medicos quæstio mouetur. In eo conueniunt omnes, illam excitari à cœca quadam pernicie, & inexplicabili aeris labe. Sed unde labes illa emerserit, quomodo aer tantum vitium contraxerit, quid hoc elementum inquinauerit, de eo dubitant, & in eo inueniendo laborant omnes. Atque hæc difficultas doctissimorum ingenia adeo torsit, & tam diuersas opiniones, veritatis specie omnes exornatas, extorsit, ut ex eorum scriptis simul collatis, cum quo sentiendum sit, grauissimè iudicari queat. Alij hanc labem à Deo præternaturaliter immitti, alij à malignis siderum influentijs induci, alij per incantamenta & Diabolicas artes excitari, alij à tempestatum certis constitutionibus produci, alij putredine, tetrisque ac venenatis exhalationibus generari existimant. Quas omnes opiniones Paracelsistæ simul colligentes, quinque pestis causas, & ab illis quinque eiusdem differentias, statuunt: Dicentes, pestem generari, 1. Ab ente Deali, cum solo Dei nutu inducitur, ad coercenda hominum flagitia. 2. Ab ente astrali, cum à malignis siderum aspectibus, configurationibus, coniunctionibus, & oppositionibus illa labes in aëre gignitur. 3. Ab ente Magico, cum veneficorum & incantatorum opera prouocatur. 4. Ab ente veneni, cum per inspirationem halituum venenatorum aer inficitur. 5. Ab ente Naturæ, cum oritur ex interna maligna humorum putredine. Harum quinque causarum nonnulli secundam & tertiam reiciunt, ac quartam cum quinta coniungunt, sicque duas pestis species agnoscunt, unam ab ente Deali, alteram ab ente Naturæ. Nos verò etiam nullam ab ente Naturæ pestis causam agnoscimus, sed omnem veram pestem à solo ente Deali procedere dicimus, & iam latius probabimus.

Omnis pestis primam causam in supplicium à Deo irato immitti, ab omni æuo creditum fuit, tam apud Gentiles, quam apud Iudæos & Christianos. Plato *in Phæd.* pestilentiæ causam Diis attributam fuisse docet. Idem etiam testantur, & historiis confirmant, Plutarchus, *in vita Romuli*, & Titus Liuius, *Hist. lib.* 11. *cap.* 45. nec non Homerus, antiquissimus scriptor, qui ob filiam Chrysis stupratam, læsum Apollinis numen, telo pestifero in Græcos sæuisse scribit. Eodem sensu etiam Ouidius Phœbum una cum sorore filios & filias Niobes interfecisse dicit. Plin. *l.* 7. *c.* 28. refert, ob præcipitatum è Capitolio Manlium, Diis Capitolinis indignatis, sæuam pestem Romanos adortam esse. Hippocrates pestilentis contagii labem τὸ Θεῖον τὸ continere docet: & *lib. de nat. mulieb.* dicit, maximè diuinam in hominibus morborum causam esse, ac propterea curationem ἀπὸ τοῦ Θεοῦ inchoari debere. Auenzoar, 3. *Thesir.* ait, pestem procedere ab illo qui est summę & ultimæ scientiæ. Hinc olim quoque, teste Galeno, in pestiferis constitutionibus semper cõsuleoant deos de remediis: quia ut morbi causam ab iis descendisse pro certo habebant, sic etiam causæ ablationem & remedia ab iisdem petebant, atque sic ille ipse Galenus, *lib. de propr. lib.* Fatetur se votum Æsculapio fecisse, quo à pestifero morbo aliquot apostematis liberatus est. Etiam hodie Gentiles contagium ad sua idola, ut testantur illi qui Indias perlustrarunt.

Præter hæc & innumera alia Gentilium testimonia, sacræ literæ quoque plus satis confirmant, pestis primam causam semper a sum-

m

mo Deo, ad hominum punitionem, cœlitus descendere atque immitti. Exodi, *cap.* 5. *vers.* 3: *Sacrificemus Iehovæ Deo nostro, ne forte occurrat nobis peste & gladio.* Ibidem, *cap.* 9. *vers.* 15: *Nunc extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribisque de terra.* Leuitici, *cap.* 26: *Ait Dominus, si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, &c.* tandem addit: *cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medio vestri.* Numeri, *cap.* 16. *vers.* 46: postquam 14700 peste occubuissent, dixit Moyses ad Aaron, *Iam egressa est ira à Domino, & plaga sæuire cœpit.* Ibidem, *cap.* 25. *vers.* 9. leguntur 24000 homines peste extincti. Deuteronomij, 28. *vers.* 21. & 22: *Adjunget tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra: percutiet te Dominus tumore, febre, & frigore; ardore & æstu, & aere corrupto ac rubigine.* Ieremiæ, *cap.* 14. *vers.* 12: *Quoniam gladio, fame & peste consumam eos.* Ibid. *c.* 21. *vers* 6: *Percutiam inhabitatores huius ciuitatis, ita ut homines & bestiæ magna peste simul moriuntur.* Ibidem, *cap.* 29. *vers.* 17, 18: *Ecce mittam in eos famem, gladium & pestem, & persequar eos in fame, gladio & peste.* Ibidem *cap.* 51 *vers.* 1: *Ecce ego suscitabo super Babylonem quasi ventum pestilentem.* Ezechiel. *cap.* 5. *vers* 12: *Non parcet oculus meus, & non miserebor, tertia pars tui peste morietur.* Ibidem, *cap.* 14. *vers.* 19: *Si autem pestilentiam immisero super terram, & effudero indignationem meam super eam.* 2. Regum, *cap.* 24. *vers.* 15: *Immisit Dominus pestilentiam in Israel, a mane usque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan usque ad Bersabee septuaginta millia virorum.* Habacuc, 3. *vers.* 5: *Ante faciem Dei ambulabat pestis, & carbunculus ante pedes eius procedebat.* His Sacra pagina testimonijs addi possunt duæ memorabiles historiæ, quarum primam describit Aemon, *lib.* 5. *de gestis Francorum, cap.* 16. nempe nijs patrem Ludouicum. Principem pium ac religiosum, iniuste persequentibus, Deum hoc facto tantopere intentum & irritatum fuisse, ut immissa peste undecim dierum spatio totam fere Galliæ Nobilitatem extinxerit. Alteram describit Eusebius, *Histor. Eccl. lib.* 9. *cap.* 8. de violentissima peste, quæ in omnes indifferenter idololatras & paganos sæuiit, Christianorum ecclesia planè intacta. Qualem historiam quoque refert Orosius, *lib.* 7. His adiungatur auctoritas Theophylacti, *in Matth. cap.* 24. ita scribentis: *Nunquam aliunde pestis quam à Deo prouenit.* Ex quibus omnibus causam pestis diuinam esse, & præternaturaliter à summo Deo immitti, nemo non videt. Quod ipsum quoque docet horrendum illud præsagium aduentus Christi, *Matthæi cap.* 24. *Erunt pestes, & fames, & terræ motus per loca.* Etiam liber Apocalypseos sanctis Angelis (tanquam diuinæ voluntatis executoribus) pestis illationem attribuit, non verò ullis causis naturalibus. Præterea hactenus quoque ab omnibus Christianis idem illud semper creditum fuit: hinc enim est, quod Magistratus in pestilenti constitutione publicas supplicationes indicere soleant, ut communibus omnium precibus, jejunijs, & eleemosynis diuinum Numen placari, & Angeli percutientis gladius à populo auerti possit.

His ita positis, ut rei ipsius veritas clarius elucescat, etiam aliorum opinionum fundamenta perlustranda sunt. In eum finem hic problemata examinanda proponemus:

1. *An pestis causa de nouo à Deo generetur.*
2. *An ab astris producatur.*
3. *An incantamentis & diabolicis artibus excitari queat.*
4. *An ex putredine & tetris exhalationibus resultet.*
5. *An à tempestatum certis constitutionibus procedat.*
6. *An veneficijs induci possit.*

Problema I.

Primi problematis negatiuam defendit Iohannes Pistorius, *lib. de Peste*, qui dicit in prima mundi creatione Deum omnia creasse, quæ ad rerum omnium sustentationem & lapsum necessaria erant, ac postea destitisse à creatione: atque hinc concludit omnium rerum fata certo & irreuocabili ordine continuè volui, nec quidquam de nouo ad sanitatem vel morbos inducendos à summo Deo creari. Pistorij sententiam probat Piaterus, qui *praxi stract.*

2. cap.

2. *cap.* 2. statuit pestilens venenum ab initio mundi fuisse creatum: neque unquam pestem primitus generari, sed eandem solummodo propagari per contagium, quod vel aliquibus in locis in fomite longo tempore delituit, vel ab aliis regionibus peste infectis (nunquam enim mundum à peste ita liberum esse credit, quin semper alicubi grassetur) allatum est per ventos vel fomites. Illud ipsum, *cent. quæst. postbum. quæst.* 42. secundo pronunciat, his verbis: *Puto pestilens hoc venenum originem suã in mundi origine habuisse, de corpore in corpus per contagium dispergi; de nouo non creari vel produci, quamvis concedam certum certorum astrorum concursum, & hinc certam aeris mutationem factam, hoc virus, cuius naturam nescimus, at effectus videmus diuersos & horrendos, quod alias deliteſcebat, in actum producere posse: sed cum nihil agat nisi in proportionatum obiectum, quænam hæc obiecti sit dispositio, ut lubenter edoceri cupio, sic me nescire prompte fateor.* Huic sententiæ quoque subscribunt, Ioannes Magirus, *pathol. lib.* 2. *sect.* 7. *cap.* 6. & Matthias Vntzerus, *de lue pest lib.* 1. *cap.* 15. Verum hanc opinionem à veritate prorsus alienam esse, iam demonstrabimus. *Primo* enim inde necessariò concluditur, Deum in prima mundi creatione fuisse auctorem multorum malorum, utpote qui tunc expresse multa condidisset ad laptum & interitum generis humani. Quod tamen repugnat Sacro textui, *Genesios cap.* 1. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Secundo*, inde sequitur, semen pestilens semel natum deinceps intrasse in naturam, nec quidem ut maledictionis cuiuspiam, sed ut creationis prolem, postmodum suam continuare generationem. Quæ conclusio e directo repugnat verbo Diuino, quod pestilentiam tanquam maledictionis & diuinæ indignationis plagam a summo Deo ad deputata loca immitti docet: sicut illud paulo ante ex plurimis Bibliorum sacrorum locis probauimus. *Tertiò*, dicimus, Deum, postquam mundum & omnia quę in eo sunt creasset, sexta quidem die quieuisse, ut dicit textus Sacer, id est, plures mundos creare noluisse, sed interim tamen creationis potestatem non deposuisse, ita ut ipsi non liceret in mundo iam creato aliquid immutare, & de nouo addere, aut creare, vel ante creatum auferre seu annihilare. Hoc quippe certissimum est, quamquam rerum omnium Conditor cœlo & elementis certas ac definitas vires dederit, & leges indixerit, quibus mundus hic administretur, illum tamen nullis legibus addictum, imò legis auctorem, omnibus præesse, & quas condidit ordinatas vires ac leges, pro beneplacito suo immutare, & nouas addere: Sicut olim Solis ordinatum cursum impediuisse, eumque stitisse legimus, ut Iosua hostes suos prosequi posset: sicut etiam aquarum ordinatum cursum mutauit, easque in Mari Rubro instar murorum stitit, ut Israelitis ex Ægypto exitus, & per mare transitus daretur. Ita quoque non semel ad mortalium punitionem varias plagas in mundum hunc extra omnes naturæ leges ac ordines demisit. Sic quadraginta dierum pluvia totum terrarum orbem submersit: Azotijs, propter Arcam Testamenti captam, morbum hæmorrhoidum imposuit: sulphur & ignem super Sodomam & Gomorram depluit: aliaque similia multoties peregit, quorum causæ in prima mundi creatione creatæ non fuerunt, sed quibus ipse, naturæ Creator & rector, naturæ leges immutauit. Fortè quis dicet, hæ plagæ non sunt de nouo creatæ, sed alitunde solummodo aduocatæ, & in destinata loca immissæ; nam, ex. gr. aqua creata fuit ante Diluvium, sulphur ante Sodomam, ignis ante Gomorram, ranæ ante Ægyptum, &c. hæc enim à prima mundi creatione originem suam agnoscunt. Addam igitur plura an uxor Lothi in prima creatione etiam creata fuit statua salis? an baculus Moysis serpens? an aqua Cananæa vinum? an calcei Israelitarum tam fortes ut quadraginta annis non fuerint attriti? extiterunt quidem in mundo colles salini ante natam uxorem Lothi, serpentes ante natum Moysem, vinum ante nuptias Cananæas; sed tamen uxor Lothi, baculus Moysis, aqua Cananæa, talia nec erant in principio, nec ulla naturę opera fieri potuissent, nec unquam facta fuissent, nisi summo Deo placuisset huiusmodi nouam immutationem seu creationem, pro omnipotentia sua de nouo efficere. Quid mirum igitur si etiam pestis seminaria nonnunquam de nouo producat,

&

& in aerem præternaturaliter dimittat ad hominum punitionem, quando scelerum nostrorum infamia id postulat? eaque rursus, pœnâ sufficienter illatâ extinguat? certè maximus ille Opifex, qui Naturæ concessit in particularibus subiectis noua venena producere posse, (qualia sunt illa quæ ex sanguine menstruo & semine corrupto, aliorumque multorum tetra putredine generantur, ut & venenum rabiosum canis rabidi, &c.) sibi etiam illam potestatem reseruauit, ut morbificum aliquod venenum ad punitionem mortalium, in & ex ipso aere generare possit, quando celsissimæ ipsius Maiestati sic placuerit: iuxta illud quod populo Israelitico dicit, *Deuteronomij cap. 28: Nisi custodieris & feceris omnia verba legis huius, augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui; plagas magnas & perseverantes, infirmitates pessimas & perpetuas, & convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi: insuper universos languores & plagas quæ non sunt scriptæ in volumine legis.* Verbo autem Dei summa est potestas, qui crescentibus nostris impietatibus, etiam pœnas crescere facit, inter quas haud minimum locum tenent morbi; quorum magna series, maioribus nostris planè ignota, in hoc nostrum ulcerosum seculum de nouo irrupit, quorum multorum causas non creatas in prima mundi creatione, sed ob multam peccatorum nostrorum accumulationem, à summo Deo de novo productas esse, certum est. Tales noui & antea incogniti morbi sunt: *Sudor Anglicus* seu *Britannicus*, qui primo visus est anno 1436. *Lues Venerea* quæ, anno 1494, in obsidione Neapolis primum initium in Christianismo sumpsit. *Scorbutus*, qui anno 1556. in nostris oris maritimis primo observatus fuit. *Morbus Vngaricus*, qui anno 1566 mundum intralle dicitur. *Bruno Gallicus*, siue *Noua Moraviæ lues*, quem annus 1577 peperit. *Morbus nouus Luneburgensis*, qui anno 1581 primo sparsi cœpit. *Febris castrensis insolita & contagiosa*, quæ non ante multos annos visa est: aliique plures. Si autem horum venenatorum morborum (quales sunt Sudor Anglicus, Lues Venerea, &c.) venenum de novo à Deo genitum sit, quis venenum pestilens de novo à Deo generari posse negabit? Non est quod quispiam hic obijciat: si Deus causam pestis de novo præternaturaliter immitteret & generaret, illum fore magnorum malorum causam. Illud nos negamus: Deus enim nec vult, nec desiderat mortem peccatorum, sed ut conuertantur & viuant: atque hinc non immittit pestem ad perditionem mortalium, sed ad salutem plurimorum, ut cum illo flagello multos quidem iustè castiget, verum maximam partem, pœnæ & furoris diuini metu, à peccatis auertat, & ad salutis viam impellat, qui alioqui omnes ad æternæ perditionis barathrum se facile deuolui sent. Eodem modo sicut Magistratus facit, qui homicidas & latrones capite plectit, non eo solo fine ut ipsos iustè castiget, sed magis ut per illam pœnam multos alios ab eiusmodi delictis auertat, & ad virtutis viam, metu pœnæ & dedecoris, impellat. Si in prima mundi creatione Deus expresse ad humani generis internecionem pestilens venenum condidisset, tunc longè aliter se res haberet, haud secus ac si Magistratus ad ciuium perniciem foueas in urbe foderet; hoc enim non fieret ad bonum finem, in pœnam delinquentium, sed fieret ex crudelitate & tyrannide in malum finem, & plurimorum innocentium perditionem. Atque ita ex omnibus his satis liquet, si summum Deum pro omnipotenti sua potestate, pestilens venenum de novo in sublunarem mundum introducere, quando peccatorum numerus pœnam exigit; idque ex contagio aut fomite non suscitari. Huius rei veritatem, præter modò dicta, confirmat ipsa ratio. Nam si pestis à contagio semper excitaretur, fieret vel à contagio in aere hærente, vel in fomite latente. Non ab *illo*, quia venti & radii solares aeris squalores purificãt & continuè expurgant, ac inquinamenta abluunt, ita ut noxia illa contagiosa miasmata longo tempore in aere conservari, multo minus integris viribus ad longinqua loca deferri nequeant. Non ab *hoc*, quia si pestis produceretur à solo contagio in fomite asservato, necessariò, cum urbem vel regionem aliquam inuaderet, ibi perpetuam sedem figeret: nam in constitutione pestilenti semper innumeri fomites in aduos infectis asseruantur, ex quibus commotis identidem varii contagio infician-tur, scilicet quo usque pestis in vigore est: sed

decli-

declinante vigore, etiam imminuitur infectio; ac denique cessante peste, fomites passim commouentur & excutiuntur, vel sine, vel cum valde exigua noxa. Si autem ex tali fomite identidem noua pestis epidemia produceretur, tũc in illis locis semel infectis duraret pestis in perpetuum. Ita ut tandem concludendo dicamus, à fomitis contagio alios infici, quousque fomes recens, & pestis in vigore est: sed extra pestilentem constitutionem à fomite diu asseruato, aut fortè nonnunquam unum atque alterum, vel saltem pauciſſimos, pestem contrahere posse, à contagio scilicet quod isti fomiti jam commoto vel excusso inhærebat. Nam hoc in nostra crudeli peste satis diligenter obseruaui, quod desinente peste, contagium in quocunque fomite latens, anni spatio penitus emoriatur: neminem enim in tota ciuitate, in qua propter maximam pestem fomites innumeri fuisse debuerunt postquam pestis per annum siluerat, à fomite infectum fuisse, aut quidquã mali contraxisse, audiui, quantumvis ubique domus expurgarentur, supellectilia lanea, linea, aliave qualiacunque excuterentur, vestes peste mortuorum induerentur, nullusque fomitis locus intactus relinqueretur. Quod ipsum quoque obseruauimus in illa peste quæ Montfurtum anno 1637 grauissimè afflixit; ut & in nupera peste Vltraiectina, quæ annis 1655 & 1656 grassata est. Quæ obseruationes, faciunt ut non admodum magnam fidem habeam iis, qui scribunt pestem aliquam excitatam esse à contagio è fomite, post 12,20, vel 30 annos in lucem producto, erumpente: sed posito, à tali fomite fortè unum vel alterum ex proximè astantibus infici, malum tamen non longe proserpet ulterius; (vide exempla *lib. 4. Hist.* 1. 2. 119.) nec epidemiam pestem generabit, pestis nomine verè dignam, ut pote cuius primum seminarium seu causa prima à summo Deo, non concurrente natura, præternaturaliter in aere gignitur, & genita, instar tubulis fermenti, semox ulterius expandit. Hanc nostram sententiam etiam acriter & bene defendit Eustachius Rudius, *art. med. lib.* 3. *cap.* 30. Hic forte quis obiiciet nuperam pestem Amsterodamensem, quæ a fomite ex Algeria Turcarũ, ut & Smyrna allato, circa Autumnum anni 1663 vigere cœpit, ac brevi maiora incrementa sumpsit, aliisque circumiacẽtibus urbibus & pagis communicata fuit. Respondeo, illud contagium per solum fomitem eò non fuisse transportatum, sed inprimis per ipsos peste infectos & egrotantes, ex Barbaria & Græcia (quibus in locis pestis acerrimè grassabatur) huc delatos, qui suo contagio nautas & peregrinos in navibus infecerunt, cumque tandem omnes Amsterodamũ venirent, atque in diversis urbis partibus hospitia sumerent, plurimis in locis suo contagio infecerunt cives suos hospites, sicque propagatum est malum per totam urbem, & sequenti æstate, per infectos ad vicinas urbes inde commeantes, etiam Lugduno-Batauorum, Hagæ-Comitis, Dordraco, pluribusque oppidis & pagis fuit communicatum; idque per contagiũ quidem, sed cuius tamen primum seminarium Dei nutu aeri fuit impressum, in pœnam scelestissimorum prædatorum Algerienſium, cuius etiam aliqua pars, ad nostrorum peccatorum punitionem. nobis per contagium fuit transmissa, & mediante putido fœtore, Amsterodamo non modò per æstiualem æstum familiari, verum etiam propter dilatata eo tempore urbis pomœria, hinc; magnam stagnorum & cloacarum commotionem, multum adaucto, plurimis communicata. Sed quis scit, an non quoque nostro aeri antea aliquid pestilentis seminarii fuerit immissum? nam diu ante aduentũ istarum nauium contagium aduehentium, pestis crudeliter grassabatur Heusdæ, multisque in pagis, quæ tamen ab isto forinsecus allato contagio processisse non potuit. Denique, posito casu, mercimonia in antedictis nauibus cõtenta, fuisse fomites contagii, hoc tamen non probat pestem semper excitari à contagio in aere vel fomite asseruato, (ut vult Platerus;) verum si fomes recens fuerit, sicut in illis nauibus (quæ brevi tempore ex Barbaria & Græcia huc traiecerant) & aere contagium vigente peste fomiti immissum, tunc illud fieri posse concedimus: sed quod contagium per multos annos in fomite asseruari, & postea ex eo excussum pestem epidemiam excitari possit, hoc nenegamus; nam, ut modò dictum, anni spatio emoritur.

Problema II.

Secundi problematis affirmativam partem multi graviſſimi Philoſophi ac Medici cum Aſtrologis defendunt, docentes peſtilentiæ cauſam generari à ſola vi corporum cœleſtium, quæ pro varijs aſpectibus, coniunctionibus, oppoſitionibus, & configurationibus, in hæc inferiora vires ſuas diverſis modis exſerunt. Hanc opinionem probare nituntur rationibus, & auctoritatibus præſtantiſſimorum virorum. Receptiſſimum, eſt, inquiunt, Peripateticorum axioma, *Cœlum, ut cauſam univerſalem, cum particularibus cauſis concurrere.* Hinc ait Philoſophus, *Sol & homo generant hominem.* At ſi cœlum ſit auctor generationis, erit etiam corruptionis: nam *Corruptio unius eſt generatio alterius*, hæcque eadem habent principia. Vnde cœlum, tanquam cauſa uniuerſalis, huic ſublunari mundo non beneficia tantum, ſed quoque maleficia, non ſalubria tantum ad vitam, ſed etiam venenata ad mortẽ impertitur. Operationes autem cœli ſeu aſtrorum in corpora hæc inferiora maximas eſſe, varia docent, imprimis verò Lunæ effectus, qui omnibus maximè cogniti ſunt, in fluxu & refluxu maris, in plantationibus, ſeminationibus, lignorum cæſionibus, etiam in nonnullis morbis, ut hydrope, epilepſia, aliiſque, qui ſecundum varium Lunæ motum, modò hoc tempore ingraueſcere, modò alio leniri ſolent. Ex varijs quoque ſiderum motibus tempeſtates, pluvias, calores, frigiditates, & ſimilia prævideri poſſe, Aſtrologorum ſcripta non tantum docent, ſed ipſe quoque eventus demonſtrat. Ex iis etiam Hippocrates aliique Medici varios morbos præviderunt & prædixerunt. Tradunt etiam Philoſophi aſtra eſſe primarias cauſas papilionum, muſcarum, locuſtarum, ranarum, murium, aliorumque ex putri materia ortorum animalium, ut & plurimorum morborum, tam cum, quam ſine putredine, corpora humana infeſtãtium. Cum autem tales aſtrorum in hæc inferiora virtutes, tales in morbis prædictiones, tales putredinum excitationes, tales animalium quorundam ac morborum generationes notiſſimæ ſint, quis dubitabit inter alios morbos etiam peſtem ab aſtrorum hoc illove concurſu produci? Probant hanc opinionem maximi quique Philoſophi & Medici, ut & ipſa experientia. Ariſtoteles, 1. *Meteor. cap.* 2. dicit, mundum hunc inferiorem ſuperioribus motibus eſſe contiguum, & omnem eius virtutem inde regi ac gubernari; & tam omnem corruptionem, quam generationem à cœlo prouenire, neceſſarium eſſe. Idem alibi dicit, coitione Iouis & Saturni, regum principatus deletum iri, ſæuituroſque morbos peſtilentes. Alexander Aphrodiſeus, 2. problem. 88. inquit: *Aer ſyderum peſtilenti defluvio vitiatur.* Auicenna, *primo quarti*, ubi tractat de peſtilentia, & *fen. 3. primi, doct. 5. cap. 1.* aſtra, pro diverſa inter ſe miſtione, in corpora ſubcœleſtia, & in ipſũ aerem qualitates occultas, ſeu benignas, ſeu maleficas imprimere, hincque etiam peſtis cauſam deriuari, clariſſimè demonſtrat. Valeſcus de Taranta, *in Philon. pharmarc. lib. 7. cap. 16.* & Fernelius, de *febr. cap.* 17. nec non *lib. de abdit. cap.* 12. cauſas quoque peſtilentiæ figuris atque influxibus cœleſtibus adſcribunt, cum quibus conſentit Ludouicus Mercatus, *de febr. lib. 7. cap. de febr. peſtilenti.* Albertus Magnus dicit, Iouis cum Marte coitum bella & peſtes excitare. Duncanus Liddelius, *lib. 3. de febr. cap.* 2. tradit, adſpectum Saturni & Martis, aut Iouis, potiſſimum in ſignis humanis, vel in ſigno Scorpii, eſſe infaustum, & peſtis cauſam. Ex coniunctione Saturni, Iouis, & Martis generatam peſtem deſcribit Guido de Chauliaco. Aliam ex Saturni & Iouis coniunctione ortam, enarrant Marſilius Ficinus, & Ioſephus Quercetanus. Aſtrologi præter ſiderum conjunctiones, etiam à Solis & Lunæ eclipſibus, cometis, aliiſque meteoris, & portentis, peſtem, famem ac bella produci ac præſagiri tradunt. Sic ab eclipſibus exortas peſtes referunt Georgius Tholoſanus, *lib. 2. de Rep. cap. 7.* Michael Saxo *Chronic. in vita Conſtantini Secundi Imp.* Matthias Mechouius, *lib. 3. Chronic. cap. 26.* A cometis inductas peſtes deſcribunt Andreas Angelus, *annal. lib. 3.* Crulius, *in annal.* Trichemius, *in Chronicis*, & Porphyrius. Inter neotericos Sennertus, *lib. 4. de febr. cap. 2.* docte & latè probat, non ſupernaturaliter, ſed ſola aſtrorum vi peſtis cauſam generari. Idem quoque docent Matthæus Zeinus, *in orat. de cauſ.*

caus. & period. pestis; Quercetanus *in Alex.* & Vntzerus, *de pest. lib.* 1. qui tamen duo posteriores pestiferam vim astris supernaturaliter à Deo tempore pestilenti attribui credunt.

Nonne munitissima & inexpugnabilia videntur omnia hæc argumenta? & tamen illa omnia, quantumvis valida, & grauissimorum virorum auctoritatibus munita, facili negotio ab ipsa Sacra scriptura euertuntur, quæ docet, *Genes. cap.* 1. stellas creatas esse in signa, & tempora, & dies, & annos, non verò in malorum & mortis causas. Profectò in Paganismum (inquit Ioannes ab Helmont) impinget, quicunque stellarum officia ac destinationes supra Textum Sacrum extendere audebit. Nam *Psalm.* 148 Deus dicitur præceptum posuisse cœlo, quod non præteribit. A transgressu Adami nulla maledictio vel labes cœlo infusa legitur, sicut terræ, quæ spinas & tribulos profert, & propter peccatum remansit mortis feudum. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum Domini annunciat firmamentum*. Cœli ergo futura annunciant, non verò generant, nec venenosos morbos, nec bella inducunt: per motum tuum naturalem vicissitudines temporum faciunt, sed nihil mali producunt. Liber Apocalypseos etiam nullam vim punitiuam cœlis attribuit, sed eandem Angelis adscribit. Ad hæc ipsam pestem inferendi potentiam Angelis à summo Deo mandatam fuisse, legimus, 1. *Paralipom. cap.* 21. *vers.* 12. Iesaiæ *cap.* 37. *vers.* 36. Ezech. *cap.* 9. *vers.* 3, 4. aliisque locis. Imò etiam sæpe non per Angelos (multo minus per astra) sed ipsemet pestem immisit, cuius rei vide citata loca *in initio annot.* 1. *huius cap.* Cum itaque cœli à summo Deo non sint ordinati ad plagarum illationem, neque in se contineant mortem, bella, venena, pestem, non poterunt quoque huiusmodi plagas super nos effundere; nam dare nequeunt quod non habent, nec continent, nec generant, non enim nuncius bellorum præco eorum causa est. Hinc quoque Origenes, 4 *tract. super Matth.* acriter eos damnat, qui stellas affirmant maleficas, cum nullam stellarum Deus Opt. Max. creauerit aliquid malefici in se continentem. Præter Sacras literas, ipsa quoque ratio prædictæ opinioni repugnat. 1. Cum terra respectu cœlorum sit minimi puncti instar, & astra multa millena milliaria à terra distent, ac generalissimos influxus habeant, non poterunt malignæ ac pestilentes irradiationes inde defluere ad certas quasdam regiones vel urbes, (sicut plerumque non per totum mundum simul, sed in certis quibusdam ciuitatibus, vel regionibus pestem grassari videmus;) sed debebunt ad omnes mundi, quem quotidie ambiunt, angulos, vel saltem ad dimidiam mundi partem extendi; nisi forte quispiam tubum à cœlo ad nos usque per aerem directum supponat, per quem astra huiusmodi pestifera inquinamenta nonnunquam ad determinata loca eiaculentur. 2. Quia cum omnes regiones astrorum influentiis expositæ sint, non potuerunt non omnes esse pestis tributariæ. Contra verò Trigautius refert, in Sinarum toto Imperio pestem insolitam, & nunquam visam esse. Sic etiam Scaliger tradit illam Æthiopiæ oram, quæ Nigir accolit fluvium, semper pestis expertem esse: quibus tamen idem Saturnus, Iupiter, Mars, aliaque sidera eadem sunt quæ aliis regionibus. 3. Si ab astrorum coniunctione induceretur pestis, ut coniunctio illa, sic & pestis breuissimo tempore duraret: nam cessante causa, cessaret simul etiam effectus. 4. Quia si astra venena generare & depluere possent, unica maligna coitione tantum veneni generaretur, quo totum mortalium genus penitus extingueretur. 5. Quia si astra generarent venena, forent pernicioſa; atqui Deus illa creauit absque omni pernicie, ut interiora hæc benigniter continerent & foucrent. Hic si forte quispiam obijciat, astra per se quidem bona esse, sed pestilens venenum per accidens ab iis produci, quatenus hoc illove contrario modo inter se commista, propter contrarias inter se discordes vires, calu aliquid naturæ inimicum generant. Respondeo, ob tempestatum mutationes (quarum astra sunt signa, non causæ) ad calidum, frigidum, humidum, vel siccum, forte humorum alterationes vel putredines, hinc que morbos quosdam naturales per accidens induci, nullum verò venenum pestilens (quod in nulla humorum putredine consistit) nec à tempestatibus, nec ab astris earum signis, unquam de nouo generari. Quantum ad Peripateticorum axioma, *Cœlum, ut causam*

niuersalem, concurrere cum causis particularibus: illud in multis falsum erit, nisi per *cælum* intelligant ipsum Deum; nam alioqui etiam ipsa miracula forent naturalia. Sic etiam non satis propriè dicitur, *Sol & homo generant hominem*; nisi per *Solem* (quem multi Gentiles pro vero Deo coluerunt) intelligatur ipse Deus. Malè etiam Lunæ operationes citantur in fluxu & refluxu maris, &c. in quas res nulla Lunæ operatio incidit, cum aquæ marinæ, succi, & humores sponte naturaliter moueantur eodem modo & tempore quo Luna, atque illorum motuum Luna tantum signum sit, non verò causa efficiens. *Tempestatum* verò & quorundam morborum prædictiones è siderum motibus prædici posse concedimus, nempe tanquam è signis, non verò tanquam è causis efficientibus: nam Deus ab initio mundi omnium quæ futuræ erant tempestatum mutationes præscripsit, isque talem ordinem motus qualem astris dedit; ita ut astra harum mutationum signa esse possint, quia naturaliter simul cum tempestatibus mouentur. *Negamus* quoque sidera esse causas papilionum, muscarum, &c. nam hæc animalcula è certa putredine oriuntur in illis locis ubi putredines occasio est, nempe ubi sunt cadauera animalium putrescentia, fructus facile corruptibiles, aquæ paludosæ, cloacæ, aliaque fœdam corruptionem suscipientia. Si ab astris talia insecta primariò generarentur, totus mundi circuitus ab iisdem occuparetur, quia astra generalissimos dicuntur habere influxus, & mundum ambiunt: verum experientia docet illorum insectorum extraordinariam abundantiam non nisi in certis locis reperiri, iis nempe, in quibus magna est putredinis seges, alia verò loca ab iisdem esse immunia. Idem quoque de morbis intelligendum. Quantum ad Aristotelem, Auicennam, aliosque Gentiles, prædictæ opinionis patronos, non mirum est illos astris multas virtutes tribuisse, nam verum Ens entium ignorabant; ac propterea videntes necessario aliquid debere esse à quo sublunarium mutationes producerentur, astra id facere arbitrati sunt, utpote quorum motus cum tempestatum motibus conuenire videbant. Aristoteles adhuc ulterius prospiciens, cum etiam astrorum ordinatos motus adhuc aliud maius principium necessario agnoscere videret, duos Angelos cœlorum rotatores affinxit. Præterea ipse quoque Aristoteles nullam maleficam vim astris adscribit; nam 9. *Metaph. cap.* 10. dicit, in his quæ sempiterna atque ætherea sunt, neque malum, neque errorem, neque corruptionem inueniri. Plato quoque docet, cœlum & siderum concursus semper bonum in hæc inferiora influere, ab ipsoque non nisi conseruationem & beneficium inferri. Sic quoque Auerrhoes, *cæli cap.* 24. inquit: *Corpora cælestia continent elementa, conseruant ipsa, & uniuersaliter sunt ipsis quasi forma.* Rationem subiungit, *lib* 1. *cæl. com.* 82. *Si*, inquit, *aduersaria nobis cælestia corpora essent, corrumpi statim uniuersum, consequens plane foret.* Illud ipsum ulterius confirmat, *lib. de subst. orbis*, dicens: *Vitam nobis vegetabilem, sensibilem, & animalem calor cælestium corporum tradit.* Quibus verbis manifestè concludit, alienum esse à ratione, existimare ea, quorum beneficio viuimus, nos contagio afficere. Verum hic planè mirari licet, quomodo Mercurialis, Sennertus, aliique Christiani, viri doctissimi, qui verum Deum omnium principium agnoscunt, prædictæ cœcæ Paganorum doctrinæ tam facile subscribant, ut etiam, licet verbo Dei contradicente, à creaturis potius quam Creatore rerum principia & causas quærant, atque infontia sidera, tanquam malorum fabricatores, culpent, ijsque pœnas extraordinario modo inferendi vim tribuant, quæ soli Deo propria est. Quapropter omnium horum auctoritates & rationes, in quantum Sacræ scripturæ repugnant, & astrorum operationes ad alia munia, à Deo ipsis non præscripta, distorquent, reijciendas esse arbitramur. *Flocci* etiam faciendæ sunt historiæ ab experientia de conjunctionum astrorum affectibus annotatæ: quæ friuolæ enim sint & dissonæ, vel sola Guidonis historia ante citata satis docet: nam ille describit pestem furiosissimam, qualis vix unquam saluior grassata fuit, hancque dicit incepisse mense Ianuar. anni 1348, & genitam fuisse ex coniunctione Saturni, Iouis, & Martis; quam coniunctionem ait contigisse anno 1340, die 24. mensis Martii. Ecce quam egregie causam illius pestis coniunctioni illorum Planetarum adscri-

adscribit, quæ totis octo annis antea facta fuerat, & solummodo per exiguum temporis durauerat: quis non videat absurdissimum esse credere coniunctiones astrorum minimo tempore durantes, post tot annorum interuallum primò operationes suas edere, & tanto temporis interstitio nullum malignum signum præmittere? profecto si tales coniunctiones aliquid possent, in instanti suas operationes ederent, nam sunt tantum momentaneæ. Sic etiam multorum aliorum similes obseruationes, si curiosius examinentur, nullo solido fundamento innixi apparebit. Et posito, pestes oriri tempore talium coniunctionum, quis vel ex Sacris literis, vel firmis rationibus demonstrabit, illas à talibus siderum coniunctionibus produci? & rursus, posito, venenum pestilens ab istis coniunctionibus generari, unde tunc illarum pestium causæ procedent, quæ sæpe cum salutiferis (ut appellantur) astrorum coniunctionibus & influentijs inducuntur? sicut se id in grauissima peste sui temporis obseruasse scribit Platerus, *prax. tract. 2. cap. 2.* Frivolæ igitur sunt huiusmodi obseruationes, ut & illæ quæ de Solis Lunæque ecliptibus (quas aerem prauis & malignis inquinamentis compurcare credunt) graui stylo a quibuldam descriptæ sunt. Profectò nihil ec ipies ad inductionem pestis facere, quotidiana experientia demonstrat; nam nul o non anno aliquot huiusmodi ecliptes contingunt, nulla omnino peste subsequente. Huc etiam accedat Caroani o seruatio, qui *Subtil. lib. 16.* inquit: *Ab anno 1539 usque ad annum 1551, tot Solis, & maxima, tum Lunæ deliquia apparuerunt, & tamen Italia ab anno 1531, ad annum præsentem 1552, nunam passa est insignem pestis cladem, imo nec ferme vestigium.* Quantum ad cometas, meteora, alaque huiusmodi, illa etiam nunquam pestem generarunt, sed aliquando eiuidem auuentantis signa fuerunt; quemadmoduin etiam terræ motus bella & pestem non raro prælagierunt. Fiunt autem hæc prælagia, quia Deus Opt. Max. secundum immensam suam misericordiam, antequam vult punire, solet signo dato peccatores præmonere, (sicut præmonuit Ninivitas per Prophetam Ionam) ut a sceleribus suis tandem desistant, & conuertantur ac viuant, priuquam indignationem suam super illos effundat. Concedendum ergo multos diuinos morbos, propter delictorum nostrorum magnitudinem, de nouo à summo Deo immitti, (quales olim etiam fuerunt illi, quibus Azotios in secretiore parte natium, in Ægypto omne primogenitum, in castris Assyriorum centum & octoginta quinque hominum millia percussit) quorum primaria causa ab astris, aliisve naturalibus corruptionibus petenda non est: atque inter hos morbos pestem facile primarium esse. Qua propter, his ita habentibus, non immeritò Petrus Paulus Pereda, *in Paschal. meth. med. l. 2. c. 9.* Ioannes Picus Mirandula, *lib. 4. aduers. Astrol.* Valleriola, *in append. locor. com. cap. 2.* Iamblicus, *lib. de myster.* multique alii, negant influxus astrorum aerem corrumpere, & ad pestem quidquam facere posse. Auerrhoes quoque dicit: *Qui credit Martem, aut aliud sidus quoquo modo dispositum nocere corporibus, alienus ab omni Philosophia credit.* Sic etiam Carolus de la Font, in Auenionensi academia Professor Medicinæ primarius, *in suo libello de Peste, dissert. 1. cap. 6.* Astrologorum opinionem acriter impugnat, & quia illam aliis rationibus splendide refutat, dignum & necesse videtur, ut ipsa illius verba, quæ hac de re scripsit (honori enim tanti viri nihil detrahendum censeo) omnia hic adiungam. *Non corrumpitur aer, inquit, à causis superioribus, id est, illis quæ cœlitus influunt.* „ Ex cœlo enim & altris quid„quam aliud, præter calorem, motum, & lu„cem, in hæc inferiora demitti, nondum pro„batum est: neque in astris aliud quidpiam, „ præter hæc tria, ab ipsis etiam Astrologis ob„seruari, aut demonstrari posse existimo. Illa „ autem aerem ita corrumpere nequ.unt, ut „ venenatus euadat: neque ulla ratione pro„bari potest, motum, calorem, aut lucem „ astrorum, mirabiles illos, qui ipsis tribuun„tur, effectus producere posse. Itaque Astro„logi hæc nude asserunt, non autem probant, „ neque explicant, qua ratione, aut per quid „ astra influant: nudæ autem eorum assertioni „ fidem habere non possumus: Philosophiæ „ enim libertatis regnum est, in qua persuade„re rationibus, non cogere licet. Et ut ad il„lam ipsam rem, cuius gratia Astrologorum

pla-

„ placita hic perpendimus, deueniamus; quo-
„ modo probare possunt Astrologi pestem à
„ coniunctione & positu quorumdam planeta-
„ rum in aereis quibusdam signis pendere? sta-
„ tuunt siquidem coitum duorum aut trium
„ superiorum planetarum, Saturni, Iouis, &
„ Martis, in signis aereis aut humanis, qualia
„ dicuntur esse Gemini, Virgo, Libra, Aqua-
„ rius, & prima medietas Saturni, pestem effi-
„ cere, adeo ut ex præuisis hisce coniunctioni-
„ bus arturam pestem prædicere soleant. Scio
„ equidem supponere Astrologos Saturnum &
„ Martem esse planetas maleficos, cum Mars
„ sit summe calidus siccus, Saturnus maxime
„ frigidus, & ideo quando ambo conueniunt
„ in signis humanis dictis, scilicet Gemini at-
„ que Virgine, quæ cum specie humana analo-
„ giam quandam & familiaritatem habere fe-
„ runtur, hinc fieri ut homines per manipulos
„ ægrotent, & commoriantur peste affecti. Ve-
„ rum recte dictum est, id totum ipsos suppo-
„ nere, cum nullo, modo probent. Inprimis
„ enim ab ipsis quærere vellem, undenam hoc
„ potuerit ipsis innotescere, Martem calidum
„ esse, Saturnum frigidum? An scilicet, (ut
„ præclare eos refutat clarissimus Gassendus, in
„ sua Meteorologia Epicuri) quia Mars ru-
„ beus est, idcirco exurit? Saturnus quia sub-
„ pallidus, idcirco valdè frigefacit? O conse-
„ cutionem præclaram! sic carbunculus uteret,
„ cala refrigeraret tangentem. Quasi verò
„ omnia quæ rubescunt necessario sint ignea;
„ quæ palescunt, vel potius quæ candida sunt,
„ sint nivea. Cur autem illos Martis ardores
„ non experimur per hyemem, ac præsertim
„ donec acronychus est? cur non per æstatem
„ Saturni rigores? an congruis magè tempori-
„ bus tales probari effectus possent? An dicere
„ valent, quomodo agnoscant gradum aliquem
„ caloris defluere a Marte, non verò à Sole?
„ gradum aliquem frigoris esse à Saturno, non
„ ab alia causa? Sed demus Martem calidum,
„ Saturnum frigidum esse, an illi propterea
„ censendi tantopere malefici, ut dum sunt
„ coniuncti, nos ilico venenatis sagittis petãt?
„ cur non conflatur potius Mars suo nos calo-
„ re fouere? cur non Saturnus exæstuantes suo
„ feriare frigore? Hæc Gassendus: quibus ego
„ addo; & dum sunt coniuncti illi planetæ, cur
„ non se mutuo contemperant, adeo ut tempe-
„ ratos influxus tunc temporis in terras dimit-
„ tant? Sed iterum quæro; cur prædictæ pla-
„ netarum tantopere mal. ficorum coniunctio-
„ nes nihil tamen mali hominibus inferant dũ
„ in aliis signis reperiuntur, sed tum solum po-
„ tissimum cum in Geminis, aut Virgine con-
„ tingunt? Respondebunt ipsi, quia hæc signa
„ humana sunt, & peculiarem analogiam ad
„ speciem humanam habent. At instò ego,
„ undenam cognoscant signa alia esse huma-
„ na, ut Geminos, Virginem; alia ferina, ut
„ Arietem, Taurum; alia reptilia, ut Cancrum,
„ & Scorpionem? an quia priora hominum,
„ altera ferarum, tertia reptilium nomina ha-
„ bent? quæ nomina ipsis fortuito valde, &
„ pro mero arbitrio ab antiquis sunt indita,
„ ut mox demonstrabo. Nimirum hæc omnia
„ meræ suppositiones sunt, quæ non probantur,
„ neque ullo fundamento nituntur, sicut alia
„ pleraque Astrologorum placita: ut quando
„ dicunt, v. gr. Leonem & Canem esse calidos,
„ Scorpionem & Pisces esse frigidos: item ecli-
„ psin aut cometam in Ariete obseruatũ, sum-
„ morum Pontificum, aut Imperatorum, aut
„ Regum mortem præsagire, eo quod Aries sit
„ primum signum quod cum vivis principibus
„ habeat analogiam, & similia. Enimvero om-
„ nes illæ suppositiones ab altera quadam ge-
„ nerali suppositione Astrologorum deducun-
„ tur, nimirum, astrorum virtutem ex diversis
„ nominibus constellationum & planetarum
„ ab antiquis ipsis inditis significari: ut, v. gr.
„ Leonis, Arietis, Tauri, Piscium, Virginis,
„ &c. nam verisimile est, inquiunt, antiquos il-
„ los sapientissimos eiusmodi nomina stellis
„ non imposuisse, nisi prius natura earum per-
„ specta, cognitave proprietatum analogia, ac
„ similitudine cum iis rebus quorum nomina
„ mutuabantur, adeoque putandum omnia
„ illa esse mysteriis plena, stellarum propieta-
„ tes demonstrare. Verum cum hæc astrorum
„ doctrina ab antiquis tradita, à plerisque fa-
„ cile & incogitanter, absque prævio examine,
„ accipiatur, propter fatuam quandam plero-
„ rum, ac nostri temporis hominum persua-
„ sionem, quæ ipsorum animis alte jam insedit,

nimi-

„ nimirum Astrologos, non homines, ut nos, „ sed supra humanam veluti constitutionem „ extitisse, neque errare unquam potuisse, ita, „ ut piaculum esse existiment de tantis illorum „ sententijs perdubitare. Nos pro virili animorum hanc fascinationem excutere satagamus & totam hanc doctrinam in ipso eius tōte inquirentes, omne mysterium pandamus. „ Notandum imprimis est Chaldæos, qui primi astrorum speculatores perhibentur, cum „ cœlum accurate cognoscere, vialque omnes „ atque semitas, quas Sol, Luna, aliique planetæ ordinario suo motu percurrunt, exacte describere apud se statuissent, non melius id efficere se posse arbitrati sunt, quam si dictas „ planetarum vias atque semitas per varium „ quem in illis habent ad stellas fixas ipsis superiores, quæ inter se immobiles eandemque „ semper distantiam servare videntur, respectū „ describerent; non absimili ratione, ac varii „ araneæ per cubiculum ambulantis itus reditusque per varium quem habent ad tabulati „ trabes respectum, facile describi demonstrarique possent. Itaque Chaldæi has stellas fixas in chartis describere in ea proportione „ & distantia, quam in cœlo ipso servare videbantur: sed quia, & si partem tantum stellarū „ tunc cognoscerent, stellas tamen supra millenas numerabant, quæ non facile singulæ „ propriis ac specialibus nominibus, poterant „ appellari, ideo ne tantus variarum appellationum numerus memoriam eorum obrueret „ ac subverteret, in plures velut acies & classes, „ nempe in quadraginta octo, eosdem distinxerunt, quas sydera, id est, collata ex pluribus stellis signa, seu constellationes nominarunt, & cuique syderi nomen indidere, pro „ ut varia erat figura illa, quam prædictæ constellationes, ad eorum arbitrium effictæ, ipsis „ referre videbantur. Postea vero, cum observarent Solem, Lunam, & alios planetas, non „ nisi sub duodecim ex dictis syderibus, quibus „ fortuito & per accidens Arietis, Tauri, Geminorum, Virginis, Pisium, & similia nomina tribuerant, motus suos & progressus efficere, ideo hæc ipsis dicta sunt duodecim signa zodiaci, quæ quidem hunc usque bene se „ habent. Verum quæ his superstructæ sunt fabulæ, eiusdem rationis non sunt. Etenim seu „ antiqui eorum curiositati indulgere qui ab „ ipsis quærebant cuinam usui interviret illa „ omnia in quibus tantopere desudabant, totamque vitam insumebant; seu vulgi existimationem & famam captare; seu denique in „ illis fortunarum suarum incrementum quærere vellent, ex Astronomis Astrologi sunt „ effecti, & quæcunque in terris agerentur aut „ euenirent, ab astris pendere statuerunt. In „ hunc finem astrorum facultates describere, „ necesse habentes, unicuique syderi peculiares virtutes tribuere aggressi sunt. Has autem „ non melius assignare & vulgi credulitati imponere se posse arbitrati sunt, quam si earum „ verum, quorum nomina pro syderum nomēclatura mutuati fuerāt, proprietates unicuique syderi inesse assererent. Inde Leonem & „ Canem, quia animalium calidorum nomina „ habent calida: Cancrum, Scorpionem, & Pisces, ob similem rationem frigidos: Virginem & Geminos, quia nomina hominum „ propria sunt, cum hominibus analogiam habere statuerunt. Similiter Saturnum, quia „ nomen viri senis est, Lunam & Venerē, quia „ nomina fœminarum sunt, frigidos planetas „ esse dixerunt: Solem verò, Iovem, & Martem, „ quæ nomina sunt virorum, calidos: soli Mercurio nullas certas tribuunt qualitates, sed „ velut alterum Protheum, omnes formas, „ omnesque aliorum qualitates suscipere contendunt. Quæ cum ita sint, & primum ex varia syderum figura, ut dixi, impositæ fuerint „ nomina, quam proprietates descriptæ (cum „ Astronomia omnium consensu sit Astrologia antiquior, hæcque illius sit veluti spurius „ & abortivus fœtus) & tamen videamus proprietates syderum nominibus prius ex mero „ arbitrio impositis ita ad amussim non respondere, nonne absurdum videtur, censere nomina imaginaria, & fortuito astris indita, „ vim quandam in homines habere? nonne periculum est, astra & sydera quæ his nominibus sunt appellata; alia potuisse ratione nominari? Stellæ, v. gr. illæ quæ in unam & eandem aciem seu classem redactæ, unum quodpiam sidus componunt nonne eodem iure „ potuissent ad diuersas acies, reduci, & ita ad

di-

„diversa spectare sydera? Quod equidem au-
„ctor quidam, Schilerus dictus, facere aggres-
„sus est, & omnium signorum figuram & ap-
„pellationem commutavit, & in globo cæle-
„sti, quem descripsit, loco Arietis divum Pe-
„trum, loco Persei divum Paulum, loco Vir-
„ginis Michaelem constituit. Et
„nonne unusquisq; etiam hodie alia signa pro
„arbitrio efformare eodem iure posset, ac pri-
„mi illi Astronomi? Vitro quidem taceo, non
„temere mutanda esse nomina antiquitus pro
„stellarum & syderum distinctione recepta,
„ne scilicet omnia confundantur: sed tamen,
„quibuscunque utamur nominibus, absurdum
„semper censendum est, rerum, causas astro-
„rumq; virtutes à nominibus eiusmodi imagi-
„narijs deducere. Vbi igitur audieris Astrolo-
„gos dicentes, homines die Veneris natos vo-
„luptatibus fore deditos, eo quod illa dies no-
„men Veneris, habeat, ipsique lubricat atque
„sit sacra; homines die Lunæ natos leues & in-
„constantes fore, eo quod illa dies nomen Lu-
„næ acceperit: ubi audieris dicentes esse quod-
„dam in cœlo signum quod Antiquis Libram
„vocare libuit, in quo qui nati fuerint, iustos
„futuros esse, eo quod libra iustitiæ symbo-
„lum dicatur; ubi audieris dicentes, tria esse
„zodiaci signa, Arietis, Tauri, & Capricorni,
„animalium ruminantium nomine appellata,
„quæque similiter Mutus, Leo, & Elephas ap-
„pellari potuerint, ideo eos qui purgans me-
„dicamentum ijs diebus sumpserint, quibus
„Luna illis signis subest, illud medicamen-
„tum per vomitum reiecturos: ubi audieris di-
„centes, homines sub Leone natos fortes, sub
„Virgine timidos fore, sub Cancro natos nun-
„quam in rebus suis prouentum facturos, quia
„hoc animal non nisi retrogradiendo ambu-
„lat: ubi denique audieris dicentes, coitum
„trium superiorũ planetarum, Saturni, Iouis,
„& Martis, in Geminis atque Virgine (quæ
„signa humana antiquis vocare libuit, etsi non
„magis hominum quam velaris molitrinæ spe-
„cies præ se ferant) hominibus exitium & pe-
„stem portendere, hæc omnia pro anilibus fa-
„bulis sunt reputanda, & imbecillitatis accu-
„sandi hunc illi, qui similibus rebus delectan-
„tur. Vbi Astrologi hic se vt argumenti præ-
„sos agnoscunt, ad experientiam confugiunt,
„quod cum sit ultimum eorum effugium, illud
„etiam sedulo examinandum est, & ostenden-
„dum quam incerto fundamento nitantur.
„Enimvero si soli experientiæ fides adhiben-
„da, & historiæ consulantur, imo si præcipue
„ad ea quæ quotidie ante oculos nostros ha-
„bemus, mentis acies conuertatur, id unum
„sufficit ad omnes Astrologicas diuinationes,
„rerumque ἀστρολογίας, ab astrorum influxibus
„deiumptas, explodendas. Et ut rem ipsam,
„de qua quæstio est, statim attingamus, cum
„statuant Astrologi, ut iam dictum est, cõtu
„duorum aut trium superiorum planetarum,
„Saturni, Iouis, & Martis, in signis aereis aut
„humanis pestem efficere, adeo ut ex præuisis
„hisce coniunctionibus futuram pestem præ-
„sagire soleant, demonstrandum hac in re
„nullam esse certam experientiam, unde ex
„tali causa talem effectum prædicere, aut hunc
„effectum ad talem causam referre possint.
„Iam age, videamus, an sit aliqua causæ vel si-
„gni necessitas inter pestem & coniunctio-
„nem & positionem quorundam planetarum
„in certis quibusdam signis, & inquiramus
„sintne tales coniunctiones, vel causa pestis
„necessaria, vel signum pestis necessarium, seu
„quibus positis pestis necessario & semper se-
„quatur: sicut Solis accessus ad vernum æqui-
„noctium est causa necessaria florum in arbo-
„ribus; & Aurora ad orientem conspecta, est
„signum necessarium exorituri breui Solis. Ita-
„que examinemus magnas coniunctiones quæ
„hoc seculo contigerunt, vsuri an ea pestem
„prædixerint ijs in locis, qui signis, in quibus
„prædictæ coniunctiones effectæ sunt, subia-
„cent, hoc nimirum præterea inquirunt Astro-
„logi: neque enim magnæ illæ coniunctiones,
„quas vocant, in vniuerso orbe pestem exci-
„tant, sed solum iis in regionibus quæ subij-
„ciuntur iis signis in quibus reperiuntur ma-
„gnæ coniunctiones. Prima istius seculi ma-
„gna coniunctio contigit anno 1603, die 19
„mensis Nouembris, erat autem ea coniun-
„ctio Saturni & Iouis, in gradu nono Sagitta-
„rii: cum autem nonus gradus Sagittarii sint
„in prima Sagittarii medietate, quæ inter si-
„gna humana recensentur, eidemque signo

Iubet

» subsit urbs ista Avenionensis, sequitur urbem » hanc multis de causis ab illa coniunctione pe- » ste affligi debuisse, cum tam multa ad pestem » in hac urbe excitandam concurrerent, scili- » cet coniunctio duorum superiorum planeta- » rum Saturni & Iovis in signo humano, eoque » tali cui Avenio subiici dicitur ab Astrologis; » & tamen neque eò anno, neque sequentibus » ulla sævit in hac urbe pestilentia. Neque di- » ci potest, benefic um tunc adfuisse reliquorũ » planetarum aspectum, qui hunc effectum im- » pediverit, aderat enim tunc simul & eadem » die aspectus quadratus Martis cum Sole, qui » similiter malus ab Astrologis censetur: adde, » quod nullus reliquorum planetarũ aspectus » tantas habeat vires, quantas magnæ illæ con- » junctiones, ita ut earum effectum nequeant » impedire. Secunda huius seculi magna con- » junctio contigit anno 1623, die 17. Iulii, » erat autem illa coniunctio Saturni & Iouis » in gradu sexto Leonis, concurrente simul alia » mala coniunctione Lunæ cum cauda Draco- » nis: regiones autem quæ Draconis signo su- » biacent, sunt Alpes, Italia, Sicilia, Bohe- » mia, & inter urbes Roma, Praga, Mantua, » Cremona, quas tamen tunc peste laborasse » nullæ testantur historiæ. Tertia huius seculi » magna coniunctio contigit anno 1643, die » 26. mensis Februarii: erat autem illa coniun- » ctio Saturni & Iouis, in gradu 25 Piscium: » Piscibus verò subiacere feruntur, Sicilia, Ca- » labria, Portugallia, Normandia, Alexan- » dria, Hispalis, Ratisbona, quas » similiter tunc peste affectas fuisse, nullus au- » ctor prodidit. Quarta denique istius seculi » magna coniunctio, contigit anno 1663. die » 21. secundum aliquos, secundum alios verò » die 15. Octobris: erat autem illa coniunctio » Saturni & Iovis, in 13 gradu Sagittarii: Sic » autem gradus cum sit in prima Sagittarii me- » dietate, quæ inter signa humana numeratur, » eidemq; signo subiiciatur Avenio, ex Astro- » logis ut jam dictum est, debuerat hæc con- » junctio multis nominibus hac in urbe maxi- » mam pestilentiam excitasse, si verũ sit id quod » dicunt Astrologi, coniunctiones magnas su- » periorum planetarum in signis aereis aut hu- » manis, aut iis quibus aliqua regio subiicitur, » esse pestis, in ea causam: & tamen cum hæc » scribo, jam septem anni à prædicta coniun- » ctione elapsi sunt absque, ulla pestilentiq la- » be quamvis tempore prædictæ coniunctionis » nullus alius adfuerit beneficus planetarum » aspectus, qui effectum hunc auertere potue- » rit. Respondebunt Astrologi, cum effugiis » nunquam careant, coniunctiones forte præ- » dictas non fuisse factas in domo mortis: de- » terminari namque aiunt malignam harum » coniunctionum virtutem, pro ut in figura ad » horam coniunctionis erecta, affecta fuerit » octava domus, quæ domus mortis vocatur. » Vel etiam respondebunt, multa alia potuisse » impedire harum coniunctionum effectum, » cum præter causas superiores requiratur cau- » sarum inferiorum seu terrestrium concursus. » Attamen non sic effugiunt. Etenim quantum » ad primum attinet, si magnæ superiorum pla- » netarum coniunctiones, ut possint pestem in » aliqua regione procreare, debeant in figura » ad horam coniunctionis, & ad latitudinem » talis regionis erecta, in octava figuræ domo » reperiri, inde clare apparet, nullam unquam » fuisse factam obseruationem, qua liquido » constet, pestem aliquam à superiorum plane- » tarum concursu fuisse procreatam. Enimvei » ro impossibile fere est exactam harum ma- » gnarum coniunctionum figuram erigere, cũ » ad hoc præstandum necessarium sit veræ con- » junctionis horam exactissime assequi, quam » perfecte se assecutum esse nemo mortalium » certo asserere potest, cum hac in re, præter » tardissimum superiorum illorum planetarũ » motum, & longam coniunctionis duratio- » nem, præstantissimi quidem Astrologi halu- » cinentur, & ipsissime plurium dierum inter- » vallo à veritate aberrent, ut manifeste appa- » ret in ultima ex mox enarratis coniunctioni- » bus, Saturni & Iouis. Etenim ea secundum » Argolum, contigit die 21. Octobris, post me- » ridiem: secundum Eixtadium, eadem die, » horis 16. post meridiem: secundum Malica- » sium, die 15 Octobris, hora 8. post meridie: » secundum Keplerum, die 19. horis 14. post » meridiem denique secundum Riccioliuum die » 10. horis 7. post meridiem. Atque incertum » omnino est, quonam modo tempore harum

» coniunctionum affecta fuerit octava domus
» in erecta, ad huius vel illius regionis latitu-
» dinem figura. Quod vero spectat ad secun-
» dum Astrologorum quorundam effugium,
» qui aiunt multa alia potuisse impedire prædi-
» ctarum coniunctionum effectum cum præter
» causas superiores & cœlestes, requiratur etiã
» causarum inferiorum seu terrestrium cõcur-
» sus, qui si defuerit, effectus nõ sequitur. Ego
» respondeo, dari multos Medicos atq; Astro-
» logos qui contra sentiunt, atque asserunt, pe-
» stem aliquando à solis superioribus causis
» exoriri. Ita Iunctinus, *tract. de revolutioni-*
» *bus annorum mundi, cap.* 1. Hæc scribit: Pe-
» stilentiæ vero & epidemiæ corruptiones aëris
» ex multis causis possunt contingere: quando-
» que enim contingunt ex superioribus, &
» quandoque ex inferioribus, & quandoque ex
» utrisque simul. Ita Raimundus à Vinario
» (trium hac in urbe summorum Pontificum,
» Clementis Sexti, Innocentii Sexti, & Grego-
» rii Vndecimi, Medicus) *in tract. de Peste,*
» *lib.* 1. *cap.* 1. Hæc habet: Atrocis igitur ma-
» li huius triplex origo est: prima cœli & sydé-
» rum gravis aspiratio; altera, ex terris subla-
» tus nocés vapor; tertia, composita simul utra-
» que causa. Ita Fernelius, *lib.* 2. *de abdit. rer.*
» *caus.* dicit: pestilentem fore annum ex sol
» sydérum commixtione, quæ illius est procre-
» atrix, prævideri posse, Ita denique Petrus Sa-
» lius Diversus, *lib.* 1. *de febr. pest. cap.* 11. pe-
» stilentiam censet aliquando ab astris, nihil
» inferioribus causis ad hoc conferentibus, gi-
» gni, prout varia sydera vel in idem cõeunt,
» vel diversa respiciunt. Contra hos igitur qui
» ex solis astris pestem exoriri posse conten-
» dunt, & ab ipsis occultam quandam & mali-
» gnam vim & influxum, qui sit causa pesti-
» principalis, in hæc inferiora dimanare affe-
» runt, ego potissimum disputo: sed tamen etiã
» contra eos, qui pestem sic ab astris inferri pu-
» tant, ut necessarius sit causarum inferiorum
» concursus, qui cum forte in supradictis ma-
» gnis coniunctionibus defuerit, huic defectui
» volunt attribui effectus impedimentum. Ego
» ulterius sic urgeo, & dato, ut volunt, semper
» adfuisse aliquod impedimentum, ex hoc solo
» vinco id quod probare intendo, nempe nul-
» lam esse observationem aut experientiam cer-
» tam, quam constet pestem à prædictis magnis
» superiorum planetarum coniunctionibus pẽ-
» dere. Quæro enim ab ipsis, si semper aut ple-
» rumque aliquid abfuit, quo minus pestis à ta-
» li causa fuerit inducta, quomodo talem cau-
» sam pestem producere, per experientiam co-
» gnoverint? Supra enim dictum est ex clarissi-
» mo Gassendo, & ratio etiam suadet, quod
» cum plures sint observationes, quæ perspectũ
» faciunt, huiusmodi causam esse crebrius sine
» hoc effectu, quam cum illo, tunc non modo
» coniectationem, sed meram hariolationem
» esse, ex tali causa hunc effectum futurum præ-
» dicere, aut hunc effectum ad talem causam
» referre. Adde, quod causa illa inferior quæ
» cum cœlesti concurrere debet ad pestem pro-
» ducendam, ex doctissimorum Medicorum &
» Astrologorum sententia, nihil aliud est, quã
» dispositio corporum, quæ potissimum consi-
» stit in cacochymia, obstructione, & debili-
» tate (ita enim sensit doctissimus Guido de
» Cauliaco, *tract.* 2. *chirurg. doct.* 2. *cap.* 5.)
» quæ dispositio cum semper in quampluribus
» corporibus, & in quavis regione reperiatur,
» sequitur nunquam posse malignum astrorum
» influxum ita ab omnibus declinari, ut pestis
» eventus impediretur, si pestis ab illa causa
» penderet. Quod si nonnulli Astrologi præter
» corporum dispositionem, alias etiam causas
» inferiores & terrestres una cum astris ad pe-
» stis productionem necessario concurrere de-
» bere contendant certe ego valde miror, cur
» ex sola astrorum positione, & coniunctione
» futuram pestem tam confidenter prælagiant.
» Cum enim sit præter omnem rationem, ut
» dum plures alicuius effectus sunt causæ, sine
» quibus omnibus concurrentibus secuturus
» effectus non fit, arbitrentur sufficere ut earum
» unica noscatur, quo de existentia effectus pro-
» nunciare liceat: præter rationem quoque vi-
» detur esse, ut quia præter sydera, sunt etiam
» causæ inferiores, quibus non concurrentibus
» effectus non fiant, pronuncietur de existentia
» effectuum huiusmodi, nihil, præter notitiam
» sydérum, ipsæ quoque inferiores cognoscan-
» tur. Atque ut hoc addam, cum effectus sint
» aliqui, quorum vel nulla, vel immanifesta est

d

», dependentia à syderibus; necessaria verò & » manifesta est ab inferioribus causis(ut de pe- » stilentia notum est, quæ à vaporibus terris è » terra prodeuntibus absque ulla syderum con- » junctione aut maligno influxu excitari po- » test)poscere rationem ut ad has potius, quam » ad syderа recurramus. Iure igitur concludi- » mus, non corrumpi aerem à causis superio- » ribus.

Problema III.

Tertii problematis affirmativum patronum inprimis se offert Paracelsus, cum suis asseclis; qui docet pestem spirituum infernalium ope, ac sagarum incantamentis induci quoque posse. Quod etiam antiquitus à nonnullis creditum fuisse, liquet ex Diodoro Siculo, qui pestem appellat, *Dæmoniacam calamitatem*. Ita quoque Eustathius refert, nonnullos putasse, illam pestilentiam Græcorum, de qua scribit Homerus, *Iliad.* 1. à magicis artibus à Chryse machinatam fuisse. Herodes Saxonia, *lib. de plica, cap.* 11. Sagarum, non tantum viuarum sed etiam defunctarum, magnas esse vires ad pestis inductionem, historia (quam tanquam certam & veram proponit) admiranda probare annititur. Præterea ex magica pestis curatione quoque iudicandum videtur, pestem magicis Sagarum artibus induci posse. Nam si morbum hunc generaliter curare & tollere diabolo concessum fuerit, quidni etiam inferre? Sic Philostratus 4. 3. & Eutebius, *in Hierocl.* 4. referunt, Apollonium magum grauissimam Ephesiorum pestem diabolicis artibus extinxisse. Sic quoque refert Ionius, *histor.* 21. tempore Hadriani Pontificis Romam à pelle grauiter afflictam fuisse, quæ omnibus remedijs deficientibus, tandem à Græculo quodam Demetrio Spartano, diabolicis incantamentis, & immolatione tauri sedata est. Verum etsi hæc nonnihil speciosa esse videantur, multa tamen, quæ in contrarium docent, nec cacodæmones, nec sagas pestem inferre posse. Nam si talis potestas diabolis concessa foret, illi propter odium perpetuum maximamque iram, qua perfecto in genus humanum flagrant, pestem immanissimam & infinitam, usque ad totalem humani generis extinctionem, inducerent. Præterea cacodæmones illam in nos potestatem habere, nusquam in Sacris literis inuenitur; neque in iis alii satellites, qui plagam hanc inferant, leguntur, quam Angeli lucis, qui natiua bonitate præditi, non odio in humanum genus efflagrant, neque illius interitum, sed salutem potius desiderant. Ideoque à Sacræ paginæ veritate recedunt, qui diabolis vim pestem inferendi tribuunt. Quantum ad historiam Saxonis, quam magnus ille vir, nimis credulus, non nisi ex relatu aliorum, tanquam veram describit, illa tota fabulosa est, ut quilibet citato loco videre poterit. Profectò nimis increduli, & minus Christiani nobis videntur, qui à vero Deo recedunt, & cacodæmones plagarum primarias causas absolutâ voluntate ac potestate inferre statuunt: haud secus ac illis iam diu à summo Deo in æternum condemnatis, etiam aliqua alios condemnandi, plagasque inferendi libera potestas superesset: quasi verò iudex condemnato latroni liberum latrociniorum exercitium adhuc permittat. At enim dicas, diabolus id facit Deo sic permittente, sicut etiam sanctissimi viri Iobi corpus graui morbo deformauit. Respondeo, *primò*, nusquam in Sacris literis legi, Deum Satanæ permisisse ut pestem plurimis regionibus communem inferret, sed Deum illam potestatem semper sibi reseruasse, ut liquet ex Sacræ scripturæ locis iam antea citatis. *Secundò*, posito casu, Deum id Satanæ permittere, illa tamen pestis tunc à Deo est, neque à Satanæ arbitrio dependet; quam etiam Satanas non inuehit, nec inuehere potest iussu sagarum & incantatorum, imò ne quidem propria potestate, sed solius Dei. Idem quoque de magica pestis curatione intelligendum, quam etiam Satan pro suo arbitrio, aut sagarum beneplacito perficere nequit. At repugnant, dices, citatæ historiæ. Minimè: nam illæ curationes generales à diabolo peractæ nō fuerunt, sed à Deo. Satan autem cum sit perspicacissimus, & ad generis humani seductionem ac perditionem dies noctesque incumbat, simul ac percipit morbi terminum à Deo præfinitum iam adesse, tunc per sagas, incantatores, aliosque suos ministros, pestis extinctio-

hem promittit, tammodo homines hanc illamve ceremoniam celebrent, ut hoc modo multos à veritatis via ad erroris tenebras seducat: qui videntes pestem ad sagarum promissa cessare, (quæ etiam sine illis, propter præfinitum terminum à Deo præscriptum, cessatura erat) diabolicis laqueis irretiuntur, dum credunt diabolum diuina maximaque potestate præditum, atque etiam metuendum, honorandum, & implorandum esse. Denique obijcies, tamen sagas & fascinatores diabolicis artibus alios morbos inducere posse, ut à longa experientia constat, (exempla describunt, Alexander Benedictus, *lib. 7. pract. c. 25.* Ioannes Langius, *lib. 1. epist. 38.* Antonius Benivenius, *de abdit. sanat. cap. 8.* Baptista Codronchius, *de morb. venef.* Forestus, *lib. 18. observat. 16. in scholio.* Cornelius Gemma, *lib. 2. de divin. nat. charact. cap. 4.* Fabricius Hildanus, *centur. 2. obser. 43.* Zacutus Lusitanus, *prax. admir. lib. 3. observat. 134.* aliique plures) in alios morbos, ergo etiam pestem inferre posse. Respondeo: sagas opera diaboli non posse aliquos morbos inducere quando volunt, neque etiam quibuslibet illos inferre, sed quando Deo placuerit, & solum talibus, vel quorum fidei constantiam Deus hoc modo vult probare, sicut sancto viro Iobo contigit: vel quorum incredulitatem & impietatem Deus hoc modo vult punire, non solum in propria impii persona, sed multoties quoque in infantibus liberis, armentis, frugibus, aliisque bonis: atque ita sagarum incantamentis interdum etiam infantes, (quod ego ipsemet bis vidi) interdum alicuius boues, oues, equi, vel fruges lædantur; non tamen quod ista lædendi potestas dependeat ab arbitrio sagarum, sed Dei, ut iam diximus. Ita ut concludendum sit, nullos morbos primariò induci à sagis aut Satana, sed a Deo, qui ad illorum illationem interdum Satana utitur tanquam instrumento, non vero tanquam causa efficiente. Nusquam tamen, quod scio, in Sacris legimus ad pestem inferendam Deum Satana usum fuisse tanquam ministro, multo minus tanquã causa. Hanc quæstionem curiosius examinandam relinquimus Theologis, præter quos, eadem satis accurate discutitur a VVIERO, *lib. de praest. g. damon.* Ioanne Bodino, *in confutat. opin. VVieri*; Iacobo Magnæ Britanniæ Rege, *in libello hac de re ab ipso peculiariter conscripto*; Sennerto, *lib. de morbis à fascino inductis.*

Problema IV.

Quarti problematis affirmatiuam partem tenent, Fracastorius, Eustachius Rudius, Capivaccius, Antonius Portus, Marcellus Capra, Gerardus Columba, Augenius, Massaria, Riuerius, aliique grauissimi artis Medicæ proceres, qui ex putredine pestis causam resultare, omnes statuunt. Hanc autem putredinem alii excellentem, alii totius substantiæ destructiuam, alii profundam, alii sordidam appellant: alii rursus ex tota putredine & re putrescente, alii a veneno putrescente, pestilens seminarium generari existimant. In hoc autem cardine tota res vertatur, quod credant pestilens venenosum inquinamentum generari ex certa quadam putredine, eaque vel interna, intra corpus hominum genita; vel externa, ab aliis rebus externis putrescentibus producta: vel ex putredine interna & externa simul concurrentibus: & illud nihil aliud esse quam excellentem putredinem quæ superat communis putredinis gradum. Hanc opinionem stabilire nituntur rationibus, historiarum exemplis, & auctoritatibus.

1. Præcipuum argumentum quo inprimis nituntur, hoc est: Si ab excellenti putredine, tam intra, quam extra corpus, aliqua venena generari possint, ergo etiam venenum pestilens: Atqui verum prius, ergo & posterius.

2. Probant minorem ex Galeno, qui *lib. 6. de loc. affect. cap. 5.* dicit, a Medicis olim indubie sanctum & conclusum fuisse, quod in animantibus corruptio quædam possit excitari tam vehemens, ut venen serpentis similem habeat vim ac qualitatem. Etiam, *eodem lib.* scribit, corruptum semen veneni naturam induere, & convulsiones, suffocationes, aliaque lætissima accidentia proferre. Ad hæc, inquiunt, quia venenum rabiosum, epilepticum, hystericum, aliaque plura, ex occulta maligni putredine intra corpus generari, notissimum est.

3. Probant consequentiam, partim quia

plurima

plurima symptomata ex putredine orta (ut nausea, linguæ siccitas, febris, bubo, anthrax &c.) pestem comitantur. Partim, quia febres illæ pestilentes, quæ constitutiones pestilentes plerumque antecedunt, ex insigni putredine intra corpus genita nascuntur, ex qua adaucta venenum pestilens generari; atque hinc, postquam tales febres nonnihil grassatæ sunt, pestem plerumque sequi tradunt. Sic quoque pestilentes illas febres quæ pestem comitantur, id ipsum docere aiunt, quæ ex eadem putredinis malignitate una cum peste oriuntur. Præterea famem, seu annonæ caritatem, quam plerumque pestis sequitur, dicunt omnium manifestissimè ostendere, pestilens venenum intra corpora humana generari ex putredine humorũ è corruptis alimentis genitorum: quales pestes describunt, Iulius Cæsar, *lib. 2. de bello ciuili*; Flauius Iosephus, *lib. 7. de bello Iudaico, cap. 26.* Euagrius, *lib. 2. Histor. Eccles. cap. 6.* Auenzoar, *lib. 3. tract. 3. cap. 1.* Forestus, *lib. 6. obseru. 9. & 26.* Rulandus, *de morbo Ing. cap. 8.* aliique plures. Illud ipsum quoque clarissima historia demonstrare tradunt Thomam Erastum, *epist. med. 7.* ubi refert, cum in nuptiis quibusdam ob æstum carnes putrescere cepissent, omnes illos qui de iis edissent, communi morbo correptos & confectos fuisse: nempe à veneno, aiunt, pestilenti, è corruptis illis carnibus, in corpore tum adhuc magis putrescentibus, & humorum quoque internorum malã putredinem inducentibus, genito. Similem quoque historiam adferunt ex Iulio Obsequente, qui tradit ad insulam Liparas, mare ab Ætna montis ignibus feruefactum multos pisces neci dedisse, quibus semicorruptis ad littus erectis cum incolæ auidius vescerentur, ex interna corruptione morbos pestilentes exortos fuisse, quibus multi perierunt. (His posterioribus historiis, aliisque similibus etiam probant, interdum neque solam externam, neque solam internam putredinem, sed utraque concurrentes, venenum pestilens producere posse.) Tandem colophonis loco citant Galenum, qui 2. *de nat. hum. com.* 2. scribit, quosdam qui in fame coacti fuerant triticum semiputre comedere, morbo communi laborasse; & olim exercitum uniuersum, cum aqua corrupta fuisset usus, in omnibus militibus commune malum sensisse. *Et lib. de cibis boni & mali succi*, nec non 1. *de differ. febr. cap. 3.* docet ex prauis & corruptis alimentis morbos pestiferos oriri. Atque his iam dictis arbitrantur se satis probasse, venenum pestilens ex putredine interna oriri posse.

4. Ab externorum verò putredine venenum pestilens quoque generari, docent, inquiunt, magnæ bellicæ strages, post quas, è cadauerum putrescentium multitudine venenatus pestilens vapor elatus, grauissimas sæpe pestes induxit: quales describunt, Iulius Alexandrinus, *de bello Punico lib. 6.* Ioannes Cuspianus, *in vita Henrici I. Imp.* Diodorus Siculus, aliique plures. Sic etiam Pareus, *lib. 10. cap. 13.* refert, Penæ multa interfectorum hominum cadauera in puteum centum ulnas altum proiecta fuisse, atque hinc tam fœtidum ac venenatum vaporem fuscitatum esse, quo multa hominum millia, per totam Agenensium prouinciam, tanquam peste interierunt. Aliorum quoque animalium cadauera putrescentia idem facere, varii scribunt. D. Hieronymus, *in locum Prophet.* & D. Augustinus, *l. 3. de ciu. Dei, c. 31.* ac Sabellicus, *lib. 9. En. 5.* tradunt, ingentem locustarum multitudinem, in mari suffocatarum, ac postea in littus erectarum, ibique putrescentium, horrendam pestem excitasse. Ex piscibus emortuis in littora erectis, & putrescentibus, excitatas pestes describunt, Ioannes VVolfius, *tom. 1. lect. memorab. cent. 10.* Andreas Angelus, *in annal. Bradenb.* Forestus. *lib. 6. observ. 9. in schol.* Pareus, *lib. de pest. cap. 3.* Agricola, *de peste, lib. 1.*

5. Externas quoque euaporationes, exhalationes, putridoque vapores, pestilentes ac venenatos esse, præter modo dicta, imprimis demonstrare, dicunt, latrinas & antiquas cloacas, è quibus apertis tam exitiosi halitus exspirant, qui multoties proxime adstantes statim interimunt; quod quotidiana experientia compertum habemus: & Guainerius, *de pest. cap. 1.* scribit in Campania ex puteo quodam antiquo, diutissime clauso, & tandem aperto, tam venenatum halitum exspirasse, quo adstantes subitò perempti sunt. Ita quoque nonnisi numine esse aiunt, post terræ motus non raro ex adultis

terræ

terræ meatibus adeo putridum venenosum halitum prodire, qui pestes furiosissimas inducat, qualem Platinæ refert contigisse anno 1232. Georgius Agricola anno 1360. Quercetanus anno 1584.

6. Stagna quoque, lacus, aliasque aquas putrescentes pestilens venenum generare, satis notum esse, arbitrantur ex eo, quod Laërtius testatur Empedoclem ex adiacentis fluvij fœtore genitam pestem à Salenutijs auertisse, duobus vicinis amnibus in illum immissis. Etiam ex aqua illa in qua cannabis vel linum maceratum fuit, quæ adeo venenosa euadit, ut non tantum pisces, verum etiam potata homines occidat.

7. Ab aere in sua substantia putrescente, pestilens venenum generari, probant historiâ illâ Capitolini, *in L. Vero*, & Ammiani Marcellini, *Hist.* 73. (cuius etiam meminerunt Cardanus, Portus, Io. Riolanus, alique) qui refeunt in Seleucia furiosissimam pestem natam, & inde Parthis, Græcis, Italis, ac toti orbi communicatam fuisse, ubi in templo Apollinis ex arca quadam miræ vetustatis (in quam milites fortè inciderant) aperta, spiritus contagiosus ac pestilens exiisset, qui adeo horribilem excitauit pestem, qua tertia pars hominum prostrata fuit. Hunc autem spiritum pestilentem generatum fuisse credunt ex putrefactione substantiæ illius aeris, qui in arca ista tanto tempore conclusus fuerat.

Atque hæc sunt præcipua fundamenta quibus vetus opinio, de pestilentis veneni generatione ex putredine, innititur: quæ antiquissima fundamenta nunc euertere, & tot tantisque doctissimis viris se opponere velle, eminus inspicienti non minus temerarium, quam operosum, videbitur. Verum quia *Nihil temere credere, nervus est sapientiæ*, etiam nos huic opinioni non temere subscribendum censemus; sed, ut rei veritas melius elucescat, prius singula breuiter examinabimus.

1. Videamus quanti momenti sit præcipuũ eorum argumentum: *Si ab excellenti putredine, &c.* Nos concedimus aliqua venena ex putredine generari posse, sed dicimus pestilens venenum ab illa non produci. Non ex putredine interna, quia hæc præuias alterationes, & longius tempus requirit, neque ab illa eodem tempore hæc omnia simul fieri possibile est, nempe putredinem incipere, summam euadere, venenum generare, hominem occidere, & eiusdem veneni translatione eundem morbum etiam aliis communicare: quæ omnia necessariò simul fieri deberent in iis, qui peste correpti statim mortui concidunt, ac simul etiam alios contagio inficiunt, quales subitas mortes sæpe euenire notissimum est. Non etiam ex putredine externa, partim propter iam dictas rationes: partim quia venena, quæ inde producuntur, proximos quidem, qui illa attrahunt vel attingunt, inficiunt, non verò aliis contagione multum communicantur. Velim igitur illos, qui ex putredine pestilens venenum extorquere volunt, modum & formam illius putredinis depingere, & docere processum quo humores interni taliter putrescant, & quomodo illa veneni factio peragatur, in quo loco illa putredo concipiatur, quomodo in sanguine cuchymo ante pestem oriatur, etiam demonstrare essentiam istius putredinis, quæ paucis subinde horis, imò momentis tragœdiam tuam absoluit. Nisi hæc edoceant, cadit eorum doctrina: quam etiam eleganter multisque rationibus refutat Eustachius Rudius, *art. med. lib. 3. cap. 3.*

2. Galeni loca ad probationem minoris citata, nihil pro iis faciunt: nàm Galenus ibi docet, ex interna putredine posse generari venenum serpentino veneno simile, vel aliud aliquod non contagiosum ad distans; minimè verò probat pestilens venenum maximè contagiosum inde produci. Sic quoque nos concedimus, venenum canis rabidi, a tuduc simile, sponte Naturæ ex certa aliqua interna corruptione posse generari, minimè verò venenum pestilens, aliudve, quod contagio totas regiones inficere possit.

3. Malè etiam consequentiam inde probare nituntur: *Primo*, quod symptomata ex putredine orta pestem comitentur, nam illa non sunt de essentia pestis, & putredo humorum, est pestilentis veneni effectus, non causa, à quo effectu symptomata illa procedunt. Talis etiam fuit mens Galeni, quando 3. *epid. com.* 3. *text.* 75. de quodam peste cum putredine extincto,

ita

ita, scribit: *Hic quoque æger statim tertio die censendus est obijsse à qualitate succorum virulentorum, non phrenitide peremptus: at phrenitis illum est subsecuta symptomatis vice. Secundò*, quod febres pestilentes putridæ pestem præcedant & comitentur: nam pestis non procedit ab aucta putredine istarum febrium causa (ut illi putant) sed ab aucta causa illius putredinis, quæ eadem est cum causa pestis, à qua tantum differt intensionis gradu, quam causam paulo altius inquiremus sequenti capite. Neque fames etiam, seu annonæ caritas eorum opinionem stabilire potest; nam non omnem, sed illam tantum famem sequitur pestis, quæ fames & ipsa à pestilentiæ causa originem sumit, (dum ab ea causa primò fruges terræ corrumpuntur, postea pestis inducitur) sicut putredo è qua febres pestilentes (ut sequenti capite docebimus) ita ut fames illa non sit causa pestis, sed ipsamet eandem cum peste causam habeat. Nam putredines humorum è corruptis alimentis genitas non producere pestilens venenum, liquet ex iis qui diu vel annonæ, vel opum defectu (ut captivis, aliisve fugitivis, in peregrinis regionibus, hominum consortia sæpe diu fugientibus, nec non interdum pauperibus quibusdam honestioribus & mendicare erubescentibus, non semel contigisse noumus) valde corruptis alimentis usi, & tamen peste correpti non fuerunt. Liquet etiam ex eo quod omnem famem non sequatur pestis, quod alioqui necessariò contingere deberet. Sic Ioannes Morellus, *lib. de febr. pest. cap.* 3. refert apud Cabilonenses fuisse rei frumentariæ inopiam, & tamen agrestes ac plebeios homines, qui pravis edulijs vescebantur, pestilenti morbos correptos non fuisse, sed eundem maximè sensisse in diuites, nobiles, & genio indulgentes. Item & Galenus, *lib. de bonit. & vit. succ.* meminit pestis quæ Romam crudelissimè afflixit, quam continuò excepit haud mitior fames, post quam tamen famem nulla pestis de novo excitata fuit. *At enim hic forsè dices*, in urbibus longa obsidione claus, ut plurimum post famem invadit pestis, quæ fames & pestis non possunt adscribi superna alicui causæ, quia tunc non uni tantum urbi, sed pluribus etiam locis illa pestis communis foret, & soluta obsidione, ac copioso victu allato, statim non cessaret, quod tamen plerumque fieri videmus: ergo illa pestis oritur ex maligna humorum putredine, è corrupto ac pravo victu inducta. Respondeo: *primò*, post huiusmodi famem diu obsessi loci, à vitiosis & corruptis alimentis, hinc que generatis pravis succis ac humoribus, generari febres pestilentiales privatas sine peste, quæ etiam pernicioſæ sunt ob putredinis magnitudinem, ac corporum à longa fame emaciatorum debilitatem, & communes sunt, non tam à contagio, quam communi vitioso victu: & quia se contagio ad distans non diffundunt, hinc extra obsessa mœnia non conspiciuntur. Huiusmodi autem febres pestilentes (quæ in locis diu obsessis frequentes sunt) vulgariter, quamvis improprie, pestes appellantur, cum propter frequentiam, tum propter perniciem; etsi à peste multum differant, (hoc docebimus *cap.* 12. *annot.* 4.) atque ita sæpe putatur pestis in talibus locis grassari, quæ tamen veræ pestis non est: ut ex eo patet, quod soluta obsidione, & victu copioso allato, rursus brevi tempore cesset, cum alioqui vera pestis nulla victus copia vel bonitate extinguatur. *Secundo dico*, multoties gravem annonam seu famem, tanquam iustissimæ divinæ iræ flagellum, ad mortalium punitionem, non minus quam ipsam pestem, à summo Deo cœlitus immitti; sicut legere est Deuteronom. *cap.* 28. Exodi *cap.* 5. Ieremiæ *cap.* 14. & 19. aliisque plurimis Sacræ paginæ locis, ubi Deus minatur se fame, peste, & gladio hominum delicta puniturum, è quibus tribus plagis Regi Davidi optionem dedit. Unde satis percipi potest in locis obsessis pestem non necessariò oriri à fame, sed Deum posse illis obsessis & bellum, & famem, & pestem simul immittere, sita ut unum non sit causa alterius, sed singula suas proprias ac diversas causas habeat ab uno Deo diversimode immissas. Tandem ergo concludentes, dicimus cum Liddelio (*lib.* 3. *de febr. cap.* 2.) ex parvis alimentis per se pestem non oriri, sed febres pestilentes privatas: ex accidente verò, quia corpora ad pestem suscipiendam disponunt, causas pestis secundarias dici posse. Huic conclusioni etiam non repugnat citata Eralij historia, nam illa ex putrescentium car-

nium

nium esu non probat genitam fuisse pestem, seu aliquod pestilens venenum, sed tantummodo morbum communem putridum, ac lethalem iis qui illas carnes ediſſent; neque de pestiferis ſignis, nempe bubonibus, anthracibus, vel exanthematibus, ut neque de contagio, ullam facit mentionem. Neque repugnat hiſtoria Obſequentis, qui dicit, ex comeſtione piſcium putrescentium generatos fuiſſe morbos peſtilentes, (forte febres malignas, dyſenterias, aliosve ſimiles) minimè verò peſtem: quam etſi expreſſo verbo etiam nominaſſet, tamen nonnihil concedendum fuiſſet ſcriptori non Medico, ſed Hiſtorico. Etiam non repugnat Galeni auctoritas, colophonis loco, *ex 2. de nat. bum.* citata, nam Galenus ibi in toto commentario loquitur de aliis morbis communibus, non verò de peſte, cuius ne minimam quidem mentionem facit: hæc ſunt illius verba. *Qui in Aeno, tempore maximæ famis, veſcebantur leguminibus, ij cruribus debilitabantur: qui verò crua edebant, bos genuum dolor corripiebat: neque hoc nos ignoramus, cum in fame quidam frumentum ſemiputre coacti manducare eſſent, in communem communi de cauſa incidiſſe morbum: aliquando etiam cum uſus infecta aqua eſſet totus exercitus, ſimiliter afflictos omnes milites fuiſſe.* Exemplum ſuper hæc Galeni verba petere licet ex Polybio, 3. *Hiſt.* ubi dicit, totum Hannibalis exercitum multa mala perpeſſum, a prauo victu cachexia & λεπρώδης (id eſt, ſcabie e fame orta) laborasſe. Galenus etiam, *lib. de cib. bon. & mali ſucc.* ut & 1. *de differ. febr. cap.* 3. non dicit peſtem, ſed morbos peſtiferos ex prauo victu oriri, quod fieri poſſe etiam nos concedimus. Ratum igitur eſto, ſaltem nullam internam humorum putredinem, qualiscunque illa fuerit, peſtilens venenum, & veram peſtem generare poſſe. Nunc videamus quid poſſit externa putredo.

4. Cadavera, ſive hominum, ſive aliorum animalium, putrescentia peſtem non generare, docent multæ magnæ ſtrages, poſt quas talis cadaverum inhumatorum putretactio nullas peſtes induxit. Noſtris temporibus, anno 1642, in agro Iuliacenſi maxima ſtrages facta, & præter VVemerentes (qui victoria potiebantur) ad minimum octo millia militum Cæſariorum occiſa ſunt, præter maiorem adhuc famulorum, ruſticorum, aurigarum, puerorum, & mulierum numerum, atque equorum copiam innumerabilem: corpora inhumata ſub dio computruerunt, maximo cum fœtore, nulla tamen peſtis inſecuta eſt. Sic in Germania durantibus his noſtri ſeculi crudeliſſimis bellis inter Cæſarianos & Suedos, etiam plurimæ maximæ ſtrages factæ ſunt, nulla peſte ſubſequente. Idem quoque alias ſæpe contigiſſe, ex hiſtorijs conſtat. Si aliquando ex fœda cadauerum putredine aliqui morbi oriantur, illi vel erunt putridi ſimpliciter, vel putridi maligni ac peſtilentes privati, non autem vera peſtis. Liquet id ex hiſtoria Paræi citata, qui ex cadaueribus in puteum projectis, dicit multos tanquam peſte interiiſſe: non dicit ſimpliciter *peſte*, ſed *tanquam peſte*, id eſt, morbo tali, quem propter malignitatem aſſimilat peſti. Idem quoque liquet ex altera Paræi, ut & Foreſti hiſtoria, qua ſinguli deſcribunt peſtem inductam ex teterrimo fœtore balenæ in littore putrescentis, quam peſtem dicunt tantum invaſiſſe proximos accolas. Vbi ambos per *peſtem* intellexiſſe febres, vel morbos peſtilentes privatos, ipſe eventus docet, nam vera peſtis contagio ſe ulterius propagaſſet: neque facile mihi quiſpiam perſuaſerit, veram peſtem in unico tolo pago ſedem figere, eique immori. Præterea ſciendum, poſt magnas hominum ſtrages, ſæpe magnam cœleſtem plagam, nempe peſtem a ſummo Deo immitti, qua tanti homicidij peccata vult punire, non quod illius plagæ cauſa ex putredine cadauerum oriatur, ſed ex venenato inquinamento, quod ab ulcere Dei manu deſcendit. Quam etiam cauſam, non vero locuſtarum putredinem, agnouerunt peſtes illæ ex D. Hieronymo & D. Auguſtino citata: nam in præcedentibus referunt magni illi viri, ſummum Deum maximas plagas in Africam & Iudæam, & inter cæteras, tantam locuſtarum copiam immiſiſſe, quæ non arborum ſolummodo, ſed omnium frugum & herbarum folia, fructus, ac cortices conſumerent atque deperderent; quibus locuſtis tandem ventorum turbine immiſſis in mare tranſportatis ac ſuffocatis, & inde rurſus in littora electis, ſuccelſiſſe alias duas maximas plagas, ſcilicet nempe & peſtem.

Hanc

Hanc autem pestem non ex locustarum putredine processisse (hæc enim solummodo potuit esse causa secundaria, corpora labefactans, & ad pestem facile suscipiendam disponens) sed cœlitus demissam fuisse, vel cæcus videat. Nam locustæ illæ in plagam hominum eodem modo immissæ fuerunt, sicut tempore Pharaonis, *Exodi* 8. cynipes & muscæ in Ægyptum missæ sunt; ut & locustæ, *Exodi* 10. quæ similiter tu per terram devorarunt omnem herbam: & Pharaone nondum respiciente, Deus alia nova plaga percussit omne primogenitum in Ægypto, *Exodi* 12. quæ percussio non fuit orta à plaga præcedente, seu à locustis, sed de nouo à Deo fuit immissa. Idem quoque de illis citatis pestibus iudicandum est: nam hoc modo verificatur verbum Dei, qui minatur se inobedientibus, & verba legis non custodientibus, immissurum omnes plagas Ægypti, ut ex Deuteronomij *cap.* 28. citauimus problemate primo: quæ plagæ non producebantur una ab alia, sed singulæ seorsim a Deo immittebantur, quêadmodum illud ipsum in citatis quoque pestibus factum fuit.

5. Evaporationes quasdam putridas & malignas interdum à graviore putredine etiam venenatas fieri posse, concedimus, sed minimè pestilentes fieri, aut pestem generare posse. Docent id citatæ latrinæ & antiquæ cloacæ, quarum halitus proximè adstantes tantum afficiunt, neque contagio suum virus ulterius diffundunt, neque unquam bubones, anthraces, aliudve pestilens symptoma producunt, imò isti fœtori assuetos plane non afficiunt, ut apparet in ijs qui talia loca purgare solent. Idem quoque intelligendum de puteo illo Guainerij, in Campania aperto, cuius halitus, tantum proximè adstantes interemit, non alios, neque contagio diffusum fuit virus. Qui post terræ motus ex terræ hiatibus exspirant halitus venenati, illi venenositatem suam non habent ex putredine, sed à profundissimis maximeque exitiosis mineris (antimonialibus, arsenicalibus, mercurialibus, vel aliis) è quibus sæpe emergunt: quod ex eo manifestum est, quia cum ex talibus mineris non prorumpunt, etiam nulla eorum venenositas percipitur. Sic anno 1040 4. Aprilis stylo nouo, seu 25. Martij stylo veteri, nocte circa diluculum magnus terræ motus totum Belgium & magnam Germaniæ partem concussit; hinc in Geldria, non longè à ciuitate Venloo, montem arenaceum disruptum, magnum hiatum fecisse intelleximus: sed à spiritu inde prodeunte vel exhalante nulla pestis aliusve morbus contagiosus vel venenatus excitatus fuit, imò nemo male habuit, propterea quod in illo & vicinis montibus nullæ latebant exitiosæ mineræ. Et posito, ab exitiosis mineris huiusmodi venenatos halitus exspirari, illorum tamen venenositas non erit à putredine, neque etiam inducet pestem; sed fortè alios quosdam morbos venenatos ac malignos. Nam, teste Seneca, *lib. 6. quæst. nat. cap.* 28. varia Italiæ loca pestilentialem (id est, venenatum) halitum exhalant, sed absque ulla peste. Et Mercurialis testatur se plurimas, & venenatos spirus exhalantes cryptas prope Romam vidisse, quæ tamen nullas pestes inducebant. At enim *dices*, post terræ motus sæpius tamen pestis subsecuta fuit, procul dubio, a spiritu venenato ex terræ hiatibus exspirante. Respondeo: *Primò*, inde non probari istum spiritum venenatum ex putredine ortum esse, vel in putredine consistere, de qua re quæstio nostra agitur. *Secundò*, terræ motum esse signum à summo Deo præmissum, quo, secundum suam misericordiam, peccatores ad resipiscentiam admonet, antequam indignationis suæ plagam super illos effundat, non verò esse causam pestis.

6. Aquarum fœtidarum putridas exhalationes venenum pestilens non generare, testis est ipsa Hollandia, cuius maximæ urbes (inprimis Lugdunum Batavorum, Haga Comitis, Amsterodamum, & nonnullæ aliæ) inter plurimas plateas lacus aquarum stagnantium ductus habent, qui ætate, propter aquæ corruptionem ac putredinem sæpe tantum fœtorem exspirant, ut cum nautarum remis aut contis aqua commouetur, transeuntibus isti fœtori non assuetis multoties nares obturare necesse sit: atque illa etiam aqua multi plebeji in istis locis ad omnes usus utuntur: Hollandi tamen rarius peste infestantur, ut & Zelandi, quorum aquæ non minorem mephitim redolent. Quantum ad Empedoclem, ille corruptas aquas

emendando, à Salenutijs dicitur auertisse pestem, id est, morbos pestilentes, à fœda exspiratione illius aquæ productos. Pestem fuisse, non Medicus, sed Historicus scribit, qui etiam febrem quartanam facile malam pestem appellaret, & inter pestem ac morbos pestilentes, aut alios quoscunque prauos endemios morbos, nullam differentiam statuit. At non fuisse veram pestem quæ Salenutios infestauit, vel ex eo liquet, quia si hæc tanto tempore, & tot annis vel seculis ibi sæuitisset, usque ad omnimodam internecionem omnes incolas dudum delevisset, imò locum istum diu antea omnes homines fugissent & deseruissent. Aquas verò ex immaceratione cannabis vel lini putrescere ac venenatas evadere concedimus; pestilentes tamen non fieri, inde docemur, quia non sunt contagiosæ, nec alios lædunt quam qui illas bibunt, aliove modo intra corpus assumunt: imò impunè eas nudo corpore absque ulla minima noxa tractare licet dummodo per os corpus nō ingrediantur.

7. Substantiæ ipsius aëris putredinem pestilentis seminarii causam aut genitricem esse, nemo facile probaverit: quia corruptio aëris est quidam motus, qui non potest excitari ab ipso aere (nihil enim est causa sui ipsius) sed ab alio, quatenus scilicet quidpiam corruptum aeri admiscetur, quod quidem pravis qualitatibus eum inficit, sed tamen in propria substantia eum non corrumpit. Historia Capitolini & Ammiani nihil ad rem facit. Primo enim de historiæ illius veritate non parum dubitatur, nempe an spiritus ille venenatus ex aurea arca prodiens, pestem illam induxerit: nonnulli enim alij Historici, qui eandem pestem describunt, nullam illius causæ ex aurea arca prodeuntis mentionē faciunt. Astrologi quoque negant illam pestem inde ortam fuisse, sed illam potius conjunctioni Martis & Saturni, quæ tunc temporis facta fuit, acceptam ferunt. Credibile esse posset, ab halitu illius venenositate adstantes fuisse interemptos, sed de eius pestilitate non sine ratione dubitatur. Verum posito casu, pestem ab illo halitu ortam fuisse, historia tamen nihil scribit, è quo colligi possit, spiritum illum pestilentem fuisse aërem in substantia putrefactum, aut aliquid ex aëris putredine productum: Nam aërem, licet diutissimè conclusum, nullam in substantia putredinem contrahere, unde pestis oriri possit, experientia demonstrat. Prope antiquissimam arcem Noviomagensem, & in variis territorij Noviomagensis partibus, plurimę inventę sunt, & adhuc quotidie inueniuntur urnæ ferales, calce exactissimè occlusæ, profunde in terra sepultæ ante mille & quingentos vel sexcentos forte annos, (quo tempore Romani ibi sedes fixerant, & imperium tenebant, quibus mos erat cadauera comburere, & cinares urnis exceptos sepelire) aërem tamen ex illis urnis tot seculis exactissimè conclusis prodeuntem, neminem quidem noxam ullī hominum intulisse, animaduersum est; ego ipsemet earum quinquaginta nouiter inuentas, & mihi donatas, horæ spatio aperui, sine ullo damno. Præterea etiam sepulchra profundissima exactissimè clausa, in eodem territorio multa inuenta sunt, in quibus cadauera non cremata ab ijsdem Romanis deposita fuisse, ex adiacentibus nummorum aliorumque indiciorum signis inuentum ac perceptum est, è quibus tamen sepulchris apertis exiens spiritus nulli unquam noxius fuit, cum tamen ille aer (si unquam alius) in talibus sepulchris tot seculis conclusus, non tantum à sua ipsius, sed etiam à cadaverum putredine, malignam venenositatem acquirere debuisset. Cryptæ quoque subterraneæ variæ, ab ijsdem Romanis olim fabricatæ, nunc casu inuentæ & apertæ, nulli damnum intulerunt. Ante paucos quoque annos Arnhemi, in angulo quodam templi, sepulchrum valde antiquum, & in eo arca argentea exactè clausa inuenta est, alicuius magni Ducis Geldriæ cor inclusum continens, verum neque ex sepulchro, neque ex arca illa exspirans aer ulli noxius fuit. Vltrajecti anno 1648, tria antiquissima Romanorum sepulchra prope Ædes Papales casu erutа vidimus, quæ (quantum ex adiacentibus nummis colligi poterat) per mille & quadringentos annos cōclusa tuerant: item paucis annis post, in templo D. Petri casu erutum vidimus sepulchrum Bernulphi Episcopi, ultra quadringentos annos lapideæ cistæ inclusi; è quibus sepulchris exspirans aer nemini obfuit: certissimum ignium, aerem diu con-

concluſum non putreſceere, multò minus à putredine venenoſitatem peſtilentem contrahere. Hæc ad refutationem iſtius opinionis, quæ ex putredine veneni peſtilentis originem deduci exiſtimat, ſufficere arbitramur: quæ de re adhuc nonnulla alia videri poſſunt annotatione ſexta ſequente, & qui plura hac de re ſcire cupiet, legat Sennerti *de febr. lib. 4. cap. 1.* Pro concluſione tandem ſubjungemus rationes & verba Fernelij, *lib. 2. abdit. c. 12.* quibus docet peſtem ex nulla putredine, ſed ex peculiari venenata qualitate, oriri. *Si quis ex vobis*, inquit, *contentiosè aſſeueret putredinem cauſam eſſe peſtilentiæ, ſed quæ tamen non una ſemper ſit & eiuſmodi, verum nunc illi, nunc alteri animantium generi pernicioſa: neceſſe eſt fateatur malignam hanc eſſe, quæ huic illive præcipue aduerſetur. Id autem qui aliud eſt quam venenum, tota ſubſtantia, non manifeſta qualitate infenſum? Nemo enim explicare poſſit, quis modus, aut quæ ratio ſit eius putredinis, quæ vel bobus, vel ouibus, vel hominibus ſolis ſit infenſa. Id ſi nec dilucide exprimi, nec animo percipi poteſt, debet in eorum genere conjeri, quæ caca, obſcura, & abdita nuncupamus, & tota ſubſtantia contraria ſunt, totoque genere deleteria, quæ nec ab elementis, nec ab eorum qualitatibus fluxerunt. Itaque, quidquid afferatur, omnis peſtilentia cæca & delitescens eſt cauſa, & aliunde quam ex primis qualitatibus, aut ex putredine profecta.* His ita dictis, mox ſubdit, quod à vera à coelo deſluat. Paulo inferius hæc pergit. *Cum peſte*, inquit, *correptus ſolo ſpiritus halitu, aut excrementorum expiratione aſſidentes vel integre ſanos lædet, hique veſtibus contagium longius exportent, reſerventque diutius, conſtat hanc non ſimplicem putredinem ſed multo immaniorem pernitiem eſſe, quæ tenui, eoque animorum repentino aeris inquinamento tenetur, hancque alio quovis veneno expeditiorem. Non enim ſi quis toxicum ebiberit, aut ſit a ſcorpione demorſus, habitu alios inquinet. Reliqua ſymptomata ſi diligenter expenderis, pulſum parvum & obſcurum, animi defectionem, ſyncopem, vomitionem aſſiduam, tactationem cum vigilijs, omniaque nullo ferè ſenſus dolore; quis veſtrum hæc non potius veneni, quam putridi caloris ſobolem aicat? &c.* addit ſi illarum febrium *urinæ ſanis ſint ſimillimæ, fieri nequaquam poteſt ut in vaſis mala putredo ſubſiſtat, quæ interitus ſit cauſa, ſed latet nonnihil grauius peſtilentiuſque putredine, quod nimirum cordi totius ſubſtantiæ repugnantia & diſſidio aduerſum ſit, & tanquam deleterium.* His verbis, aliiſque multò pluribus, citato capite videndis, Fernelius abundè docet peſtilens venenum è nulla putredine oriri: quod ipſum quoque paucis ſolidiſque verbis ſignificare voluit Ioannes Iuvenis, *in epiſtola ad Bralemium*, ubi ſic inquit: *Peſtis diuerſiſſima eſt ab alijs morbis quibuſcunque, quam nulla humorum in noſtro corpore immoderatio, nulla intemperies profert, nulla inteſtina putredo, ingeſtorumve corruptela gignit: non eſculentorum potulentorumque commune vitium, non paludum, ſtagnorum, barathrorumq; pador, peſtem epidemiam efficiunt: nulla graueolentia quam exſpirant cadauera, cœmiteria, foricæ publicæ; non tinctorum cortinalia, cerdonum alutariorum proluuia, aliaue ulla mephitis, peſtem in orbem diffundunt, niſi è ſublimi inficiantur, & inde noxam hauriant.* Franciſcus Plempius, *lib. de Peſte, pag. 2.* multis ſolidiſſimis rationibus etiam probat putredinem non eſſe cauſam peſtis: quod ipſum ſplendide docet Carolus de la Font, *diſſert. de peſt. 1. cap. 8.* ut & Palmarius, *de febr. peſt. cap. 5.* Cum quibus conſentiunt, Columna *lib. 1. de peſt. cap. 31.* Saracenus, *lib. de peſte, cap. 2.* Valeriola, *in appendice ad loc. comm.* & Taurellus, *in methodo prædict. med.*

Problema V.

Quinti problematis affirmatiuam cõfirmare videtur Hippocrates, qui *aphoriſmorum ſect. 3.* plurimos morbos à tempeſtatum conſtitutionibus produci docet: & ſpeciatim *3. epidem. text. 3.* annum auſtrinum & humidum ſæuiſſimam peſtem generaſſe ſcribit: quod ipſum confirmans *lib. de aere, aq. & loc. ait*, auſtrinas cœli conſtitutiones eſſe morborũ peſtilentium cauſas. Hunc ſequitur Galenus, qui per το θειον Hippocratis nihil aliud intellexit, quã aeris conſtitutiones: & *2. de diffe. febr. cap. 4.* ſcribit, peſtilentes morbos oriri neceſſarium

esse, cum aeris temperatura ad caliditatem & humiditatem conversa fuerit. Aristoteles, 1. *problem.* docet, austros siccos & nihil humentes procreare febres pestilentes. Avenzoar à sicca constitutione pestem fieri scribit. Rases æstate & autumno vehementer calidis & aridis existentibus, pestem maximè dominari ait. Titus Livius, *decad.* 4. *lib.* 1. narrat Romæ magnam pestem factam fuisse propter ingentem siccitatem: qualem pestem etiam describit Nicephorus, *lib.* 15. *cap.* 10. Virgilius refert in Creta, ob calidam & siccam constitutionem, pestem contigisse. Ab altera verò parte alia multa obstant, quibus evincitur nullas tempestatum constitutiones pestem generare. Concedimus quidem, austrinas & humidas constitutiones multas putredines inducere, siccas verò & calidas spiritus incendere, sanguinem & humores inflammare, bilem augere & exacuere, ac utrasque multos & graves morbos, imò etiam malignos ac pestilentes producere, sed veram pestem generare negamus. *Primo*, quia pestilentis causæ ratio non consistit in caliditate, siccitate, aut humiditate, vel ex his procedente putredine, sed potius in peculiari aliqua venenositate, manifestis qualitatibus & putredine longè diversa. *Secundo*, quia si constitutiones calidæ & humidæ, vel siccæ, pestes inducerent, facerent illud semper, nam eiusdem causæ foret idem effectus: at contra, multoties animadvertum est, austrinas, calidas & humidas, vel siccas constitutiones, etiam diuturnas, nullam pestem, imò sæpe nullos morbos pestiferos excitasse. Sic Fernelius, *lib.* 2. *de abdit. cap.* 13. dicit: *Annus ab hoc secundus, omnium quos maiorum memoria notaverat, toto orbe ferentissimus, maximè tamen salubris obtigit. Tertio*, quia si à prædictis constitutionibus oriretur pestis, ergo contrariæ, nempe aquilonea, frigida & sicca, vel humida, eandem extinguerent: at contra Titus Livius, *decad.* 1. *lib.* 5. pestilentem constitutionem ab ingenti frigore ortam describit: & Galenus, *de lib. prop. cap.* 2. scribit, turpissimam pestem Aquileiam invasisse media hyeme, & ea de causa ingentem hominum stragem fecisse, quod media hyeme inter magna frigora morbus sæviret. Fernelius, Ioannes Tornæus, Platerus, Io. Morellius, Riverius, aliique præclari Medici testantur, animadversum esse, pestilentes constitutiones hyeme atque æstate, sicco & pluvioso cœlo, bene temperato ac inæquali, nulla præcedente temporum anni mutatione insigni, accidisse. *Quarto*, quia si iam dictæ constitutiones pestilentiæ seminaria generarunt, nulla pestis posset esse generalis, nam quæ calidas regiones invaderet, frigidas illæsas relinqueret, quæ locis humidis familiaris, siccis ignota esset; verum contra, non semel pestes generales, ac tori fere orbi (tam calidis, quam frigidis; tam humidis quam siccis regionibus) communes sævisse, notum est, quæ integras provincias immanissimè devastarunt, cum tamen aeris nulla maligna alteratio aut putrefactio fuerit animadversa; qualem pestem anno 1348 contigisse scribunt Guido de Chauliaco & Matthias Villanus, quæ totum terrarum orbem peragravit, & à nulla temporum anni tempestate mitigata fuit, sed per integros annos tanta cum sævitie perduravit, ut ex quatuor mortalium partibus fere tres tustulerit. Quales alias duas sub Marco Antonio fuisse referunt, quibus maxima humani generis pars extincta fuit: qualem etiam anno 1450 contigisse tradunt. Verum, his ita se habentibus, quid tandem respondebimus ad auctoritates Hippocratis, Galeni, aliorumque citatorum? Dicemus constitutiones austrinas, calidas, & siccas, vel humidas, posse esse causas pestis secundarias, quatenus corpora ad pestem facile suscipiendam disponunt, non verò primarias: atque de illis secundariis prædictos auctores forte locutos fuisse. Sic etiam Fernelius, *lib.* 2. *abdit. cap.* 12. apertissimè, & bene docet, anni tempestates regionibus constitutiones esse pestis causas remotas, non pestem inferentes, sed præparationem ad pestem facientes. *Pestilentia*, inquit, *gravior evadit in regione putridis exspirationibus infecta, quam in sicca atque pura: rursumque gravior æstate, quam hyeme; & austrina tempestate, quam aquilonea; & inæquali intemperatoque cœlo, quam æquali & temperato. In summa gravior est pestilentia quæ epidemys & endemys constitutionibus permiscetur, quam quæ pura solaque consistit. Ergo graves terrenæ infectorumque exspirationes pestilentiam solæ non inferunt, ad illam tamen non pa-*

tum

rum præparant & excitant. De his videātur adhuc pauca annotatione septima huius capitis.

Problema VI.

Sexti problematis negativam nonnulli defendunt eo argumento, quod nullum aliud venenum pestilenti veneno in vehementia & contagiositate simile, in tota natura existat, nec arte etiam efformari possit. Verum facillimè evertitur horum opinio. Nam concesso, non dari aliud venenum pestilenti veneno simile, tamen ab ipsa peste contagiosum pestilens venenum desumi, idque aliis rebus immisceri, atque ita veneficia pestifera confici posse, docent ratio & experientia. *Ratio:* quia si peste ægrotantium ipsima, aliaque excrementa, si pus & sanies ex anthracibus & apostematibus effluēs, sæpe contagiosa fiant, ac pestilens venenum in se contineant (quod suo periculo, se didicisse testatur Paræus, *de Peste c.* 12.) quare illa venefica unguenta, quibus talem pestiferorum illuviem, nec non carnes putridas cadaverum peste extinctorum, immiscere solent, contagiosa esse, & pestem multis aliis inferre posse, negabimus? Si in alio fomite pestilens venenum allervari, ac postea pestem inducere possit, quare non æque ab hoc venefico fomite pestis excitabitur? quam quidem credimus adeo furiosam esse non posse, quam si primario aëris vitio induceretur; neque etiam tam generalem, aut multis locis communem, seu tamen mediocrem. Rationi quoque favet *Experientia*; & historiæ testantur non semel quorundam sceleratorum hominum perfidiam eo usque progressam fuisse, ut interdum per pulveres, sed plerumque per huiusmodi unguenta venenata pestem disseminaverint: quales tres quatuorve insigniores historias describimus *lib.* 2. *cap.* 3. *annot.* 12. Quales etiam plures apud Scriptores inueniuntur, ut apud Titum Livium, *decad.* 1. *lib.* 8. Antonium Sabellicum, *Ennead.* 4. *lib.* 4. Dionem Nicæum, & Xiphilinum, *in vita Commodi imper.* Antonium Portium, *lib de Peste*; Paracelsum, *tract.* 2. *de pestil. cap* 2. Herculem Saxoniam, *de plica, cap.* 11. & 12. Ioannem Evvichium, *lib.* 1. *de Officio Magistrat. cap.* 20. VVierum, *de venef. lib.* 3. *cap.* 27. Michaelem Saxonem, *in Append. Chronic.* Victorem de Bonagentibus, *de febr. pest. tract.* 2. *cap.* 1. Augenium, *tom.* 1. *epist. lib.* 4. *epist.* 1. & *de peste, cap.* 3. Petrum Droetum, *lib. de pest. cap.* 10. Iordanum, *de pestis phænom. tract.* 1. *cap.* 18. Nicolaum Polium, *in Hemerolog. Sules.*

Explicatis & enucleatis iam his problematibus, redeundum ad Annotationes.

II. Docuimus nunc, & satis superque demonstravimus, pestem ex solo Dei præcepto in mundum, vel deputata loca præternaturaliter immitti. Quod etiam animadvertens Hippocrates, dixit, inter alios morbos pestem τὸ θεῖον τὶ continere. Quidnam autem illud sit quod Hippocrates per τὸ θεῖον intellexerit de eo valde dubitatur & disputatur inter præstantissimos Medicos. Galenus existimat ipsum nihil aliud intellexisse, quam aeris constitutiones. Fernelius, 2. *de abdit. cap.* 12. dicit esse abditam quandam & occultam qualitatem, a certis astrorum coniunctionibus productam. Augenius, Massaria, Altimarus, aliique plures, per τὸ θεῖον intelligunt excellentem putredinem, vel summum quendam putredinis gradum. Medici Astrologi intelligunt certas malignas siderum influentias. Sed nulla harum opinionum ipsius Hippocratis mentem tangit vel explicat. Nam si Hippocrates per τὸ θεῖον intellexisset aeris constitutiones, quare non omnes aeris constitutiones diuinas, & morbos, inde productos, diuinos appellavit, si abditam & occultam qualitatem, quare non omnes huiusmodi occultas qualitates (quales multis venenis, magneti, aliisque rebus insunt) divinitatis titulo donavit? si magnam & excellentem putredinem, quare non omnes insignes putredines, quales in febribus petechialibus, aliisque putridis malignis, in variolis, dysenteriis epidemiis contagiosis, multisque aliis morbis deprehenduntur, etiam diuinas esse dixit? si malignas siderum influentias, quare benignos influxus ab iisdem sideribus manantes, diuinos non appellavit? Quapropter nos arbitramur, Hippocratem per τὸ θεῖον intellexisse causam

quam-

quandam morbificam, præter naturæ ordinem ac potentiam, à diis è sublimi immissam, vel in & ex aere de nouo ab ipsis suscitatam, cuius essentia nec in certa elementorum mistione, nec in manifestarum qualitatum intemperie, nec in magna aliqua putredine consistit, sed in novo quodam veneno, præternaturaliter à diis in hoc sublunari mundo suscitato, cuius veneni processum describemus sequenti capite. Sic etiam ex sententia Fernelii, *lib. 2. de abdit. cap. 12.* causa pestis est aeris quoddam inquinamentū cœlitus dimissum, hominum naturæ penitus infestum & prorsus inimicum, ab intemperie & putredine longe diuersum; sed usque adeo occultum, & à sensibus alienum, ut eius natura nos prorsus lateat, inopinanterque feriat; nec unquam nisi effectis & euentis deprehendatur.

III. Pestilens inquinamentum, quia venenum est, hactenus occultum & incognitum fuit, nec ab ullo Medico perfectè describi potuit, quia venenorum plerorumque natura occulta est. Illud autem inquinamentum esse venenum, ex eo liquet, quia habet veneni effectus (qui sunt, corpus citissimè malo modo afficere & mutare, corrumpere, mortificare, nigrum, liuidum, & diffluens reddere, maculis conspergere, &c.) & iliam veneni proprietatem, quod curetur alexipharmacis. Hinc Galenus, *in comm. ad Hippoc. lib. de nat. hum.* dicit, illud nocere subitanea proprietate: & *lib. de theriac. ad Pison.* illud clare nominat venenum. Sic etiam Oribasius, *lib. 6. cap. 24.* & Aetius, *2. tetrab. 1. cap. 94.* illud exitiorum ac venenorum appellant. Horum aliorumque Veterum, de pestilentis inquinamenti occulta venenositate, opinioni maxima pars doctissimorum Neotericorum subscribit, nempe Fernelius, Hercules Saxonia, Oddo de Oddis, Hollerius, Foreſtus, Iulius Palmarius, Crentius, Nicolaus Massa, Minderetus, alique plurimi, inter quos Ioannes Iuvenis, in epist. ad Braklemium, hæc inquit: *Pestis neque præcauetur, neque demitur medicamentis primarum secundarumue facultatum vi insitis, cum morbus sit occultus, & à natura ipsa involutus, etsi ab obuijs rebusque euidentibus credatur nasci, multorumque tales de peste inoleuerit opinio.* Etiam Sennertus, *lib. de peste*, ita scribit: *Quanis sit specifica veneni pestilentis natura, & causa, nemo unquam explicare potuit; & profectò talia sunt quæ latent animos temperatos, illudunt curiosis.* Hermetici, ab effectuum aliqua similitudine, hoc inquinamentum assimilarunt veneno napellino, arsenicali, dipsadis, aliisque similibus, ut occultam eius naturam saltem aliqua comparatione nonnihil illustrarent. Contra verò Alpinarus, Conciliator, Mallaria, Thomas Minadous, Augenius, Montonius Portus, Eustachius Rudius, alique horum sectatores, dicunt inquinamentum illud non esse occultum, sed manifestum, ortum scilicet ex insigni putredine, quam statuūt tam in aere, quam in humoribus, vel sponte naturæ; vel ab astrorum influentiis talem fieri posse, ut inde pestilens inquinamētum produci queat. Profectò longissimè errant, qui occultum inquinamentum manifestare volunt per aliud æque vel magis occultum, nempe per insignem vel excellentem putredinem, id est, occultum vel ignotum putredinis gradum, cuius nec formam, nec modum, nec processum, nec locum, ullo calami acumine depingere vel describere nouerunt; quæ qualiscunque putredo etiam ipsamet ab isto inquinamento primitus inducitur, ut latius docebitur sequenti capite 12. Sed horum opinionem nos paulo ante, problemate quarto, satis refutasse existimamus. Similiter etiam hodierni nonnulli Philosophi nimis animosè promittunt, se hanc obscuritatem claram reddituros, & explicaturos, per minimas particulas aqueas assiliatas, unctatas, pungentes, acido e, nescio quo, modo dispositas; cum interim, dum aliis plus sapere videri volunt, nil nisi inania verba & meras tenebras effundant, aliique, novo quidem, sed non minus obscuro, termino rem magis implicent, quam extricent, nec illarum particularum generationem, coniunctionem, causam congressus & motus, operationes, &c. describere queant, ut nec qualis sit illarum, & quantum commistio, aut commistionis causa ac differentia cum soli boues, qualis cum soli oues, qualis cum soli feles (inter quæ bruta specialim pestem læsisse, aliis animantibus a peste prorsus immunibus, obseruatum est), quanis cum soli homines peste infestantur. Quæ omnia cum isti Philosophi per suas minimas particulas

ticulas minimè explicare possint, cogentur, una cum cæteris ad obscuritatis asylum, scilicet occultam veneni pestilentis qualitatem, rursus confugere. Ad quod asylum etiam redeundum erit Athanasio Kirchero & aliis eius alleclis, qui novo ingenioso commento diuortium ab illo facere volentes, totam pestilentis veneni occultatem minimis bestiolis dilatandam ac deverandam obiecerunt: hanc quippe obscuritatem novo lumine illustraturi, dicunt, venenum pestilens esse congeriem minimarum bestiolarum, seu animalculorum invisibilium, per aerem volitantium, quæ corpora humana per inspirationem, aut poros tubeuntia, eorum partes corrodunt ac corrumpunt, ex iisque ad alia corpora evolitantia, seu ad alia quocunque modo delata, & quasi contagio propagata, etiam sibi inficiunt, corrodunt, & corrumpunt, sicut priora è quibus extuerunt: ab horum verò iniuriis maxime vendicari, & præservari illos qui luculentis exstructis ignibus eorum alas pedesque (forte etiam rostra & dentes) exurunt, ut ulterius volitare & corrodere nequeant, vel per suffumigia aut alexipharmaca penitus illa suffocent, & extinguant. Atque hic illi hæc & alia mille similia somnia sibi fingunt (quæ omnia hic referre nimis longum foret) eaque tanquam noua quædam oracula publicè exhibent, cum interim animalculorum istorum nec generationem, nec generationis causam & modum, nec eorum constitutionem aut formam, imò denique nec unum ex illis, vel demonstrare, vel certis rationibus probare valeant.

IV. Pestilentem labem à Deo immitti, nec ab ullis naturalibus causis produci, præter illa quæ iam diximus, etiam alia sunt quæ id docet. 1. *Morbi vehementia & pernicies*, quæ tanta est, ut ex nulla rerum sublunarium mistione vel putredine tam exitialem & vehementem morbum produci posse, certum sit. 2. *Veneni pestilentis effectus*, qui tam exitialis ac furiosus est, ut sæpe eodem momento homines invadat, inficiat, & occidat, quod nullis naturalibus morborum causis internis concessum est, cum omnes, ut effectus suos edant, maiore tempore opus habeant. 3. *Magnitudo contagij*, quod tantum est, ut nullum è naturalibus causis productum contagium ei æquiparari possit. 4. *Morbi communio*, nam pestis, præter naturalium morborum consuetudinem, omnibus ætatibus, sexibus temperamentis, regionibus, anni temporibus, & tempestatibus communis existit.

Verum etsi prima labes, seu primum pestilens seminarium à summo Deo aëri immittatur, nõ est tamen existimandum, illud necessario esse aliquid quod excedit in magna quantitate, sed potius id esse exiguum quid, pessima summeque venenosa qualitate maximè noxium, in & ex ipso aere Dei verbo genitum, quod, instar acerrimi fermenti, sese dilatans, aerem hic illic certo modo corrumpere, eiusque multis particulis peculiarem quandam veneni speciem, hominibus, aut interdum his illisve brutis animalibus, specialim infensam imprimere, atque ita se lõgè lateque diffundere potest. Ita ut quamvis prima venenata corruptionis causa à Deo immittatur, ipsa tamen venenosa ac maligna corruptio, aeri, aquæ, alimentis, aliisve rebus impressa, sit illa quæ morbum proximè infert, & corpora animantium inficiendo corrumpit. Talis autem aeris aliarumque rerum corruptio à nullis venenatis exspirationibus arsenicalibus, sulphureis, mercurialibus, antimonialibus, aliisve (quales interdum è venenatis mineris, aliisve terræ visceribus erumpunt) quod strenue defendere conatur *Christophorus de Cock* van Kerckvvijck, *libello suo Belgico de Peste*: ut nec ab ulla putredine fieri potest, quamvis id Thomas VVillis, aliique varii sentiant ac inculcare nitantur: quamvis etiam Carolus de la Font, illud ipsum longo sermone multisque rationibus probare studeat. 1. *differt. de peste, cap. 9. 10. 13.* quorum opinionem abunde refutauimus *problem. 1. & 4.*

V. Dico, *aerem inquinat*, quia cum pestis sit morbus communissimus, eius causam aeri, qui omnium maximè communis existit, & cuius usu nemo carere potest, inesse, planè necessum est. Huius talem dat rationem Galenus: *Aer*, inquit, *cum naturæ existat volatilis, ac totaliter spiritualis, corpora porosa, aerea, & spiritualia, sive bona, sive mala, salubria vel insalubria fuerint, pari subtilitate permeat ac facilitate.* Sic etiam Hippocrates, veram pestis causam in solo aere statuit. nam *lib. de nat. hum. text. 8. & 9.* hic inquit: *Morbi fiunt partim à vivendi ratione,*

nec,

nec partim à spiritu, cuius attractione vivimus: utrosque hoc modo discernes. Ubi multi homines uno morbo corripiuntur eadem tempestate, in id referenda causa est, quod sit communissimum, quoque maxime utuntur universi, hoc est quod spiritu attrahimus: tunc enim victum cuiusque nostrum nequaquam in causa esse manifeste constat, cum morbus omnes iuxta attingit, tam iuvenes, quam senes, tam fœminas, quam viros, tam vinum, quam aquam bibentes, tam qui mazam, quam qui panem commanducant: ergo non fuerit victus ratio in causa, cum homines quocunque victu utentes in eundem incidunt morbum. Secundum hanc Hippocratis sententiam etiam bene dicit VVillisius, *lib. de febr. cap.* 12: *Rationi consonum videtur, ut ab eodem fonte, quo vitæ communis pabulum, etiam necis haud minus diffusæ initia petantur: eadem nobis respirandi aeris necessitas, ac piscibus in aqua degendi incumbit necessitas: nam sicut piscium catervatim morientium aquis veneno infectis lues adscribitur; ita homines sine causa manifesta è clade epidemica occumbentes, nil præter aeris inspirati labem interimere potest.* Igitur corruptio venenata, quæ pestem infert, in aere quærenda est, quo nemo carere potest, & qui vel purus, vel quocunque modo infectus, etiam invitis, hauriendus est. Male nonnulli etiam in alimentorum pravis qualitatibus primam pestis causam quæsiverunt, cum inde quidem pravi & epidemii, ac multoties etiam contagiosi morbi excitati fuerint, sed nunquam pestis inde orta sit (ut paulo ante, *problem.* 4. latius explicavimus) nam alimenta prava tunt tantum causæ adiuvantes, qua corpora ita disponunt, ut à corrupto aere facile infici possint: & ipsa etiam alimenta pestilenti tempore haud parvam pravitatem à corrupto aere plerumque consequuntur. Ita ut quocunque modo rem inspiciamus, prima pestis causa in aere lateat. Hoc ipsum quoque asserunt Ludovicus Mercatus, *de febr. lib.* 7. *cap. de febr. pestil.* aliique plurimi Medici. Talis in aere constituta fuit causa illius crudelissimæ pestis, quam describit Homerus, 1. *Iliad.* dum finxit Apollinem suis radiis, tanquam spiculis aut sagittis, pestilentiam è cœlo in Troianum exercitum eiaculasse: ut & illius acerrimæ pestis, quam longo sermone describit Thucydides: nec non illius quæ tempore Galeni longissima fuit: aliarumque plurium, integras civitates & regiones, instar venenatæ tempestatis depascentium. Huic tamen opinioni contrarius videtur esse Galenus, *lib.* 1. *de differ. febr. cap.* 3. nec non *lib. de cibis boni & mali succi*, ubi dicit, pestiferos morbos etiam oriri ex prava victus ratione: & *com. in lib. de nat. hum. text.* 4. scribit, non rectè statuere Hippocratem, morbos communes fieri solum ab aere, quandoquidem etiam prava victus ratio, nec non vapores elati ex putridis aquis & speluncis, morbos communes facere possunt. Ad contrarietatis solutionem dicimus, Hippocratem rectè primariam pestis causam in solo aere statuisse, neque huic doctrinæ aduersari Galenum, cum ex mala victus ratione, putridis vaporibus, & pravis exhalationibus, morbos communes ac pestiferos generari scribit: nam Galenus ibi non loquitur de vera peste, sed de morbis epidemiis pestiferis, qui à peste longissimè differunt in causa, vehementia, velocitate, contagio, & curatione: interim tamen pestiferi appellantur, quia putridæ cuiusdam venenositatis participes, & nonnihil contagiosi sunt, multosque occidunt, & virium dejectione, summa anxietate, deliriis, aliisque pravis symptomatibus proximè ad pestem accedunt. Sciendum præterea Hippocratem per morbum communem interdum intelligere veram pestem, cuius causam soli aeri primario inesse statuit; interdum alios morbos epidemios, quibus tunc etiam alias causas, humores & spiritus vel immediate, vel mediante aere inficientes, adscribit. Galenus autem citatis locis intelligi potest de posterioribus epidemiis, non de vera peste. Denique possemus etiam dicere, Hippocratem locutum fuisse de primaria pestis causa: Galenum verò, hac brevitate non contentum, etiam secundarias addere & describere voluisse, nempe pravum victum, putridas exhalationes, aliaque similes, quæ corpora ad pestem recipiendam disponunt & præparant. Verum his omissis, ulterius procedendum.

Illud aeris inquinamentum, de quo hic agimus, multi hactenus nihil aliud esse putarunt, quam halitus venenatos & putridas exspirationes aeri immissas adde, quas arenici, aut na-

pelli

pelli similitudinem habere scribit Vmæerus, *lib. 1. de pest. cap. 9.* Catolus de la Font, *in suis dissert. de pest.* illis solus arsenici naturam adscribit, eaque ex mineris arsenicalibus suscitari, & sic per aerem longe lateque dispergi, hominesque inficere existimat; suscitari autem per Solis feruores, terræ motus, ignes subterraneos, aliasve similes causas; non considerans feruores Solis singulis æstatibus contingere, atque nonnullis annis admodum urentes esse, cum tamen pestis rara sit, quin & multas sæpe æstates feruentissimas sine ulla peste transire: non animaduertens sæpe crudelissimas pestes suscitatas fuisse post diuturnas pluvias, atque etiam hybernis frigidisque temporibus (tales pestes describunt, Hippocrates, 3. *epidem.* VVagnerus, *in chronici Sigebertus, centur.* 8. Funccius, *in chronolog.* Erodoardus, *in chron.* Bofinus, *decad. 1. lib. 8.* Fernelius, *lib. 2. de abdit. cap. 12.* aliique plures) quibus certe tales arsenicales spiritus ex mineris illis suscitari nequeunt: non obseruans quoque ignes subterraneos in Sicilia, Calabria, Neapoli, Hlandia, aliisque variis locis, perpetuos esse, & pestem tamen, etiam in illis ipsis locis, rarissimam: & terræ motus plerumque sine ulla peste obseruatos fuisse: denique non inspiciens à tali arsenicali veneno bruta non magis immunia esse posse, quam homines, atque hinc omnia animalia in aere viuentia æqualiter ab eo infici & lædi debere, cum tamen plerumque solos homines infestet: dico, *plerumque*, quia obseruatæ sunt etiam pestes, quæ solas pecudes inuaderent, ut ante dictum, *cap. 4. annot. 1.* Vteriorem tam dictæ opinionis refutatio videatur *problemate quarto*. Multi iudicarunt esse tantum certam aeris dispositionem, qua aptus reddatur ut venenum in corporibus impositis generet: quam opinionem Mercurialis, *lib. de peste, cap. 7.* variis rationibus defendit, quas splendide refutauit Sennertus, *lib. 4. de febr. cap. 2.* Multi ipsius substantiæ aeris putredinem: cuius opinionis neruos dicto problemate quarto valde infregimus, eorum reliquias hic nunc penitus exstirpaturi. Substantiam aeris putrescere posse, docent ratione & auctoritatibus. *Ratione*: quia illa quæ calida & humida temperie prædita sunt, prompte putredinem concipiunt: atqui talis est aer, ergo, &c. *Auctoritatibus*: quia Zoar, *cap. 4. iuxta finem*, dicit aerem calidum & humidum promptissimum esse ad putredinem: & Auenzoar, 3. *theisir. tract. 3.* ponit duo genera putredinis aeris, unum ex vaporibus, alterum in substantia propria. Hinc tandem concludunt, qualitatem pestiferam, ex substantiæ aeris putredine genitam, interdum adeo grauem esse, ut pestem faciat; interdum minus grauem, atque tunc producere alios morbos epidemios. Ex. gr. si excessus caloris & humiditatis leuior fuerit, aer leuiter putrescens inducet morbos epidemios leuiores: si verò magnus fuerit, aer in substantia magnopere putrescens, generabit pestem. Verum si rem ipsam pensiore iudicio trutinemus, videbimus hæc argumenta nullo solido fundamento inniti; quia nullus manifestarum qualitatum excessus ipsas elementorum substantias putrefacere potest: nam putrefactio solis rebus mistis competit, utpote per quam fit misti dissolutio, & elementorum vel à se inuicem omnimoda separatio; vel quædam leuis dissolutio, aliaque noua mistio. Ex. gr. in cadauere putrescente nullum elementum putrescit in sua substantia, sed exacta elementorum mistio dissoluitur, & singula, vel omnino separantur (atque tunc quod aereum vel igneum ei inest, sursum ascendit; quod aqueum, defluit; aut in vapores resoluuntur; quod terreum, terram petit) vel rursus alio nouo modo simul miscentur, atque tunc generantur vermes, muscæ, apes, serpentes, &c. Talis autem substantiarum separatio in ipsa aeris substantia, quæ simplex est, fieri nequit: nam in quas quæso partes dissolueretur? non in aqueas, igneas, terreas, quia nimirum horum ipsi inest: non in minimas alienas particulas, quia singulæ minimæ particulæ aeris sunt aer. Ergo in aeris substantiam non incidit ulla putrefactio. Vidit hoc ipsum Aristoteles, ac propterea, *sect. 25. probl. 20.* dixit, aerem non corrumpi nec putrescere. Et inter neotericos Sennertus, *prax. lib. 6. part. 3. cap. 2.* scribit, ipsum aerem, quatenus purum elementum est, nec putrescere, nec alio modo corrumpi posse. Profectò si aer, vel alia elementa putrescerent in suis substantijs, subverteretur tota rerum natura, ipso Hippocrate id

testante, qui, *lib. de nat. hum.* dicit: *si unum elementum putresceret, corrueret totum.* Nihil hic ad rem facit quorundam effugium, scilicet, aerem modò fumi pro puro elemento, modò pro elemento unà cum aliis rebus ipsi immistis: atque hoc posteriore modo illum in substantia putrescere posse. Respondeo: 1. externa illa quæ ipsi permista sunt, non esse de substantia aeris. 2. Cum loquimur de aeris substantia, tunc semper aer tanquam purum elementum sumitur; quod dicimus nunquam putrescere posse: Cum verò loquimur simpliciter de aere: tunc interdum sumitur pro puro elemento; interdum pro elemento cum suis contentis: Si priore modo sumatur, tunc non putrescit: si posteriore modo, tunc substantia aeris etiam non putrescit, sed tantum pravi vapores aliaque heterogenea ipsi immissa, & quasi unita; ab eo secessum faciunt, qui in rebus mistis putredo appellatur, quæ tamen putredo ipsam aeris substantiam minimè corrumpit. Ita ut prædicta distinctio sit tantum inane diverticulum. Concludimus ergo aeris substantiam non putrescere, nec putrescendo pestis causam fieri posse, sed illam causam esse à putredine longè diversam, nempe substantiæ aeris corruptionem sine putredine, cœlitus demissam: quæ corruptio qualis sit, & quomodo fiat, nemo hactenus describere potuit, neque illud cuiquam revelare voluit Altissimus Deus: ac propterea mysterium hoc occultum manet, & Medicos illud explicare, & manifestare, ac frustraneo & nimis fatuo conatu per naturales speculationes rem divinam describere volentes, fere omnes in putredinis labyrinthum deduxit, quem quo magis ingressi, eo minus inde extricati fuerunt.

VI. Non sine ratione illam opinionem, quæ pestilens venenum è putredine extorquere nititur, problemate quarto impugnavimus & dejecimus: nam præter ibi dicta, adhuc varia sunt quæ clarissimè docent, illud nec ex putredine educi. 1. *Putredinis generatio*; quæ fit longiore tempore & gradatim, per excessum materiarum qualitatum, imprimis caloris cum humiditate conjuncti: nec in momento unius horæ, perfectum enemum generare, eiusque effectum causare potest; at in peste sæpe nullus calor, aliusve qualitatis excessus animadvertitur, & cum ille adest, inde tamen pestis causa non dependet, nam alioqui febres putridæ ardentes forent omnes pestilentes, utpote in quibus calida qualitas maximè excellit. 2. *Morbi diuturnitas*: quia pestis est flagellum Altissimi Dei, quo homines præter Naturæ ordinem castigat: ergo non oritur à putredine, utpote quæ ordini naturæ inclusa est. 3. *Morbi invasio*: quia æque invadit regiones salubres quam insalubres æque, & sæpe magis corripit euchymos, optimis humoribus donatos, atque cacochymos, pravis humoribus refertos: nulli sexui, nulli ætati parcit: frigida, calida, aliave quacunque temperie, & quocunque anni tempore æqualiter grassatur: præterea tanta velocitate invadit, & gravissima symptomata inducit, ut nulla putredo tam citò fieri, nec ab ulla putredine tanta symptomata adeo repentè excitari possint. 4. *Pestis signa*: quia sæpe nulla putredinis indicia ex pulsu, sanguine, urina, sitì, fœtore, vel caloris intensione percipiuntur; neque etiam in externis sæpe talia reperiuntur, ut cum pestis cœlo temperato & æquali, vel media frigida hyeme invadit. 5. *Egestis*: quæ, si lues hæc à putredine excitaretur, foret individuus pestis comes, cum tamen multoties contrarium evenire, usus docuit: præterea inter febres putridas, imprimis malignas, & pestem, nulla foret differentia. 6. *Pestis curatio*: quæ è putridorum morborum curatione longissimè differt: nam in his requiruntur venæsectiones, purgationes, aliaque limitia, quæ omnia in peste sunt maximè noxia, cujus curatio imprimis peragenda est alexipharmacis, quæ sæpe sunt calida, hecantia, attingentia, obstruentia, ac profunde putredini amovendæ minus idonea. Præterea morbi putridi maligni, & graves rarò sanantur absque ope convenientium remediorum; à peste verò innumeri quadrant citra ullius remedii usum, & præsertim citra usum eorum quæ corpus à putredinosa illuvie expurgant. Franciscus Valleriola, his & similibus secum diligentius examinatis, *in append. loc. com. cap.* 2. non sine ratione in hæc verba erupit: *Cum aliquis, inquit, integræ sanus accessu ad peste correptum peste quoque inficitur, atque paucis post horis concidit; (quod fieri sæpe videmus,) aut cum quis à*

rabido cane demorsus in rabiem & ipse agitur, quis tam hebes sit, qui putredinem tam repentinæ mortis causam statuat? nam quæ posset tam vehemens tamque perniciosa putredo in hominem incurrere, sine ulterius cuiusquam rei concursu, quæ tam citò hominem tollat? præsertim cum qui concidit, nec plethora, nec cacochymia, obstructione ve esset correptus, sed bene valens, sanus, & vegetus, bonoque habitu præditus.

Hic forte aliquis objiciet, si putredo non producat venenum pestiens, quare igitur necesse sit, tam in præservatione, quam in curatione, omnes putredines externas & internas, earumque causas summo studio cuitare, impedire, corrigere, & auferre? Respondeo: æque rationem habendam esse causarum secundariarum, quam primariarum: putredinem autem esse unam ex causis secundariis, quæ corpora disponunt & apta reddunt, ad pestilens venenum facile recipiendum, sine qua aptitudine pestilens virus sine nocua in hominem incurrit, ab eoque mox repercutitur, sicut sagitta à clypeo ferreo.

Ex his omnibus, atque etiam ex illis quæ præcedentibus (ex problematibus, nec non annotat. 2. 3. 4. 5. dicta sunt, penitus consideratis, satis patet nimis anxios & timidos esse illos, qui præcedentium Medicorum errori, de pestilenti putredine, se opponere non audentes, hanc à nobis propositam veritatem (de pestilentis seminarii principio cœlitus immisso) ambabus ulnis amplecti, & pleno ore profiteri verentur; sed ut præcedentes, circa pestem putredinosam errantes, e directo non offendant, & interim veritatem à nobis propositam etiam omnino non rejiciant, mediam viam eligere maluerunt, dicentes, tutius & commodius duas statui pestis causas; unam supernaturalem, a Deo immissam; alteram naturalem, a sublunarium spontanea putredine, aliave corruptione excitatam: cum tamen in præcedentibus satis superque probatum sit, hanc posteriorem, ipsis naturalem appellatam, causam, non generare veram pestem, sed tantummodo morbos putridos, pestiferos, malignos, aliosve epidemios pravos.

VII. Causas illas, quas secundarias appellamus, corpora ad pestem solummodo præparare, nihil verò per se ad venenī pestilentis generationem facere, quotidiana experientia docet. Malignī iderum influxus pestem non inducunt, sæpius enim facti fuerunt nulla peste subsequente: nec benigni influxus pestem auertunt, cum his enim non semel inualisse, docuimus problemate secundo. Aeris feruores maximos, ut & ventos meridionales, siccitates, ac hyemis tepores, ut plurimum animaduersum est nullas pestes excitasse. Exemplo est annus 1558, quem Medici & Historici illius temporis referunt, non tantum ipso vere, sed etiam tota æstate atque autumno fuisse calidissimum & siccissimum, nullas tamen tunc pestes, verum solummodo febres varias, maximè intermittentes & diuturnas, minimè lethales, per totam Europam viguisse. E contra verò aliquæ feruida, & sicca tempestate, & sine ulla aeris inclementia pestem nonnunquam inuadere, obseruauit Platerus, *prax. tract. 2. c. 2.* Sic etiam Fernelius, *lib. 2. de abdit. c. 12.* testatur nonnunquam hyeme media cœpisse pestem, æstate solutam, sæpeque ardentes æstates ab omni peste vacuas fuisse. Radziuilius, *in Itiner.* meminit pestis, quæ mensibus Decembri, Ianuario & Februario maximè sęuit, & æstuis caloribus soluta est. Similiter quoque Ioannes Morellus, *de febr. purp. cap. 3.* dicit, se non rarò obseruasse, flante Borea pestem ferocius in suos ciues exarduisse, plurimique aquilonea tempestate morbo correptos fuisse: & paulo post inquit, Cabilone post hyemem siccam & aquilonearn successisse ver temperatissimum ac ita uberrimum, quod tamen induxit pestem, & quidem tempestate aquilonea, ac puro tyneroque aere existente. Huc accedunt exempla locorum, quæ etiam docent caliditatem & siccitatem per se nihil ad pestem facere: calidissima enim & siccissima illa Æthiopiæ ora quæ Nigrī accolit fluvium, teste Scaligero, pestis planè expers. Sic in Ægypto pestis dominium caloribus magnis extingui tradunt: Etiam Hispania, licet calidissima, rarius peste infestatur, neque ea tam vehementi ac multis aliis in locis. Exhalationes quoque fœdas ac putridas ad hanc luem primario nihil facere, docent loca huiusmodi exhalationibus perpetuò obnoxia, in quibus tamen non perpetua, sed

rarior pestis obseruatur, ut dictum problemate quarto. Non obstat quod hic nonnulli obijciũt, in Cayro, Ægyptiorum urbe, pestem fere esse continuam, teste Prospero Alpino, *de medic. Ægypt. lib. 1. cap. 15.*) & Sardiniam insulam, ob malignas exhalationes, continuis pestilentibus morbis subiectam esse, teste Pausania, aliisque Geographis. Dico, in Cayro, non ob prauas exhalationes isti loco familiares pestem fere perpetuam sedem fixisse, sed ob contagiũ, quod non tantum incolæ sibi mutuo communicant, sed etiam forinsecus ex Syria, Gracia, Barbaria, aliisque adiacentibus locis, peste frequenter infectis, eo defertur, quemadmodum idem Prosper Alpinus, *citato loco*, id fieri testatur: & quia à solo contagio, sine primario aeris vitio, suscitatur, illam pestem valde exiguã nulliusque momenti esse. De Sardinia dico, consuetas putridas exhalationes istius insulæ, continuos quidem inducere morbos malignos ac pestiferos, sed non veram pestem, ut ex eo patet, quod nemo, ratione contagii, insulam illam fugiat, neque commercia ibidem siccant. Hæc igitur omnia silentium iniungens Carolo de la Font, qui *differt. 1. de pest. cap. 19.* ab hisce etiam seminaria pestis suscitari, longo sermone inculcare nititur, & inter potissimas enumerat ignes subterraneos, quam opinionem paulo ante. *annot. v.* refutauimus.

VIII. Solæ coniunctiones Saturni, Iouis & Martis, ad inductionem pestis facere creduntur: habuimus autem anno 1635, 27. Sept. coniunctionem Iouis & Martis in signo Leonis: sequenti verò anno 1636, 20. Octobris, coniunctionem Saturni & Martis, in signo Virginis; quæ coniunctio à multis pessima esse creditur, quia fit in signo humano: attamen circa tempus huius ultimæ coniunctionis pestis nostra fuit in declinatione. Quapropter huiusmodi coniunctiones non esse magni faciendas, neque ad pestis inductionem quidquam facere, demonstrauimus problemate secundo, & in principio præcedentis annotationis septimæ.

IX. Animi motus per accidens tantum ad pestis inductionem juvant. Ira humores & spiritus vehementius exagitat, confundit, & excolectacit, sicque eosdem ad pestiferum venenum facile suscipiendum disponit. Terror & metus intus omnia conturbant, & spiritus inordinate movendo, malignitatem corpus ambientem versus interiora alliciunt, & intus latentem in actum promovent. Hinc Thucydides, dicit, in truculentissima illa, quam in sua historia describit, peste, mœstos metuque anxios præ reliquis petiisse. Mœstitia cordis constrictione calorem & spiritus opprimendo: nimia verò ac subita lætitia spiritus nimis diffundendo ac dissipando, eadem pericula facile accersunt. Hinc non inepte dicit Pigræus: *Sicut mala victus ratio præparat humores, sic animi passiones præparant spiritus ad recipiendam pestem; & tristitia, terror, ira, ac metus, sunt pabulum ac nutrimentum pestis.* Sic etiam Bauderonus, *prax. tract. 1. cap. 15.* inquit: *Confidentes ut plurimum seruantur: contra meticulosi facile corripiuntur.* de his videantur *plura lib. 2. cap. 7. annot. 9.*

X. An imaginatio sola ad pestilentis veneni in corpore generationem aliquid faciat, dubium exiitit. Affirmativam partem, quæ docet, sola fortissimæ imaginationis vi pestilens venenum generari posse, tria confirmare videntur: 1. Imaginationis stupendi effectus: 2. Ratio: 3. Experientia. *Stupendi effectus* imaginationis clarissimè elucent in mulieribus grauidis, quarum fœtibus pro graui concepta imaginatione, in utero materno insignes ac miraculosæ notæ imprimuntur, cuius rei exempla apud Scriptores passim inueniuntur. Isti effectus etiã in aliis animadvertuntur: nam à sola tristi cogitatione homines sæpe inhorrescunt ac tremunt, vel lachrymas profundunt: imò à forti mortis imaginatione nonnullis una nocte capillos incanduisse, ex historiis notum, & à nobis ipsis quoque visum fuit. Sic etiam nonnulli ab adipectu & imaginatione epileptici cadentis, epilepsiam contraxerunt. Imaginatio grati cibi talivam copiosam in os profluere facit: rei fœtida imaginatio ad vomitum incitat: Veneris cogitatio colem erigit. Visi quoque sunt ægri, qui per solam validam imaginationem de remedio aliquo conceptam, sanitatem recuperarunt. *Ratio* docet, cum ab imaginatione humores & spiritus in corpore varios motibus agitari, varios effectus, & multos quoque morbos inducant, etiam pestiferum venenum intra in corpore generari, sicque pestem induci posse.

posse. *Experientia* hæc priora magis confirmare videtur, cum sæpius visum fuerit, nonnullos ex sola imaginatione peste correptos fuisse: quod historiis seu exemplis demonstrant, Erasmus Hedenus, *in oratione quadam*. Ioan. Matthæus, *cent. quæst. 86.* Scheunemannus, *in Paracels. de cap. 15.* Cum autem hæc ita se habeant, videtur sola imaginationis vi pestilens venenum etiam in corpore generari posse. Pro negativa parte, his iam dictis itidem tria opponuntur: 1. *Imaginationis* in pluribus rebus debilitas, seu agendi impotentia: ex. gr. quantumcunque homo pallidus imaginetur, & velit ut sanguis spiritusque ad faciem ferantur, illud propterea per imaginationem non impetrat: sic neque ictericus flavedinem, neque hydropicus aquam interitem, neque calculosus calculum ulla imaginationis vi deponere potest: sic etiam qui tempore hyberno friget, imaginationis vi non incalescit, nec qui esurit, saturatur. 2. *Ratio*, quæ docet, à sorti imaginatione induci animi affectus, lætitiam, iram, metum, terrorem, &c. & spiritus ac humores non primariò ab imaginatione, sed ab his affectibus commoveri variis modis, pro eorumdem varietate, atque sic non ab imaginatione, sed ab illis motibus procedere varios affectus, pro varietate corporum in quibus fiunt. 3. *Experientia*, quæ illud confirmat: nam licet mille homines sibi firmissimè imaginentur epilepsiam, ex illa sola imaginatione nemo epilepticus fiet: verum si illi mille epilepticum horribiliter convulsum viderint, & à visione illa omnes graviter terreantur, fortè ex illis omnibus unus aliquis (nempe cujus dispositio iam antea ad epilepsiam inclinabat) epilepsia corripietur, illud tamen non fiet ab imaginatione, sed à dispositionis aptitudine & terrore, qui humores subito movet versus cerebrum, iam ante ad epilepsiam præparatum. Idem de aliis quoque morbis & imaginationis effectibus intelligendum. Sic quoque dicendum est, pestilens venenum per solam tristem imaginationem in corpore humano nõ gigni, sed terrorem isti imaginationi comitem commotione spirituum, corpora, dispositia ad venenum pestilens facile recipiendum, disponere, & si veneni quid in corporibus latitet, illud in actum promovere. Quod ipsum quoque asserit Thomas Fienus, *de virtut. imaginat. Quod fortiter*, inquit, *de peste imaginantes pestem interdum acquirant, fit per accidens, quatenus scilicet imaginatio hæc magnum infert timorem, qui timor movet malignos humores in corpore imaginantis latitantes, qui moti pestem faciunt: & ita dico, imaginationem pestis non facere pestem, nisi in corporibus ad eam dispositis: uti ex eo patet, quod tempore pestis grassantis multi sæpe intensissime, & cum subsequente maximo timore de ea cogitantes, non propterea tamen ea corripiantur, tempore vero non grassantis multo minus.* Idem quoque sentiunt Goclenius, *in Loimographia*, & Sennertus, *lib. de consens. chym. cap. 14.*

CAPVT IX.

De pestilentis inquinamenti processu.

CVm pestilens inquinamentum aeri iam cœlitus immissum, atque in & ex illo exigua quantitate genitum, per eumque aliquantillum dispersum est, paulatim quasi fermentatione quadam se expandit, in eoque augetur, sicque magnæ aeris parti sibi similem venenositatem imprimit. Cum autem aer à venenoso hoc inquinamento incipit alterari, pollui, & ad venenositatem disponi, incipit simul etiam rebus sublunaribus valde infensus & noxius esse, illique pro tempestatum, quæ tunc vigent, varietate, varia damna inferre (eodem modo sicut pestis in hominibus, pro humorum, temperamentorum, ac dispositionum diversitate, varias partes variis modis affligit, & diversa symptomata profert) interdum armentorum magnas strages edere; interdum segetes & terræ fructus (1.) ad vitæ sustentationem necessarios, corrumpere, nec non cicadas, muscas, scarabeos, alia-

que

que noxia insecta, item millepedes & mures, aliaque animalcula segetes fructusque corrodentia ac comedentia, quantitate maxima gignere, sicque sterilitatem terræ inducere (hinc sæpe oritur illa gravis annonæ difficultas (1.) quæ pestem præcedit) interdum carnium, piscium, aliorumque alimentorum, imò & humorum corporis nostri citas ac malignas putredines inducere, à quibus tunc febres illæ malignæ & pestilentes (3.) quæ pestem antecedunt, generantur. Porrò, sicut interdum partis alicuius phleginone paulatim augetur, & transit in gangrænam, hæcque paulatim in sphacelum: sic quoque à primi inquinamenti pollutione aer corrumpitur & inficitur per gradus (4.) donec tandem magna illius pars venenositatem, primo inquinamento similem, acquisiverit, atque tunc demum fit apertissima pestis. Nam aer ille non putridus, sed venenatus (5.) existens, cum sit hominum calori nativo infensissimus, totaque substantia contrarius, pestilenti sua venenositate corpora facillimè inficit, & statim post invasionem innatum calorem impugnando, humidumque primigenium depopulando, viscerumque actiones lædendo seu depravando, facit ut humores amplius nec bene coquantur, nec cocti bene regantur, ac in salubri statu conserventur; unde plerumque graves eorum putredines citissimè inducuntur, è quibus tunc illico procedunt febres illæ putridæ pestilentes, quæ pestem mox sequuntur, vel comitantur, idque sæpe tam citò (præcipue in corporibus quorum humores iam antea ad putredinem inclinabant) ut multoties pestis & febris simul invadere videantur: quo errore nonnulli, putarunt pestem esse febrem, eamque per febrem definierunt.

I. SEgetes & fructus à pestilentis aeris malignitate corrumpi, etiam scribit Auicenna: *Mortalitas*, inquit, *corrumpit segetes & vegetabilia, & animalia corrumpuntur quæ ea comedunt*. Nam illa aeris maligna corruptio fruges & arborum fructus inucundos, insipidos, & mali saporis reddit, germina, herbas, & plantas perimit: frumenta vel nasci impedit, vel nata rubigine aliave labe inficit.

II. Hæc est illa fames quam pestis sequi solet, cuius mentionem fecimus capite præcedente, problemate quarto: ubi docuimus pestem non produci ab ulla fame, neque etiam sequi quamcunque famem, sed tantum illam quæ eandem cum peste causam habet, licet intentionis gradu minorem.

III. Citato problemate etiam probauimus pestem non induci ab aucta putredine illarum febrium pestilentium quæ pestem antecedunt; sed illam putredinem oriri ab eodem aeris inquinamento (sed intentionis gradu minore) à quo & ipsa pestis producitur, sicut ex hoc processu iam manifestissimè apparet.

IV. Obijciat aliquis: in illa pestilens venenositas ita paulatim & per gradus in aere augeatur, quomodo potuit in exercitu Regis Da-

uidis trium dierum spatio incipere, & simul adeo magna fieri, ut septuaginta millia virorum occiderit? Respondeo, æque in manu Dei esse magnam partem prædicti inquinamenti in aerem immittere, vel in eo suscitare, atque ita citò multos perdere, quam paruam, & ita præmissis pœnæ imminentis signis, secundum immensam suam misericordiam, hominis ad peccatorum pœnitentiam præmonere, antequam omnes in furore suo disperdat, ut multi resipiscentes & conuersi viuere, ac pœnam effugere possint.

V. Si quis fortè dicat, aerem non posse exuere naturalem conditionem, & venenositatem induere, nisi mediante putredine ipsius substantiæ aeris? Respondebo, illud fieri substantiæ putredine fieri posse; eodem modo sicut corpus violenta morte enecatum, quamvis exuit naturalem vitalitatis conditionem, propterea tamen non exuit statim corporalitatem illius quod fuit (ut in hominis corpus fuerit, per mortem statim nō mutatur in corpus equi, pueris, vel alterius animalis) nec etiam statim potest dici putrefactum, sed spiritu vitali priuatum; post quam priuationem postea putredo substantiæ insequitur: ita ut mors non a putredine,

tredine, sed putredo à morte seu vitalitatis privatione procedat. Sic quoque aeris aliqua pars à cœlesti inquinamento polluta, naturalem conditionem exuere, & venenosa fieri potest absque putredine, à qua venenositate postea putredines (scilicet rerum compositarum, non verò simplicium elementorum) inducuntur: ita ut venenositas non oriatur a putredine, sed putredo à venenositate. Et quare, quæso, hoc in aere fieri posse negabimus, quod in aliis rebus fieri manifestissimè percipimus? ex. gr. Si frustum vitri antimonii, exactissima statera ponderatum, paucis horis imponatur vino optimo, postea eximatur, & siccatum iterum ponderetur, nihil de pondere imminutum esse comperietur, licet talis intinctio vigesies, vel trigesies cum eodem frusto reiteraretur. Ergo manifestum est ex antimonii vitro nihil, quod animaduerti potest, exiisse in vinum: præterea vinum omnino seruat suum colorem & saporem, nec ulla in eo animaduertitur corruptio, & interim talem qualitatem ab antimonio contraxit, cuius ratione corpus sursum deorsumque satis violenter euacuat. Vnde aliena illa qualitas seu purgans vis vino accessit? an à putredine? Hoc nemo, credo, defendet, cui aliquid solidi iudicii supererit: igitur à venenata aliqua qualitate ab antimonio ei communicata & impressa sine putredine. Sic etiam venenum pestilens cœlitus demissum potest aerem venenata qualitate inhærere sine putredine, quæ infectio postea in corpora sublunaria varias putredines & corruptiones inducit. Verum manifestissimum est, has non generare primum venenum infectionis causam, sed potius ab illo generari has corruptiones.

CAPVT X.

DE CONTAGIO.

COntagium (1.) est (2.) communicatio inquinamenti (3.) morbifici ab uno corpore in aliud, qua corporis inficientis morbus planè similis alteri corpori viventi communicatur. Vt cum per morsum canis rabidi similis rabies alteri communicatur: vel cum ab exhalationibus ægri peste laborantis alius quoque peste corripitur. Vt autem hæc communicatio (de pestilenti loquemur) cum effectu peragi possit, quatuor requiruntur: 1. Aptæ dispositio patientis. 2. Contactus patientis ab agente. 3. Efficacia maior agentis quam patientis. 4. Tantum temporis (4.) ut ad invicem agere patique possint. In contagio quatuor consideranda veniunt: 1. corpus quod communicat: 2. quod communicatur: 3. cui communicatur: 4. quomodo communicetur. Corpus communicans est corpus a peste morbosum (5.) vel fomes. Quod communicatur est μίασμα (6.) seu occultum pestilens seminarium, ab ægroto seu infecto corpore (7.) vel fomite exiens. Hoc μίασμα communicatur alteri corpori analogo (8.) aptam dispositionem ad huiusmodi seminarium recipiendum habenti. Fit autem hæc communicatio, vel immediate, ut cum per contactum corporis morbosi, vel excrementorum infectorum illud seminarium transmittitur: vel mediate, idque hinc per aerem (qui sicut fumos, odores, aliaque similia, ita etiam illa μιάσματα, & vapores pestilenti veneno inquinatos recipit, atque alias deinde communicat) nec per fomitem. Nam hæc μιάσματα per aeris vehiculum transmittuntur, aut primo ad corpora animata analoga aptam dispositionem habentia, quibus tunc pestem statim inferunt: aut primo ad inanimata, atque ab his postea ad animata. Omne corpus inanimatum, ad quod hæc transmissio fit, & quod pestilens venenum recipere, atque aliquamdiu servare potest, Medicis neotericis (9.) appellatur fomes. Deest nimirum huiusmodi fomitis corpus esse rarum, (10.) laxum, porosum, nullo frigore, nullo veneni alicui calore præditum; qualia sunt corpora lanea, linea, pilosa, ligneo rariora & spongiosa-

ta, aliaque similia. Quemadmodum autem odores, fœtores, vel fumi, diu in vestibus, aliisque rebus conservari queunt, sic etiam pestilens inquinamentum sæpe longo tempore, in fomite servari, & cum eodem quoque ad alia longinqua loca (11.) transferri potest: si nempe quietus maneat fomes, nec agitetur, aut inalescat: nam si vel agitetur, vel inalescat, tunc inquinamentum loco suo mouetur, & inde transfertur, vel ad corpora animata, quibus pestem infert, si modo aptam habeant dispositionem: vel rursus ad alia inanimata, in quibus iterum aliquamdiu servari potest: vel dissipatur, & sursum in aerem ascendit, in eoque extinguitur. Sæpe etiam fit, ut inquinamentum illud pestilens in fomite asservatum, licet non agitetur, si tamen à radiis Solaribus calidioribus quotidie feriatur, paulatim resolvatur, attenuetur, & evanescat, vel sursum ascendat ac dissipetur, sine ulla noxa eorum qui haud longè ab eo versantur. Sæpe etiam fit ut à maximo frigore vel gelu venenata eius vis adeo infringatur, ut vel penitus extinguatur) ut in hac nostra peste factum fuisse diximus supra, *cap.* 3.) vel adeo debilis evadat, ut non multum nocere possit; exemplum vide infra, *lib.* 4. *Histor.* 129. At si fomes fuerit in tali loco qui à ventis perflatur, pestilentia *μιάσματα* diu (12.) in illo loco commorari nequeunt.

I. COntagium, à *contactu*, vel *contingo*, seu potius ab antiquo verbo *contago* nomen desumpsit. Solet autem contagii nomen tribus attribui; 1. Ipsi morbo contagioso, atque eatenus pestis, tanquam maximè contagiosa, haud rarò per excellentiam simpliciter *contagium* appellatur. 2. Seminario venenatæ qualitatis, atque eo sensu nonnulli definiunt contagium, quod sit, *inquinamentum ab agroto corpore exiens, quo similis affectus alteri corpori analogo communicatur*. 3. Communicationi morbi contagiosi per *μιάσματα*, seu seminarium: quo sensu Hercules Saxonia definit contagium, quod sit, *actio quædam qualitatis morbosæ in corpus humanum dispositum & præparatum, quæ fit per contactum*. Et dicit contagium contineri sub actione, tanquam sub proprio genere. Sic Petrus Salius Diuersus definit contagium, quod sit, *contactus duorum corporum, cuius ratione similis in altero per alterum morbus producitur*. Quæ tamen Salii definitio pestilentis contagio minus proprie conuenit, utpote quod non tantum per corporis morbosi contactum, sed etiam per medium, nempe per aerem vel fomitem, alijs communicatur. Quapropter nos potius dicendum arbitramur, *Contagium esse communicationem inquinamenti seu seminarij, &c.* siue illa actio communicationis fiat per immediatum contactum, siue per medium. Eodem modo Liddelius definit contagium, quod sit, *communicatio inquinamenti similis morbi, facta à corpore in corpus, aut immediate, aut mediante aliquo*. Nomen autem contagii non satis bene seminario, seu inquinamento attribui putamus, cum inquinamentum pestilens sit res per se, quæ morbum inducere potest etiam ante contagium, ut proinde nulla ratione contagium, sed propriè inquinamentum contagiosum appellari possit: nulli enim illa actio communicationis seminarij ab uno corpore in aliud accesserit, non sit contagium.

II. De contagio, anne pesti adsit, nec ne, alij aliter sentiunt. Petrus Salius Diuersus, *lib. de peste, cap.* 11. contagium alicui pesti adesse concedit, sed non omni: idque probare nititur auctoritatibus & historijs Hippocratis, Galeni, aliorumque Medicorum, qui in furiosissimis pestibus, nulla habita contagij ratione, imò ne ulla quidem eius mentione facta, quoslibet peste laborantes indifferminatim inuiserunt, neque contagium fugientes, neque alios id fugere monentes, utpote quod tunc temporis nullum (inquit) pesti aderat. Præterea dicit in Syria, Ægypto, & Cayro etiam hodie neminem peste infectos fugere, procul dubio propterea quod pestis ibi non sit contagiosa. Alij existimant nulli pesti adesse contagium, idque probare nituntur auctoritatibus & rationibus. *Auctoritatibus*: quia Hippocrates, Galenus, Auicenna, alijque varij, cum Græci, tum Arabes, viri sagacissimi, qui pestem curiosissimè

tiolissimè descripserunt, contagium, neque fugerunt, neque illud cognovisse videntur, quia aut nusquam, aut saltem valdè obscurè de eo loquuntur. *Rationibus:* 1. Quia si pestis, inquiunt, contagiosa foret, ab illius contagio omnes illi necessariò infici rentur qui cum ægrotis peste laborantibus conversantur, iisque inserviunt; at contrarium apparet in Medicis, Chirurgis, vespillonibus, aliisque, ergo non est contagiosa. 2. Quia si vapores & halitus è sano corpore emanantes, aliis corporibus ægrotis sanitatem illius corporis, è quo exiverunt, communicare; & morbos expellere nequeant, ergo etiam ægrotorum morbosi vapores & halitus in sana corpora eosdem morbos transferre, ac sanitatem expellere non potuerunt. His argumentis utitur Gregorius Nyssenus, magnus Philosophus & Theologus, *in explicatione illius dicti Servatoris nostri, Quod uni ex minimis meis fecistis, &c.* ubi tandem concludit, eos, qui cum ægrotis pestiferis conversantur, propterea eodem morbo corripi, quod communi cum infectis aere utantur, ut eandem dispositionem internam habeant, non autem quia ab infectis contaminantur. Has iam dictas opiniones plurimi rejiciunt, & ex altera parte cum Fracastorio fere omnes primarii neoterici Medicinæ proceres, omni pesti maximum contagium adesse meritò judicant. Profectò non potuit etiam non illud contagium ipsis quoque Veteribus cognitum fuisse, quia antiquus Græcus Historicus Thucydides, in descriptione gravissimæ pestis Athenensis, maximi contagii mentionem facit: cui pesti ipse Hippocrates etiam interfuisse dicitur, qui tamen illius contagii non facit apertam mentionem, quia, teste Galeno, *lib. 2. de difficult. respir. cap. 7.* sicut Thucydides, populo vulgari scribens, omnes totius morbi vulgò spectabiles circumstantias describit; ita Hippocrates omnes fere res notissimas prætermittens, tantum illa describit, quæ vulgares ordinarie non observant, & maximos sæpe Medicos latent. Ita ut Hippocrates pestis contagium tanquam notissimum quid præsupposuerit, hinc que de eo verba non fecerit: eum tamen *lib. 2. de nat. hum. text. 14.* περὶ νοσερῶν, id est, *morbosi effluvii*; & *lib. de flat.* μιασμάτων, id est, *seminariorum pestilentium*, meminerit. Aristoteles, *sect. 1. problem. 7.* dicit, unam pestem omnium maximè contagiosam esse. Galenus quoque, *lib. 1. de differ. febr. cap. 2.* inquit: *Pestilenti morbo laborantium conversatio minimè tuta, periculum enim est, ne concipiatur, ut scabies & lippitudo.* Atque ibidem, *cap. 4.* scribit pestem Atticam et Æthiopia per putrida inquinamenta & aeris infectiones fuisse propagatam. Inter Historicos Titus Livius, tam *lib. 3*, quam *lib. 25*, graves pestes describens, contagii vocem expressit. Appianus Alexandrinus scribit Celtas ab Illyriis peste laborantibus, quoque infectos fuisse. Seneca 4. *de ira, cap. 5*, dicit: *In pestilentia cavendum est, ne corruptis iam corporibus & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahimus, afflatuque ipso laborabimus.* Hinc ait Ovidius, 7. *Metamorph.*

Quo propior quisque est, fervitq; fidelius ægro,
In partem lethi citius venit.

Ex quibus omnibus satis liquet, Veteribus contagium non fuisse ignotum. Quod autem Hippocrates & Galenus contagium nō metuerint, nec fugerint, illud eorum humanitati & audaciæ adscribendum est, qui non timuerunt per flammas & ignes, ac per mille pericula proximis suis in tumina pestilenti necessitate auxilium ferre, (quemadmodum etiam ego in hac furiosissima Noviomagensi peste continenter feci;) non quod à peste contagium abesse putarent; non etiam quod cum Syrtis & Ægyptiis, pestem per solam latorum destinationem hominibus immitti, ac propterea neminem per contagium peste corripi, vel pestem effugere posse, crederent; vel quod charitatis in proximos ergo, huic periculo se exponere, quam proximorum extremis necessitatibus non succurrere, mallent. Verum dicas; quare igitur plerique veterum Medicorum contagii descriptionem silentio præterierunt; vel adeo obscurè de contagio locuti sunt? Respondeo: vel quia illos deterruit rei gravitas, cum eius descriptionem difficillimam fore viderent; vel quia illud tanquam rem clarissimam & notissimam tacitè præsupposuerunt; vel quia non cognoverunt aliud contagium, quam quod fit per immediatum contactum corporis morbosi, quo modo scabiem, lepram, morsum canis rabidi, aliaque similia

contagiosa appellarunt. Cum autem contagium in peste frequentius per medium, quam per immediatum contactum communicetur, propterea de eo, tanquam rariore, vix loqui dignati sunt. Istius enim contagii, quod fit per vapores, aerem, fomitem, aliudve medium, vix uspiam meminerunt, propterea quod causam morbi ita inducti, non corpori ægroto medium illud inficienti, sed ipsi medio infecto adscriberent: ex. gr. æger peste infectus sudorum, exhalationum, & excrementorum fœtidissimorum malignitate inficit aerem, qui aer ita infectus postea ab alio aptam dispositionem habēte, inspiratus, eidem illam, quæ ab ægroto corpore exierat, infectionem communicando, eundem morbum infert. Talem morbum Veteres non à contagio corporis primò ægrotantis, sed à maligna aëris infectione proficisci dicebant, neque id contagium appellandum esse iudicabant. Porrò, quantum ad rationes incontrarium allatas, illæ non sunt magni ponderis. Respondeo ad primam, propterea non infici omnes qui cum peste laborantibus conuersantur, quia multa corpora tali occulta dispositione prædita sunt, ut à veneno pestilenti, etiam vehementi, prorsus affici nequeant; qua de re pluribus agemus sequenti capite. Ad secundam dico, sanitatem in mediocritate, morbum verò in excessu consistere: mediocritatem autem non vincere excessum, sed excessum evincere mediocritatem: atque hinc est quod salubres exspirationes, cum sint remissiores, morbos tolere nequeant: morbidæ verò exspirationes, cum excedentes qualitates habeant, mediocritatem possint corrumpere. Præterea sciendum, ita comparatum esse in rebus naturalibus, ut ad alicuius rei destructionem longè paucioribus mediis opus sit: quam ad constructionem. Vt sanitas constituatur, omnium humorum concordans ac conveniens mistio requiritur, cum unius solius excessus morbum inducere possit. Ad hæc, effluvia sanorum cum sint excrementitia & inutilia, à meliore mixtura separata, non possunt continere facultatem sanitatis, sicut effluvia corporum peste laborantium continent ipsam maligni inquinamenti pestilentis proprietatem ac potentiam. Denique auctoritati & opinioni gravissimi viri Gregorii Nysseni, opponimus auctoritatem & opinionem S. Basilii, non minus Medici, quam Philosophi & Theologi insignis, qui *in explicatione primi Psalmi*, docet pestem esse maximè contagiosam: ut & auctoritatem Bezæ ac Riveti, summorum Theologorum, qui reprehendūt eos, qui dicunt pestem non esse contagiosam, & bene docent, eius contagiosam infectionem fugiendam esse. Præterea Gregorius Nyssenus videtur pia necessitate coactus statuisse, vel saltem dixisse, pestem non esse contagiosam: videns enim passim quoscunque metu contagii & mortis fugere, postpositis omnibus misericordiæ & amoris operibus, atque hinc plurimos mori qui viuere potuissent, si aliquis iis inseruisset, atque hinc metuendum esset, ne omnes tandem interirent, consultum duxit nonnullis fucatis rationibus populo persuadere, pestem non esse contagiosam, non quod talis non esset, verum ut sic multi à fuga detinerentur, & sibi mutuo auxiliares manus ferendo, plurimi servarentur. Cum Paulus Apostolus naufragium pateretur (*Actor. cap. 27.*) & nautæ fuga se seruare nitebantur, dicebat: *Nisi hi in navi manserint, vos salvifieri non potestis*. Sic etiam in peste, nisi auxiliares manus ferantur ægris, pereunt plerique, & qui fugiunt etiam sunt incerti, an sic fugâ seruare possint. Ità ut ex illa necessitate, quæ Nysseno hanc persuasionem extorsit, concludi nequeat, pestem non esse cōtagiosam. Verum qui his sibi nondum satisfieri patiuntur, sed antedictam opinionem pertinaciter defendere volunt, tandem eam confirmare nituntur verbis Sacræ scripturæ, quæ 2. *Samuelis* 24. pestem appellat manum Dei: & *Psalm.* 38, *ut & 91.* sagittam Dei: & 1. *Paralipom.* 21. gladium Dei. Atqui, inquiunt, Dei manus, sagitta, gladius non vulnerant contagio, ergo, &c. Respondeo, Sacram scripturam dictis locis, per manum, gladium, & sagittam Dei, manifestissimè designare, partim eum qui plagam desuper immittit, scilicet Deum; partim ipsius plagæ magnitudinem, quæ plaga per se, & per ex se emissum contagium, instar immanissimæ feræ grassatur inter homines, sicut potentissimorum nostrum gladii & sagittæ debacchari solent. Ita ut per has Sacræ scripturæ loquendi formulas pestis comes contagium a

peste

peste non excludatur (sic etiam non excluditur ab elephantiasi, quæ & ipsa appellatur manus Dei, qui tamen Deus, ratione contagii, iubet leprosos separare ab aliis) propter illud enim iubet Deus, (*diversis in locis, infra citatis lib. 2. cap. 4. annot. 2.*) fugam capescere.

III. Dico, *inquinamenti*, quia corpus peste infectum duo communicat, vapores seu halitus putridos, & inquinamentum venenosum: in hoc consistit, & ab hoc peragitur contagium pestilens, non verò ab illis. Quia contagium pestilens, quod à putredine solo contagio longissime differt, non refulcat ex putredine, ut c. 8. *in annot.* fusè probauimus) nec eius essentia in putredine consistit, sed in veneno, licet putredinem, ut plurimum comitem habeat. Attamen Matthias Vntzerus, *lib. 1. de lue pest. cap. 7.* pestilens contagium in putredine, tanquam in proprio subiecto subsistere, statuit: quam suam opinionem his rationibus stabilire nititur. 1. Quod in externis videmus res putrescentes putredinis communicatione alias res vicinas corrumpere, ut liquet in carnibus, pomis, aliisque rebus putrescentibus. 2. Quod in omni contagio cernitur putredo. 3. Quod nullus, quantumvis pericu losus, morbus, dummodo expers sit putredinis, contagione in alios proserpat. 4. Quod in omni contagio fiat corruptio substantiæ, non secundum totum, sed secundum partem, idque sensim, quæ corruptio est putredo. Omnes hæ rationes speciosæ quidem sunt, sed interim parui momenti. Ad primam respondeo, maximam esse differentiam inter contagium putridum & venenatum: illud lente, & non nisi post prævias alterationes, aliud corpus contaminate; hoc in momento operationem suam edere, ut apparet in iis, qui pestilenti contagio infecti subitò concidunt: illud corpora etiam diuersi generis contaminare; hoc ut plurimum tantum corpora analoga: illud operationem exercere etiam in corporibus mortuis; hoc tantum in viuis. Ita ut omnino claudicet hæc Vntzeri comparatio, qui illud tantum describit, hoc verò planè ignorasse videtur; neiciens, si in putredine consisterent illa contagiosa pestilentia, *miasmata*, illa necessariò in se ipsis à putredine breui tempore consumi debere, neque integris viribus in fomite asseruari posse. Ad secundam & tertiam dico, nos negare, in omni contagio putredinem cerni, & morbum sine putredine contagio non proserpere; idque probamus exemplo eorum qui subitò peste correpti statim mortui concidunt, & simul eandem contagiosam labem adhuc aliis communicant, nullis putredinis signis, neque in his, neque in illis, apparentibus, nec ante, nec post morbum vel mortem, imò nullo tempore ad putredinis inductionem concesso. Quod exemplum etiam falsitatem quartæ rationis demonstrat, & probat in omni contagio non fieri talem corruptionem substantiæ, quæ sit putredo, nam neque hæc; neque illa in momento fieri potest, cum tamen venenosum pestilens contagium id possit. Ad hæc, dico etiam in humoribus posse fieri venenatam qualitatem ex substantiæ corruptione sine putredine, nam ad prioris formæ corruptionem & nouæ inductionem, necessariæ quidem sunt prævia alterationes (ut in semine, quod dum corrumpitur secundum formam seminis, & induit formam fœtus, alteratur quidem, sed non putrescit) non verò putredo. Liquet id in parte gangræna vel sphacelo correpta, quæ primo corrumpitur, postea putrescit. Sic corruptio quoque præcedit in iis qui per contagium peste afficiuntur: nam venenatum inquinamentum prius communicatur, communicatum corrumpit spiritus & humores, & hanc corruptionem sequitur putredo, sicut demonstrauimus *præcedente capite, annotat.* 5. Atque ita ex his satis manifestè liquet putredinem non esse de essentia contagii, neque contagium pestilens ex ea oriri. Quod contra se ipsum docet Vntzerus *lib. citato, cap. 9.* ubi inquinamentum pestilens appellat venenum, quod non dependet ab aliqua quatuor vulgarium qualitate, sed ab occulta specifica qualitate. Super hoc dubio etiam legi poterunt, Fernelius, *lib. 2. de abdit. cap. 14.* & Fracastorius Valleriola, *in append. loc. com. cap. 2.* sed inprimis Sennertus, *lib. 6. prax. part. 3. cap. 3. & Paralipom. ad lib. 6. prax. cap. 1.* qui omnes plurimis aliis firmissimis rationibus (quas hic referre nimis longum foret) hanc, de contagio pestifero à putredine, sententiam penitus destruunt.

IV. In qualibet naturali actione hæc quatuor concurrunt: Agentis fortitudo, patientis dispositio, contactus passi ab agente, & mora agentis in passo. Maximè requiritur agentis fortitudo, quoniam à proportione minoris inæqualitatis non sequitur actio, sed à proportione maioris inæqualitatis, nam magna nauis non à paruo, sed à magno vento impellitur. Patientis dispositio necessaria est, quia quodlibet non agit in quodlibet, sed actus agentium fit tantum in agente bene dispositio: sic magnes non trahit lignum, non lapidem (quia non sunt aptè disposita subiecta) sed ferrum, dummodo sit mundum, non verò admodum rubiginosum, vel oleo illitum, vel adamante alteratum, tunc enim, propter malam dispositionem ferri, illud non attrahit. Huc facit contactus, immediatus, vel mediatus: nisi enim aut ipsum magnetis corpus, aut aer aliudve medium cui virtus eius impressa est, ferrum tangat, illud non attrahit: quemadmodum neque ignis aliquem calefacere potest, nisi calefaciendus ab ipso igne, vel eius calore aeri infuso, tangatur. Etiam tempus & mora expostulatur, nam si lignum parvum in ignem quantumcunque magnum posueris, & statim rursus amoueris, non comburetur, propter nimis parvam moram. Quantum ad pestiens contagiū, illud ut agat, debet esse fortius patiente, & non potest agere nisi per contactum in patiente dispositio, accedente aliqua mora, quæ interdum longior requiritur, interdum brevis sufficit, imò nonnunquam vix temporis momento opus est, ut contagium vires suas exeratque diuersitas procedit ex maiore vel minore veneni efficacia ac quantitate, & maiore vel minore corporis quod invadit, aptitudine.

V. Dico, *corpus à peste morbosum*: quia non quodlibet corpus, quod alteri quam ipsum habet affectionem communicat, contagiosum est, ut cum calidum aliud calefacit, aut frigidum frigefacit. Neque quodlibet morbosum corpus contagiosum est, ut cachectum, ictericum, hydropicum. Neque quodlibet corpus morbosum & contagiosum pestilenti contagio contaminat alterum. (sic scabie vel lue Venerea infectum alteri non infert pestem) sed tantum illud quod à peste morbosum, seu pestilenti veneno infectum est. Sciendum enim, non quælibet venena, nec quælibet corpora venenata esse verè contagiosa, licet multa nobis sint lethalia: sic arsenicum, etsi sit nocentissimum, non est tamen contagiosum: scorpio vel serpens, quamvis homini ictu vel morsu suum venenum communicent, non sunt tamen animalia contagiosa, quia illud venenum non est ipsis morbosum, sed naturale.

Hic quæri posset, an corpus à peste morbosum, sit contagiosum ratione morbi, an verò ratione causæ morbificæ? Dico, utriusque: nempe primariò ratione causæ morbificæ, absque qua nec morbus, nec contagium fieri potuisset: secundariò ratione morbi: nam postquam causa morbifica in corpore generauit morbum, etiam ipsi simul impressit facultatem eandem causam multiplicandi, quæ multiplicata ulterius diffundi ac disseminari potest ad alios: eodem modo sicut fit in fermento, cuius parva quantitas magnæ farinaceæ massæ admista, totam fermentare facit, ita ut postea quælibet illius massæ particula, quousque in operatione persistat, æque efficax sit ad similem quoque effectum edendum: quæ vis isti massæ primò impressa est à primo fermento, ac secundariò aucta à fermentatione.

Hic & alia quæstio adiungenda est, anne omnia corpora à peste morbosa sint æque contagiosa? Dico, non: sed illa, quorum morbus in salutem & vitam terminatur, esse minus contagiosa iis, quorum morbus lethalis est. Quia in illis venenum pestilens à robusta naturæ vi & alexipharmacorum usu non solum retunditur, verum etiam tandem extinguitur, ita ut qui è tali corpore exhalant vapores, multo minus venenositatis in se continent. In his verò venenum cuncto calore vita triumphans, omnibus humoribus maximè venenatam corruptionem imprimit; ita ut è talibus corporibus, quorum humores venenosa labe magis magisque inficiuntur, multò magis venenosas exhalationes efferri necesse sit. Sic tempore pestilentiæ plurimos aduertis, quorum morbus in exitium terminatur; pauciores verò aduertis, qui morbo conualescunt, infici, obrepi tum est. Nam in domo aliqua si quispiam peste correptus à morbo euadat, sæpe nullum domestico-

rum

rum inficit; atque sic morbus sæpe in uno solo illic terminatur: contra verò si unus æger peste correptus moriatur, plures in eadem domo inficiet & mori solent.

VI. Illa μιάσματα Græci etiam νοσηρὰς ἀναθυμιάσεις, & ἀναπνοίας, ac σήψματα, Latini *Morbidas exspirationes*, vel *Morbosa effluvia*, vel *inquinamenta*, & *contagij seminaria* appellant. Quia sicut semen corporis viventis aliud animatum eiusdem speciei producere potest, sic illud μίασμα seu seminarium, è corpore morboso emissum, alteri corpori similem quoque morbum inducere potest.

Occurrit hic quæstio, cum in plerisque aliis morbis etiam aliquid morbifici exhalet, quare non omnes sint contagiosi? Respondeo: quia in aliis morbis tolummodo effectus causæ aliqua pars, nihil verò ipsius causæ morbificæ exhalat, quæ si exhalare posset, forent plerique morbi contagiosi. Explicabo mentem: multi morbi oriuntur, vel à sanguinis nimia copia, vel à meatuum obstructione, vel à putredine. In morbis à sanguinis copia exhalat quidem pars istius copiæ, sed causa istius copiæ (scilicet nimia boni cibi ingestio, otium, aliave) non potest exhalare. In morbis ab obstructione potest quidem exhalare pars humoris obstruentis, sed ipsa obstructio nequit exhalare, & adhuc minus debilitas viscerum humores obstruentes generantium. In morbis à putredine exhalat quidem pars humorum putrescentium, sed causa istius putredinis (nempe obstructio, solutio unitatis, mala coctio, visceris alicuius vitium, debilitas, vel corruptio, aliave qualiscunque) nequit exhalare. Idem de cæteris intelligo. Ac propterea non possunt tales morbi esse contagiosi, in quibus non exhalat aliqua causæ morbificæ pars, nam contagium in ipsa causa morbifica consistit, & ab ea peragitur. Hinc autem est, quod pestis sit contagiosa, quia in ea exhalat ipsius causæ morbificæ, nempe venenu pestilentis, pars, una cum parte effectus, nempe putridis vaporibus & excrementis.

VII. Contagiosa μιάσματα per varias vias è corporibus infectis exeunt, ut, per poros cutis, sudores, & invisibiles exhalationes, per exspirationes, dejectiones, & sputa, per pus & sanguinem, &c.

VIII. Corpori analogo & eiusdem speciei illud venenum pestilens communicari debet, ut pestilentem infectionem inferat: (loquimur de eo quod plerumque contingit, nam pro miraculo habendum non est, si fortè animal brutum, canis, felis, &c. aliquando ab homine, vel homo à bruto animali ægrotante inficiatur, sicut canem rabiosum videmus per contagium inficere hominem simili veneno, licet humanũ corpus ipsi non sit analogon:) Nam si ab homine transferatur ad equum, illum non inficiet, quia inter hominem & equum nulla est analogia; atque hinc fit, quod idem venenum, quod homini perniciosum est, equo non noceat. Illa autem pernicios a istius pestilentis veneni operatio, in omnibus hominibus non eodem tempore & modo peragitur: nam cum illud contagiosum μίασμα in corpore receptum est, in aliis citissimè, in aliis lente morbum inducit. Imò in hac peste Nouiomagensi, etsi plerumque citissimè se effectis proderet, tamen interdum per aliquot dies, interdum per duas treſve hebdomadas, semel per aliquot menses (exemplum annotavimus *lib. 4. Histor. 103.*) in corpore latuisse, obseruauimus, antequam sui præsentiam certis ac notis signis manifestaret, viresque suas manifeste exereret. Illa autem operationis tarditas ob duas inprimis rationes fieri potest: 1. Cum venenum pestilens, quod corpus ingreditur, vel est nimis parvæ quantitatis, vel nimis debile, quam ut calorem nativum citò afficere possit; atque tunc ab exiguo initio paulatim vires acquirens, longiore tempore eget, antequam calorem nativum impugnare ac debilitare, viscerum robur dejicere, putredines malignas inducere, & sic ad excellentem potentiam assurgere, ac se manifestè prodere possit: quemadmodum Galenus, *lib. 6. de loc. affect. cap. 5.* illud ipsum docet de sputo canis rabidi. 2. Cum venenum illud recipitur à corpore non satis aptam dispositionem habente, cuius calor nativus fortior illum hostem diu non persentiscit, nec ab illo notabilem vim patitur; attamen tandem ab hoste, tractu temporis clanculum potentiore facto, lacessitus, aduersus illum insurgit, & tunc ex illa pugna oriuntur pestifera symptomata. Nam quod venenum pestilens citius vel serius hominem afficiat, non tantum

tum à magis minusve malefica vi dependet, sed etiam à maiore minoreve dispositione ac resistentia eius, qui illud recipit. Id quod quotidie experimur in aliis venenis: nam idem eiusdem ponderis & qualitatis venenum variis hominibus exhibitum, alium statim, alium post aliquod tempus; alium grauius, alium leuius, aliũ fere nihil afficit: quod ipsum in medicamentis purgantibus quotidianus usus etiam docet, quę pro varia disparique ægrotantium ægrorum constitutione, temperamentique diuersitate, citius aut tardius, leuius aut vehementius operantur. Has rationes planè rejiciunt Hieronymus Mercurialis, Io. Anton. Saracenus, Andreas Cisalpinus, Matthias Vntzerus, Ioannes Morelius, aliique plures; qui expresse negant pestilens venenum per menses vel hebdomadas aliquot in corpore humano occultum latere posse, idque tantum parvo tempore, nempe per duos tresve, aut ad summum per septem vel octo dies fieri posse concedunt. In horum sententiam etiam ego quoque antehac facile iviſſem, nisi experientia me aliud docuisset. Sed quare, quæso, venenum pestilens aliquamdiu in corpore occultum latere non posset, æque atque venenum canis rabidi? quod licet etiam naturæ sit infensissimum, in corpore tamen humano, non tantum per dies, hebdomadas, vel menses, sed per annos latuisse, obseruarunt, Alpharabius, præclarissimus Arabs Medicus, Matthiolus, Palmarius, Amatus Lusitanus, Albertus Magnus, Guainerius, Petrus Salius, aliique plures. Quare non æque atque virulentia luis Venereæ? quam in corpore humano diu latere posse, præter quotidianam experientiam, testes sunt, Fernelius, Ingrassias, Franciscus Rennerus, Cardanus, aliique grauissimi Medici. Quare non æque atque in aliis venenis assumptis? quæ teste Galeno, ut & Theophrasto *lib. 9. cap. 16.* nimis parva quantitate, vel debili qualitate assumpta, non nisi post tempus aliquod nocent & interficiunt. Hic fortè dicent aduersarii, differre venenum pestilens à rabioso, Venereo, aliisve venenis, quod hæc lentore quodam, & terrestri grauitate prædita sint, cujus ratione tardius in actum promouentur; illud verò subtilissimum sit, ac citissimæ actionis. Sed reponuco: neque alia omnia venena terrestri lentore prædita esse, neque pestilens venenum semper subtilissimum existere, sed hoc sæpius quoque alicujus lentoris particeps esse, cujus ratione tanto tempore in fomite asservari & latere potest. Quæstionem hanc latius tractat Ioannes Oelhasius, *disput. 1. de seminar. pestil. intra corpus vivum latente.* Tandem concludimus, non solum pestilens, verum etiam omne quodcunque venenum, quod corpus ingressum est, vel citius, vel tardius operationes suas edere, prout corpus hoc illove modo dispositum inuenerit, & maiore vel minore quantitate, aut qualitate illud ingressum fuerit.

Hic non malè subiungi posset alia quæstio, nempe, annè venenum pestilens, quod corpus subiens in eo latitat, priusquã illi corpori morbum actu inducat, aliud externum corpus inficere possit? Dico, posse, eodem modo sicut fit in muliere, quæ cum viro Gallica lue infecto rem habens, ab eo inficitur, potestque cum alio statim coiens eandem ei labem contagio inferre, licet in se ipsa adhuc nulla morbosa istius luis indicia percipiat.

IX. Dico, Medicis neotericis appellari *fomitem*, quia nemo, quod scio, veterum Medicorum fomitis meminit.

X. Fomitis corpus debet esse rarum, ut μικρὰ σώματα illa contagiosa, tenaci aliquo vapori immixta, recipere possit; densa enim corpora illa non admitterent: ac propterea nec lapides duriores porphyrii, marmorei, ut nec metalla possunt esse fomes, tum propter densitatem, tum propter frigiditatem. Hac de causa Mercurialis irridet eos, qui tempore pestis monetas tractare recusant, vel eadem antequam contingant, abluunt. Forte hinc ille laudabilis Medicorum mos, toti mundo, quasi verò, communis, originem sumpsit, quod nempe ægris suis in pestilenti constitutione gratis, si diis placet, interviant, propterea quod nummos scilicet metu contagii tractare non audeant. Videtur Mercurialis ea in parte non fuisse adeo scrupulosus, ut alii Itali solent esse, qui porrectam pecuniam de manu alterius immediatè non audent accipere, sed illam in pelvim aqua repletam prius injici curant, ut si qui forte viscidi noxii vapores à manu dantis adhæreant, illi prius aqua vel abluantur, vel extinguantur.

guantur. Nostrates videntur cum Mercuriali sentire, fomitem contagii metallis, propter eorum densitatem & frigiditatem, inhærere aut adhærere vix posse, atque hinc tempore pestis nunquam anxii sunt in tractandis monetis, sajunt quippe fomitis corpus, nec adeo densum, nec adeo frigidum esse debere aut posse, quia frigore & gelu edomatur contagii vis, sicut è contra magno calore consumitur. Pergat iam Franciscus Ranchinus, *lib. de purific. rer. infect.* contrarium sentire quo usque volet, & ipsi datas monetas primò aceto abluat, antequam illas contrectet: paucos certe inveniet asseclas, qui sibi persuaderi permittens, quod aurum, argentum, æs, aut ferrum, pestilentis seminarii fomes esse possint, atque hinc monetas ex iis confectas sine præmissa ablutione & purificatione non esse contrectandas. Profecto Auri sacra fames tam potens est antidotum adversus huiusmodi scrupulosum timorem, ut simul, & timorem, & omnem pestilentis seminarii, tam suspicionem, quam etiam vim ipsam penitus discutiat, pellundet, & extinguat.

Quæritur, utrum contagiosa μιάσματα, quæ in fomite hærent, sint eiusdem naturæ & venenositatis cum causa morbifica, quæ isti corpori, è quo exierunt, morbum induxit? Dico, planè eandem naturam & vehementiam continere. Quare igitur omnia μιάσματα è corpore morboso exuntia non constituunt ubique fomitem, corpore, seu subiecto aliquo commodo ad fomitem dato? quia μιάσματα illa per se tenuia plerumque sunt, ac propterea deferuntur & disperguntur ut plurimum per aerem, nec facile alicui rei, propter tenuitatem & subtilitatem adhærent, sed una cum aere facile ab aliis inspirantur; (hac de causa valde periculosa est conuersatio cum infectis.) At si illa μιάσματα immixta fuerint tenaci alicui vapori, atque ita ad commodum inane corpus delata, illi firmiter adhærebunt, & fomitem constituent. Hinc est quod pestiferorum novissimi halitus (quibus illa μιάσματα immixta sunt) è morbundis exeuntes, plerumque fomitem constituant; quia moribundorum calor iam penè extinctus & omni vigore privatus, putridas fuligines amplius attenuare & discutere nequit, ac propterea crassas tantum & tenacissimas exhalationes vaporosas emittit, quæ cuicunque dispositi corpori obvio facile inhærent, eique se insinuant. Hic est ille halitus verus (à multis pro fabula habitus) de quo vulgares loquuntur, cum dicunt, se vidisse ab ægro extremum spiritum reddente exisse venenum pestilens instar parvæ nubeculæ cereleæ (nam illi ultimi halitus talem colorem aliquo modo rudioribus referre videntur, si candela ardens paulò longius à lecto adstet) idque se insinuasse in hanc aut illam rem. In eo quidem errant illi rudiores, quod totum venenum pestilens una cum extremo spiritu è corpore exire arbitrentur, cum tantum aliqua veneni pars, vaporibus istis permixta, exeat: attamen docet experientia, ex rebus illis, in quas talem nubeculam transferri viderunt, postea casu commotis vel excussis, pestem non semel aliis adstantibus mox communicatam fuisse.

XI. Thucydides refert contagium pestilens per fomitem ex Æthiopia in Græciam aduenisse. Sic quoque Appianus Alexandrinus, *lib. de bello Illyrico*, scribit olim Celtas, cum superassent Illyricos, ipsorum rebus potitos, peste infectos fuisse, propterea quod Illyrici peste laborassent. Non minus etiam hodie cum vestibus aliisve rebus pestilens venenum ad alias ciuitates vel regiones deferri videmus: qua de re plura videantur *præcedente cap. 8. annot. 1. problem. 1. & lib. 2. cap. 3. annot. 4. & 11.* Hic duæ quæstiones occurrunt: 1. Vtrum aliquis contagium in vestibus suis circumferre possit, & illud aliis communicare, seipso illæso manente. 2. Anne solum contagium è fomite prodiens possit inducere pestem generalem. Ad primam respondeo: id fieri posse, si contagiosum inquinamentum circumferatur ab homine aptam dispositionem ad pestem non habente, qui tamen illæsus manens per hunc fomitem, illud venenum pestilens alteri aptam dispositionem habenti impertiri potest. Huius rei exempla tempore pestis extât in vespillonibus, aliisque qui ægris & mortuorum sepulturæ inseruiunt, quorum hominum communionem nō minus quam ædes infectas, imò adhuc magis fugere iubent omnes Medici, quia tales plerumque solent contagium pestilens, ipsi innoxium, aliis verò dispositis damnosissimum circumferre.

cumferre. Ita scribit Evagrius, *Histor. Eccles. lib. 4. cap. 28.* contigisse in magna peste sui temporis, ut sæpe homines sani ex infectis regionibus discedentes, & in liberas abeuntes, inficerent illarum regionum sanos, eo quod in vestibus fomites insciì circumferrent, quos aliis communicabant, atque ita etiam aerem inficientes, pestem inducebant. Ad secundam dico; per contagium fomite translatum duobus modis pestem induci. 1. Cum contagium illud peste vigente fomiti immissum non diu post ad alia loca transfertur, ibidemque aliis communicatur, qui rursus simile contagium à se diffundentes, plures ipsis vicinos inficiunt, atque sic pestis pomeria ulterius extendunt: qualem pestem describit Rondeletius, *lib. de febr.* à qua illos tantum infectos fuisse refert, qui infectas ædes frequentauerant. Verum talem pestem minimè generalem seu epidemiam appellari posse puramus. 2. Cum contagium adeo vehemens est, ut non tantum proximos homines, sed ipsum etiam aerem inficiat, qui deinde omnibus promiscue communicatus, sævam pestem inducere potest: quæ tamen pestis licet in una vel duabus civitatibus vagari queat, pluribus tamen regionibus communis fieri nequit, nisi aliquid *divini*, de novo cœlitus immissi, aut in aere generati, concurrat, quod non tantum inceptam causam adaugeat & promoveat, verum etiam aerem pravis qualitatibus imbuendo, & alimenta corrumpendo, corpora debilitet, atque sic ad pestem facilè suscipiendam disponat. Saltem contagium in fomite latens non debet esse antiquum, ut postea pestem accedat nam (ut antea dictum *cap. 8. annot. 1. problem. 1.*) contagium in fomite integris viribus non diu persistit, sed aliud citius, aliud tardius in eo emoritur, & ad summum spatio unius anni prorsus invalidum evadit, adeoque abolevit, ut inde nihil mali amplius metuendum sit. Huic nostræ sententiæ, procul dubio, in contrarium objicientur testimonia aliorum auctorum, qui scribunt, non tantum à recenti, verum etiam an antiquissimo contagio, quod plurimis annis in fomite delituit, furiosissimas epidemias maximeq; perniciosas & generales pestes fuisse excitatas. Quale est testimonium Ammiani Marcellini (huius mentionem fecimus supra, *cap. 8. annot. 1. probl. 4.*) qui scribit ex antiquissima arca aurea, in templo Apollinis reperta, tam virulentum pestilens contagium erupisse, quod magnam mundi partem infecerit. Vt & aliud Trincavellæ, qui *lib. 3. Consil. 17.* refert Lustinapoli pestilens venenum per viginti annos latuisse in chordis illis, quibus mortui tempore pestis ad sepulchra dimissi fuerant, quibus post tantum temporis è sertinio quodam depromptis, contagiosam malignitatem primò proximè adstantes, ac deinde totam civitatem invasisse, ita ut ex hac occasione decem hominum millia interierint. Item illud Sennerti, qui *libr. 4. de febr. cap. 3.* scribit, Laubani à contagio, quod quatuordecim annis in linteo latuerat, pestem magnam excitatam, & vicinis quoque civitatibus communicatam fuisse. Verum etsi hæc testimonia ab auctoribus fide dignis conscripta sint, attamen quia illi hæc non de sua propria experientia proponunt, sed tantum ex relatu proletariorum quorundam, de vilissima plebis fæce, hominum, (qui non tantum mendaces, verum etiam valde rudes & credùli sunt, atque suas imaginationes facile aliis tanquam verissima oracula proponunt, vel ut alios ignaros fallant, vel ut nimis credulos irrideant) scribunt, non videntur certe tanti momenti, quæ nostram experientiam, multijuga observatione, atque etiam ratione confirmatam evertere queant. Sciendum quippe, cum pestis invadit, multos homines, præcipuè, rudes, timidulos ac superstitiosos, sibi facile persuadere, illam ex hac illaque occasione initium sumpsisse, cum tamen illis putata occasio sæpe nihil ad pestem fecerit, sed morbi causa ad peccatorum punitionem à Deo de novo in aere genita vel immissa fuerit. Eodem modo sicut fit, cum hostis urbem aliquam ex improviso obruit & capit, facile sibi quisque persuadet, vel fossas quas altas, vel muros ruinosos urbis captæ causas esse, cum potius incolarum negligentia, & quod non vigilaverint, culpari deberet. Hic aliud occurrit dubium, quomodo tam exigua veneni pestilentis in fomite latentis quantitas, tantam infectionem de se diffundere possit, ut multos adstantes inficere queat? Dico, illud eodem modo fieri, sicut parvum fermenti frustum magnam farinaceam massam fermentat:

plura

plura hac de re videantur *annot. 5. præcedente.*

XII. Etiam Marsilius Ficinus, *lib. de peste*, docet pannos & parietes si spatio viginti dierum perflentur & emundentur, ab omni contagio depurari. Quod tamen semper tam brevi spatio non fieri, etsi plerumque contingat, liquet infrà, ex *lib. 4. histor. 119.*

CAPVT XI.

DE CAVSIS INFECTIONIS.

IAm ante docuimus pestem esse morbum communissimum, eiusque causam elemento communissimo, nempe aeri, imprimis inhærere, sive illa primitus à summo Deo ei immissa, vel in eo genita, sive à contagio ei ingesta fuerit. Hanc quoque causam pesti adscripserunt Hippocrates, Galenus, Avicenna, aliique præclarissimi Medici, nec quemquam fere invenias, qui non putaverit primitivam pestis causam in aere gigni, eiusque nocentissima seminaria in aere maximè divagari. Verum cum nemo viventium aere carere possit, sed eodem illo elemento omnes necessariò frui debeant, mirum videtur, illo iam maligna ac pestilenti labe infecto, quare non omnes homines & animantes, qui eodem illo fruuntur, ista venenata pernicies æqualiter offendat: cur aer ille inquinatus, cum sit omnium sanitati vitæque adversus, inspiratus omnes non malè afficiat: cur eadem pestis quæ homines invadit, pecora etiam non inficiat. Ad huius dubii solutionem dicimus: *Primo*, aerem per omnes suas partes (1.) æquali malignitatis gradu infectum non esse. *Secundo*, infectionem omni tempore (2.) & ubique locorum (3.) æque magnam non esse, sed suos gradus habere: nonnullis enim in locis & temporibus minimam, in aliis maiorem, in aliis maximam existere, & prout homines hunc illumve aerem hoc illove loco & tempore ingrediuntur ac inspirant, ita illos, pro ista diversitate, vel vehementius, vel levius, vel planè non infici. *Tertio*, ad pestilentem infectionem non minus requiri causam recipientem (4.) quam efficientem; quæ non ex qualitatum primarium intemperie, non ex putredine (5.) sed ex totius substantiæ occulta quadam & inexplicabili dispositione resultat: quæ dispositio in aliis talis est, ut à pestilenti veneno statim afficiantur; in aliis talis ut difficulter ab eo lædantur; in aliis talis ut eidem sine ulla noxa resistere possint.

I. SI aer per omnes suas partes æqualiter pestilenti labe contaminatus foret, totus venenum esset, nec ullum animal in eodem absque sanitatis vitæque naufragio commodè viuere posset. In peste autem nonnullæ minimæ eius particulæ tantum contaminatæ sunt, eæque adeo paucæ, ut plurimorum animalium naturis nihil obsint, & tantum certis quibusdam dispositionibus damnum inferant. Eodem fere modo se res habet, quemadmodum si quis in cubiculo hominibus pleno aliquantum sulphuris accendat: ab isto enim nidore, si paucus sit, nec aerem totaliter inficiat, maxima eorum pars nihil offendetur, imò multi exiguum illum nidorem non percipient; verum si inter illos quidam fuerint asthmatici, tussiculosi, aliudve pectoris vitium habentes, illis nidor ille sulphuris, licet exiguus, statim summam molestiam inducet. At si tantum sulphuris in isto cubiculo accenderetur, ut omnes aeris partes æqualiter ab eo inficerentur, nemo in isto nidore viuere posset, sed omnes suffocarentur.

II. Omni tempore infectionem non esse æque magnam, docet usus: in principio enim & nne pestilentis constitutionis morbus adeo grauis & crudelis non existit, quam in augmento & statu. Præterea ut plurimum æstate & autumno (quia horum temporum constitutiones corpora maximè disponunt & præparant ad pestem) imprimis in his nostris regionibus,

multò grauiorem tyrannidem exercet, quam media hyeme; licet interdum etiam contrarium euenire visum sit, idque propterea, quia anni tempestates nō semper debito ac consueto modo se habent, (ut cum astas subfrigida, hyems tepida fuerit, &c.) atque hinc pro earundem varia mutatione, sæpe etiam furor pestilens variat.

III. Certissimum est pestilentem infectionem ubique locorum non esse æqualem, neque eandem per totum mundum æqualibus furiis debacchari; sed ut plurimum modò hæc, modò illa loca, nunc vehementius, nunc leuius inuadere, & rursus alia multa intacta relinquere. Eo sensu intelligendus est Galenus, quando longam sui temporis pestem describit: ut & Philostratus, cum pestem suo tempore quindecim annis duraſſe, refert: nec non Iacobus de Partibus, *in comm. ad primam quarti Auicennæ*, quando pestem suo tempore per quindecim annos totum terrarum orbem peruagasse refert. Non quod eodem tempore omnes regiones & urbes simul peste infectæ fuerint, sed quod illo interuallo, modò in una orbis parte, modò in altera, morbus hic debacchatus fuerit, & pleraſque regiones infestauerit. Sic etiam nostra ætate non semel Italiam solam, vel solam Germaniam, vel Galliam, vel Angliam, aliasve regiones seorsim peste afflictas fuisse notum est. Sic quoque Euagrius, Ecclesiasticus scriptor, refert maximam sui temporis pestem non simul omnes regiones inuasisse, sed sine ullo ordine, modò hanc modò illam afflixisse: *Subiungit*: sæpe aliqua in urbe dimidium populi fuisse infectum, & aliud dimidium fuisse liberum. Hanc de pestis varietate secundum loca opinionem confirmant omnes Medici, nam hoc fundamento innixi, iubent ad præseruationem infecta loca citò & longè fugere. Sed quòd? ad aerem salubriorem: ergo præsupponunt aerem in uno loco pestilenti labe infectum esse, alios multis illæsis.

IV. Nullum agens potest agere absque patientis aptitudine, teste Galeno, 1. *de differ. febr. cap.* 4. ubi sic inquit: *Nulla causarum sine patientis aptitudine agere potest: alioqui omnes qui sub Sole æstiuo, aut nimio motu exercentur, aut vini potu grauarentur, aut ira excandescentes, aut tristitia affecti, febricitarent: alioqui etiam, ut arbitror, circa Canis exortum omnes ægrotarent, & pestilentia morerentur: at, ut diximus, magnam in generatione ægritudinum, partem habet eius, qui passurus est, habilitas corporis.* Idem paulo post, eodem capite, subiungit: *Cum enim corporum dispositiones dissimiles sint ac multiformes, quædam facile alterantur ac patiuntur à causa in ipsis operante, quædam insuperabiles ac impassibiles omnino existunt, quædam cum difficultate patiuntur.* In hunc sensum quoque scribit Hippocrates, *lib. de flatibus: Sed est fortè qui dicat, ut quid ergo non omnibus animantibus, sed aliqui eorum generi accidunt hi morbi? cui ego sic respondebo: differt corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimento, non enim omni animantium generi eadem sunt commoda & incommoda, sunt alia alijs magis conuenientia.* Sic etiam pestifera lues neminem corripit, nisi eum qui habuerit recipiendi aptitudinem, procedentem potius ex occulta quadam naturæ proprietate, quam ex mala corporum vel humorum dispositione, seu morboso apparatu. Hanc aptitudinem nonnulli Medici malè arbitrati sunt dependere à peculiari quadam similitudine, seu analogia veneni pestilentis cum corpore quod inficitur; *quia*, inquiunt, *simile cum simili promptè iungitur*. Dico, *malè*, quia in analogia non est pugna, simile enim simili iunctum illud conseruare nititur. Contra verò omnis actio in contrarietate consistit, & agens dum agit in patiens, ea intentione agit, ut illud sibi simile reddat. Non dependet ergo illa aptitudo ab analogia, sed potius à peculiari quadam ἀντιπαθία, quæ est inter venenum pestilens & corpus recipiens. Ista autem ἀντιπαθία dependet à peculiari quadam corporis dispositione, quæ dispositio duo requirit: *Primo*, similitudinem generis; neque enim quæ hominibus infesta est pestis, eadem bruta afficit, quæ ouibus eadem sues; quæ piscibus eadem quadrupedes terrestres; quia non est similitudo generis, ergo dispositionum magna diuersitas. Hinc etiam est quod venenum aliquod non sit cuilibet animali venenum; sine noxa enim araneas comedunt gallinæ, serpentes & bufones ciconiæ, quæ tamen hominibus aliisque multis animantibus

mantibus sunt lethalia venena: idem quoque in peste euenit. *Secundo*, requirit hæc dispositio aliquam occultam specificam similitudinem inter corpora inficienda & infecta, cuius ratione pestilens venenum ipsis æqualiter magis infestum ac perniciosum existat, quam alijs qui illam specificam qualitatem non habent. Atque hæc causa est, quod interdum integræ familiæ, in quibus omnes, ratione originis, istam similem qualitatem habent, peste extinguantur (exempla vide supra, *cap. 4. annot. 6.*) aliis plurimis illæsis. Hinc etiam est quod interdum una natio magis peste inficiatur, quam alia, quemadmodum Cardanus, *lib. 8. de rer. varietat. cap. 40*, meminit pestis cuiusdam Basilientis, in qua soli Heluetii, non Itali, non Galli, non Germani affecti sunt. Et Ioannes Vtenhovius *peregrinat. Eccles. Anglicæ cap. 4*, meminit sævissimæ pestis Hafniæ in Dania, à qua omnes advenæ, Angli, Belgæ, Germani, immunes erant, quamvis etiam promiscuè inter infectos in ædibus infectis versarentur. In quo autem illa occulta dispositio consistat, quę tantam cum veneno pestilenti antipathiam habet, nemo facile explicauerit: ac proinde frustra laborant, qui illam in manifestis qualitatibus, in temperamentis, in sexu, in ætate, in regione, in caloris nativi & vitalis facultatis robore vel debilitate, in corporum puritate vel impuritate, in minimarum particularum figuratione, aliisve similibus quærunt; nam nihil horum maiorem vel minorem immunitatem à peste polliceri potest, ut docet quotidianus euentus: plurimi enim tam iuvenes quam senes, tam viri quam mulieres, tam in una mundi parte quam alia, debiles, cacochymi, prauis humoribus referti, intemperanter viuentes, prauo victu utentes, aliique similes, in domibus infectis, inter ægros peste correptos, inter eorum fœtidissima excrementa, imò inter tam putrescentia mortuorum cadauera, absque ullo sanitatis incommodo sæpe versantur; cum è contra alii multi euchymi temperatissimi, robustissimi, prudentissimè viuentes, qualibet levissima occasione peste corripiantur. Hinc Pigræus, *prax. lib. 8. cap. 1*, non ineptè sic ait: *Quamvis difficile sit iudicare, qualia corpora disposita sint ad pestem, attamen videmus illam magis quærere certam quandam præparationem, quam cacochymiam, aut malam habitudinem: facilius enim ab illa inficiuntur corpora quorum humores ad corruptionem apta sunt, quam alia quorum humores corruptionem iam conceperunt; & videtur pestis esse talis qualitas, quæ sedem potius quærit in corpore sano, quam alijs morbis obsito.* Fateri igitur necesse est, in quibusdam individuis esse peculiares dispositiones corporis atque cordis, quæ auræ pestilenti vel validissimè resistunt, vel non resistunt; has autem dispositiones, vel dispositionum qualitates, nobis in hac naturę caligine, & formarum ac qualitatum ignoratione, occultas esse & incognitas. Quapropter etiam Fernelius, *lib. de febr. cap. 17*, in huius dispositionis inuestigatione non multum laborat, sed simpliciter dicit: *Est cognitu difficillimum quid corpus unumquodque pestilentiæ obnoxium reddat.* Lucretius & Fracastorius succincte & eleganter dixerunt, in peste varia ac diuersa vagari semina, quæ prout his illisve amica vel inimica existunt, ita etiam modò hunc, modò illum inficere. Platerus, *centur. posthum. qu. est. 42*, sic inquit: *Quænam hæc obiecti sit dispositio, ut lubenter edoceri cupio, sic nos nescire, promptè fateor, licet non ignorem hoc venenum pro varia corporis dispositione variè agere.* Forestus, *lib. 6. Obs. 9. in scholio*, ait: *Propria & peculiaris constitutio atque præparatio, quæ loca vel corpora reddit pesti obnoxia, omnino nos latet; neque sensu, neque ratione, sed solo euentu & experimento comprehenditur.*

V. Dico, *non ex putredine*, id est, non primario ex putredine: nam putredo est una ex illis causis quæ tantum secundario corpora ad pestem disponunt. Hæc enim humores corrumpendo, & spiritus alterando ac inficiendo, calorem nativum ad sui coctionem & expulsionem distrahit, ac simul viscerum robur imminuit, naturæque vires infringit & impotentiores reddit, quam ut pestilenti veneno resistere queant. Hinc fit quod in constitutione pestilenti ad omnes morbos putridos, qui homines tunc inuadunt, se pestis facile adiungat, & raro tunc morbus putridus peste incomitatus cernatur: quia dispositio eorum qui morbis putridis affliguntur, mediante putredinis occa-

sione apta redditur ad pestem recipiendam. Eodem fere modo hæc res peragitur, sicut fit in munitissima aliqua urbe, quam nullus hostis, durante ciuium concordia, superare potest: hæc si exortis diffidiis intestino bello conflagret, atque tunc eandem fortis aliquis hostis forinsecus inuaserit, dum ab intestino tumultu vires diffractæ, & alius negotiis impeditæ, vel aliorsum distractæ fuerint, facillimè eam ingredietur & capiet: non quod illa urbs primariò per se aptitudinem habuerit ut facile capi posset; non etiam quod ciues in isto tumultu hostem primi aduocauerint, sed quod secundario ex occasione istius intestini belli hostis occasionem nactus fuerit muros absque impedimento conscendendi, & urbem superandi.

CAPVT XII.

De causis febris pestilentis, quæ pestem comitatur.

VEnenum pestilens, quod totius substantiæ diffidio calori nativo intensissimum existit, cum sit tenuissimum ac subtilissimum, simul ac corpus ingreditur, & præcipuè cum per inspirationem eius penetralia subit, facillimè labis ac malignæ suæ venenositatis notam imprimit sanguini arterioso, eiusque subtilissimæ parti, spiritui vitali, cum eoque ad cor procedens, ipsius vitalitatis asylum fortissimè impugnat, ut evicto summo illo munimento, totum microcosmicum regnum protinus devastet. Huius crudelissimi tyranni insultibus natura se opponit, omnesque vires intendit, ut dirum hunc hostem reprimere, retardare, & quam longissimè è penetralibus suis propellere atque arcere possit. Hæc pugna si citò peragatur, & cor vel à maiore seu fortiore veneno statim (1.) suffocetur, vel illud statim foras expellat, antequam ulla humorum putredo generari possit, tunc fit pestis sine febre, & sæpe etiam fiunt anthraces ac bubones sine febre. Si verò pugna hæc diutius perduret, & calor nativus in certamine aduersus pestilentem hostem occupatus, debilitetur, ac in coctione & regimine humorum corporis imbecillior evadat, non possunt non humores citò putredinem concipere, è qua tunc febris (2.) exsurgit, quæ etiam maligna (3.) ac pestilens euadit, à pestilentis veneni infectione, ipsis quoque humoribus communicata. Tunc cor à duobus malignis hostibus impugnatur, nempe a pestilenti veneno & à putredine febrili: pestilentis tamen veneni inuasio tempore & natura putredinem febremque (4.) antecedit, atque ita putredo & febris fiunt symptomata pestis. Illa verò febris, vel citius, vel tardius pestilentis veneni invasionem sequitur, & maior vel minor, ac huius vel illius typi (5.) vel propter humorum putrescentium confusionem, absque typo est, prout pestis inuadit hoc illove tempore & loco, & corpus hoc illove modo (6.) vel bene, vel male temperatum.

1. TAntæ violentiæ sæpe est pestilens venenum, ut nonnullos statim ipso inuasionis momento repentè occidat, alios intra breue tempus vitæ filum citius abrumpat, quam inflammationi aut putredini tempus detur. Hujus rei etiam aliqua exempla in peste Nouomagensi vidimus, & alias quoque ab aliis Medicis obseruata fuisse legimus. Iacobus de Partibus, *in comment. ad primam quarti Auicennæ, cap. de peste*, narrat suo tempore in pestilenti constitutione interdum ægros ad ipsum cum urinis accessisse, quos ex pulsu aliisve signis nulla febri, nulla inflammatione, nullo graui symptomate laborare percipiebat, qui tamen statim mortui concidebant. *Plutarchus in Romulo*, scribit in illa peste multos, absque

que morbo interiisse, id est, ex improuiso extinctos fuisse, antequam aliquis morbus generari posset. Valleriola, *loc. com. lib. 3. cap. 18.* scribit tempore pestilentiæ anni 1534, in Gallia Narbonensi huiusmodi mortes sæpius visas fuisse, imò nonnullos loquentes & incedentes, repentè, quasi fulmine ictos concidisse. Mercurialis *lib. de Peste, cap. 18*, in Patauina peste tales subitaneas mortes non uni accidisse refert. Quercetanus, *in Alex. cap. 4.* meminit magnæ pestis quæ Aquisgranum infestauit, in qua multi mensis assidentes, & cibos deglutientes, animam reddiderunt. Droetus, *Consil. de peste, cap. 3.* refert, Lugduni tempore pestilenti homines obambulantes per viam subitò exanimatos concidisse in terram. Alexander Benedictus, *lib. de febr. pest. cap. 2.* de peste quadam sic inquit: *Hoc malum miserabile mortalibus ita euenit subitò, ut plurimi sine febre inter domesticas ac forenses actiones, decem horarum spatio, quidam viginti, sine urinæ pulsusque certo signo, in templis, in via, ex insperato raperentur.* Follinus, *Amulet. cap. 16.* refert anno 1502, Bruxellis tam crudelem sæuisse pestem, qua sæpe quingenti una die fuere sublati, & homines læto conuiuio assidentes, inter calicem supremaque labra, tanquam percussi fulgure, protinus exspirarunt. Zacutus Lusitanus, *Prax. admir. lib. 3. Obseruat. 43.* scribit, ex immenso fœtore sanguinis è secta pestiferi venæ effluentis, tres ministros subitò interfectos fuisse, & quasi sideratos illicò animam efflasse. Similia quoque se vidisse testantur, Gemma, *lib. 1. Cosmocrit. cap. 17.* Petrus Salius Diversus, *de pest. cap. 5.* & Paræus, *lib. 21. cap. 17.* Sed quænam est causa tam violentæ operationis? Dodonæus, *Prax. lib. 1. cap. 18.* dicit, pestis seminaria interdum esse minus acuta & lentioris activitatis; interdum acutissima & tenuissima, atque hæc citissime ad cor peruenire, & maximæ, ac velocissimæ activitatis esse. Qualem autem operationem hæc acutissima seminaria in corde faciant, describit Hercules Saxonia, *Prax. lib. 11. sect. 2. cap. 3.* His verbis: *Hinc fit in peste non rarò homines, integra valetudine fruentes, & sanorum omnia munia obeuntes, momento temporis, quasi fulmine percussos, cadere & interire, quod in aliam causam, quam in spirituum vitalium à veneno, inspiratu accepto, corruptionem, referri non posse, pro constanti habeo.*

II. Hic grauissimum problema examinandum occurrit, nempe, *Vtrum febris sit de essentia pestis, nec ne.* Hercules Saxonia, Ioannes Paschalius, Rondeletius, Angelus Sala, Petrus Paulus Pereda, Palmarius, Antonius Portus, Vntzerus, Mindererus, alique præclari Medicinæ proceres, multis variisque argumentis probare nituntur, febrem esse de essentia pestis, nec pestem sine febre dari posse, 1. *Quia*, inquiunt, inuasionis modus & symptomata illud docent: nam pestis inuadit cum horrore, quem postea excipit calor, ut in multis febribus putridis fieri solet: adsunt quoque vigiliæ, oris siccitas, sitis, aliaque symptomata, putredinis & febris indicia. 2. *Quia* morbi acutissimi semper febrem comitem habent, testibus, Hippocrate, 1. *epidem. sect. 3. text. 3.* & Galeno, 1. *aphoris. 7.* nec non 3. *de difficult. respir.* ubi scribit, febrem esse inseparabilem à morbis acutis. 3. *Quia*, secundum Galenum, 1. *de differ. febr. 4.* pestis generatur ex putredine accensa circa cor. Nequaquam autem insignis putredo circa cor fieri potest sine calore in ipso prius accenso, atque inde per vniuersum corpus diffuso. 4. *Quia* intentissimum pestilens inquinamentum non potest subsistere sine putredine & calore præter naturam: Galenus enim, 6. *epid. com. 1. tex. 29.* pestis causam statuit in immensa humorum corruptione, calorem simul putridum inducente. 5. *Quia* Hippocrates, *lib. de flat.* dividens febrem in particularem & communem, dicit communem febrem ab omnibus appellari pestem. 6. *Quia* Galenus, *lib. 1. de differ. febr. cap. 4.* & cum illo Auicenna, Rasis, Aetius, Paulus Ægineta, omnesque fere Medici, tam veteres, quam recentiores, in tractatu de febribus pestis historiam describunt, quasi eandem febribus annumerantes. 7. *Quia* experientia docet, pestem cum febre inuadere. Hæc sunt primaria argumenta & propugnacula, quibus grauissimi Medici dictam opinionem hactenus stabilierunt: quam tamen veritati minus consentaneam, nec febrem de essentia pestis esse, sed hanc ab illa differre, & sine illa existere posse, nunc ordine demonstrabimus. Respondemus igitur *ad primum*

argu-

argumentum, peſtem quidem multoties invadere cum horrore, ſed non ſemper, neque etiam calorem intenſum ſemper ſequi, ſed eiuſdem nullum exceſſum haud raro in ægris toto morbi decurſu animadverti, ut experientia docet, & Medicinæ Scriptores paſſim teſtantur. Dicimus etiam horrorem non eſſe certum ſignum febris, ut nec calorem. Quantum ad ſymptomata, vigilias, ſitim, &c. neque illa in peſte ſemper apparere, neque ſemper eſſe certa febris indicia. *Ad ſecundum:* cum Hippocrates & Galenus dicunt, morbos acutos habere febrem comitem, ipſos non de omnibus, ſed de pleriſque id intellexiſſe: quod inde liquet, quia dantur aliqui acutiſſimi morbi ſine febre, ut apoplexia, epilepſia, tetanus, &c. quos ſine febre acutos eſſe teſtantur Galenus, *com. ad 2. Aphor. 19. & ad 5. Aphor. 30.* Præterea illis verbis ipſos ſignificare voluiſſe, febrem plerumque vel antecedere, vel comitari, vel ſequi morbos acutos, non autem febrem eſſe de eſſentia morborum acutorum, & ab illis inſeparabilem; nam ſi interdum ſequatur, interdum planè non adiungatur, ſeparabilem eſſe certum eſt. Illam fuiſſe Hippocratis mentem, liquet, ex *3. epidem.* ubi agens de ſacro igne & ulceribus peſtilentialibus, inquit: *Multos autem una cum febribus, & ante febrem, & à febre arripuerunt. Ad tertium:* cum Galenus dicit, peſtem generari ex putredine circa cor accenſa, ipſum eo loco per *peſtem* non intellexiſſe ipſam peſtem, ſed febres peſtilentes: nam alioqui ſibi ipſi contradixiſſet, talis enim putredo non poſſet circa cor accendi ſine putredine, & tamen *lib. 9. de medic. ſimpl. facult.* docet peſtem interdum eſſe ſine febre, *Ad quartum:* nos ante, *cap. 8. annot. 1. problem. 4. & annot. 6.* ſatis fuſè demonſtraſſe, peſtilens inquinamentum, nec è putredine oriri, nec in putredine conſiſtere, ſed eſſe rem à putredine diverſam: quotidianam quoque praxim docere, multos à peſtilenti inquinamento repente ac in momento ſuffocari, antequam ad gignendam putredinem aut inflammationem ullum tempus detur: exempla patent annotatione præcedente. Quantum ad Galeni citatum locum, negamus ipſum eo loco agere de peſte, vel peſtis cauſam inquirere, ſed dicimus illum apertiſſimis verbis loqui de febre peſtilente: ſic enim ait: *Sed febrium enumeratio, nunc in præſenti ſermone propoſita, à differentia caloris accipitur, ſub qua & peſtilens febris, putridum calorem habens, contineri poteſt.* Et paulo poſt addit: *Sola peſtilens febris denotatur, cuius ab alijs calor per putredinis excellentiam differt.* Ne minimam autem in toto iſto commentario mentionem facit ipſius peſtis, ſed dicit, febrem habere calorem putridum excellentem; quod ipſi concedimus, de quacunque febre peſtilente illud intellexerit, ſive de ea quæ peſtilentem conſtitutionem præcedit, ſive de ea quæ peſtem comitatur, ſive de ea quæ eſt ſine peſte: verum de ipſa peſte id minimè verum eſt. *Ad quintum:* licet Hippocrates dicat febrem communem appellari peſtem, inde tamen concludi non poſſe, peſtem eſſe febrem communem: nam illud eodem rediret, ac ſi quis diceret, apoplexia ab omnibus appellatur morbus lethalis, ergo omnis morbus lethalis eſt apoplexia. Præterea ſciendum (ſicut etiam antea, *cap. 1. annot. 6.* diximus) *peſtis* vocabulum ſæpius etiam detorqueri ad omnes res perniciоſas, atque eo ſenſu fortè Hippocratem ſignificare voluiſſe, febrem communem, quia valde perniciоſa exiſtit, multoſque interimit, ab omnibus appellari peſtem: ſic etiam hodie vulgus febres malignas communes, quibus multi moriuntur, peſtem appellare ſolet, propterea quod inſtar peſtis communes ſint, ac valde perniciоſæ. Galli adhuc magis impropriè ſolent febres quartanas, omnemque morbos odioſos ac difficilis curationis, ſuâ lingua *peſtes* appellare. *Ad ſextum:* hiſtoriam peſtis à pleriſque Medicis ſubiungi tractatui de febribus, quia morbus hic ut plurimum febrem ſibi comitem, vel à principio vel paulo poſt, adſciſcit, non tamen individuam, ſed ab eo ſeparabilem, nam eſt ſua cuique particularis ratio, peſtis enim oritur ex maligno veneno, febris ex putredine & calore. *Ad ſeptimum:* in prima peſtis invaſione febrem ſæpe quidem animadverti, ſed talem quæ procedit ex putredine a peſtilenti veneno inducta, ita ut veneni invaſio tempore febrem antecellerit: præterea dicendum, ſæpius etiam per multas horas febrem peſti in principio non adeſſe; imò ſæpe toto morbi decurſu nullam febrem peſti adiungi, quod neceſſario

tamen

tamen ipso invasionis momento fieri debeteꝛ, si febris esset de essentia pestis, nam essentia est inseparabilis ab eo cui præstat suum esse.

Hęc sufficiant ad amputationem istorum fulcrorum, quibus prædicta opinio hactenus innixa fuit. Quid de re ipsa sit, in textu diximus, nempe febrem pestilentem, pestis comitem, immediatè non oriri à veneno pestilenti, sed mediante putredine, id est, non generari propterea quod humores à veneno pestilenti inquinantur, sed quod cor pestilenti veneno irretitum, obrutum, plurimumque debilitatum, inquinatos humores debito modo, neque coquere ac dilatare, neque regere & satis dispellere possit; qui hac de causa putrescunt, caloremque præter naturam concipiunt, licque febrem excitant; quæ ob dictam causam ordine posteriorem necessariò est diuersa ac separabilis à peste, eiusque symptoma. Hoc ipsum confirmant dogmata & auctoritates, tam veterum, quam neotericorum, nec minus quotidiana praxis & obuia exempla. Hippocrates, 3. *epidem.* pestilentes quosdam morbos describens, inquit: *His adiuncta aliquando erat febris; aliquando non erat.* Paulo post addit: *Ipse morbus multis eo erupit citra febrem, & in febre.* Et 6. *epidem. sect.* 7. dicit: *Quibus voces frangebantur ad tussim, horum plurimi ne febricitarunt quidem, aliqui verò parum.* Galenus, 3. *epid. sect.* 3. *comm.* 158. ait: *Cum mortales vel citra febrem pestis corripit, &c.* Idem, 9 *de simpl. med. fac cap. de Terra Samia: Bibitur*, inquit, *ex vino albo consistentia tenui, modicè dilutо, si aut planè febre careant, aut leuiter ea teneantur; sin grauiter febrіant, admodum aqueo.* Æschines, antiquus & doctissimus Orator, in epistola ad Philocratem ita scribit: *Delij pestilenti morbo laborabant, cæterum nulla febris accedebat.* Haly, inter Arabes magni nominis Medicus, *Theoriæ lib.* 5. *cap.* 2. expressis verbis docet, pestem multoties febrę minimè comitatam conspici. Inter neotericos idem docent, Duncanus Liddelius, *de peste cap.* 1. Theodorus Corbeius, *lib.* 2. *pathолog. sect.* 7. *cap.* 6. (qui liber ab aliis Io. Magiro adscribitur) Lazarus Riverius, *sect.* 3. *de febr. cap.* 1. aliique innumeri. Forestus, *lib.* 6. *Observat.* 10. inquit: *Vidimus anthracem habentes in membris ignobilioribus, sine febre, qui & vix decumbebant, & facillimè ab initio restituebantur: alios rursus spectavimus, qui subitò simul extinguebantur, cum ab initio nequaquam febricitare aut malè habere viderentur.* Alexander Massaria, *lib.* 2. *de peste*, his verbis utitur: *In nostra peste, non solum nostro, sed aliorum quoque grauissimorum hominum testimonio, sine vlla febre plerique interierunt.* Ioannes Morellus, *lib. de peste, cap.* 4. scribit, tempore pestilenti multos dari bubones & carbunculos, quos nec febris, nec ullum malum symptoma comitatur, idque Cabilloni in constitutione pestilenti sæpius à se fuisse obseruatum. His accedat quoque testimonium nostrum, qui in peste Nouiomagensi anthraces & bubones non semel sine febre vidimus; quin ego ipsemet carbunculum pestilentem magnū in manu sinistra habui, sine vlla febre, imò sine vllo alio sanitatis dispendio, qualem etiam sine febre vidi in manu famuli Capitanei Brouwer, ut & in muliere illa, cuius historiam infra descripsi, *lib.* 4 *histor.* 90. Obseruaui etiam in multis ægris peste iam correptis, non nisi post viginti, vel triginta, pluresve ab inuasione pestis horas, febrem incepisse. His adiungantur etiam præcedente annotatione citata testimonia eorum, qui referunt plurimos subitò peste extinctos fuisse sine febre antequam putredini aut accentioni febrili tempus daretur. Ex quibus omnibus meridiana luce clarius patet, febrem non esse de essentia pestis, sed eius comitem separabilem. Quapropter non sine ratione Andreas Dudith, in epistola quadam ad Petrum Monauium (quæ est *Epist. Med. à Scholzio collect.* 52.) ita scribit: *Pesti necessariò febrem adesse, non prius credam, quam tu affirmaris bonis rationibus illud me docueris, an eos, qui subitò correpti concidunt in mediis compitis ac triuys, cum antea incolumes domo egressi essent, febre etiam affectos fuisse tam subitâ, tam improvisa, tam insensibili, dicendum sit.* Sed audiamus etiam Fernelium, qui apertissimè distinguit inter pestem & febrem, & licet pestis cum febre inuadat, tamen pestem esse quid diuersum à febre, idque ex eo manifestum esse, quod desinente febre ægros postmodum sæpe extinguat sola pestilentia: hac de re, *lib.* 2. *de abditis, cap.* 12. sic inquit: *Initio calor vehemens,*

fatis,

sitis, capitis dolor, vigiliæ, nauseæ, aliaque vehementia symptomata exercebant; simul urinæ cernebantur rubicundæ, crassæ, turbidæ, atque confusæ, omnia in septimum diem persistentia. Hoc verò ipso die urinæ puriores evadebant, coctione manifesta, quotidie in melius procedente. Cum ita se mox persanatum iri, magna spe, Medicorum iudicio sibi polliceretur, plerique non multo post peribant, Pulsus quippe hinc indies sensim minuebatur & languescebat, totiusque corporis robore pedetentim dissoluto, intra quartum decimum diem mortem oppetebant. In his ergo febribus, inquit, putredini immista erat pestilentia; ac die septimo, exacta iam putredine, perseverans pestilentia: tacitè ac furtim iugulabat. Super his plura videantur apud Sennertum, *lib. 4. de febr. cap. 1.*

Verum fortassis hæc omnia nondum satisfacient Vntzero, qui *lib. 1. de pest. cap. 10.* ut pestilens venenum è putredine oriri statuit, sic febrem de illius essentia esse, ac semper & necessario inseparabiliter ipsi coniungi, variis distortis argumentis probare nititur. Profectò verisimile est Vntzerum, virum alioqui doctissimum, cum illud caput scriberet, capite omnino doluisse, neque animadvertisse se ipsum sibi ipsi in multis contradicere, variaque absurda ad sententiæ suæ probationem adferre. Nam *cap. 7.* in febribus putridis nullam agnoscit putredinem: citato autem capite, pestem, febremque pestilentem è sola putredine oriri statuit. Dicit etiam, omnes morbos acutos necessariò febrem adiunctam habere; & ut hoc probet, egregiè scilicet apoplexiam, syncopem, choleram, tetanum, & iliacam passionem, ab acutorum morborum numero excludit, eosque impropriè morbos acutos appellari scribit, quia non habent febrem coniunctam. Modò dicit febrem inseparabilem esse à peste: modò, cum Minderero, dicit, illam interdum in principio adiunctam non esse, sed symptomatum vi excitari. Dicit etiam, omnes Medicos libenter fateri, pestilens venenum semper à putredine oriri; fortassis ita scribit, quia nunquam legit Fernelium, Valleriolam, Sennertum, aliosque plurimos, qui contrarium sentiunt. Multas insuper nullius momenti distinctiones, ac friuolas rationes in medium profert, quibus hic singulatim respondere non videtur operæ pretiũ, cum illa quæ iam diximus, & ipsius, & omnium aliorum contrarias rationes satis superque refellant.

Conclusionis loco audiamus hac de re breuiter & solide loquentem Ioannem Iuvenem, *epist. ad Brakelemium, de medic. bezoart.* ubi inter alia sic inquit: *Non pestis censenda est febris perniciosa, neque definiti natura febre explanatur: nam discrepant à se mutuo pestis & febris specificâ differentia. Quippe soboles pestis est venenum humano generi contrarium, inspiratione & perspiratione attractum, quod cœlitus in aerem fuit dispersum. Febris verò à calore præter naturam suscitatur, quæ pestem aliquando comitatur, estque illius symptoma, & ortu succedit: quæ autem morbo posteriora sunt, non censentur esse de morbi substantia. Symptoma autem morbo supervenit, & ortu posterius est, non igitur symptoma morbi essentiam constituit, & impropriè pestilentia febre definitur, quandoquidem ab illa separabilis est, & pestis solutaris esse potest, nulla coniuncta febre.*

Hanc quæstionem de febre mox excipit alia, scilicet, *An pestis sit certum morbi genus*, sicut apoplexia, pleuritis, phthisis, &c. Alexander Mallarias, aliique varii, considerantes syndromem variorum morborum (quales sunt febres, aphthæ, cephalalgiæ, deliria, altus sopor, vomitus, angina, ulcera, tumores, maculæ, &c.) nec non plurimorum symptomatum, cum peste concurrentium: considerantes etiam quod omnes diuersorum temporum pestes, non eodem modo, nec similibus morbis ac symptomatibus comitatæ, semper inualuerint & grassatæ sint, iudicarunt, pestem non esse certum morbi genus. Cuius opinionis etiam fuisse videtur Galenus, utpote, qui *3. epid. com. 3. text. 20.* dicit: *Non est certum morbi nomen vulgare, vel Pestilens: cæterum quicunq; in uno loco multos simul invadit, vulgaris hic vocatur: qui si simul hoc habeat, ut multos interimat, pestis est.* Verum etsi multi morbi, plurimaque & multũ diuersa symptomata pestem comitentur, tamẽ illi morbi non sunt de essentia pestis; sed illi resultant ex humorum putredine spirituumque corruptione, quam pestis induxit, atque hinc non sunt nisi eius symptomata, quorum diuersi-

tas,

sitas non procedit ex diuersitate ipsius pestis, aut veneni pestilentis, sed ex diversitate illius putredinis, quam venenum pestilens humoribus ac spiritibus induxit: cuius putredinis & corruptionis varietas procedit ex diuersitate constitutionis corporum hominum: hæc quippe aliter cõstituta sunt cum pestis invadit tempore æstuoso ac fervido, quam frigido; aliter tempore humido, quam sicco; aliter post longam magnamq; famem, seu annonæ caritatem, quam cum omnium rerum nimia abundantia suppetit; aliter post bella longasque perpessas miserias, & pravum victum, quam in pace, & boni victus copia; aliter aëre magna putridorum vaporum infectione contaminato, quam eo puro existente, &c. Pro horum enim diversitate gignuntur varii in corpore humores, eique à pestilenti veneno inquinati, etiam variis modis putrescunt & corrumpuntur, atque hinc magna morborum & symptomatum, cum peste concurrentium, diversitas procedit, quam multi valde male ipsius pestis diversitati adscripserunt. Atq; sic liquet, & ratum manet, quod pestis sit certum morbi genus, & quod ex ei adjunctis morbis nullus quidpiam de eius essentia constituat. Super his etiam videantur quædam *præcedente cap. 7. annot. 2.*

Verum cum pestis sit certum morbi genus, & duo tantum morbi existant, scilicet, intemperies & prava conformatio, quæritur, qualis morbus sit? Respondendum, esse intemperiem, non quidem manifestam, sed occultam, quam Fernelius, multique clarissimi Medici male ex intemperiei ordine excludunt, & morbum totius substantiæ appellant, ac peculiarem quandam morbi speciem esse tradunt (hoc multis rationibus euocare & inculcare nititur Matthias Untzerus, *lib. 1. de pest cap. 3.*) haud secus ac ille defectus Medici, quod occultum id latis clare percipere & explicare non possit, novam morbi speciem pariat. Ipsa autem pestis nullo etiam modo prava conformatio dici potest, licet illa in bubonibus & anthracibus adsit, quoniam bubones & anthraces non sunt ipsa pestis, sed eius producta, seu effecta & symptomata, & non magis pertinent ad essentiam pestis, quam lingua arida pertinet ad essentiam ictoris ardentis, vel cataracta ad essentiam ophthalmiæ. Quantum ad solutionem continui, quæ hactenus tertia morbi species à Medicis fuit constituta, illam pro peculiari morbi specie non agnoscimus, cum pertineat ad pravam conformationem; neque ad illam pestis ullo modo referri potest. Super his plura videantur *præcedente cap. 2. annot. 2.*

III. In eo differt hæc febris ab aliis putridis, quod non solo caloris putridi excessu, sed etiam maligna ac venenata qualitate cor afficiat, viresque citissimè prosternat, etsi sæpe, neque ardore, neque siti multum molesta sit, & ægrorum urinæ à sanorum urinis vix differant: quod etiam frequens syncope adsit, cum pulsu parvo ac presso, vel cum assidua vomitione, vel cum vigiliis, aut sopore, vel cum inquietudine, aut corporis jactatione, & quod plerumque sine sensu doloris hominem inopinatò rapiat. Quantum ad alia signa, quæ cum prædictis sæpe concurrunt, ut capitis dolor, delirium, sitis magna, incendium vehemens, urina turbida, &c. illa ab incremento putredinis oriuntur, & malignam febrem longè peiorem efficiunt.

IV. Docuimus iam pestem esse quid diversum a febri pestilenti, & illam sine hac existere posse: verum nunc ab altera parte quæritur, an febris pestilens dari possit sine peste, & quomodo differat a peste, & à febre maligna? Respondemus, posse dari, idque duobus modis. 1. Cum pestilens inquinamentum cœlitus immissum, aerem incipit alterare, polluere, & ad venenositatem disponere: qui aër cum incipit naturæ damnosus esse, (nondum satis venenatus existens ut pestem producat) putredines malignas & venenosas in corporibus gignit, è quibus procedunt febres illæ pestilentes, quæ pestilentem constitutionem præcedunt, & pestilentes ac malignæ vocantur, quia va de pernicioſa sunt, idemque cum peste habent principium (solo malignitatis & venenositatis gradu diversum) à quo mediante putredine oriuntur: qua de re fusius locuti sumus capite nono. 2. Cum à pravis exhalationibus, vel corruptis alimentis, aliove interno corporis vitio pessima humorũ putredo inducitur, quæ pernicioſa, venenosa & pestilens euadit. Tales sunt illæ febres, quas Galenus, *3. epidem. comm. 57. & alibi*, pestilentes, hinc peste vocat, quales ie non raro obser-

vasse testatur Amatus Lusitanus, *cent. 7. curat. 27.* Imò Quercetanus, *in Alex.* & Riuerius, *sect. 3. de febr. cap. 1.* dicunt huiusmodi febres non semel visas fuisse cum veræ pestis indiciis (puta anthracibus, & exanthematibus) & tamen à vera peste longè diuersas fuisse, quia non erant contagiosæ. Has febres Saxonia & Riuerius appellant *pestilentes sporadicas:* Crato & Liddelius, *pestilentes privatas:* alii *pestilentes spurias.*

Febres autem pestilentes in multis differunt à peste. 1. Quod illæ procedant ab humorum graui putredine, hæc ob occulto venenato inquinamento ante putredinem. 2. Quod in illis dicta putredo generetur à putridis exhalationibus, vel prauis nutrimentis, vel alio quopiam interno corporis vitio: in hac, occulta venenositas à præternaturali aeris inquinatione & contagio. 3. Quod illæ non ante putredinem & inflammationem fiant: hæc autem sine putredine invadat. 4. Quod illæ non sint tam communes ac perniciosæ quam pestis: quia illarum causa in cuiusvis priuati subiecti humorum putredine consistit: pestis verò in inquinamento aeris, elementi omnibus communis. 5. Quod illæ saepius non sint cõtagiosæ, & si tales fuerint, earum tamen contagium non nisi proximè adstantes inficere, nec ad distans longe dispergi, nec in fomite diu asseruari possit: pestis verò omnium contagiosorum morborum cõtagiosissima existat, cuius contagium ad distans etiã alios inficere, atque etiam in fomite aliquandiu asseruari queat.

Differunt praeterea febres pestilentes ab aliis febribus malignis, perniciei, symptomatum, & putredinis gradu ac contagio, quod illæ pernitiosiores existant, multò grauiora symptomata habeant, & à maiore seu peiore putredine oriantur, quam febres malignæ: praeterea, quod illæ frequenter, hæ rarius contagiosæ existant. Denique quod illæ semper alicuius venenositatis participes sint, hæ non semper, utpote quæ à sola symptomatum prauitate multoties malignæ nominantur. Fernelius, 2. *abdit. cap.* 12. febrem pestilentem etiam ab aliis clarissimè distinguit. *Quoniam, inquit, pestilens febris, neque caloris incendio, ut causus, neque siccitate, ut hectica, cor torret, ab utraque plurimum differt, habetque præsentem vim & perniciem omni intemperie, omni putredinem maiorem, quæ una veneni specie cor, vitæ fontem, obsidet demoliturque.*

V. Febrium pestilentium differentias hic lõgo sermone inquirere, non decreuimus, tantum breuiter dicimus, licet Mercurialis, Andreas Gallus, Hercules Saxonia, & Riverius, febres pestilentes intermittentes pestis comites dari, eaque se vidisse, asserant, nos tamen hactenus nullas potuisse animaduertere intermittentes, sed obseruasse omnes fuisse continuas, earumque multas subinde quidem, sed absque ullo certo ordine, remisisse, nunquam verò intermisisse. Solent autem hæ febres pestilentes variare, pro diuersitate humorum putrescentium, & pro malignitatis ac putredinis magnitudine. Dico, *humorum putrescentium:* nam si sanguis secundum omnes, ex quibus constat, humores putrescat, fiet febris synocha pestilens putris, qualis rarissimè, aut vix unquam contingere potest, cum tam amabilis totius sanguineæ massæ putredo vix fieri queat: si biliosa sanguinis pars plus cæteris putrescat, fit pestilens causus, vel tertiana continua, raro vera, plerumque notha: si pituitosa vel melancholica sanguinis pars plus cæteris putrescat, fit pestilens quotidiana vel quartana continua: si duo humores diuersis temporibus accendantur, fit febris duplex: si simul mixti putrescant, fit febris vaga: quæ omnia symptomatum diuersitas ostendit. Sic quoque Hippocrates, 3. *epid. sect.* 3. scribit, in illa constitutione pestilenti pervagatas esse quartanas, tertianas, & quotidianas, scilicet pestilentes. Sed cum plerumque plures humores simul putrescant, plerumque febres vagæ sunt, earumque vix ulla manifesta distinctio animadverti potest. Dico autem, *pro magnitudine malignitatis vel putredinis:* nam hinc procedit febrium pestilentium maior vel minor vehementia. Interdum enim summa maligna qualitas summam malignam putredinem sibi iungit, atque tunc fit saeuissima febris pestilens, in qua non minus à venenata qualitate, quàm à grauissima putredine cor lacessitur, omnesque facultates læduntur, grauissimaque symptomata inducuntur. Interdum maligna qualitas remissior est, putredo verò summa, atque tunc

bri,

cor vitalisque facultas magis à putredine & febri, quam à venenata qualitate affligitur. Nonnunquam intensior est venenata qualitas, putredo verò remissior, tunc cor magis labefactatur à veneno quam à febri, neque tam gravia videntur accedere symptomata, licet reuera gravissima existant. Aliquando putredine minima & leuissima existente, maligna qualitas intensa est, tuncque fit febris clemens, quæ & ægros, & Medicus sæpe fallit, interea enim dum ex hac felicem morbi euentum sperant, cor à maligna qualitate obruitur, & extinguitur.

Verum grauiter disputatur inter Medicos, ad quam febrium classem pestilentes referri debeant? Non febribus putridis easdem annumerandas esse censemus: non verò ephemeris, quia hæ generantur à solo incendio & efferuescentia spirituum absque putredine; & viginti quatuor horarum spatio salubriter terminantur: pestilentes autem oriuntur à maligna putredine, & cum exitio ægrorum plerumque finiuntur. Nonnulli tamen ephemeras pestilentes in sola spirituum putredine consistere asseuerant. Sed his regero, si ex putredine fiant, aut in putredine consistant, non posse esse diarias (utpote quibus nihil commune est cum putredine) verum necessariò esse putridas, cum ex putredine non generetur alia quam putrida febris: addo; de putredine spirituum vitalium esse acerrimam litem inter Medicos, eamque adhuc sub iudice pendere. Non possunt etiam hæ febres pestilentes annumerari febribus hecticis, quia hę grauia symptomata non habent, diu durant, totumque corpus lentim emaciant: pestilentes verò grauissima habent symptomata, & curriculum suum citò absoluunt: præterea quia in his cordis substantia afficitur calida intemperie; in illis verò non sola illa intemperie, verum magis maligna venenositate. Nostram opinionem non euertit triuola illa distinctio, quam Franciscus Vallesius, *controuers. Med. lib. 5. cap. 2.* in contrarium profert, qua dicit ipsam cordis substantiam, vel saltem illos succos qui proprium eius alimentum, & more roris per illud sparsi sunt, in aliis hecticis à calida intemperie corrumpi; in hecticis verò pestilentibus mala putredine corrumpi. Respondeo: si febres illæ pestilentes, quas Vallesius hecticas nominat, oriantur ex putredine substantiæ ipsius cordis, non minus erunt putridæ, quam aliæ quæ ex putredine humorum oriuntur: & præterea, quomodo quæso ipsa substantia cordis poterit putrescere sola sine humoribus in ea contentis, aut succis eius magnam partem constituentibus? cordis enim substantia non constat ex solis particulis siccis, sed ex siccis cum humidis mixtis. Atque hinc est, quod etiam Galenus, *lib. 1. de differ. febr.* dicit: *Postquam autem mentionem fecimus febrium pestilentium, quæ omnes ex putredine fiunt, &c.* Verum hic forte obiicietur, quorum igitur Galenus, *3. de præsag. ex puls.* longo sermone docet, multas pestilentium febrium esse hecticas statim à principio? Respondeo, Galenum illas pestilentes febres, quæ clementer procedunt, nec protinus ægros interimunt, hecticas appellare, non quod tales sint, sed ratione lenti processus & clementiorum symptomatum, tales esse videantur: eodem modo sicut illa lenta febris, quæ in phthisi ab ulcere pulmonum oritur, à multis Medicis hectica appellatur, cum tamen re vera sit putrida, ab ulceris putredine orta. Quod autem Galenus has lentas pestilentes non ad hecticarum, sed ad putridarum classem referri voluerit, patet ex loco ante citato, quo dicit, omnes febres pestilentes oriri ex putredine. Præterea illud ipsum quoque manifestum est ex ipsius verbis eodem loco sequentibus: *Ad sunt*, inquit, *necessariò huic febri fœtor anhelitus & calor in thorace, &c.* Atqui fœtor est symptoma proprium putredinis, è qua si febris oriatur, illa erit putrida. Hic certè aliud non facile persuadebunt nobis Mallaria & Hercules Saxonia, quantumvis subtilissimis disputationibus pestilentes illas, hecticas dictas, è putridarum classe separare nitantur: nam vix soluent hunc nodum, *quomodo possit dari febris à putredine, quæ non sit putrida.*

VI. Dico, *corpus hoc illove modo temperatum*: nam in corporibus biliosis, plethoricis, cacochymis, & obstructionibus laborantibus, humores longè citiorem & grauiorem putredinem atque inflammationem concipiunt, quã in multis aliis, imprimis verò æstate & autumno, atque in locis quæ prauis & putridis exhalationibus obnoxia sunt.

CAPVT XIII.

De causis symptomatum pestis.

PRæter febrem iam dictam, multa symptomata horrenda & grauia pestem comitantur, quorum alia hæc, alia illa subiecta, pro veneni magnitudine, & cuiusque naturæ (1.) ac temperamenti diuersitate, inuadere solent. Hæc autem vel sunt morbi à peste orti, vel mera symptomata, & excrementorum vitia: suntque vel pesti magis propria, & cum alijs paucis morbis communia, ut bubo, anthrax & exanthemata (quorum causas sequenti capite inquiremus) vel minus propria, & cum pluribus alijs morbis communia, quorum primaria hæc sunt: Capitis dolor, phrenitis, sopor, vigiliæ, anxietas, debilitas seu magna virium prostratio, visus turbulentus, cordis palpitatio, linguæ siccitas, vomitus, singultus, lumbrici, fluxus alui, hæmorrhagia narium, menstruorum profluvium, sanguinis mictus, sputum cruentum, dolores lateris, hepatis, renum, aliarumve partium. Omnia hæc symptomata à pestilenti veneno, vel immediatè, vel mediante putredine inducuntur. Nam simulac labes illa corpus ingressa est, ac vires suas exerere incipit, tunc prout singula eius viscera dispositа inuenerit, & has illasve partes magis vel minus inuaserit, varios effectus edit. Cor enim (2.) maligna hac pernicie impugnatum, antequam a tanto hoste se expedire possit, angitur & comprimitur, eiusque vitales spiritus vel dissipantur, vel, quod frequentius contingit, grauiter concentrantur, unde tunc necessariò procedunt summæ anxietates, virium debilitates, & cordis palpitationes, inprimis si vel venenum violentius, vel cor debilius fuerit, quam ut tam graui inimico satis fortiter resistere possit. Cor autem huius tyranni iniurijs se fortissime opponens, eiusdem spicula, quantum potest, à se diuertit, & magnam venenatæ malignitatis partem quaquauersum ad alias partes, aliaque viscera expellit & extrudit. Hinc sæpe (3.) per arteriam aortam, ac inde per carotides arterias cerebro haud parum communicatur: quod si excrementis vacuum offenderit, membranas eius pungendo ac vellicando capitis dolores excitat; quibus si magna spirituum animalium agitatio accedat, fit delirium; si membranarum inflammatio, fit phrenitis. Si verò cerebrum serosis vel pituitosis humoribus repletum inuenerit, spirituum animalium generationem imminuit, volatilitatem ac tenuitatem inerassat, & sopores (4.) facit. Vigilias inducit, si acri malignitate spirituum nimis exagitet, nimiumque calorem cerebro inducat, quo roridi suauesque vapores, ad somnum necessarij, consumuntur. Oculi verò turbidi, & flentium ac mœrentium oculis similes apparent, simulque viuido colore ac splendore destituuntur, propter spirituum paucitatem, motumque inordinatum, & caloris natiui debilitationem. Lingua sicca & aspera redditur ab ardore interno, qui a maligna humorum putredine, veneni pestilentis malignitate excitatâ, & hinc prodeunte febre, inducitur. Sæpe etiam ad alia viscera venenatæ malignitatis pars propellitur: quæ si fortè ab arteria aorta per cœliacos ramos ad arterias gastricas & gastroepiploicas (quæ ventriculo inseruntur) transferatur in ventriculi tunicas, continua vellicatione anxietates inducit, & naturam ad id quod molestum est excludendum incitat, unde cardialgia, nausea, & vomitus procedunt. Si verò validum fuerit venenum, & acto tenaciter ventriculi tunicis adhæreat, ut auelli nequeat, facile in aliqua eius parte mortificationem seu anthracem (5.) excitat, quam molestiam natura irrito conatu

tu

tu expellere nititur, tunc que fit singultus, aut vomitus continuus lethalis. Ventris lumbrici generantur ab ingenti fœda putredine. Si autem inferioris ventris colluvies, non solum per veneni pestilentis admixtionem putrescat, verum etiam fortiter effervescat, seu fermentetur, naturam valde stimulat ad excretionem, hinc versus intestina decumbens ac defluens, producit alui fluxum. Hæmorrhagia narium, fluxus menstruorum, & cruentamictio, fiunt, cum cor veneni pestilentis aliquam partem, una cum sanguine, per arterias ad nares, uterum, aut renes cum tanto impetu propellit, ut ruptis vel apertis vasorum extremitatibus, per illa loca effluat. Sputum cruentum, præterquam quod ob dictam causam frequenter contingat, non rarò etiam oritur ab anthracibus (6.) in pulmone obortis: quam causam etiam agnoscunt dolores lateris, hepatis, aliarumve partium.

I. ILlud ipsum quoque docet Galenus, 3. *epid. com. 3. text. 70. Hæc tempestas*, inquit, *videtur humores coacervasse, & repleuisse caput, idque omnibus morbis commune fuisse; sed fuisse suo quemque modo alium alio correptum, pro suæ cuiusque natura: alui fluxionibus acribus, pinguibusque deiectionibus bilioſi: rubicundi verò & ad melancholiam dispositi, non iniuria sunt phrenitide & febre ardente correpti (ut & crasso bilioſoque sanguine præditi) & cruentis dysenteriis. Quæ autem essent naturæ frigidiores tantum, vel frigidiores simul & humidiores, has par erat, ut quæ nec facile febribus, nec bilioſis affectibus sunt obnoxiæ, in solas incidisse capitis distillationes.*

II. In peste solet fere semper ab ipso morbi principio cor vehementer impugnari, nam pestilens venenum huic vitalitatis arci primariò bellum indixisse videtur, ut etiam antea, *cap. 2.* dictum: Hinc fit quod illa symptomata, quæ à cordis affectione procedunt, plerumque gravissimè affligant, & omnium primò conspiciantur, qualia sunt palpitatio, anxietas, lipothymia, syncope, & pulsus alterationes.

III. Dico, *sæpe*: nam interdum etiam cerebrum à pestilenti labe citius infectur quam cor, quod inprimis per infectum aerem inspiratione attractum contingere videtur, ut Paræo contigisse diximus supra, *cap. 2. annot. 8.*

IV. Nonnulli existimant sopores in peste induci ab humidis vaporibus à calore pestilenti in partibus inferioribus excitatis, sursumque ad caput delatis, ac cerebri substantiam humectantibus. Sed cum tales sopores non multum differant à soporibus naturalibus, nec valde damnosi essent, alia debet eorum esse causa: scilicet, quod venenata qualitas cor & cerebrum simul impugnet ac debilitet (nunquam enim in peste contingunt graues illi sopores, corde non grauiter afflicto) atque hinc fiat, quod cor paucos spiritus vitales, eosque vitioſos, generet, & debiliter ad cerebrum propellat (liquet hoc ex pulsu debili ac parvo) è quibus in cerebro, à venenata labe etiam debilitato, tam pauci generantur spiritus animales, qui propter paucitatem (fortè quod etiam vitioſi sint) non sufficiunt ad debitas actiones in organis sensuum perficiendas, unde tunc iis in actionibus deficientibus, ac quiescentibus, fit altus sopor.

V. Ventriculi anthraces vix ullus Medicorum antehac obseruavit, nec quisquam illam singultus ac vomitus pernicioſi causam antea nos animadvertisse videtur (exemplum describimus *lib. 4. histor. 15.*) præter Ioannem ab Helmont, qui *in tumulo pest* eorundem etiam meminit, & Christophorum de Cock van Kerckvvijck, Medic. doctorem & Professorem Syluæducensem, qui, *lib. de peste*, scribit se illos anthraces ventriculi suis oculis vidisse in cadauere iuvenculæ cuiusdam peste mortuæ per chirurgum Ioannem van Driel aperto, in quo inuenit Ventriculi tunicas omnino nigricantes, & uno loco, quasi cauterio, corrosas ac pertoratas. Idem, ab hac experientia, haud inani coniectura, putat, etiam simile quid in intestinis nonnunquam contingere posse.

VI. Sic etiam Palmarius, *de febr. pest. cap. 24*, dicit, carbunculos, si thoracem, id est, pulmonem occupent, sanguinis excretionem & spirandi

spirandi difficultatem inducere, mortemque in biduum aut triduum differri; idemque periculum esse, si vel in iecore, vel in liene excitentur.

CAPUT XIV.

De Causis bubonum, (1.) carbunculorum & exanthematum.

VEnenum pestilens cum sit aereum & subtile, corpus humanum subiens, rarò ad cerebrum primò vel hepar una cum humoribus defertur, sed partim ob substantiæ tenuitatem, partim quia cum inspiratione plerumque in pulmones adducitur, facillimè ac citissimè venenatam qualitatem imprimit sanguini arterioso, è dextro cordis ventriculo in pulmones impulso, qui ista labe infectus ad sinistrum cordis sinum descendens, vitalitatis arcem impugnare ac labefactare incipit. Huic infensissimo tyranno cor se statim opponens, fortiter cum eo colluctatur, omnesque vires intendit, ut dirum ac molestissimum hostem quam citissime foras expellere, & longissimè à se ablegare possit. Hoc autem venenum si paucum ac debile, & solummodo tenui seroso vehiculo iunctum fuerit, interdum vel solius naturæ vi, vel medicamentorum tempestivo subsidio, brevi temporis spatio cum sudoribus per poros cutis expellitur & dissipatur, antequam sanguinis massæ aliqua pars ab eius contagio corrumpatur: atque tunc unica forti sudatione ita restituuntur tales, infecti, ut nullum mali vestigium relinquatur, sicut in hac nostra peste illud multoties contigisse vidimus. Si verò venenum fortius, & ipsius cordis penetralia ingressum fuerit, eique firmius inhæserit, tunc ab eius prava infestaque qualitate stimulatum viscus, illius veneni quam maximam potest partem longissimè à se se, qua data commodiore via, dispellit: eamque interdum cum impetu, una cum seroso lymphatico vehiculo, ad axillarum glandulas (quæ vulgò dicuntur esse cordis emunctoria) deponit, antequam ab eius contubernio aliqua sanguinis arterioli pars in arterijs maioribus notabiliter corrumpatur: quæ in ijs insigni acrimonia fallax lymphatici influentis liquoris particulas, cum effervescentia quadam figendo (sicut in chymia, aquæ tartari particulæ falsæ affusione pauxilli olei vitrioli, illico cum effervescentia quadam figuntur & coagulantur) insignem dolorem, &, propter earum impeditum profluxum, conspicuum tumorem faciunt, quem bubonem (2.) appellant Medici. Reliquam veneni partem cor quaquaversum à se dispellere, & quam celerrime potest e suis & arteriatum liminibus ad alias partes exturbare nititur, antequam ab illius infensi hospitis contubernio, & ipsum, & ipsius proximum nutrimentum, vitæque fulcrum, sanguis spiritusque vitales corrumpantur & extinguantur. Hanc fortem expulsionem etiam molitur per arteriam aortam: in quam sæpe magna huius pernicioli veneni pars deposita, una cum sanguine arterioso, cui immiscetur, sursum ad cerebrum ascendit per arterias carotides, in eoque varia symptomata (de quibus præcedente capite dictum) excitat. Ab huius veneni malignitate gravatum ac stimulatum cerebrum cum suis membranis, illius quam maximam potest partem ad glandulas in faucibus & pone aures deponit, quæ in iis salivalis liquoris fixationem cum effervescentia inducens, tumorem dolorosum facit, ut sub axillis fieri dictum. Sæpe etiam cor magnam illius veneni partem per eiusdem arteriæ aortæ ramos descendentes, ad inguinum glandulas propellit, quæ & ibi bubones (3.) excitat. Si verò venenum illud acerrimum sit, & à corde per arterias aliquas, una cum sanguinis parte cui inhæret, ad cutem pro-

propellatur, in eaque nonnihil subsistat, quocunque loco subsiterit, causticâ & deleteriâ sua vi particulam, quam occupat, adurit instar cauterij potentialis, & mox unam pluresve exiguas vesiculas (quales per ambitionem etiam oriri solent) in ea excitat, sicque illam enecando, carbunculum (4.) facit. Quia autem venenum illud, cum sanguinis, cui inhæret, parte, à corde huc illuc, qua data via, propellitur, hinc fit quod non semper in uno, sed multoties in diversis corporis partibus carbunculi (5.) excitentur. Si verò non ad cutem, sed ad aliqua viscera, partesve interiores hæc veneni propulsio fiat, tunc in ijs carbunculi oboriuntur, gravium symptomatum causæ, & ægris lethales (vide *præcedente cap. annot.* 5. & *sequenti cap. annot.* 13. & *lib.* 4. *histor*, 15. & 38.) quales interdum in membrana pleura, ventriculo, intestinis, pulmonibus, renibus, generari docet usus. Notandum tamen carbunculos non semper hanc internam causam habere, sed interdum etiam licet rarius, à fomite aut contagio extrinsecus in cutem incidente, eique, mediante nonnihil viscoso vehiculo, adhærente, excitari; atque tales sæpe curriculum suum absolvere sine ulla notabili cordis læsione, præcipuè in talibus hominibus, quibus cor validum est: huius rei duo vel tria exempla dedimus supra, *cap.* 12. *annot.* 2. Carbunculus autem ut plurimum ab exili adurente pustula, (6.) interdum à pluribus parvis pustulis, seu vesiculis paulo post in unam vesiculam coeuntibus, rarius sine pustula seu vesicula exordium sumit. Hinc pars pungitivum dolorem sentit, qualis in gangræna adesse solet, & brevi magis magisque emoritur, ac nigrum vel cinereum colorem acquirit. Quæ verò carbunculum in circuitu proximè circumstant partes, alterantur (sicut etiam in gangræna & sphacelo fieri solet) valde inflammantur, & acriter dolent, easque natura coquendo ad suppurationem deducit, antequam perfectæ mortificationis labes in illas quoque proserpat, & mediante illa suppuratione corruptam ac emortuam particulam à sanis separat & ejicit. Fiunt igitur bubones & carbunculi à veneno pestilenti, quod cor ex sese per arteriarum cavitates ad alias partes expellit. In quo expulsionis opere si cor, vel ob summum veneni acumen, eiusve firmiorem inhæsionem; vel ob propriam debilitatem, aliudve impedimentum, diutius occupetur, neque satis citò & fortiter se expedire possit, facile multæ spirituum vitalium (id est, subtilissimæ sanguinis arteriosi) particulæ, ante veneni ex arterijs egressum, sive putredine corrumpuntur, & quasi extinguuntur, atque tales cum reliquo nutritio sanguine ad frigidiores partes, nempe membranas, tendines, ligamenta, & periostea delatæ, ob earum subfrigidam constitutionem, mox in ijs paulo crassiores evadunt, summamque mobilitatem deponentes, ex illis partibus pyramidali forma, à latiore basi paulatim versus cutem in acumen ascendunt (instar fumi lampadis recens extinctæ) musculorum aliarumque intermediarum partium substantiam porosam, ob aliqualem superstitem tenuitatem, insensibiliter transeuntes, usque dum ad cutem perveniant, in qua ob externum frigus nonnihil condensatæ, & à cuticulæ densitate detentæ, magis constipantur, & maculas illas constituunt, quas exanthemata (7.) appellamus. Quæ maculæ maiores vel minores, & huius vel illius coloris sunt, prout magis minusve corrupti sunt illi spiritus arteriosi, & maiore vel minore quantitate, à partium calore magis minusve sursum, seu versus cutem feruntur: plerumque autem sunt coloris obscurè purpurei, & exactè rotundæ, granum piperis maiusculum, vel etiam parvum, in circuitu magnitudine referentes: aliæ formæ, aliique colores non tam communes & frequentes sunt, quamvis interdum etiam inveniantur. Tam diu autem per illas intermedias partes corrupti illi spiritus arteriosi versus cutem ascendunt, quousque à partium calore propelluntur, quo deficiente, mox in

parti-

partibus quasi coagulati subsistunt, suique coloris (purpurei, subnigricantis, violacei, alteriusve) maculas in illis relinquunt, quæ in cadaverum pestiferorum dissectione, non minus intus, quam foris inveniuntur, & plerumque ab aliqua membrana, ligamento, aut periosteo, latiore basi in acumen versus cutem allurgere comperiuntur. Interim quia partibus quibus inhærent nullam molestiam aut corruptionem inferunt: videtur venenum, quod dictos spiritus corripit, in iis esse extinctum & emortuum, æque sine veneno esse,

I. NEmo Medicorum hactenus bubonum, carbunculorum & exanthematum historiam à vero certoque fundamento descripsit: fortasse quia vel naturæ veneni pestilentis ignorantia, vel rei gravitas, vel contagii metus omnes à curiosiore hujus necessariæ scientiæ inquisitione deterruit. Forte hæc etiam causa fuit quod veteres Medicinæ proceres, ut veneni pestilentis, sic etiam horum præcipuorum pestilentialium symptomatum historiam levi calamo transierint. Quorum vestigiis plurimi posteri insistentes, & illorum verba tomiculosè jurantes, nihil illis certius hac de re prodiderint, sed dum in veterum scriptis evolvendis & probandis toti occupati fuerunt, ex illorum rudiore rei delineatione multa sibi somnia finxerunt, pleraque veritatis titulo, & veneni pestilentis occultate exornata, de quorum veritate hactenus accerrimè, tanquam pro aris & focis, contenderunt, cum tamen nihil solidi contineant, & neque horum symptomatum veram causam, neque generationis modū, ullo modo attingant. Nam bubonum causam judicarunt esse pituitosam sanguinis partem veneno infectam (haud secus ac si venenum illud sanguinis massæ admixtum, eius peculiarem aliquem humorem, & quidem talem, qui ipsi, ratione frigoris & crassitiei, maxime contrarius est. Primò & seorsim inficeret) carbunculorum sanguinem torridum & inflammatum (haud secus ac si aliquis sanguis in nostro corpore totus torridus esset, aut veneni pestilentis essentia in summo fervore & tortione consisteret) exanthematum, sanguinem biliosum infectum, haud secus ac si sanguinis biliosa pars seorsim infici posset. Sic etiam carbunculorum causam e venis & arteriis expelli tradunt, sed per quam viam venas aut arterias ingrediatur venenum, nemo vere describit, plurimi hac de re plane tacent; alii illud e corde in venam cavam, magno orificio ipsi junctam, expelli autumant, immemores quod cor è vena cava sanguinem quidem recipiat, sed, ob valvularum obstacula, nihil in illam expellere possit. Ita exanthematum materiam per venarum extremitates in cutem effundi putarunt, cum tamen venarum extremitates humores è partibus recipiant, nullos verò in eas effundant, cum etiam exanthemata non à venis cutaneis prodeant, sed ab interioribus membranis sursum versus cutem ascendant: quod alii, cum Fernelio, animadvertentes, nullam hujus materiæ viam describere ausi sunt. Erratum igitur est, non in una aliqua parte, sed in toto, ut jam docebimus.

II. Galenus, 2. *ad Glauc. cap.* 1. ut & 1. *de differ. Febr. cap.* 5. definit bubonem, *quod sit glandulosarum partium inflammatio.* Verum cum inflammatio neque necessariò, neque semper bubonibus adsit, sed tunc præcipue accedat, cum natura pus & coctionem molitur, & alioqui multoties sine inflammatione aliquamdiu subsistat, & postea evanescat; videtur melius definiri, *quod sit tumor earum glandularum quæ sitæ sunt retro aures & in collo, sub axillis, & in inguinibus*, quæ vulgò emunctoria appellantur. Quamvis enim plurima in corpore sint glandulæ, tamen ab omnibus Practicis hactenus observatum est, bubones pestilentes non in aliis quam dictis locis & glandulis emergere, quemadmodum etiam nos in truculentissima hac pestilentia pullos alios videre potuimus. Huic præstantissimorum Medicorum observationi totus Lacutus Lusitanus se opponere velle videtur, qui aliquid novi scribere desiderans, *Prax. admir. lib.* 3 *observat.* 28. refert se in magna quadam peste, non tantum in dictis locis, sed in aliis, quoque corporis partibus multos bubones vidisse, ut in capite, in nucha, in humeris, thorace, umbilico, femore, & tibia,

sed

sed cum talibus bubonibus omnes ægros periisse. Ex centum mille Practicis neminem invenias, qui tam perfrictæ frontis sit, ut quotidianæ Practicorum experientiæ tam audacter contradicere audeat. Verum cum Zacutus fuerit homo multæ quidem lectionis, sed interim supra modum glorioſus, quantum ex eius scriptis, & præcipue ex Praxi admiranda, colligo, aliorum plurimorum Medicorum observationes sibi adscripsit, & ut speciem aliquam veritatis haberent, casum alicuius ægri affinxit, qui æger vel nunquam in rerum natura extitit, vel in pago aliove abstruso loco, nunquam inventо, nec unquam inveniendo, vixit; imò multis in locis, ut aliquid gloriolæ sibi conquirat, tam splendidè veritati parcit, ut vel cœcus videat plurimas eius observationes ab omni veritate alienas esse. Atque sic etiam, quod citato loco de bubonibus aliarum partium scribit, tam longè distat à veritate, quam cœlum à terra. Ille hæc scribat quo usque velit, ego tamen, qui mihi ipsi non peperci in praxi pestiferorum sedulò peragenda, & solus in peste plus vidi ac inquisivi, quam fortasse, ex Zacuti viderunt, vel videre ausi fuissent, ego, dico, nihil huiusmodi unquam comperire potui, ac proinde hujusmodi arrogantem dicacitatem, ut maximè insanem, penitus rejiciendam censeo.

111. Hic explicandum, qua ratione à veneno pestilenti, quod est tenuissimæ & minimæ quantitatis, glandulæ intumescere possint, & quare ab eius virulentia non enecentur, sicut pars carbunculo correpta. Cum venenum pestilens ad dictas glandulas expellitur, statim permiscetur lymphaticis vel salivalibus illis humoribus, quibus glandulæ illæ semper scatent. Hi humores cum valde humidi sint, atque etiam nonnihil tenaces, glutinosi, ac subfrigidi existant, ineptum sunt subiectum in quo venenum pestilens suam septicam vim imprimere possit, fere æque atque stercora in latrinis. Ac proinde illos malignâ suâ acrimonia tolummodo ebullit, seu fermentat, sicut sal & acetum, panis massam fermentant, eiusque minimas partes à se invicem distendunt; vel sicut citri succus oculis cancri pulueritatis affusus, eosdem ebullire facit, qua effervescentia salinæ in iis contentæ particulæ tandem coagulantur. Ab hac fermentatione dum effervescunt illi humores, fit aliquis calor immodicus in parte, & quia valde extenduntur, fit à distensione illa tumor, à tumore illo acris dolor; partim ob minimarum particularum substantiæ solidioris à se invicem divulsionem; partim ob erosionem à salsis iam coagulatis particulis liquoris contenti inductam. Ad dolentem autem partem undequaque è vicinia plures tales humores ex consuetudine affluunt, qui & ipsimet paulatim effervescentiam similem concipientes, tumorem & dolorem adaugent. Natura ut ab hac molestia se expediat, illorum humorum coctioni incumbit, eosque in pus mutatos foras expellit. Hinc tam liquet quare dictæ glandulæ a veneni virulentia non enecentur, sicut in carbunculo pars carnosa enecatur, quia scilicet venenum statim immiscetur tali ferolo humori, qui ob substantiæ contrarietatem, veneni violentiam retardare ac multum infringere potest, contra quam fit in carbunculis, in quibus venenum ingreditur ipsam solidam alicuius partis substantiam, quam caloris nativi extinctione devastat; & nutritios humores corrumpit, neque ab illius rei contrariæ qualitate impeditur in sua operatione. Accidit tamen interdum, sed rarissimè, ipsam glandulam, propter venenum ei inhærens, emori, atque tunc in bubonum locum emergunt carbunculi: quod fit cum in glandulis paucus est liquor ille ferolus, multumque salsedinis habet: atque etiam cum venenum in pessimæ qualitatis summo gradu, magnaque quantitate in illas irruit, ita ut glandulæ aduersus tam violentum tyranni impetum à suo præsidio defendi nequeant.

Præter tam dicta, adhuc tria alia scitu digna, hic consideranda occurrunt. 1. Quomodo bubones interdum absque suppuratione, in aliis cum salute, in aliis cum exitio, subsidant & euanescant. 2. Quam ob causam nonnunquam etiam serius prodeant, vel ad salutem, vel ad exitium ægri. 3. Vbi post sanationem maneat eorum causa venenum. *Primo hoc modo fit:* cum venenum pestilens vel debile, vel paucum in glandulas expellitur, & illæ multo lymphatico aut salivali liquore abundant, fit aliquando ut in prima fermentatione illud vel insensibiliter

exspiret & dissipetur, vel eius vires omnino infringantur, aut extinguantur, (multa enim sunt quæ pestilentis veneni virulentiam extinguunt, ut liquet in antidotis) antequam magna intemperies partem occupauerit, atque tunc salsæ humoris contenti à veneno coagulatæ particulæ paulatim rursus dissolvuntur & fluidę euadunt, sicque tumores sponte euanescunt, in salutem ægri. Interdum verò, cum venenum copiosius in corde & arteriis continetur (quæ copia ex symptomatum vehementia ac multitudine innotescit) natura ab illo nimis grauata, valdè debilitatur, & cum totum non possit, saltem illius aliquam partem ad glandulas propellit; cumque in reliquis expellendis laborans, arteriarum poros seu fines aliquos identidem circa glandulas referat, ac frustraneo debilique conatu intestinum hostem illac ejicere nititur, tunc facile contingit, ut paucum illud venenum non satis efficax sit, quod valuam efferuescentiam in glandularum humoribus faciat, atque hinc in fluido subiecto fluidum manens, cum reliquo sanguine circuletur, & ad cor redeat, eiusque afflictionem cum exitio ægri augeat, sicque interim bubonum tumor euanescat. *Quantum ad secundum*: iam ante satis docuimus, quare bubones citius in principio morbi prodeant: quod autem serius emergant, duplex causa est: Vna, quando cor ooruitur, vel à nimia veneni copia, vel à malignissima eius qualitate, à qua tantopere intricatur & debilitatur, ut hostem suum non nisi tardius expellere possit, atque tunc bubones & carbunculi serius excitantur, idque cum summo vitæ periculo, quia venenum graue vix tantas moras in corpore trahere potest, absque maximo spirituum sanguinisque arteriosi nocumento. Altera causa est, cum cor debile impugnatur à debili veneno, cum quo diu colluctatur, antequã ab eo se expedire, hostemque suum ejicere possit. Atque in tali casu sæpe bubones & carbunculi, etiam serius prodeuntes, salutares sunt, & morbum breui finiunt: quia illud debile venenum, ob suam parvam potentiam, in diuturniore illa mora non potest magnum nocumentum inferre sanguini spiritibusque vitalibus, per quos illud à continuo cordis motu sine magno damno agitatur, donec tandem excutiatur: eodem modo sicut homo paruã ignis prunam longo tempore ab una manu in aliam sine ustione exeutere & agitare potest, donec illam tandem abiciat. *De tertio dicimus*, venenum pestilens bubonum causam, dum humores in glandulis contenti fermentantur, aut in pus coquuntur, sæpe ibidem extingui, sæpe etiam insensibiliter exspirare, atque tunc pus ex illis apostematibus effluens, non esse contagiosum. Fieri quoque multoties, ut venenum, ob cutis densitatem, aliudve impedimentum, exspirare nequeat, & ob summam malignitatem non extinguatur, atque tunc rupto apostemate, illud una cum pure effundi, idque pus tunc contagiosum esse, sicut liquet ex historia Paræi, suprà, *cap.* 2. *annot.* 8. *citata*.

IV. Carbunculus, à similitudine, variis nominibus nominatur. Appellatur *Carbunculus*, vel *Carbo*, quia extinctum carbonem refert, vel (ut alii volunt) quia illius color in ambitu, instar carbunculi lapidis, obscuro rumore splendescit. Dicitur etiam ἄνθραξ, ab ἀνθρακόω, in carbonem muto, quia est quasi pruna extincta, & in carbonem mutata. Arabibus vocatur *Ignis Sacer*, *Ignis Persicus*, & *Pruna*, quia extrinseco adspectu non malè refert exustionem cum pruna ignita factam: vel, ut 6. *Aphor.* 54, mauult Galenus, quia instar ignis circumstantes partes inflammantur. Nonnulli inter carbunculum, anthracem, & ignem sacrum, aliquam differentiam statuere voluerunt, cum tamen revera nihil differant, neque veteribus ulla differentia cognita fuerit; nam Auicenna in curatione ignis sacri eadem remedia præscribit, quæ Galenus in carbunculi curatione.

Hactenus in carbunculi pestilentis cognitione grauiter hallucinati sunt Medici. Galenus, illum ordini ulcerum annumerans, *in comment. ad 6 aphor.* 45, hic definit: *Anthrax est ulcus crustosum, cui adiungitur multus partium circumstantium fervor.* Et 5. *de comp. medic. sec. gen.* hic inquit: *Carbunculus est ulcus crustam cito, cum valida phlegmone circumstantium particularum, in ucens*. Galeni definitionem sequitur etiam Paulus, *lib.* 4. *cap.* 25. illique etiam posteriores Medici plerique omnes subscripserunt. Verum si ipsius carunculi naturam

tutam ac constitutionem pensius examinemus, videmus has definitiones ipsi non satis proprie accomodari; cum carbunculus non sit ulcus, sed particulæ alicuius enecatio, seu mors, à veneno pestilenti inducta. Est igitur carbunculus partis alicuius gangræna, dum est in ferijs & sphacelus, dum est in facto esse, quorum neutrum ulceribus annumerari potest. Sphacelum esse, & non ulcus, ex eo liquet, quia carbunculus nulla naturæ vi edomari & in pus conuerti potest (quod posset, si ulcus esset) sed integer a vicinis partibus separatur; & si à natura debiliore separari nequeat, illius mortificatio ulterius proserpit in proximas partes, ut in sphacelo fieri solet; & putredinem quidem concipit, nunquam verò coctionem, quia in partem emortuam nulla incidit coctio. Malè igitur plerique Medici, ex sententia Galeni, hactenus carbunculum ulcus appellarunt, nisi fortè gangrænam & sphacelum propterea etiam ulcera nominari velint, quod in eorum separatione vicinæ partes suppurent. Præterea etiam Galenus alibi, (nempe 10 & 14. *Method.* & 2. *ad Glauc.* & *lib. de tumor. præt. nat.*) carbunculum ordini tumorum annumerat.

In causis carbunculi adhuc longè grauius erratum est. Galenus, *lib. de tumor. præt. nat.* dicit, carbunculos excitari, cum sanguis tanquam feruens & inflammationi propinquus exurit cutem. Actuarius, *Method. med. lib. 2. cap. 12.* consentit cum Galeno, dicitque eum oriri à sanguine melancholico feruente. Ægineta, *lib. 4. cap. 17.* tradit, illum excitari à crassis & adustis humoribus. Hos sequuntur recentiores. Aquapendens, *Chirurg. par. 2. lib. 1. cap. 27.* scribit, carbunculum fieri a fluxione feruentissimi sanguinis ad partem. Mercurialis, *de pest. cap. 18.* illius causam, cum Ægineta, crassis adustisque humoribus adscribit. Fernelius crassum torridumque sanguinem: Forestus verò sanguinem corruptum, feruidum, cum succo melancholico vel atra bile, eius causam statuunt. Guainerius triplicem affert materiam, sanguinis putredinem, bilis impetum & acumen, ac melancholiæ diuturnitatem. Aliquibus ex prædictis sententijs, parum inter se dissentientibus, omnes fere Medici hactenus calculum adiecerunt, & unanimiter hæc duo concluserunt: *Primum*, sanguinis massam, aut aliquos eius humores feruidos vel adustos, generare carbunculum. *Secundum*, veneni pestilentis operationem in feruida adustione consistere. Verum (parcant mihi dictorum Virorum manes) longissimè à veritate aberrarunt, & ibi, & quotquot hactenus eorum sententijs subscripserunt Medici. *Prima enim conclusio* admodum vacillat, nam meridiana luce clarius est, nec sanguinis massam, nec eius humores ad quos feruidos, adustos, biliosos, vel atrabilarios excitare carbunculos; hocque satis docent, erysipelas, febris ardens, mania, aliique varij morbi à talibus humoribus orti, nullis tamen carbunculis comitati: illud ipsum ex eo quoque liquet, quod in pestiferis sæpe nullus sanguinis aliorumve humorum notabilis excessus in calore deprehendatur, cum tamen in talibus etiam prodeant carbunculi. Sanguinis vel humorum putredinem huc quoque nihil facere, ex eo liquet, quod plurimæ graues putredines multoties fiant, maximis quoque inflammationibus sæpe cõiunctæ, quas nulli carbunculi sequuntur. Si quis igitur, unde carbunculi oriantur, nos roget? Dicemus, omnes carbunculos, siue pestilentes, siue non pestilentes fuerint, oriri à veneno. Pestilentes, à veneno aëreo ac subtilissimo, qui proinde, ob communem causam, pluribus sunt communes, & ob causæ tenuitatem ac fluxibilitatem contagiosi. Non pestilentes, à veneno crassiore, quod certis aliquibus de causis, in particulari aliquo homine, ex humorum graui quodam corruptionis modo, tanquam nouum productum, resultauit: qui carbunculi propterea non sunt communes, quia tantum priuatam causam habent: nec sunt contagiosi, propter veneni crassitiem. *Secunda conclusio* non minus falsa est; nam veneni pestilentis operatio plane non consistit in feruoris excessu, verum in septica quadam qualitate, calori nativo totaliter contraria, a qua partium calor nativus corrumpitur, sicque ipsa pars extingu tur ac enecatur: hæcque septica operatio in carbunculo adeo manifestè apparet, & oculis conspicua est, ut eam nemo tam in dubium vocare possit. Contra verò, à veneni excelente vel adurente feruore carbunculum non excitari,

ratio docet: nam si inde oriretur, deberet ille feruor esse, vel in penultimo, vel in summo gradu. Si esset in penultimo gradu, faceret partis colliquationem, sicut in febribus acutis corpus à feruente calore colliquari, & carnes ad ignē in humores ac pinguedinem resolui & contabescere videmus: talis autem colliquatio in carbunculo non fit, quia partis affectæ substantia non imminuitur, sed tantum prius temperamentum cum forma vitali perit. Non est quod quispiam hiç obiiciat, tales partium colliquationes fieri & conspici in alui fluxibus pesti superuenientibus: nam illæ colliquationes non fiunt immediatè à veneno pestilente, sed mediante putredine ab isto veneno inducta, è qua putredine postea colliquans ille feruor resultat: si enim illæ colliquationes immediatè procederent à feruore veneni pestilentis, tunc omnes ægri pestiferi aliquo colliquatiuo fluxu, vel alui, vel urinæ, aliove affligerentur, quos tamen usus docet rarius contingere. Si verò veneni feruor esset in summo & ultimo excessu, gradu, faceret partis aflationem seu tostionem, ac citam duramque exiccationem; sicut summus ignis feruor, aut ferrum candens, carnes statim urit ad siccitatem & crustam; talis autem aflatio seu tostio in carbunculo non fit, nam eo affecta pars laxa humidaque permanet; & quamvis Galenus dicat, carbunculum esse ulcus cum crusta, vel crustam inducens, qualis candenti ferro inuri solet, nunquam tamen vera crusta in carbunculo pestilenti reperietur, nam pars non est spoliata humiditate, sed vitalitate; ac proinde verisimile est, Galenum per crustam, intellexisse particulam enecatam seu mortuam, quæ patenti crustosa & dura esse videtur, propterea quod insensibilis sit, & cum nouacula inciditur, illa incisio quidem audiatur, non verò sentiatur, sicut in crustis etiam fieri solet. Certum igitur manet venenum pestilens non operari summo feruore adurendo, ac septica perniciosa quadam vi enecando seu extinguendo.

In quonam autem consistat illa septica vis, ad maiorem rei elucidationem, etiam paucis inquirendum est. Galenus, 5. *de simpl. med. fac. cap.* 15. & Haly Abbas, 2. *pract. cap.* 18. putarent illam septicam vim consistere in veneni feruore: quæ opinio jam dictis rationibus satis refutata est: nempe quod feruor ille vel colliquaret, vel assaret, quorum neutrum septica faciunt per se; & si quid tale eorum operationi adiungatur, illud contingit mediante putredine aut inflammatione, quæ præter septicam qualitatem, partem inuadit & affligit. Præterea si à summo feruore extingueretur partium calor nativus, eaque sic enecarentur, ergo piper, euphorbium, spiritus vini sæpe rectificatus, aliaque similia, maiore adurente vi prædita quam multa septica, eandem operationem citius peragerent; usus tamen contrarium docet. Cum itaque nulla manifesta qualitas huiusmodi effectum edere possit, dicendum septicorum vim consistere in occulta venenata, & calori nativo totaliter contraria qualitate. Hoc ipsum quoque animaduertens doctissimus Thomas Fienus, 2. *de cauteriis cap.* 6. elegantissimè sic inquit: *Certè, meo iudicio, non tam videntur septica calore, quam potius maligna sua & venenata qualitate partes corrumpere: neque videntur eas colliquare, sed potius ad putredinem & sphacelum deducere. Etenim venenata sua qualitate & tota substantia spiritibus vitalibus infesta sunt, eosque sic inficiunt, ut intermoriantur, & vel fugiant, vel ineptum animæ in particula fiant instrumentum: inde calor nativus in particula extinguitur, eo extincto pars putrescit, & humidum a sicco decedit, parsque humida, frigida, flaccida, emortua, & decolor relinquitur.* Fienus hac in parte sequitur Auicennam, qui, 2. *canon. tract.* 1. *cap.* 4. ita scribit: *Septicum est, cuius proprietas est, ut corrumpat complexionem spiritus pervenientis ad membrum, & complexionem humiditatis membri eius cum resolutione, ita ut nequeat amplius permanere pars membri illius: & non pervenit ad hoc ut adiuvet ipsum, & corrodat, & resolvat humiditatē eius, imo dimittit in ipsum humiditatem corruptam, in qua agit alina quam calor innatus, & putrefacit.* Eiusdem quoque opinionis est Auerrhoes, 4. *colliq. cap.* 16. In huiusmodi septica vi veneni pestilentis operationem consistere, quilibet pestilentes carbunculos diligentius perscrutari volens, facile percipiet. Nullam vero qualitatem adurentem ipsi primario & necessariò adesse, varia docent. 1. Quod pestis multos affligat

affligat

fligat sine ullo vel interno, vel externo feruoris signo. 2. Quod multi pestiferi non febricitent. 3. Quod exanthemata non fiant cum inflammatione. 4. Quod carbunculis semper in principio non adsit magna inflammatio. 5. Quod fomes à multis innoxiè attingatur sine cutis adustione, & sine ullo sensibili calore; imò à vespillonibus ipsum venenum pestilens sæpius impunè manibus contrectetur, absque ulla adurente lesione: quæ certè fieri non possent, si actio veneni pestilentis in adurente calore consisteret. Hic fortè obijcietur, quod multi pestiferi conquerantur de maximo interno ardore, & quod in carbunculis etiam magna oculis conspicua inflammatio, cum summis doloribus conspiciatur. Respondeo: internum illum ardorem non induci primitus à veneno pestilenti, sed à putredine humorum internorum & biliosorum, ab illo veneno inducta: post magnas autem humorum putredines sequi inflammationes, in febribus ardentibus, multisque aliis putridis manifestum est. In ipso autem carbunculo dico non esse inflammationem hanc, ut nec dolorem, cum iam perfectus est carbunculus, sed tantum excitari à pugna veneni contra calorem nativum cum carbunculus est in fieri: postea verò cum carbunculus iam factus, & particula emortua insensilis est, tunc dolorolam illam inflammationem inesse partibus proximè circumiacentis, quarum calor nativus à particulæ emortuæ contiguitate grauiter affligitur, quo afflicto cum humores in iis non satis debitè regantur, accedit statim caloris præternaturalis dominium & inflammatio, quæ tamen non fit proximè à veneno pestilenti (quod per caloris excessum non operatur) sed à putredine & caloris præternaturalis dominio.

Hodierni Philosophi, qui omnes hactenus occultas qualitates septicorum venenorum iam manifestas reddere tentant, eorum naturam explicant per minimas particulas, striatas, pungentes, uncinatas, aculeatas, & nescio quibus non figuris donatas, quæ prout hoc vel illo modo inter se miscentur & coeunt, modò partes corrumpunt, modò dolores, modò stuporem, modo gangrænam, modo sphacelum &c. inducunt. Verum non docent quomodo tales particulæ, quæ antea non erant, nec peccabant in sanguine & partibus, in iis generentur, quid illas introducat, moueat, iungat: si dicant in peste hoc facere venenum aeri inhærens, deberent docere quale, & cuius naturæ ac formæ foret illud venenum, & quomodo illius operatio, nouaque particularum generatio procederet. Cum autem nihil horum dicant, certè nihil melius docent, sed obscurum per æque obscurum explicare nituntur. Interim tamen quamvis illi dicta principia non satis solide explicare queant, videtur occultum pestilens venenum per corrosiuam qualitatem, si non semper, saltem plerunque operari, ut abunde docent, cordis palpitatio, phrenitis, dolor capitis, ventris tormina & fluxus, conuulsiones, vomitus, anxietates, urinæ cruentæ, bubones, aliaque multa effecta seu symptomata. VVillisius quidem, *lib. de ferment. & febr.* putat venenum pestilens duntaxat coagulando operari; sed ea in parte multum à scopo aberrare videtur, propterea quod in peste laborantibus sanguis non raro adeo tenuis è naribus aut utero profluat, ut hæmorrhagia plerumque sisti non possit: quod etiam in peste extinctis, sanguis nunquam in corde aut vasis coagulatus inueniatur. Adde, quod pulsus in pestiferis ægris sæpe magnus & sanorum pulsui fere similis existat, qualis in sanguinis coagulatione fieri nequit: à qua coagulatione etiam febris excitari non potest; sed necessario difficilis respiratio semper adesse deberet, quæ tamen rarius adest. Denique, quod sanguis coagulatus ad emunctorias glãdulas & cutem, in bubonibus, carbunculis, & exanthematibus, propelli non posset. Hanc VVillisij sententiam longe pluribus rationibus acriter etiam impugnat Carolus de la Font, *differt. 1. de pest. cap. 15.*

V. Carbunculi non habent certa determinata loca in quibus exoriantur, sicut bubones, sed ob rationem in textu dictam, in quacunque corporis parte excitari possunt: modò enim conspiciuntur in thorace, vel collo; modò in abdomine, vel dorso; modò in brachijs vel cruribus; modò in manuum pedumve digitis; modò unus aut alter, modò plures simul, vel in una, vel in diuersis partibus: imò sæpe etiam in partibus internis oboriuntur, ut in pulmonibus,

bus, ventriculo, renibus, &c.

Hic quæri posset, quare à veneno pestilenti, dum hæret in arteriis, non corrumpatur tota sanguinis massa? dico, illud fieri non posse, partim quia venenum non ingreditur omnes arterias: partim quia illud in arteriis nusquam quiescit, sed à corde continuè mouetur ac propellitur ab una parte in aliam, donec tandem per arteriarum extremitates peruenerit ad cutem, per cuius poros, si latiores fuerint, exspiret ac dissipatur; si verò obstructi, in cute (vel, si introrsum pellatur, in aliqua membrana) quiescit, vbi, propter moram, calorem nativum extinguit, & particulam enecat. Nullum autem venenum in celeri transitu magum damnum humoribus inferre potest: antimonii vitrum vino iniectum, & inde statim rursus exceptum, nullam vomitiuam qualitatem ipsi communicat; sed diutius in eo relictum illi vomitiuam qualitatem imprimit. Propterea, si in illa veneni pestilentis propulsione per arterias, ob naturæ cordisve debilitatem, vel ob humorum sanguinisve crassitiem, vel propter valorum nimiam repletionem, aut aliquam obstructionem, aliudve impedimentum, hoc venenum tardius vel lentius vasa transeat, aut hic vel illic aliqua mora fiat, tunc in istis locis, ubi segnior ille progressus sit, in transitu magna putredo sanguinis massæ à veneni malignitate inducitur, cui statim adiungitur intemperies nimis calida, atque hinc febris, multaque grauissima symptomata oriuntur. Hinc iam facilis fit solutio istius dubii, quod nonnulli mouerunt, nempe cum febris plerumque comitetur carbunculum, vtrum illa excitetur à carbunculo, an verò carbunculus à febre. Dicendum, neutrum ab altero produci, sed vtrumque malum generari seorsim; à veneno quidem pestilenti, at carbunculum immediatè, febrem verò mediante putredine: atque hinc, cum carbunculus possit fieri absque humorum internorum putredine, & illa putredo, qua putredo, non possit facere carbunculum (vt antea diximus) sequitur nec illum à febre, neque hanc à carbunculo excitari, & carbunculum posse curriculum suum absoluere absque vlla febre. Hoc ipsum etiam docet Fernelius *Pathol. lib. 4. cap. 18.* Ex prædictis, *de celeri transitu*, etiam alterum dubium soluitur: Vtrum etiam carbunculi in cordis parenchymate fiant? duæ rationes docent illud fieri non posse. Prima, quia si venenum fuerit in summo malignitatis gradu, & magna copia in cor irruat, totum eius nativum calorem subitò corrupit, & extinguit, ita vt non fiat carbunculus in aliqua eius parte, sed subita totius mors. Altera, quia si venenum fuerit in minore malignitatis gradu, vel exigua quantitate cor impugnet, citissimè è corde excutitur, ita vt propter exiguam moram tantum malum in isto viscere operari nequeat.

VI. Pustula illa, à qua carbunculus plerumque ortum sumit, inde fit, quod cor fortiter stimulatum venenum pestilens cum valido impetu per minimarum arteriolarum extremitates propellat in cuticulam, per cuius poros, si latis patentes sint, illico exspirat; sin verò occlusi, tunc isto loco, vbi desinit arteriolæ (per quam fortè propellitur) extremitas, sub cuticula detentum, mox humoris, cui immiscetur, corruptionem cum quadam ebullitione mollitur, sicque cuticulam à cute diuellens, corruptumque humidum sub ea deponens, veiculam instar paruæ pustulæ excitat; vel si per plures proximè vicinarum arteriolarum extremitates eo propulsum fuerit, tunc sæpe plures parvas veiculas sibi mutuo proximè iunctas, & ichore subnigricante repletas, producit, quæ haud infrequenter breui in vnam veiculam concurrunt; aliquando etiam nullam veiculam facit, cum scilicet venenum non est tam acutum vel acre, & minore cum impetu propellitur. Venenum autem illius partis, cui infixum hæret, calorem nativum septica sua vi destruit, eamq; enecans carbunculum facit. Verum illâ particulâ iam enecatâ, & carbunculo à vicinis partibus separato, vbinam manet pestilens venenum quod illum excitauit? Idem hic respondendum quod antea, *annotatione tertia*, de bubone diximus, nempe venenum in illo loco vel extingui, vel foras exspirare, vel in carbunculo remanere, nec ab illo separari, nisi particula mortua per summam putrefactionem penitus dissoluatur.

VII. Exanthemata pestilentialia (quæ vulgus *morbis & pestis maculas*, Itali *petechias*, *peticulas*, & *lenticulas*, Galli *purpuras*, & *papulas*,

nes,

nes, Belgæ *granum piperis* appellant) sunt maculæ purpureæ vel rubræ, vel nigræ, uel violaceæ, ut plurimum rotundæ, aliquando latæ, oblongæ, aliusue formæ, in summa cute efflorescentes. Nonnulli distinguunt inter exanthemata & maculas, quod illa habeãt eminentiam, & sint de genere tumorum, hæ non. Verum illi confundunt variolas & morbillos cum exanthematibus pestilentibus, quæ sunt prorsus sine tumore: ac proinde nos omissa hac curiosa magis quam necessaria distinctione, ad exemplum Fernelii, utroque vocabulo indifferenter pro eadem re utemur.

De causis exanthematum pestilentialium minimè convenit inter Medicinæ Scriptores. Actuarius, *Method. med. lib.* 12. *cap.* 11. dicit exanthemata conflari à crassis humoribus cuti impactis, ubi denia est summa cuticula. Mercurialis, *de pest. cap.* 18. scribit fieri maculas parvas rotundas, cum humores pauci subtiles sanguini permisti feruntur ad cutem, atque ubi per διαπόρησιν, hoc est, rarefactionem uasorum, excernuntur: si uerò copiosi fuerint illi humores, dicit, cum Stephano Athemeniensi, distructis venis plus sanguinis subtus cutem effundi, atque hinc produci maculas latiusculas, quasi vibices. Palmarius, *de febr. pest. cap.* 24. illa fieri credit ex biliosa & tenui sanguinis parte. Petrus Paschalis, *de febr. petech.* existimat illa generari ab ebullitione sanguinis circa cor à uirulentia aliqua contaminati. Eodem fere modo Ioannes Morellus, *lib. de febr. purp. & pest. cap.* 2. refert ex Seguino, illa produci ab humore corrupto, per malignam auram intus ebullientem. Paræus, *lib.* 21, *cap.* 28, sæpe à crassa & adusta materia illa generari scribit. Riuerius, *lib. de febr. sect.* 3. *c.* 1. putat illa oriri ex praua & venenata sanguinis aliorumve humorum qualitate putredini coniuncta. Benedictus Fauentinus, *in sua Empirica*, docet, ex quatuor humoribus illa gigni posse, & ab humore prædominante colorem habere, à sanguine rubrum, à bile citrinum, à pituita pallidum, à melancholia nigrum uel liuidum. Sennertus, *lib.* 4. *de febr. cap.* 4. illorum originem adscribit humorum putredini & corruptioni. Platerus, *tract.* 2. *Prax. c.* 2. illa fieri tradit, cum portio ueneni in poros cutis se exonerat. In has sententias innumeri, imò fere omnes Medici hactenus discesserunt, alii huic, alii illi opinioni subscribentes. Verum Medici non videntur hactenus exanthematum pestilentialium naturam satis perspexisse, ac propterea alij errarunt in cognitione ipsius mali, alii in cognitione uiarum per quas exãthemata progrediuntur. Primi putarunt exanthemata tantum esse maculas solius cutis, cum reuera sint maculæ ab internis partibus ascendentes, qui in cute terminantur. Secundi crediderunt exanthemata produci à sanguine, vel aliquibus eius humoribus ebullientibus, inflammatis, putrescentibus aliove modo corruptis, & ad cutem delatis, cum illa tamen non prodeant ex hoc fonte, sed è sola spirituum vitalium extinctione, seu corruptione sine putredine, & extravasatione, ut mox docebimus. Tertii existimarunt causam exanthematum per venarum extremitates expelli in fungosam cutis substantiam: alii verò per anatomiam melius edocti, ab interioribus partibus illa foras adscendere animaduerterunt, sed rei difficultate perterriti, nullam viam describere ausi sunt. Sic doctissimus Fernelius, *de febr. cap.* 18. ita dicit: *Vt autem* [exanthemata] *corporis summa, ita & interiora omnia viscera, musculos, nervos, cæteraque partes solidas obsident, ex hisque primam ducunt originem.* De causa nihil aliud dicit, quam quod producantur à maligna aëris qualitate: de via & modo generationis planè tacet: cum tamen cognitio viæ, per quam exanthematum causa transit & expellitur, multum luminis ad cognitionem causæ proximæ dare potuisset. Nos in textu docemus, exanthemata oriri ab arteriosi spirituosioris sanguinis sine putredine corruptis seu extinctis particulis, per arteriarum minimarum extremitates exclusis seu expulsis. Illa est vera exanthematum materia, hæc vera via per quam excutiuntur. *Veram materiam* esse, varia docent. 1. Quod insensibiliter, sicuti solent spiritus, transeat partes carnosas alitalque intermedias. 2. Quod exanthemata pestilentialia sint sine tumore. 3. Quod persistant sine inflammatione. 4. Quod sint absque dolore. 5. Quod non lædant manifestè partes per quas transeunt, & quibus inhærent. 6. Quod non separentur instar carbunculi, nec

sup-

suppurent instar ulceris. Quæ omnia, aut saltem aliqua ex his necessariò adesse deberent, si secundum supradictas opiniones producerentur ab alicuius humoris putredine, inflammatione vel ebullitione. *Veram viam* esse, docet Anatomia, quæ primò ostendit exanthemata non esse solius cutis maculas, sed illa ab interioribus partibus initio sumpto ad cutem accedere, nec minus inhærere interioribus partibus, quam cuti. Deinde demonstrat multo latiores arteriolas versus interiores membranas hiare, quam versus cutem, (hoc etiam obseruavit Galenus, cum alibi, tum maximè *lib. de dissect. venar. & arteriar. cap. 9.* cum quo etiam consentit Fernelius) atque hinc naturam lacessitam longè facilius corruptas spirituosas sanguinis arteriosi particulas effundere, & per latiores vias deponere versus interiores membranosas partes, quam per angustiores versus cutem; quæ tamen, ob tenuitatem iam deficere incipientem, à vicinarum partium calore propelluntur, ac per incumbentium carnosarum partium latiores poros ascendunt ad cutem, in qua sub cuticulæ densitate, & à frigore externo incrassati subsistunt, dictasque maculas efficiunt: quæ semper longè periculosiores sunt quam carbunculi aut bubones, non ut causæ, sed ut signa: quia in his cor adeo validum est, ut pernicio-sum venenum versus externas partes depellere, & sanguinem à pestilenti corruptione præservare possit: in illis verò adeo debile est, ut nec venenum foras expellere, nec sanguinis corruptionem auertere possit, quod breui secuturæ mortis indicium est; unde fit, quod ex sexcentis peste laborantibus vix unus evadat cui exanthemata in cute apparent.

CAPVT XV.

DE SIGNIS PROGNOSTICIS.

Acutorum morborum, inquit Hippocrates, *incertæ admodum ac fallaces sunt prædictiones*. Hoc dictum si in ullo morbo, certe in peste verissimum esse experimur, in qua signa ambigua sunt & incerta, cumque singulis fere horis ac momentis mutentur, prædictiones admodum obscuras & lubricas (1.) faciunt, ita ut Practici etiam exercitatissimi sæpenumero in morbi huius prognosi grauiter decepti ac delusi fuerint: quia hic sacro inuolucro multa teguntur, & fallax ille inimicus sæpe dum arridet, occultas insidias struit; dum blanditur, maximè nocet; in facie salutem, in tergo funus gerit. Attamen cum non omnes perimat grauis hic & fallax morbus, & praxis nos morum eius magnam partem edocuerit, nonnulla signa prognostica, quæ in hac peste Noviomagensi certiora fuisse obseruauimus, breuiter describemus.

I. Criticæ mutationes qualescunque, diebus decretorijs incidentes, nihil certi promittebant. omnes enim fallaces (2.) erant, & cum his, etiam optimis, æque multi moriebantur, quam euadebant. At sextæ diei (3.) crises semper certò lethales erant.

II. Quicunque circa nouilunium aut plenilunium (4.) peste corripiebantur, ij maximè de vita periclitabantur.

III. Pestis quæ inuadebat post ingentem iram, vel terrorem, vel venerem fortiorem, multo grauius periculum minabatur, quam quæ absque his præcursoribus corripiebat.

IV. Magna virium prostratio in morbi principio, ut & crebra animi deliquia, ac cordis palpitationes, periculosa, imò plerumque lethalia signa erant.

V. Pulsus tanorum pulsui fere similis, fallax & periculosus, intermittens (5.) verò semper lethalis erat.

VI. Sopores (6.) à principio morbi grave periculum indicabant.

VII. Ster-

VII. Sternutationes (7.) crebræ mortis præcones erant.

VIII. Motus tremuli (8.) manuum & linguæ funesti erant.

IX. Delirium (9.) semper graue periculum, at conuulsiuis partium motibus, & neruorum leuibus contractionibus, membrorumque quasi subsultibus coniunctum, certam mortem prædicebat.

X. Dolor in gutture (10.) qui sine ullo tumore, sine aphthis, orisve siccitate, aliaue aliqua manifesta causa, aderat, ut & raucedo, imminens exitium certò prænunciabant.

XI. Narium hæmorrhagia (11.) die decretorio incidens, valde periculosa, non decretorio, lethalis erat.

XII. Lingua in principio morbi nigrescens, malum: sed humida & naturalis coloris apparens, bonum erat indicium.

XIII. Anhelitus valde fœtens (12.) quasi carnium putrescentium fœtorem olens, plurimis infelix signum erat.

XIV. Pleuritides (13.) quæ durante hac pestilente constitutione inuadebant, semper lethales erant, siue præcederent, siue statim sequerentur pestis inuasionem.

XV. Tussicula, spirandi difficultas, sputum cruentum (14.) dolor punctorius in pectore, hepate, liene, renibus, utero, aut vesica, hæc omnia calamitosa erant.

XVI. Singultum (15.) semper mors citò sequebatur.

XVII. Vomitus erat molestissimus, multosque ad mortem usque comitabatur, multis etiam tempestiuo alexipharmacorum subsidio feliciter sistebatur.

XVIII. Suppressio alui (16.) in morbi principio & augmento, imò usque ad vigoris declinationem, laudabilis erat, & spem salutis dabat.

XIX. Alui fluxus (17.) summum minabatur periculum, & cum hoc vix centesimus æger euadebat.

XX. Cruentæ deiectiones (18.) mortem antecedebant.

XXI. Cum urinis (19.) sanorum urinis similibus multi, præter exspectationem, subitò moriebantur, idque non rarò sine grauibus, ut videbatur, symptomatibus.

XXII. Vrinæ turbidæ (20.) malæ quidem erant, sed cum his tamen nonnulli adhuc euadebant.

XXIII. Vrinæ pingues, oleaginosæ, nigricantes, liuescentes, vel hypostasin liuidam, nigram ve deponentes, fere semper exitiosæ erant.

XXIV. Qui per urinarias vias sanguinem (21.) excernebant, siue solum, siue urinæ permistum, illi omnes breui moriebantur.

XXV. Menstruorum fluxus pesti superueniens, etiam die critico erumpens, valde periculosus, & plurimis exitiosus erat: die verò non critico certissimè occidebat.

XXVI. Mulieri grauidæ, puerperæ, vel abortienti (22.) si peste corriperetur (quod plerisque contingebat) magnum periculum immineba, & tales plerumque moriebantur.

XXVII. Si tonticuli, quos ad præseruationem multi in brachijs aut cruribus habebant, in morbi principio exaresserent, certæ mortis indicium erant.

XXVIII. Tumores in emunctorijs (23.) laudabiles erant, & quo citius prodibant, tanto meliores.

XXIX. Si tumores illi sine febre (24.) vel ante febrem prodirent, citæ sanationis & salutis magnam spem dabant. Contra verò si post febrem, imprimis maiorem, proditet.

XXX. Si tamen prædicti tumores, imprimis qui in faucibus & pone aures protuberabant,

M bant,

bant, spatio duodecim vel viginti horarum valde increscerent, & molles essent (25.) instar tumoris flatulenti, sive cum, sive absque inflammatione, semper lethales erant, & quamvis ægri cum tabbus tumoribus se aliquamdiu non admodum, male habere viderentur, omnes tamen moriebantur.

XXXI. Contra, si illi tummores in principio duri essent, instar tendinis duri, rigidi, & oblongi, atque paulatim increscerent, cum tolerabili dolore, bonum erat, præcipuè si accrescendo duritiem illam aliquamdiu seruarent.

XXXII. At si duri illi bubones circulum quendam (26.) diuersi coloris, instar iridis, haberent, malum erat indicium, ac perniciem prænunciabat, ut & si rubicundi, lunidi, aut nigri fierent.

XXXIII. Tumores in emunctorijs manente febre subito euanescentes (27.) sæpissimè mortem prænunciabant.

XXXIV. Si illi tumores cito ad suppurationem peruenirent, imminutum periculum significabant. Si verò cessante febre (28.) paulatim sine ulla suppuratione euanescerent, nihil quoque metuendum erat.

XXXV. Si in emunctorijs loco tumorum (29.) emergerent carbunculi, grauissimum periculum indicabatur.

XXXVI. Anthraces, vel à morbi principio, vel paulo post in locis carnosis apparentes, erant laudabiles. At si in pedum vel manuum digitis (30.) prodirent, pessimi omnis erant, ut & illi qui supra spinam dorsi conspiciebantur.

XXXVII. Si carbunculi tardius prodirent, malum: si valde multi (31.) erumperent, pessimum erat.

XXXVIII. Carbunculi si intra duos treſve dies circulo rubeo comprehenderentur, citius & facilius sanabantur. Si verò, instar sphaceli, quotidie latius proserperent (32.) magnamque latitudinem acquirerent, difficilis curationis erant, imò sæpe pessimi omnis, præcipue si supra dorsi spinam, vel in parte aliqua neruosa subsisterent.

XXXIX. Carbunculus in principio subsidens, recurrens, ac fere disparens, vel postea manente febre exarescens, calamitatem prædicebat.

XL. Maculæ purpureæ, nigræ, virescentes, violaceæ (33.) quocunque tempore apparentes, semper lethales erant. Cum rubris nonnulli euadebant, etsi paucissimi.

I. PEstem Medicos grauissimè deludere, docet quotidiana experientia; ac proinde in hoc morbo diuinissima Medicinæ pars *Prognosis* admodum incerta est, quæ maxima incertitudo Ioannt Morello, *de febr. pest. cap. 5.* hæc verba extorsit: *Vnde fit*, inquit, *ut in peste fallat nos sensus, fallat ratio, fallant Hippocratis aphorismi, & ipse, ut puto, in his falleretur Hippocrates.* De hac incertitudine etiam sic dicit Lindelius, *lib. 3. de febr. cap. 4: Nullus morbus ex se magis pernicio sus est, aut in quo signa omnia magis infida sunt, & motus magis inordinati inconstantesque: sæpe enim signis bonis apparentibus in urina, pulsu, aliisque, præter exspectationem agri subitò moriuntur.* In eundem sensum etiam eleganter ita scribit Raymundus Mindererus, *de peste cap. 11: Quia morbus pestifer sua natura infidus existit; ideo fida de se mortis ac salutis signa non perhibet. Vnde apparentibus alioquin indicijs salubribus (quæ tamen omnia in hoc morbo suspecta sunt) ægros interdum perire deprehendimus, & quos morbus inducta sæuissimorum accidentium turba, ingulare velle videbatur, vitalis virtus, quasi clam subterfugiens, hostiles persæpe manus euasit.* Huius fallaciæ morbi præclarum exemplum describit Paræus, *lib. 21. cap. 17.* de ancilla quadam Reginæ, cui inguinis bubone dissipato,

to, omnia quoque symptomata euanuisse videbantur, ita ut illa ipsa se mali morbique expertem prædicaret, cum tamen animo & corpore constans, perque cubiculum obambulans, eadem illa die interiret de eadem pestilentiæ fallacia aliam historiam scribit Hieronymus Mõtuus, *in sua practica, part. 2. lib. 7. cap. 1. Nos pestilentiam*, inquit, *grassari vidimus Lugduni & Viennæ, anno à Christo nato 1525: febris parua videbatur, & febri se liberos ægrotantes opinabantur: pulsus erant moderatis similes, & urinæ colore, consistentia, & contentis, non illaudabiles; qui tamen omnes occubuerunt.* Quapropter bene monet Guainerius, ut in peste nequaquam signis, quamvis bonis, fidamus, etsi pessimis signis abstentibus. Nam quamuis neque febrilis ardor, neque sitis, anxietas, aliave grauia symptomata, ut neque urinæ vel pulsus indicia ullum periculum portendere videantur, tamen omnia tuta timenda sunt: sæpe enim horror, nausea, leuis capitis dolor, aliudve exiguũ symptoma, ægris non valde molestum, pestilentiam lethalem antecedit vel comitatur.

II. Fallacia crimum inde procedebat, quod pestilens venenum nullatenus coctione mitigari, neque etiam per vias humorum purificationi dicatas satis commode euacuari posset. Hæc causa fuit quod alui fluxus criticus, nec non uteri vel narium hæmorrhagia, nunquam laudabiles essent; nam rarissime sponte cessabant, sed medica arte semper sisti debebant, & multoties sisti non poterant, propterea quod natura per nas inuentas tamque apertas vias totum venenum expellere nitebatur, atque hinc cum plurimi boni humores effluerent, & malignitas corpori ac cordi altius inhærẽs hoc modo multum imminui non posset, vires breui deficiebant, ciebantque ad mortem, quam veneni totalem expulsionem peruenirent ægri. Etiam copiosi spontanei sudores, à quibus maximum levamen exspectabatur, valde incerti erant, nam etsi morbum aliquãdo feliciter soluerent, multoties tamen in principio aliquam remissionem adferre videbantur, post quam longè gravius recrudescebat malum. Causa erat, partim quod natura inceptum per hanc viam expulsionis opus, vel propter ægrorum externos errores, vel propter summam debilitatem, plerumq; absoluere non posset, sed in medio opere impediretur vel deficeret: partim quod illi sudores multoties symptomatici essent.

III. Periculosæ, infidæ; imò lethales sunt sextæ diei crises, non in sola peste, verum etiam in aliis morbis acutis; quapropter Medici hunc diem appellant *Tyrannum*, cuius tyrannidem Galenus, *lib. 1. de diebus decret. cap. 4.* his verbis expressit: *Multos hic dies in syncopen derepente conjecit, aut immodico sanguinis profluvio extinxit, aut immoderatis vacuationibus, vel etiam catoche, aut mania mulctavit: alios verò in manifestam perniciem conjecit, ictterum invehens, parotides suspectas, rubras quippe & vertiginosas excitans & ad hæc marasmis insanabilibus irretiens, & quod demum mali genus diei ille non infert?* Idem illud de hoc die variis locis testatur Hippocrates, *in coac. prænot. Quibus sexta die rigores fiunt, ægrè judicantur. Sudores sexta die manentes, pessimi. Ictterus sexta die lethalis, &c.* Exempla etiam scribit in libris epidemiorum. Ita ut multorum sæculorum experientia confirmet, sextæ diei crises ægros semper ad exitium præcipitare, aut saltem in maximum vitæ discrimen deducere: Specialim autem de peste hanc obseruationẽ scribit Brassauola, *in com. ad 2. aphor. Hipp. 24. Nos*, inquit, *sexcenties anno 1528, experientia vidimus in epidemio morbo, omnes fere sexta die obijsse; & in pestilentibus morbis ut plurimum ægri sexto die intereunt. Propter hæc Galenus hunc diem tyrannum vocat; quoniam si non interficiat, quando judicat saltem, malè judicat; quippe tyrannus si non interficit, saltem bona surripit, vulnerat, percutit. Ita sextus dies, vel pernicie illius, quem judicandum accepit, gaudet, vel salute dolet, quærit quæque ubi animum expleat, & malè ægrum tractet, tum longa punitione exerceat.*

IV. De nouilunio & plenilunio antea dictum, *cap. 5. in textu, & annot. 1.*

V. Galenus dicit pulsum intermittentem in iuuenibus semper esse lethalem, & se plurimos senes ac pueros cum tali pulsu liberatos vidisse, iuuenem verò nullum. Contra Galenum testatur Riuerius, se in febribus malignis obseruasse, iuuenes non paucos, qui pulsum intermittentem per multos dies habuissent, cum sanitate. Idem se obseruasse, exemplo demonstrat Vvi-

ſus, *lib. Obſervat. Medic.* Contra hos ego teſtor, me in tota hac peſte neminem, ſive iuvenem, ſiue ſenem, ſiue puerum, ſiue virum, ſiue mulierem vidiſſe, qui cum pulſu intermittente euaſerit, ſed omnes, quotquot talem pulſum habebant, breui temporis ſpatio obiiſſe. De pulſus mutati cauſis videndum ſupra, *cap. 7. annot. 9.*

VI. Sopores indicio erant, præter cor, etiã cerebrum grauiter impugnari & labefactari: his autem duobus vitæ fulcris vacillantibus, naturam facile ſuccumbere, neceſſe eſt. Sic etiam Dodonæus, *Prax. lib. 1. cap. 18.* refert anno 1602, in magna peſte omnes fere occubuiſſe, quibus cum ſopore morbus inuadebat. Quod ipſum in peſte ſui temporis quoque contigiſſe, ſcribit Mindererus.

VII. Riuerius, *de febr. peſt.* dicit, ſe obſeruaſſe, licet alia ſæua ſymptomata periculum portenderent, ſternutamenta tamen ſpem ſolutionis attuliſſe. Contra verò Cardanus, *lib. 5. Aphoriſ. Hipp.* meminit peſtilentiæ, in qua cum breui ſpatio ſæpius ſternutaſſent ægri, ſtatim mortui concidebant. Sic nos quoque in hac peſte cum crebris ſternutationibus neminem euaſiſſe vidimus: Ratio erat, quia ſternutamenta producebantur a venenata labe cerebri membranis tenaciter affixa, ſicut ingluuies in ventriculo à veneno ventriculi tunicis firmiter adhærente, eaſque vellicante. Itaque Riuerii experientia hac in parte non eſt intelligenda de vera peſte, ſed potius de aliis febribus malignis: in quibus ſternutationes à prauorum & acrium humorum aut vaporum vellicatione excitati, naturæ & facultatis animalis robur denotant, validamque molеſti vellicantis humoris excuſſionem oſtendunt.

VIII. Hi motus maximam arguunt cerebri lationem, ſpirituum animalium paucitatem, & neruorum ac vitium imbecillitatem, atque oſtendunt naturam a morbo iam evinci; quapropter etiam ab Hippocrate, 1. *Prognoſt.* damnantur.

IX. Delirium gravem cerebri afflictionem, & convulſi motus ipſius, & principii nervorum peſſimam lationem indicabant.

X. Hoc mortis inſtantis prælagium adeo certum & infallibile erat, ut cum huiuſmodi gutturis dolore vel rauedine nullum, euaſiſſe viderim, & ſæpe ægri iis infeſtati ambulantes & loquentes mortiebantur. Videtur etiam Hippocrates ſimile quid obſervaſſe in acutis, nam 1. *prorrh.* 11. inquit: *In acutis morbis faucium ſine tumore dolores, & pulſibi, & ſtrangulantes, pernicioſi.*

XI. Quare narium hæmorrhagia tàm periculoſa eſſet, iam diximus *annot. 2.* Huic noſtræ obſeruationi obſtare videntur hiſtoriæ eorum qui peſtem anni 1568 deſcribunt; teſtantur enim tunc temporis febres peſtilentes, fluente è naribus ſanguine copioſiſſimo, eoque ferè florido, maxima ex parte fuiſſe iudicatas, & quamvis ad hipothymiam uſque profluaret, fere omnes tamen, quibus hæc criſis accidebat, fuiſſe ſanatos. Quanam cauſa tantæ contrarietatis. Plurimi crediderunt hanc operationis diuerſitatem inde dependere, quod venenum peſtilens ſit diuerſiſſimæ conditionis: & ſic Platerus, *tract. 2. prax. cap. 2.* dicit, *venenum peſtilens eiuſdem naturæ minimè eſſe, ſed diuerſæ; verum quidnam*, inquit, *in veneno latens illius varietatis cauſa ſit, atque unde proficiſcatur, ut & in cæteris venenis, deſcribi minimè poteſt.* Verum peſtilentis veneni non tatis exacta cognitio, & iuſta operationum eius inſpectio, hactenus in cauſa fuerunt, quod plurimi illud venenum diuerſum eſſe iudicauerint, cum tamen ſemper ſit uniformis, ſeu eiuſdem naturæ ac conditionis, differens tantum intenſionis & remiſſionis gradu, & diuerſitas quarundam operationum proceſſerit à diuerſitate temperiei, locorum, victus, temperamentorum corporum, exhalationum, &c. Fortaſſe anno 1568, venenum peſtilens in minimo intenſionis gradu, & propter certas temperies corporumque diſpoſitiones, interna putredines ac feruores in ſummo gradu viguerunt, quorum ratione grauiſſimæ ac malignæ, & naturæ magis, quam illud exiguum peſtilens venenum, infeſtæ febres productæ ſunt, quæ ratione ſui per copioſam narium hæmorrhagiam iudicatæ fuerunt, à quarum onere leuata natura, exiguum illud peſtilens venenum facilius euicit & expulit (ſuper his vide *præcedente cap. 7. annot. 2. & cap. 12. annot. 3.*) interim quod maximum periculum prælagiant hæmorrhagiæ

quæ

quæcumque, ipsi vulgo innotuit) quod hæmorrhagias videns, mox desperat de ægro, dicens illum laborare peste sanguinolentâ. Illud ipsũ periculum etiam in sua praxi obseruauit Minderetus, qui de pest. cap. 11. sic inquit: *Mors videtur esse victimis, qui incunte morbo sanguinem è naribus, utero, aut ore profundunt. Sic mulieres peste correptas, quibus menses extra statum tempus fluerent, prognosticis fere linquendas censuimus. Hæmorrhagiam autem narium quinta die passos, obuiße notauit Heurnius. Re vera, quicunque tandem sit sanguinis fluor, in peste mihi semper suspectius esse habitus, de quo tamen aliis in morbis sæpe gratulari licuit: hic enim sanguis non sine magna virium internecione promanat.* Etiam Eustachius Rudius, *lib. 3. art. med. cap. 3.* has damnosas hæmorrhagias notauit. *Propter maximum*, inquit, *naturæ conatum, & expultricem à prava materia valde irritatam sanguis sæpe syncerus è naribus stillat: hoc si fiat, aut si in morbi principio per uterum syncerus stillet, vel per hæmorrhoides, febrem perniciosam significare solet: ut & si per alvum parvus, fœtidus, male coloratus, aut copiosus egrediatur, tabescentiæ seu liquationis modo.* His bene perpensis, abundè patet omnino rejiciendum esse consilium Parei, qui etsi *lib 21. cap. 24.* damnositatem purgationis & phlebotomiæ late probasset, tamen *cap. 45.* hæmorrhagiam narium arte prouocare iubet, scalpto narium, vel forti emunctione, vel setâ equinâ. Certè in potestate nostra non est tempore pestis hæmorrhagias narium qualescunque ad arbitrium nostrum sistere, plerumque enim nullis artibus cohiberi possunt, ac proinde semper sunt extimescendæ, nec unquam incitandæ.

XII. Sic quoque scribit Auicenna: *Plurimi ex istis, quorum anhelitus fœtet, ex primis moriuntur.* Et Fracastorius, *de morb. contag. lib. 2. Quorum anhelitus præter solitum immodicè* (inquit) *fœtet, omnes moriuntur.*

XIII. Pleuritides propterea lethales erant, quia quæ post invasionem pestis fiebant, generabantur à carbunculo in membrana pleura & musculis mesopleuriis excitato, quod malum in interiore thorace erat prorsus insanabile. Quæ verò ante pestem inuadebant, illis statim adiungebatur pestis, ac proinde lethales euadebant; partim, quia acutum morbum alteri acuto adiungi, exitiosum, propter citissimam maximamque virium prostrationem: partim propter contraria indicantia & medendi difficultatem, cum venæ sectio, in qua pleuritidis curatio potissimum consistit, ratione pestis maximè lethalis sit, ut latius docebimus *lib. 3. cap. 3. annot. 1. & cap. 13. annot. 1. & lib. 4. histor. 4. 28. 53. 71. 107. 113.*

XIV. Omnia hæc lethalia erant, quia generabantur, à carbunculis in visceribus internis excitatis. Inter cætera sputum cruentum magis commune erat, & semper præceps exitium prænunciabat. Sic etiam Guido de Chauliaco, 2. *doct. apost. cap. 5.* obseruauit in maxima peste anni 1348, omnes illos qui sanguinem spuebant, intra triduum mortuos fuisse. Cum his consentiens Valescus de Taranta, *lib. 7. cap. 16,* dicit, sputum sanguineum rejicientes citò perire, & anhelitu infecto alios adstantes magis inficere.

XV. Singultum morbis acutis superuenientem, lethalem esse, docet Hippocrates, probat experientia. Quare autem in peste lethalis sit, liquet ex eius causa, suprà *cap. 13.* enarrata, quo loco etiam vomitus causa describitur.

XVI. Suppressionem alui in tota hac peste nulli ægro noxiam fuisse obseruauimus. Indicabat, partim tantum naturæ robur quod venenum pestilens fortiter a centro ad peripheriam moveret: partim tam exiguam veneni quantitatem, vel debilem qualitatem, quę humores confundere, colliquare, & per inconvenientes vias expellere non posset. Præterea etiam laudabilem corporis constitutionem, ad graves humorum putredines minimè prochivem, significabat.

XVII. Alui fluxus in hac peste nunquam sponte subsistebat, imò etiam medicamentis, summâ diligentia adhibitis, rarius isti poterat. Sic quoque refert Hippocrates, 3. *epidem.* in pestilenti illa constitutione plurimos alui fluxu & dysenteriâ fuisse sublatos. Sic & Galenus scribit, in peste illa longissima, quæ ipsius ætate fuit, omnes prope periisse quibus alui fluxus superueniebat. Hildanus, *cent. 4 observ. 23.* de peste sui temporis hæc dicit: *In hac peste nullum eorum, qui aut vomitu, aut fluore alui la-*

borauit,

boravit, evasisse scio. Illud ipsum quoque à plurimis aliis neotericis observatum fuit. Quapropter minimè audiendi sunt illi, qui in pestis curatione minus exercitati, contra experientiam, dicunt, fluxum alui in peste, si die critico incidat, laudabilem esse, nec medicamentis sisti debere: ignorantes in peste hunc fluxum semper esse symptomaticum, & nunquam criticum aut salutarem: qua de re plura dicentur *lib. 3. cap. 11.*

XVIII. Quare cruentæ deiectiones exiciales essent, liquet ex annotatione secunda.

XIX. Quæ ex urinis sumebantur prognostica, pleraque incertissima & valde fallacia erant, neque enim color, neque consistentia, neque hypostasis, aut sedimentum, aliaque innatantia corpuscula quidquam certi prædicebant, cum lethalissimis urinæ signis plurimi euadebant, cum saluberrimis moriebantur innumeri. Ita ut rectè Galenus dicat, *lib. 3. de præsag. ex puls.* ex urina in huiusmodi febribus, præsertim ubi corpus cordis occupaverint, firmam notitiam petere, semper non licere. Hic unum adhuc vulgi experimentum adjiciã ex Foresto, qui *lib. 6. observat. 13. in scholio*, dicit aliquos hoc experimentum pro signo verissimo habere: *projciunt*, inquit, *lac mulieris lactantis masculum in urinam pestiferi: si cadit ad fundum, morietur, ut aiunt, in sex aut septem diebus: at si non, citò evadet.*

XX. Hippocrates, 3. *epidem cap. 3.* idem quoq; prognosticum observavit, inquit enim, *Urinæ turbidæ multæ, malæ.* Non dicit illas esse lethales, sed malas & periculosas, utpote cum quibus multi, licet non omnes, moriantur.

XXI. Sola sanguinis mictio certissimum instantis mortis signum erat: ratio petenda ex annotatione 2. ut & ratio prognostici vigesimi quinti.

XXII. Mulieres gravidæ quia magnam humorum impurorum copiam coacervabant; parturientes verò & abortientes, quia magnam mutationem & alterationem subibant, ac summopere debilitabantur, pesti non tantum maximè obnoxiæ erant, sed eidem etiam minimè resistere poterant, hacq; de causa plurimæ moriebantur, secundum dictum Hippocratis, 3. *aphoris. 31. Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corrept, lethale.* Forestus in peste Delphensi illud ipsum quoque observavit: *Fœminæ*, inquit, *quædam magis officiebantur, & præsertim illæ ex fœmineo sexu, quæ uterum gerebant, tum ob mensium obstructionem, tum ex frequenti prosę & fœtu anhelitus; & hæ variis euadebant.* Hinc etiam Laddelius, *lib. 3. de febr. cap. 5.* scribit gravidis nihil consultius esse, quam tempore pestilenti statum locum mutare, quia valida remedia præservativa non ferunt, cæterisque facilius inquinantur & moriuntur.

XXIII. Tumores citò prodeuntes indicabant robur naturæ, quæ magna vi adversus venenum pestilens insurgebat, idque foras propellebat.

XXIV. Ante febrem prodeuntes tumores indicium erant, à victrice natura venenum citius foras expelli, quam humorum putredo intus generari posset, eamque, si forte sequeretur & febrem produceret; leuem & non valde periculosam futuram. Post graviorem verò febrem emergentes tumores significavant cor dupliciter impugnari, & a veneno, & à graui humorum putredine, atque tam ab illius virulento furore, quam ab huius infesto ardore vehementer affligi, & his duobus magnis hostibus resistere vix par esse posse: quapropter multi tales tumores funestos esse scripserunt: verum nos illos potius valde periculosos esse dicimus; nam etsi cum illis plurimi in nostra peste mortui fuerint, multos tamen cum illdem euasisse vidimus.

XXV. Hoc infelix prognosticum, de tumoribus subitò in magnam molem excrescentibus, in hac peste fuit infallibile & certissimum. Quod ipsum quoque observasse videtur Paræus, qui *lib. 21. cap. 30.* de bubone sic inquit: *Lethale est tumores repente augeri, & furente velut impetu ad debitam magnitudinem peruenisse, summaque omnia doloris, tumoris, & ardoris symptomata subito & momento hausisse. Visi sunt nonnunquam bubones colore nativæ cutis similes, cætera tumoris œdematosi æmuli, qui tamen mox ægrum ad exitium præcipitant, eorum more qui lividi & atri existunt.*

XXVI. In bubonibus diversi coloris circulus maximi veneni index est, quod non tantum tumorem, verum etiam mortificationem

parti

parti infert, & ad vicinas partes ulterius proserpit.

XXVII. Huius, ut & 29. prognostici ratio est, quod subsidentia bubonis aut carbunculi, quæ fit manente febre & morbi vehementia, significat veneni pestilentis ad partes principes recursum, & cordis dejectum robur, quod iam à maligna pernicie nimis obrutum, incipit succumbere, neque amplius intestinum hostem è suis penetralibus expellere potest.

XXVIII. Tumores post febrem euanescentes, venenum vel edomitum, vel penitus extinctum ac euictum, vel foras electum & dissipatum indicabant.

XXIX. Rationem prognostici 25. pete ex annotatione 26. ut & ex præcedentis capitis annotatione 3. Idem prognosticum etiam annotasse videtur Ioannes Morellus, nam *lib. de febr. pest. cap.* 5. scribit, se observasse illos, quibus circa fauces effloruit carbo, cita morte fuisse peremptos: periculosum quoque esse carbunculum qui fit in inguine.

XXX. Docent Medici, carbunculos, quo longius à corde erumpunt, eo minus esse periculosos. Nos tamen e contra in hac peste, experientiâ edocti, frequentissimè obseruauimus, carbunculos in manuum vel pedum digitis, præcipuè in extremis eorum articulis emergentes, semper mali ominis fuisse, & cum huiusmodi carbunculis paucissimos euasisse: nam licet sæpe ægri cum illis adhuc per sex septemve dies superuiuerent; tandem tamen moriebantur. In talibus carbunculis etiam periculum aliquod animaduertisse videtur Actuarius, qui *Method. Medic. lib.* 2. *cap.* 12. sic inquit: *Qui carbunculi carni tantum insident, breui spatio circumscribuntur: qui verò in membranis aut neruis nascuntur, longo tempore durant, & subiecta loca in affectionis consensum protrahunt, adeo ut inflammatio, quæ erysipelatis naturam sapit, in ys excitetur.* Quod ipsum quoque confirmat Paulus Ægineta, *lib.* 4. *cap.* 26.

XXXI. Galenus, 3. *epidem. com.* 12. pestiferum carbunculum vocat pernicioſissimum, quia nihil salutiferi secum fert, & pestilentis veneni index est: ergo quanto maior carbunculorum est numerus, eo plus & fortius venenum intus latêre, ac grauius periculum impendere significatur. Quapropter minimè audiendus est Mercurialis, qui, *lib. de pest. cap.* 18. & 29. scribit, carbunculos, quo plures sunt & latiores, eo magis salutem promittere. Quam opinionem cum illo multi alii Medici (fortè in peste maiores Theorici, quam Practici) confirmant, propterea quod solum expultricis facultatis robur intueantur, de causæ verò summa magnitudine parum solliciti sint, quæ tamen illud magnum robur facile dejicere potest. Plures autem carbunculos paucioribus esse periculosiores, in hac peste millies vidimus: neque id à nobis tantum, verum ab aliis quoque Medicis, diu ante nos, notatum fuisse legimus: inter nouissimos, se illud etiam obseruasse testantur Daniel Sennertus, Morellus, Lazarus Riuerius, aliique plures.

XXXII. Carbunculos latæ magnitudinis metuendos ac periculosos esse, docet ratio: nam, instar sphaceli, mortificationem in vicinas partes magis magisque extendunt, ita ut neque neruis, neque maioribus vasis, aliisve profundioribus partibus parcant. Hinc bene Paræus, *lib.* 21. *cap.* 33. inquit: *Ab eiusmodi abscessibus, magnitudine vastis, & adspectu horridis, mors vel toti animanti, vel certæ parti imminet.* Sic quoque scribit Ioannes Morellus: *Omnis carbunculos magnæ molis & magnitudinis horrendæ pertimescendus, cum præsertim serpit ad subiectas partes depascitur, veluti nos aliquando in faucibus vidimus, qui ad asperam arteriam usque, & in epigastrio, qui ad peritonæum rodendo perraserant.*

XXXIII. Multi magni nominis Medici has maculas, quocunque tempore prodeuntes, & præcipuè die decretorio apparentes, scribunt esse salutiferas, inde seducti, vel quod earum causam & originem (de qua latius egimus capite præcedente, in textu, & annotatione 7.) non satis cognouerint, & ipsum venenum pestilens per has maculas euacuari putauerint: vel quod sola inani speculatione ducti, grauissimo multa de peste scribant, cum nihil de ea viderint, nec quidquam de eius historia curiosè ad veritatem examinauerint. Quantumvis enim eorum rationes huiusmodi criticam euacuationem probare videantur, non esse tamen est, ut experientiæ, contrarium docenti, hac in parte cedant:

cedant: neque interest quam acutè & doctè de huius criseos bonitate disputent, si subrepens mors pendentis litis decisionem faciat. Nos semper obseruauimus exanthematum eruptionem symptomaticam, nunquam verò criticam esse, & semper naturam succumbentem indicare, multorum quoque spirituum vitalium internecionem seu extinctionem, nunquam verò naturæ victoriam significare. Neque aliter se res habere potest: nam in laudabili crisi expellitur materia morbifica, vel tota, vel ex parte, hic verò illa intus remanet, & ejicitur illius materiæ productum, nempe arteriosi sanguinis ab illa extincti & corrupti pars, (sicut interdum in hydrope dejicitur seroſæ saburræ pars, manente interim hepatis obstructione, debilitate, aliaue hydropis causa) ad hæc, post laudabilem crisim sequitur leuamen & sanatio, hic verò maius grauamen, & plerumque mors. Quapropter simul ac in hac peste exanthematum eruptionem animad vertebamus, omnem vitæ spem abjiciebamus, ægrisque omnia quæ petebant tunc ad lubitum dari concedebamus: quamvis enim per diem unum aut alterum (quod tamen rarum erat, nam plurimi post exanthematum eruptionem intra horas octo, duodecim, vel viginti, moriebantur) & sæpe quidem hinc grauibus, ut videbatur, symptomatis, vitam præ traherent, tandem tamen inopinanter extinguebantur. Dico, *inopinanter*, quia multos vidi adeo fortes, qui loquentes & ambulantes, ac nihil minus quam mortem expectantes, præter spem & opinionem subitò concederunt. Neque exanthematum multitudo (quam multi, tanquam salutarem laudandam censent) neque paucitas, maiorem vel minorem sanationis spem dabat: nam plures maculæ maiorem quidem venem violentiam & quantitatem, maiusque spirituum vitalium damnum indicabant, causam verò morbi nihil imminuebant: æquè cum paucis & paruis, quam cum innumeris majoribus per totum corpus copiosiùs erumpentibus moriebantur ægri: atque in tota hac truculentissima peste, unum solum cum exanthematibus purpureis copiosis euasisse vidimus, cuius historiam raritatis gratia libro quarto annotauimus. Post omnia lethalia signa hoc capite à nobis proposita, addam adhuc unum, quod vulgus notare solet, cuius mentionem faciens Franciscus Joel, *tom. 5. lib. 1. sect. 3.* sic inquit: *Remotum signum mortis est, nocturnum ad fenestras ægrotantis volatus, & infelix clamor.* Huic vulgus adhuc aliud addit, scilicet, coruorum volatus, & crocitatus supra ædes ægrotantis.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De Præseruatione à Peste.

CAPVT I.

DE PRÆSERVATIONE IN GENERE.

SI in ullis alijs morbis, certè in Pestilentia diligens Medici officium requiritur: quod duplex est, Corpora sana præseruare, & ægrota curare. Hinc duplex emergit remedium, Vnum φυλακτικὸν, alterum θεραπευτικὸν: illud sanitatem tuetur, ac imminentem morbum auertit: hoc præsentem morbum curat. Cum verò præstantius & optabilius, imò tutius sit, futurum morbum arcere, quam iam factum expellere; sicut tutius & melius est præuenire domus incendium, quam eiusdem igne iam flagrantis incendium extinguere: propterea, imprimis in Peste, illa Medicinæ pars, quæ de Præseruatione agit, alteri, nempe Curatiuæ, tanquam nobilior præterenda est, de qua etiam nos hoc secundo libro sermonem instituere decreuimus. Prophylaxis autem, seu præseruatio in duobus præcipuè consistit, nempe in remotione causæ agentis, & in præmunitione corporum aduersus illam causam. His indicationibus maximè tribus modis satisfit, Spirituali, Politico, & Naturali: atque hinc triplex resultat prophylaxis, Theologica, Politica, & Medica, de quibus singulis iam ordine dicturi sumus.

CAPVT II.

DE PROPHYLAXI THEOLOGICA.

CVm pestis sit morbus à summo Deo ad mortalium punitionem cœlitus immissus, (ut satis probauimus *lib. 1. cap. 8. annot. 1.*) difficulter eiusdem aduenientis inuasio auerti vel impediri, & inuadentis pernicies grauiter reprimi potest, quia in diuinis morbis humana auxilia plerumque silent, imò nihil prosunt, nisi per Diuini fauoris radios ad optatum actum promoueantur. Quapropter in hoc naturæ defectu altiora remedia ab ipso remediorum Creatore petenda sunt. Cum enim in plagis diuinitus immissis summi Dei iustitiam pari passu comitetur immensa atque imperscrutabilis eius Misericordia, ab illo summo Medico primarium auxilium petendum; neque amplius obdurandus animus, neque etiam in extremæ desperationis barathrum abijciendus, sed verè contritus, pœnitens, ac humiliatus, ante summi irati Numinis pedes deuoluendus, & deuotis precibus, (1.) ieiunijs ac eleemosynis iustissima eius ira placanda est, ut hoc modo imminens à plagis exitium, per immensam eius misericordiam, sisti & auerti possit: Hic est ille Deus qui sacrificijs & holocaustis non delectatur; cui spiritus contribulatus sacrifi-

cium est; qui cor contritum & humiliatum non despicit; qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & viuat; qui debilibus ipsemet auxilium offert, dum inquit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos*. Quapropter in pestilenti constitutione ad hunc misericordiæ fontem ante omnia confugiendum est, utpote in cuius solius potestate, ut pestilentem plagam immittere, sic eandem rursus auferre, consistit; utpote sine cuius auxilio frustra laborant omnes Medici. Itaque tam publicè (2.) quam priuatim supplices orationes, pœnitentia, suspiria, ac deuota ieiunia unanimiter Deo offerenda sunt, ut iis, tanquam dulci holocausto furor eius extingui, ac in misericordiam transmutari, & quemadmodum à Ninive interitus, sic ab afflicta regione Angeli percutientis gladius averti (3.) possit.

ANNOTATIONES.

1. QVantum ad afflictiones pœnasque diuinas (inter quas Pestis primarium locum obtinet) ceruicibus nostris imminentes, declinandas, valeant orationes è contrito ac pœnitenti corde prodeuntes, nemini ignotum esse arbitramur. Quapropter D. Bernhardus dicit, *piam & ex fide profectam orationem esse salutare in omnibus aduersis remedium, clauem Paradisi, scutum defensionis, in calamitatum æstu refrigerium, in morbis pharmacum, gladium contra diabolum, murum contra infortunium*. Deuotas preces ad morborum quoque sanationem prodesse, docet Iacobus Apostolus, *Epist. cap. 5. v. 15. Oratio fidei*, inquit, *seruabit ægrotum, & Dominus alleuiabit ipsum*. Idem illud quoque docet Ecclesiasticus, *cap. 38. vers. 9. Fili in tua infirmitate ne despicias temetipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te*. Omni verò tempore plagarum, atque etiam pestis, supplices ad Deum tulas orationes exaudiri, liquet ex 2. *Paralipom. cap. 6.* ubi Sacra Pagina hoc modo loquitur: *Si fames orta fuerit in terra, & pestilentia, aer corruptus, & ariditas, & locusta, & bruchus, & hostes vastatis regionibus portas obsederint ciuitatis, omnisque plaga & infirmitas presserit, si quis de populo tuo Israel fuerit deprecatus, cognoscens plagam & infirmitatem suam, & extenderis manus suas in domo hac* (nempe Templo) *Tu exaudies de cælo, de sublimi scilicet habitaculo tuo, & propitiaberis*. Ad hæc, *Ieremiæ cap. 3.* ipsemet Deus promittit se pœnitentes ac confitentes peccatores exauditurum. *Reuertere*, inquit, *Israel, & non faciam cadere iram meam super vos, quia sanctus ego sum, & in perpetuum non irascor, solum agnosce iniquitatem tuam*. Horum Sacræ scripturæ locorum veritatem ipsa experientia comprobauit in Rege Dauid, 4. *Regum cap. 24.* qui cum se coram Deo humiliasset, & peccata sua confessus esset, ac pœnitentiam egisset, cessauit pestilens plaga. Item in Ezechia Rege, *apud Isaiam cap. 34. & 4 Regum cap. 20.* qui similiter lachrymis & precibus ad Deum profusis, à pestilenti morbo & iam annunciata morte liberatus fuit. Hinc est quod Sauonarola, animaduertens, quam necesse sit ut homo reconcilietur Deo, non malè sic dicat: *Vt corpora munda præseruentur, fac ut anima tua primo mundetur, & sic Deus misericors te ab ipsa peste præseruabit*. Sic etiam Iacobus Horstius, eodem fere sensu sic inquit, *in consil. de peste: Pestilentia in peccatorum infinitorum à nobis commissorum vindictam, tanquam hostis vitæ & naturæ infensissimus, à Deo immittitur: ad cuius ablationem nō tam ad ordinaria Medicinæ principia, quam piacula, deuotas preces, & veram cordis pœnitentiam Deo summo litandam, confugiendum est*. Similiter etiam Alexander Benedictus, *lib. de pest. cap. 1.* dicit: *Hic supplicationibus, votis, ac expiationibus duntaxat locus est, quibus rite pestilentiam repercutimus, vel submouemus, vel aliquando differimus*. Idem, *sequente cap. 6.* hæc habet: *Fatalis pestilentia, diuina plerumque ulciscendi vindicta mortalibus ob merita dimittitur; & à summo Deo suspensa quandoque relinquitur ob præces admotas, vota que suscepta, quibus salus publica regionibus multis restituta est. Hæc prima sunt nobis præsidia*,

dia, quibus nulla præsentior medicina habetur: id sæpius viderunt maiores nostri inter religionis Christianæ exempla admirabilia. Has orationum vires in peste etiam Gentilibus ignotas nō fuisse, apparet ex Auicenna, qui, 4. *Method. cap.* 1. inquit: *Ob has causas prosunt hominibus orationes & sacrificia.* Et alibi dicit: *Ira Dei reconciliatur sanctis ac deuotis precibus.*

II. Tempore pestis non tantum olim, sed etiam hodie apud Christianos, laudabili instituto, publicæ supplicationes & ieiunationes indici consueuerunt, quarum non semel maximi effectus fuere. Sic testantur Historici quondam Massiliæ deploratissimam pestem solis orationibus & ieiunijs extinctam fuisse: idemque etiam Romæ, tempore Gregorij Papæ, contigisse; ut & Papiæ, referente Paulo Diacono, *lib. 6. de bello Longobard. cap.* 3. nec non apud Bulgaros, teste Georgio Cedreno, *in suis Hist.* Eundem morem ipsis quoque gentilibus familiarem fuisse, legimus apud Titum Liuium, 11. *histor.* ubi scribit de peste quæ tunc sæuiit: *Supplicatio per omnia pulvinaria indicta per diem unum, & Coss. ediderunt ut per totam Italiam triduum supplicatio & feriæ essent.* Sic in pestilentia quæ proximè sequenti anno secuta est, inquit: *Decemviri supplicationem in biduum, valetudinis causa, in Vrbe, & per omnia fora conciliabulaque edixerunt; maiores duodecim annis omnes coronati, & lauream manu tenentes supplicauerunt.* Idem, *lib.* 41. de alia peste inquit: *Consul Apollini, Æsculapio, Saluti, dona vouit, & dedit signa maurata.* Ita L. Ebutio, & P. Seruilio Coss. in grauissima peste etiam publicè summa deuotione ad Deos concursum fuit: *Supplicatum est*, inquit, *in omnibus templis, matres passim stratæ crinibus templa verrebant, cœlestium irarum veniam pacemque poscentes.*

III. Quæritur, anne tempore pestis etiam confugere liceat ad Magicas & diabolicas artes: cum testentur Historici, violentissimas pestes his artibus non semel sedatas & extinctas fuisse. Sic refert Diodorus Siculus quendam Aristæum immolatis victimis ardores Syrii mitigasse, & adductis etesiis Græciam à peste liberasse. Etiam scribit Suidas, Iachen Ægyptium carminibus, non solum variorum morborum curationem feliciter peregisse, sed Ægyptum etiam à maxima peste liberasse. Refert quoque Paulus Iouius, *Hist.* 21. (cuius historiæ etiam meminit Gilbertus Cognatus, *lib.* 8.) tempore Adriani Sexti, Pontificis, furiosissimam pestem, Romam miserè affligentem, tandem extinctam fuisse præstigijs & carminibus Demetrij Spartani, qui ferum taurum, verbis nonnullis in aurem intusurratis, mansuefactum reddidit, & postea immolauit, atque sic ab illa inanis sacrificij litatione mitescere cœpit morbus. Nos dicimus artes diabolicas è Christianorum ecclesia ad inferorum domicilia ablegandas, neque unquam à vero Deo ad condemnatorum diabolorum opem confugiendum esse, imò ne credendum quidem pestes aliasve plagas, per diaboli propriam voluntatem ac potestatem vel inferri, vel auferri posse, sicut *lib. 1. cap. 8. annot. 1. problem.* 3. fusius demonstrauimus.

CAPVT III.

DE PROPHYLAXI POLITICA.

PRophylaxis Politica consistit in officio Magistratuum (1.) quorum munus est publica auctoritate impedire, ne pestilens contagium intra urbes recipiatur, (2.) & curare, ut vel cælitus immissum, vel aliunde cum fomite allatum, non multum dilemetur, sed citissime extinguatur. Vt hæc bene peragantur, præmissis primo supplicationibus publicis (de quibus præcedente capite dictum) amouendæ sunt omnes occasiones, quibus aer vitiari, contagium propagari, & corpora ad pestem disponi possunt. In eum finem diligenter cauendum est, ne promiscue omnes aduenæ & peregrini (3.) è suspectis præcipuè locis venientes, admittantur: ne etiam vestes, supellectilia (4.) alia-

ve antiqua, vel etiam lanea, linea, gossypina, ac similia mercimonia; ex iisdem locis delata, intra urbes recipiantur. Deinde oportet, ut sub graui pœna edicto publico prohibeant, ne quispiam incolarum ullas sordes vel fæces, multò minus excrementa (5.) ægrorum, stramina in quibus ægri vel mortui decubuerunt, aquam saponatam (6.) in qua sordida lintea mina lota sunt, canum aliarumque mortuarum bestiarum (7.) cadauera, stercora (8.) quælibet, bestiarum mactatarum sordes, aliaue quascunque res putridas ac fœtentes, in vias publicas eiiciat: omnium verò maximè impediant ne ullæ putridæ, fœtentes, aliove modo inquinatæ sordes in puteos aquaticos (9.) publicos injiciantur. Adhæc ne sani promiscuè cum infectis conuersentur: ne ex infectis ædibus exeuntes, aut eas inhabitantes, unquam in publicum prodeant absque bacillo (10.) albo, aliove signo, quo ab alijs distingui & internosci possint. Ne suppellectilia qualiacunque, ex ædibus infectis delata, intra anni spatium (11.) publicè vendantur, vel ad alias, nondum infectas, ædes deportentur. Ne mortuorum cadauera ultra biduum (12.) asseruentur. Præterea oportet ut, pro sua auctoritate, publicè iubeant, ut omnes & singuli ante suas ædes quotidie diligenter expurgent plateas, compita, vicos, & aquarum compitalium ductus: ut cloacæ, (13.) publica fimeta, aliaque loca vulgi sordibus colligendis dicata, per certos homines isti operi destinatos & assuetos, sæpius expurgentur: ut ædes infectæ occludantur, (14.) & aliquo signo foris præfixo notentur, sicque alij ab earum ingressu arceantur: ut pauperum ægroti ad nosocomia, (15.) solis pestiferis excipiendis destinata, quam primum deferantur. Ad hæc consultum est, aquis stagnantibus, (16.) si quæ in urbibus fuerint, flumina vel riuulos currentes (dummodo id fieri possit) immittere, ut per continuum fluxum à putredine præseruari possint: vel si hoc fieri nequeat, easdem exsiccare, & terra replere: si neque hoc, tunc excrementorum, cadauerum animalium aliarumque sordium injectionem strictissimè vetare. Requiritur etiam, ut Magistratus certos viros constituant, qui diligentem rationem habeant publicæ venditionis annonæ (17.) & prohibeant ne frumenta quæ situm contraxerunt, aliove modo corrupta sunt, ne carnes, volatilia, pisces, oua, aliaque similia, morbosa, corrupta, vel putrida, ac malè olentia vendantur: ne in macello, aut apud lanions mactentur boues, oues, porci, aliæve bestiæ ægrotantes: ne fructus horarij facile corruptibiles & praui succi seu nutrimenti (quales sunt cucumeres, pruna, melones, persica mala, aliique similes) ad eorum deferantur. Item ut alios constituant viros, qui pauperum (18.) rationem habeant, atque illis res necessarias e publico ærario suppeditent, & diligentem ædium, linteamentorum, vestium, aliarumque rerum domesticarum quotidianam expurgationem strictè injungant: ac curam quoque gerant, ut per totam urbem omnes quorumcunque ciuium infectæ ædes, post paucarum septimanarum ab ultimo in iis mortuo, quietem, diligenter expurgentur, (19.) omniaque supellectilia bene emundentur. Denique necesse est, ut encænia, nundinas, comediarum spectacula, aliosque maiores publicos conuentus (20.) inhibeant. Maximè etiam requiritur ut aliquos boni nominis doctos ac peritos Theologos, Medicos, & Chirurgos eligant (21.) qui ægrorum pestiferorum diligentem curam habeant; utque hi alacrius magisque intrepidi periculosissimum hoc munus (22.) obeant, liberali & annuo stipendio ex ærario publico dotandi sunt. Non minus etiam requiritur, ut multos noncitos viros, (23.) de quorum vitæ probitate constet, nec non aptas ac fidas mulieres sub publico iuramento constituant, qui ægrotis ubique inseruiant, & si ab iis aliquod improbitatis, furti, homicidij, aliusve sceleris signum peractum intellexerint, ut statim severissimè tales puniant, atque exemplo constituant,

I. Ex

I. EX prædictis illis, durante hac peste, Noviomagi paucissima tantum leges conformatæ & publicatæ sunt, neque adhuc postea earundem exacta aliqua ratio habita fuit: quia Magistratus Noviomagensis eo tempore gravibus bellorum turbis & hostium vicinia tantopere intricatus, & ut inde se aliquo modo expediret, adeo occupatus erat, ut intestini mali, scilicet Pestis, non nisi minorem curam habere posset. Hæc de causa in morbi principio contagii semina longè lateque disseminata fuerunt, ita ut intra paucos menses venenum pestilentis furor totam civitatem occuparet, cui certè bonis legibus, tempestive institutis, multum obviam iri potuisset.

II. Solet semper in omni peste, si initia periculi contemnantur, & contagii propagatio citissimè non impediatur, postea vix ullo consilio succurri posse. Quapropter necesse est, ut in ipso principio strictis legibus obviam eatur illis erroribus quibus tanto hosti liberior introitus præbetur, ut vix locum aliquem ingressus, antequam ibi firmam sedem figat, rursus ejiciatur, nam

Ægrius ejicitur, quam non admittitur hospes.

III. Multoties docuit experientia, peregrinos ex infectis locis venientes, sæpe contagium pestilens, vestibus aliisve suis rebus innatens, ad alias urbes & regiones detulisse, itaque hoc pacto pestilentem labem communicasse. Ab hac causa refert Mercurialis pestem Venetam sui temporis initium sumpsisse: qualia exempla plura enarrantur à Ioanne Evvichio, *lib. 1. de offic. Magistrat. cap.* 10. Ab hac occasione etiam anno 1603. initium sumpsit pestis Amsterodamensis, propterea quod navem unam aut alteram ex Algeria & Smyrna (quibus in locis, & tota Græcia, pestis crudeliter grassabatur) admitterent, & peregrinos inde venientes nimis imprudenter intra urbem reciperent, quorum multi peste correpti primò hospitia sua infecerunt, ab hinc que malum ulterius per urbem disseminatum fuit. A multijuga huius rei experientia prodiit ille ordo, in Italia, Gallia, Hispania, multisque Germaniæ locis famigeratus, nempe, ut neminem, licet sanum, ex infectis locis venientem, intra alias urbes recipiant, nisi post quadragesimum ab exitu è tali loco diem; certissimum judicantes, eum qui per quadraginta dies continuos extra locum infectum sanus vixerit, nullo contagio infectum esse, qui ordo nobis quondam in itinere Gallico haud parum molestus fuit, ac interdum ille mendacia extorsit, ut iis mediantibus alicubi hospitio excipi possemus; nam adeo ab huiusmodi peregrinis abhorrebant passim homines, ut eorum neminem intra ædes suas admittere vellent. In multis quoque locis omnia commercia ad infecta loca omnino prohibentur, & merces ex infectis locis allatæ non admittuntur.

IV. Testatur Fracastorius, *lib. 2. de morb. contag. cap.* 7. Anno 1511. cum Germani Veronam tenerent, exorta peste, qua hominum fere decem millia periere, ex una veste pellicea non pauciores quam quinque & viginti Teutones obiisse; uno defuncto, alius induebat eam vestem, donec monefacti ex tot defunctis, vestem combussere. Contagii enim fomes inprimis vestibus, ut & laneis, lineis, aliisque similibus suppellectilibus ac mercibus diu inhærere solet, nec quidquam est per quod magis communiter disseminetur, & ad alia loca deferatur, non tantum ad propinquas ædes vel civitates, verum etiam ad longissimè dissitas urbes & regiones, cuius rei exempla extant apud Appianum Alexandrinum, *lib. de bello Illyrico*, Fracastorium, *lib. 2. de morb. contag. cap.* 7. Mercurialem *de peste cap.* 1. Alexandrum Benedictum, *de peste cap.* 3. Evvichium, *loco proximè citato.* Trincavellam, *lib. 3. Consil.* 17. Forestum, *lib. 6. Observat. 22. in scholio.* Erasmum Heidenum, *in orat. de contag.* aliosque plures.

V. Sordes & fæces putridæ fœtore suo aerem inquinant: excrementa vero ægrorum, cum sint contagiosa, facile quoslibet transeuntes inficiunt: hinc quoque stramina quibus incubuerant ægri & mortui, non semel alios contagium intulisse, observauimus.

VI. Hoc pestis tempore animaduertimus fœtorem illum qui excitabatur ab aqua lixiuata, in qua sordida linteamina lauabantur vel lota erant, & ægris & sanis maximè noxium fuisse. Illud enim notatu dignum sæpissime obseruauimus, nempe in illis ædibus in quibus nulla adhuc pestis erat, si linteamina sordida aquâ & lixiuio nostrate (ut in Belgio moris est) illic

lixa

lauarentur, eō ipso die, vel interdum postridie duos treſve simul peste correptos fuisse, ipsique ægri testabantur fœtorem aquæ saponatæ illis primam & maximam alterationem intulisse. Hoc ipsum quoque in mei ipsius hospitio infelix experientia docuit, in quo post lota linteamina statim grauem alterationem perceperunt plerique domestici, & proximè sequenti nocte tres peste correptæ, ac breui post mortuæ fuere, nempe hospitis mei filia, ancilla, & alia lotrix forinsecus aduocata, quæ etiam omnes conquerebantur mali principium ipsis ab aquæ saponatæ nauseabundo fœtore inductum fuisse. Quin imo interdum integras familias post sordidorum linteaminum lotionem peste infectas fuisse vidimus, idque maximè in ædibus angustioribus, in quarum omnia cubicula dictæ calentis aquæ fœtidus vapor facile penetrabat. Ego ipsemet, si aliquas ædes intrarem ubi sordida linteamina lauabantur, statim sentiebam me ab aquæ saponatæ fœtore ad nauseam & vomitum prouitari, cum tamen extra pestem huiusmodi fœtor me planè non afficiat. Hinc tandem per multijugam experientiam Noviomagi factum est, ut plurimi hunc fœtorem non minus, imò magis, quam ædes infectas fugerent; & multi quoque melioris fortunæ ciues, aliorum periculis prudentiores redditi, sordida sua linteamina passim foris lauari curarent, à lotricibus illi operi ac fœtori assuetis. Quemadmodum autem saponis fœtor sanis nocebat, ita quoque ægris multum oberat: idque sæpissimè animaduertimus in delicatioribus, aliisque qui sordida linteamina tali ratione renouarent; cum enim post sudores indusia vel alia linteamina renouarent, & cum mundis mutarent (licet ita optimè calefactis) semper quatuor aut sex horis post multo peius se habebant; anxietates, vomitum, febres maiores, capitis dolores, aliaque incommoda plura incurrebant; eaque omnia maximè oriebantur à saponis fœtore, quem lota, quamvis optime sicca, linteamina plus minus retinent. Non autem hæc mala producebantur à frigore (ut quispiam existimare posset) in hac linteaminum mutatione corpus facillimè subeunte, & poros cutis occludente, nam vltus contrarium docebat; quia si ægris inducrentur talia indusia quæ ab alio quopiam sano homine prius per tres quatuorve dies gestata fuerant, quorum saponis fœtor iam à sani corporis calore discussus erat, tunc illa nullum nocumentum interebant, quod alioqui per illud ipsum frigus tunc fieri debuisset. Hanc ob causam ego in meis ægris renouationem seu mutationem indusiorum ante diem septimum, vel in aliquibus ante decimumquartum (pro morbi & ægri conditione, sordiumque copia) non desiderabam, atque tunc adhuc semisordida, ab aliis sanis per aliquot dies gestata ipsis indui curabam, & immunditiem munditiei in hoc casu præferebam, cùm hanc grauiter nocere, illam verò prodesse, nec vllum vnquam incommodum ab indusiorum sudoritero fœtore sequi, obseruarem. Linteaminum renouationes tantopere nocuerunt ægris, vt etiam imperitum vulgus, tristibus plurimorum exemplis edoctum, hac cane peius & angue fugeret, & vrgente aliqua necessitate, non alia quam semisordida indusia ab aliis sanis per aliquot dies prægestata induere vellet. Huic nostræ obseruationi vnanimiter obsistunt omnes Medici, qui hactenus de Peste scripserunt; nec quemquam inuenias qui non suadeat, post copiosos sudores indusia aliaque linteamina sudore madentia (quibus malignitatem, aliquam per sudores expulsam inhærere arbitrantur) abijcere, aliaque nitida induere, quorum opinioni ego ipsemet etiam antehac subscripsi, &, si solam speculationem sequerer, adhuc fortè subscriberem, nisi me fere nolentem quasi vi, ab illa discedere coegisset multiplex experientia.

VII. Inueniuntur nonnulli qui putridos & corruptos fœtores cadauerum animalium, aliarumque similium rerum putrescentium, pro amuleto esse credunt, eodem modo sicut aliquando vnum venenum alterius veneni vim intringit. Atque ea ratione ducti suadent feles, canes, aliaque inutilia animalia trucidare, & in vias publicas proijcere, vt ibi putrescant, & aerem teterrimis fœtoribus implent: quo modo olim Medicum quendam a peste Scythiam liberasse aiunt (quod illius Medici experimentum etiam Alexander Benedictus, *lib. de febr. pest. cap. 6.* ex relatione cuiusdam mercatoris referre & confirmare non erubescit;) suadent etiam quotidie fœtidissimarum cloacarum

rum aut latrinarum teterrimum nidorem olfacere. Hoc modo dicunt naturam citra vitæ periculum adversus pestilentis aëris malignitatem ita confirmari, ut postea eandem planè negligat. Opinionem hanc confirmant exemplis vespillonum, qui ægrotis continuè inseruientes, pestilenti malignitati assuescunt, ita ut ægrorum fœtores & excrementa contagiosa innoxiè tractent & ferant: præterea exemplis cerdonum, coriariorum, eorumque sordidorum hominum qui latrinas & cloacas expurgant, quos malignis fœtoribus assuefactos, tutius peste infestari tradunt. Verum non sunt audiendi huius fœtidæ opinionis patroni, cum putridos fœtores semper febres pestilentes inducere, & corpora ad pestilentem malignitatem facile suscipiendam disponere, ac per consequens pestem semper multum augere, experientia doceat. Telles sunt Diodorus Siculus *lib.* 14. Ioſ. Cuspinianus, *in vita Henrici* I. *Imp. & in vita Ludouici* II. *Imp.* Iulius Alexandrinus, *de bello Punico lib.* 6. Forestus, *lib.* 6. *Obseruat.* 9. *in scholio*. Michaël Saxo, 2. *part. Chronic. Cæsar.* Paræus *de peste cap.* 3. aliique plures, cum Medici, tum historici, inprimis illi qui diuturniores urbium obsidiones describunt, qui omnes plurimis exemplis putridorum fœtorum noxas annotarunt. Ad probationem dictæ opinionis nihil etiam confert exemplum Scythiæ, utpote quod pro fallo & incredibili habendum est, cum planè non constet quo tempore, & a quo Medico pestis tali modo fugata fuerit: & quamvis istius historiæ meminerit præclarus Medicus Alexander Benedictus (nemo enim alius, quod sciò, illius meminit, nisi ex Alexandro Benedicto citati) hoc tamen nihil ad rem facit, nam & ille deceptus fuisse potuit, nimis facile fidem præbens rumori, qui sine auctore in ore solius populi vagatur, quem ipse Alexander etiam non ex sese, tanquam de re sibi visa, sed tantummodo ex cuiusdam mercatoris (quorum multi latis splendidè mentiri norunt) relatu describit. Male etiam per exemplum vespillonum docere nituntur, naturam citra vitæ periculum putridis malignis fœtoribus assuescere, & consuetudine ita aduersus pestilentem malignitatem muniri posse: nam in principio pestilentis constitutionis, etiam plurimi moriuntur vespillones, nec quidquam illis prodest fœtorum consuetudo: illi verò soli superstites manent, omnesque venenosos pestilentes halitus innoxiè ferunt, quorum occulta temperamenti proprietas veneno pestilenti resistit, atque hi postea tuti omnibus pestiferis inseruiunt. Hinc fit quod in pestis principio plurimi vespillones moriantur, illi scilicet qui illam occultam temperamenti qualitatem non habent: & quod postea in progressu pestis pauciores vespillones moriantur, quia vix alii supersunt quam illi qui occultam istam dispositionis proprietatem pesti contrariam habent. Sic quoque cerdones, coriarii, aliique eius generis homines, à peste nō magis immunes sunt quam alii, imò ea grauius plerumque affliguntur: refert enim Palmarius, cum pestis inuadit eam urbis Parisiorum partem in qua sordidi illi mechanici habitant, illam nusquam grauius sæuire. Itaque explodendum est fœtidum illud pro putidis putridisque fœtoribus allatum patrocinium. Grauibus & insuauibus potius, quam suaveolentibus, odoribus se assuefacere, etiam nos laudamus, (ut docemus sequenti cap. 5.) sed minimè putridis ac corruptis.

VIII. Sennertus præcipit ut viæ publicæ inprimis mundentur à stercore suillo & anserino, quia illud fœtore suo spiritibus & cerebro intentissimum esse, ac præ cæteris ad contagium propagandum multum facere, dicit. Sic quoque Vnizerus porcorum inprimis stercora abominatur: *Magistratus*, inquit, *officium erit, sedulo cauere ne in urbibus cives ac incolæ prope ædes suas, aut saltem in interiore earum parte, haras aut suilia erigant aut construant, in illisque porcos magno numero alant ac saginent, cum hac re nihil perniciosius ciuitati, præsertim tempore grassantis pestis, possit contingere, propagata per eam tanquam fomite aptissimo, contagione virulenta, & ad plures celerrimè translata.*

IX. Puteorum publicorum inprimis diligens ratio habenda est, præcipuè in illis ciuitatibus in quibus, sicut Noviomagi, ad omnes necessarios usus puteali aqua, tanquam clarissima & optima, semper utuntur. Nihil enim est quod pestilens seminarium magis disseminare possit, quam huiusmodi puteorum publicorum infectio. Non semel malignorum, ac sceleratorum

rorum hominum perfidiâ, qui carbunculos è cadaueribus extractos, pus & saniem ex ægrotorum abscessibus effluentem, ac spumam ab agonizantium ore pendulam, in puteos proiecerant, pestes citissimè propagatas, multumque aggrauatas fuisse, legimus; cuius memorabile exemplum refert Ewichius, *de offic. Magistrat. lib. 1. cap. 20.* de Germaniæ quadam urbe, in qua vespillones tabo ac maligna purulenta materia ex apostematibus pestiferis effluente puteos infecerant, sicque multos, qui aquis istis utebantur, infecerant, & interemerant. Neque id mirum, cum enim omnes incolæ ad ciborum coctiones, lotiones, & alios usus illa aqua intrepidè utantur, absque ullius mali suspicione, quomodo potest non disseminari contagium? Nos Noviomagi in puteum illum qui est in Magna platea, una quadam nocte plures quam quadraginta glires (procul dubio peste, aut saltem veneno enecatos) à nebulonibus iniectos fuisse, nouimus, & postridie profundissimum illum puteum hanc ob causam summa cum molestia semel atque iterum penitus euacuatum & expurgatum fuisse; vidimus.

X. Periculosa est conuersatio cum iis qui inter infectos versantur, præcipue cum vespillonibus, aliisque qui illis perpetuo inseruiunt; ac propter ea eorum consortium fugiendum est, quia ut plurimum in vestibus suis circumferunt contagium, ipsis quidem, propter certam dispositionis proprietatem, plerumque innoxium, aliis verò damnosissimum. Ac propterea strictè iubendum est, ne tales in publicum prodeant, nisi aliquod signum gestantes, quo ab aliis cognosci, eorumque consortium euitari possit. Hac in parte adeo curiosi seu exacti sunt Itali, ut etiam publico edicto prohibeant conuersationem cum iis Sacerdotibus, Medicis & Chirurgis, qui ad curationem ægrorum pestiferorum destinati sunt.

XI. Maximo errore Noviomagi permissum fuit, supellectilia ex infectis ædibus delata mox publicè diuendere. Multoties una die ad sepulturam delatis mortuis, postridie, vel intra paucos dies publica auctione vendebantur lecti ab ægrorum excrementis grauiter adhuc fœtentes, tegmina, vestes, omnesque aliæ res domesticæ nondum purgatæ: qui error quantum fecerit ad contagii propagationem, innumera docuere exempla, ut inter alia illud cuiusdam rusticæ Batauensis, quæ cum in tali auctione lecti tegmen emisset, idque domum veniens suo ipsius lecto imposuisset, prima nocte una cum marito peste infecta, & postea mortua fuit: item aliud exemplum militis cuiusdam nobis noti, habitantis, in ultimo angiportu prope portam Hesiam, qui cum in simili auctione pro filiolo suo vestimentum parvo pretio emisset, filiolum & veste, & peste simul vestiuit, quæ labes ad ipsum, uxorem, & reliquos liberos transcendens, omnes enecauit. Magistratus Noviomagensis cum Phrygibus serò sapiens tandem, postquam intestinus hostis iam firmissimas radices egisset, prohibuit huiusmodi supellectilium venditiones solummodo per tres menses: profectò longè præstitisset in ipso mali principio illas potius per tres annos prohibuisse.

XII. De cadaueribus peste extinctorum, sint ne contagiosa nec ne, & anne magis vel minus contagiosa existant, quam pestiferorum viuentium corpora, controuertitur apud Medicos. Fracastorius, *lib. 1. de contag. cap. 12.* inquit: *Mortuum autem animal contagionem eam non seruat, qua tenebatur viuens, quoniam seminaria contagionis una cum calore innata, extincta sunt.* Sic etiam Rondeletius scribit, corpora mortuorum nullum amplius venenum coniunctum habere, mortuoque animali, perire omne venenum; idque probat ab experientia, dicens se aliquando multis spectantibus absque ullo damno corpus peste extinctum in Theatro Anatomico dissecuisse. Hanc opinionem probat etiam Iordanus, dicitque illud fieri, quia magnus venenatus halitus, aliorum calori natiuo infestissimos, exhalat è corpore viuente, qui è corpore mortuo nullus exit, utpote in quo venenum illud, una cum calore, euanescit & emoritur. Cum Iordano consentit Gregorius Horstius, *lib. de morb. cauſ. exercit. 5. quæſt. 14.* Contra vero Zacutus Lusitanus, multique alii clarissimi viri, multo maius contagium metuendum esse à cadauere peste extincto, quam à corpore viuo peste infecto: idque Ioubertus, *lib. 7. de pest. cap. 3.* dicit fieri, quia extincto calore natiuo (qui alioqui in viuen-

viuentibus veneni ferociam reprimere solet) uniuersum corpus à veneno occupatur, quod tunc non tantum multo ferocius, quam antea, dominatur, verum etiam ab insequente putredine multum augetur & exasperatur. Hanc sententiam confirmare videtur historia Diodori Siculi, qui *lib.* 14. refert, ob multitudinem cadauerum insepultorum, pestem Athenienſem maxima incrementa sumpsisse. Sic quoque Zacutus Lusitanus, *lib.* 3. *Prax. admir. obseru.* 42. dicit se vidisse plures, corpus peste emortuum ex agro, ubi iacebat, per tunes super tabulas deportantes, qui omnes unius dici spatio peste correpti occubuerunt. Nos ad controuersiæ huius decisionem dicimus, cadaueris tempus distinguendum esse in tres partes. 1. Cum cadauer peste extinctum primis horis adhuc calet. 2. Cum cadauer tam diu mortuum fuit, ut planè refrigeratum sit. 3. Cum cadauer tam diu extinctum iacuit, ut iam putredinem contrahere incipiat. In primo tempore cadauer magis contagiosum est, quam corpus viuens peste infectum: *primo*, quia venenum pestilens in illo cadauere adhuc ferociter dominatur, ut docent bubones & exanthemata, quæ nonnullis dum moriuntur, alijs statim post mortem erumpunt: *secundo*, quia venenum violentia a calore nativo amplius non coercetur: *tertio*, quia halitus illi qui è morboso viuente corpore prodeunt, cum tenues sint & à magno calore propulsi, eodemque comitati, facile dispelluntur, nec alijs multum adhærent, atque minorem malignitatem sibi coniunctam habent: contra verò halitus qui è cadauere adhuc caiente exeunt, ab exiguo calore propulsi, non attenuantur, nec satis discutiuntur, sed prope cadauer hærent, magnamque simul iunctam malignitatem in se continent, & propter deficientem calorem incraſſati, ac viscositate quadam præditi, facilime alijs corporibus adhærent, eaque inficiunt. Eodem modo hic processus fit sicut in lampade ardente, cuius vapores quousque a luculenta flamma dispelluntur & attenuantur, minimè molesti sunt, at extinctâ flammâ illi vapores magno calore priuantur, & exudat ab elychnio adhuc calente crassus, tetricus ac viscosus vapor omnibus facile adhærens, maximeque infestus. In secundo tempore cadauer multo minus contagiosum est quam corpus morbosum viuens, quia ob frigiditatem & extinctionem caloris nativi pori sunt adstricti & occlusi, humores & spiritus amplius non agitantur, nullæ vel pauciſſimæ fiunt exspirationes, & veneni intus latitantis actio (quæ à calore & motu antea excitabatur) languida ac torpida reddita est. In tertio tempore cadauer rursus multo magis contagiosum euadit, quam corpus morbosum viuens, quia tunc quod antea languidum latebat venenum, vi caloris externi non solummodo in actum rursus promouetur, verum etiam ab insequente putredine multum exasperatur. Hinc fit quod ijs in locis, ubi peste mortuorum cadauera diu insepulta manent & putrescunt, pestis breui tempore multum increscat, ut patet ex Diodori Siculi citata historia. Hac consideratione ducti omnes præclariſſimi Medici, qui de Peste præcauenda scripserunt, unanimi consensu statuunt, peste interemptorum cadauera citò terræ esse mendanda, (nempe antequam putrescere incipiant) & quidem in sepulchris altius effossis, atque, si fieri possit, longius extra urbes in locis solitarijs, soli peste mortuorum sepulturæ dicatis, ne fortè ulli adhuc vapores vel halitus è cadaueribus illis surſum extra terram efferantur & alijs noceant; quemadmodum illud Noriomagi in hac peste non semel factum fuisse nouimus, ubi in ipso Templo maiore, ob sepulchra nimis multis cadaueribus repleta, & pauca terra negligentius contecta, cadauerum pestilens fœtor exspirans non uni exitiorum contagium intulit. Quapropter non sine ratione dicebat Zoar, antiquiſſimus Medicus, pestilum esse tempore pestis habitare in locis mortuorum monumentis propinquis. Porro, quantum ad illud quod Fracastorius, Rondeletius & Iordanus credunt, venenum pestilens in cadaueribus, planè mortuis esse, atque illa omni contagione carere, quia multi innoxiè cum ijs conuersantur, eaque contrectant; dicimus, non tantum cum pestiferis cadaueribus, sed etiam cum ægrotantibus vivis multos tutò conuersari, non quod ægri aut cadavera contagiosa non sint, sed quod illi, qui cum iis tutò conversantur, non habeant aptam dispositionem ad recipiendam pestem. Ad hæc si velis, aliaque supellex possit esse fomes vene-

cedant: neque interest quam acutè & doctè de huius criseos bonitate disputent, si subrepens mors pendentis litis decisionem faciat. Nos semper obseruauimus exanthematum eruptionem symptomaticam, nunquam verò criticam esse, & semper naturam succumbentem indicare, multorum quoque spirituum vitalium internecionem seu extinctionem, nunquam verò naturæ victoriam significare. Neque aliter se res habere potest: nam in laudabili crisi expellitur materia morbifica, vel tota, vel ex parte, hic verò illa intus remanet, & ejicitur illius materiæ productum, nempe arterioſi sanguinis ab illa extincti & corrupti pars, (sicut interdum in hydrope dejicitur serosæ saburræ pars, manente interim hepatis obstructione, debilitate, aliaue hydropis causa) ad hæc, post laudabilem crisim sequitur leuamen & sanatio, hic verò malus grauamen, & plerumque mors. Quapropter simul ac in hac peste exanthematum eruptionem animadvertebamus, omnem vitæ spem abjiciebamus, ægrisque omnia quæ petebant tunc ad lubitum dari concedebamus: quamvis enim per diem unum aut alterum (quod tamen rarum erat, nam plurimi post exanthematum eruptionem intra horas octo, duodecim, vel viginti, moriebantur) & sæpe quidem hinc grauibus, ut videbatur, symptomatis, vitam protraherent, tandem tamen inopinanter extinguebantur. Dico, *inopinanter*, quia multos vidi adeo fortes, qui loquentes & ambulantes, ac nihil minus quam mortem expectantes, præter spem & opinionem subitò concidernnt. Neque exanthematum multitudo (quam multi, tanquam salutarem laudandamque censent) neque paucitas, maiorem vel minorem sanationis spem dabat: nam plures maculæ maiorem quidem veneni violentiam & quantitatem, maiusque spirituum vitalium damnum indicabant, causam verò morbi nihil imminuebant: æquè, cum paucis & paruis, quam cum innumeris majoribus per totum corpus copiosissimè erumpentibus moriebantur ægri: atque in tota hac truculentissima peste, unum solum cum exanthematibus purpureis copiosis euasisse vidimus, cuius historiam raritatis gratia libro quarto annotauimus. Post omnia lethalia signa hoc capite à nobis proposita, addam adhuc unum, quod vulgus notare solet, cuius mentionem faciens Franciscus Ioel, *tom. 5. lib. 1. sect. 3.* sic inquit: *Remotum signum mortis est, noctuarum ad fenestras ægrotantis volatus, & infelix clamor.* Huic vulgus adhuc aliud addit, scilicet, cornorum volatus, & crocitatus supra ædes ægrotantis.

LIBER SECVNDVS.

De Præseruatione à Peste.

CAPVT I.

DE PRÆSERVATIONE IN GENERE.

SI in ullis alijs morbis, certè in Pestilentia diligens Medici officium requiritur: quod duplex est, Corpora sana præseruare, & ægrota curare. Hinc duplex emergit remedium, Vnum προφυλακτικὸν, alterum θεραπευτικὸν: illud sanitatem tuetur, ac imminentem morbum auertit: hoc præsentem morbum curat. Cum verò præstantius & optabilius, imò tutius sit, futurum morbum arcere, quam iam factum expellere; sicut tutius & melius est præuenire domus incendium, quam eiusdem igne iam flagrantis incendium extinguere: propterea, imprimis in Peste, illa Medicinæ pars, quæ de Præseruatione agit, alteri, nempe Curatiuæ, tanquam nobilior præferenda est, de qua etiam nos hoc secundo libro sermonem instituere decreuimus. Prophylaxis autem, seu præseruatio in duobus præcipuè consistit, nempe in remotione causæ agentis, & in præmunitione corporum aduersus illam causam. His indicationibus maximè tribus modis satisfit, Spirituali, Politico, & Naturali: atque hinc triplex resultat prophylaxis, Theologica, Politica, & Medica, de quibus singulis iam ordine dicturi sumus.

CAPVT II.

DE PROPHYLAXI THEOLOGICA.

CVm pestis sit morbus à summo Deo ad mortalium punitionem cœlitus immissus, (ut satis probauimus *lib. 1. cap. 8. annot. 1.*) difficulter eiusdem aduenientis inuasio auerti vel impediri, & inuadentis pernicies grauiter reprimi potest, quia in diuinis morbis humana auxilia plerumque silent, imò nihil prosunt, nisi per Diuini fauoris radios ad optatum actum promoueantur. Quapropter in hoc naturæ defectu altiora remedia ab ipso remediorum Creatore petenda sunt. Cum enim in plagis diuinitus immissis summi Dei Iustitiam pari passu comitetur immensa atque imperscrutabilis eius Misericordia, ab illo summo Medico primarium auxilium petendum; neque amplius obdurandus animus, neque etiam in extremæ desperationis barathrum abijciendus, sed verè contritus, pœnitens, ac humiliatus, ante summi irati Numinis pedes deuoluendus, & deuotis precibus, (1.) ieiunijs ac eleemosynis iustissima eius ira placanda est, ut hoc modo imminens à plagis exitium, per immensam eius misericordiam, sistì & auerti possit: Hic est ille Deus qui sacrificijs & holocaustis non delectatur; cui spiritus contribulatus lacrin-

cium est; qui cor contritum & humiliatum non despicit; qui non vult mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat; qui debilibus ipsemet auxilium offert, dum inquit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos*. Quapropter in pestilenti constitutione ad hunc misericordiæ fontem ante omnia confugiendum est, utpote in cuius solius potestate, ut pestilentem plagam immittere, sic eandem rursus auferre, consistit; utpote sine cuius auxilio frustra laborant omnes Medici. Itaque tam publicè (2.) quam priuatim supplices orationes, pœnitentia, suspiria, ac deuota ieiunia unanimiter Deo offerenda sunt, ut iis, tanquam dulci holocausto furor eius extingui, ac in misericordiam transmutari, & quemadmodum à Ninive interitus, sic ab afflicta regione Angeli percutientis gladius auerti (3.) possit.

ANNOTATIONES.

1. QVantum ad afflictiones pœnasque diuinas (inter quas Pestis primarium locum obtinet) ceruicibus nostris imminentes, declinandas, valeant orationes è contrito ac pœnitenti corde prodeuntes, nemini ignotum esse arbitramur. Quapropter D. Bernhardus dicit, *piam & ex fide profectam orationem esse salutare in omnibus aduersis remedium, clauem Paradisi, scutum defensionis, in calamitatum æstu refrigerium, in morbis pharmacum, gladium contra diabolum, murum contra infortunium*. Deuotas preces ad morborum quoque sanationem prodesse, docet Iacobus Apostolus, *Epist. cap. 5. v. 15. Oratio fidei*, inquit, *seruabit ægrotum, & Dominus alleviabit ipsum*. Idem illud quoque docet Ecclesiasticus, *cap. 38. vers. 9. Fili in tua infirmitate ne despicias temetipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te*. Omni verò tempore plagarum, atque etiam pestis, supplices ad Deum tulas orationes exaudiri, liquet ex 2. *Paralipom. cap. 6.* ubi Sacra Pagina hoc modo loquitur: *Si fames orta fuerit in terra, & pestilentia, aer corruptus, & ariditas, & locusta, & bruchus, & hostes vastatis regionibus portas obsederint ciuitatis, omnisque plaga & infirmitas presserit, si quis de populo tuo Israel fuerit deprecatus, cognoscens plagam & infirmitatem suam, & extenderis manus suas in domo hac* (nempe Templo) *Tu exaudies de cælo, de sublimi scilicet habitaculo tuo, & propitiaberis*. Ad hæc, *Ieremiæ cap. 3.* ipsemet Deus promittit se pœnitentes ac confitentes peccatores exauditurum. *Reuertere*, inquit, *Israel, & non faciam cadere iram meam super vos, quia sanctus ego sum, & in perpetuum non irascor, solum agnosce iniquitatem tuam*. Horum Sacræ scripturæ locorum veritatem ipsa experientia comprobauit in Rege Dauid, 4. *Regum cap. 24.* qui cum se coram Deo humiliasset, & peccata sua confessus esset, ac pœnitentiam egisset, cessauit pestilens plaga. Item in Ezechia Rege, *apud Isaiam cap. 34. & 4 Regum cap. 20.* qui similiter lachrymis & precibus ad Deum profusis, à pestilenti morbo & iam annunciata morte liberatus fuit. Hinc est quod Sauonarola, animaduertens, quam necesse sit ut homo reconcilietur Deo, non malè sic dicat: *Vt corpora munda præseruentur, fac ut anima tua primo mundetur, & sic Deus misericors te ab ipsa peste præseruabit*. Sic etiam Iacobus Horstius, eodem fere sensu sic inquit, *in consil. de peste: Pestilentia in peccatorum infinitorum à nobis commissorum vindictam, tanquam hostis vitæ & naturæ infensissimus, à Deo immittitur: ad cuius ablationem nō tam ad ordinaria Medicinæ principia, quam piacula, deuotas preces, & veram cordis pœnitentiam Deo summo litandam, confugiendum est*. Similiter etiam Alexander Benedictus, *lib. de pest. cap. 1.* dicit: *Hic supplicationibus, votis, ac expiationibus duntaxat locus est, quibus rite pestilentiam repercutimus, vel submouemus, vel aliquando differimus*. Idem, *sequente cap. 6.* hæc habet: *Fatalis pestilentia, diuina plerunque ulciscendi vindicta mortalibus ob merita dimittitur; & à summo Deo suspensa quandoque relinquitur ob præces admotas, vota que suscepta, quibus salus publica regionibus multis restituta est. Hæc prima sunt nobis præsidia*,

dia, quibus nulla præsentior medicina habetur: id sæpius viderunt maiores nostri inter religionis Christianæ exempla admirabilia. Has orationum vires in peste etiam Gentilibus ignotas nō fuisse, apparet ex Auicenna, qui, 4. *Method. cap.* 1. inquit: *Ob has causas prosunt hominibus orationes & sacrificia.* Et alibi dicit: *Ira Dei reconciliatur sanctis ac deuotis precibus.*

II. Tempore pestis non tantum olim, sed etiam hodie apud Christianos, laudabili instituto, publicæ supplicationes & ieiunationes indici consueuerunt, quarum non semel maximi effectus fuere. Sic testantur Historici quondam Marsilię deploratissimam pestem solis orationibus & ieiunijs extinctam fuisse: idemque etiam Romæ, tempore Gregorij Papæ, contigisse; ut & Papiæ, referente Paulo Diacono, *lib. 6. de bello Longobard. cap.* 3. nec non apud Bulgaros, teste Georgio Cedreno, *in suis Hist.* Eundem morem ipsis quoque gentilibus familiarem fuisse, legimus apud Titum Liuium, 11. *histor.* ubi scribit de peste quæ tunc sæuiit: *Supplicatio per omnia puluinaria indicta per diem unum, & Coss. edixerunt ut per totam Italiam triduum supplicatio & feriæ essent.* Sic in pestilentia quæ proximè sequenti anno secuta est, inquit: *Decemviri supplicationem in biduum, valetudinis causa, in Vrbe, & per omnia fora conciliabulaque edixerunt; maiores duodecim annis omnes coronati, & lauream manu tenentes supplicauerunt.* Idem, *lib.* 41. de alia peste inquit: *Consul Apollini, Æsculapio, Saluti, dona vouit, & dedit signa maurata.* Ita L. Ebutio, & P. Seruilio Coss. in grauissima peste etiam publicè summa deuotione ad Deos concursum fuit: *Supplicatum est*, inquit, *in omnibus templis, matres passim stratæ crinibus templa verrebant, cœlestium irarum veniam pacemque poscentes.*

III. Quæritur, anne tempore pestis etiam confugere liceat ad Magicas & diabolicas artes: cum testentur Historici, violentissimas pestes his artibus non semel sedatas & extinctas fuisse. Sic refert Diodorus Siculus quendam Aristæum immolatis victimis ardores Syrii mitigasse, & adductis etesiis Græciam à peste liberasse. Etiam scribit Suidas, Iachen Ægyptium carminibus, non solum variorum morborum curationem feliciter peregisse, sed Ægyptum etiam à maxima peste liberasse. Refert quoque Paulus Iouius, *Hist.* 21. (cuius historię etiam meminit Gilbertus Cognatus, *lib.* 8.) tempore Adriani Sexti, Pontificis, furiosissimam pestem, Romam miserè affligentem, tandem extinctam fuisse præstigijs & carminibus Demetrii Spartani, qui ferum taurum, verbis nonnullis in aurem intusurratis, mansuefactum reddidit, & postea immolauit, atque sic ab illa inanis sacrificij litatione mitescere cœpit morbus. Nos dicimus artes diabolicas è Christianorum ecclesia ad inferorum domicilia ablegandas, neque unquam à vero Deo ad condemnatorum diabolorum opem confugiendum esse, imò ne credendum quidem pestes aliasve plagas, per diaboli propriam voluntatem ac potestatem vel inferri, vel auferri posse, sicut *lib. 1. cap. 8. annot. 1. problem.* 3. fusius demonstrauimus.

CAPVT III.

DE PROPHYLAXI POLITICA.

PRophylaxis Politica consistit in officio Magistratuum (1.) quorum munus est publica auctoritate impedire, ne pestilens contagium intra urbes recipiatur, (2.) & curare, ut vel cælitus immissum, vel aliunde cum fomite allatum, non multum diu commoretur, sed citissime extinguatur. Vt hæc bene peragantur, præmissis primo supplicationibus publicis (de quibus præcedente capite dictum) amouendæ sunt omnes occasiones, quibus aer vitiari, contagium propagari, & corpora ad pestem disponi possunt. In eum finem diligenter caueant necesse est, ne promiscue omnes aduenæ & peregrini (3.) e suspectis præcipuè locis venientes, admittantur: ne etiam vestes, supellectilia (4.) alia-

ve antiquæ, vel etiam lanea, linea, gossypina, ac similia mercimonia; ex iisdem locis delata, intra urbes recipiantur. Deinde oportet, ut sub graui pœna edicto publico prohibeant, ne quispiam incolarum ullas sordes vel fæces, multò minus excrementa (5.) ægrotorum, stramina in quibus ægri vel mortui decubuerunt, aquam saponatam (6.) in qua sordida linteamina lota sunt, canum aliarumque mortuarum bestiarum (7.) cadauera, stercora (8.) quælibet, bestiarum mactatarum sordes, aliaue quascunque res putridas ac fœtentes, in vias publicas eiiciat: omnium verò maximè impediant ne ullæ putridæ, fœtentes, aliove modo inquinatæ sordes in puteos aquaticos (9.) publicos injiciantur. Adhæc ne sani promiscuè cum infectis conuersentur: ne ex infectis ædibus exeuntes, aut eas inhabitantes, unquam in publicum prodeant absque bacillo (10.) albo, aliove signo, quo ab alijs distingui & internosci possint. Ne suppellectilia qualiacunque, ex ædibus infectis delata, intra anni spatium (11.) publicè vendantur, vel ad alias, nondum infectas, ædes deportentur. Ne mortuorum cadauera ultra biduum (12.) asseruentur. Præterea oportet ut, pro sua auctoritate, publicè iubeant, ut omnes & singuli ante suas ædes quotidie diligenter expurgent plateas, compita, vicos, & aquarum compitalium ductus: ut cloacæ, (13.) publica fimeta, aliaque loca vulgi sordibus colligendis dicata, per certos homines isti operi destinatos & assuetos, sæpius expurgentur: ut ædes infectæ occludantur, (14.) & aliquo signo foris præfixo notentur, sicque alij ab earum ingressu arceantur: ut pauperum ægroti ad nosocomia, (15.) solis pestiferis excipiendis destinata, quam primum deferantur. Ad hæc consultum est, aquis stagnantibus, (16.) si quæ in urbibus fuerint, flumina vel riuulos currentes (dummodo id fieri possit) immittere, ut per continuum fluxum à putredine præseruari possint: vel si hoc fieri nequeat, easdem exsiccare, & terra replere: si neque hoc, tunc excrementorum, cadauerum animalium aliarumque sordium injectionem strictissimè vetare. Requiritur etiam, ut Magistratus certos viros constituant, qui diligentem rationem habeant publicæ venditionis annonæ (17.) & prohibeant ne frumenta quæ situm contraxerunt, aliove modo corrupta sunt, ne carnes, volatilia, pisces, oua, aliaque similia, morbosa, corrupta, vel putrida, ac malè olentia vendantur: ne in macello, aut apud lanions mactentur boues, oues, porci, aliæve bestiæ ægrotantes: ne fructus horarij facile corruptibiles & praui succi seu nutrimenti (quales sunt cucumeres, pruna, melones, persica mala, aliique similes) ad forum deferantur. Item ut alios constituant viros, qui pauperum (18.) rationem habeant, atque illis res necessarias e publico ærario suppeditent, & diligentem ædium, linteamentorum, vestium, aliarumque rerum domesticarum quotidianam expurgationem strictè injungant: ac curam quoque gerant, ut per totam urbem omnes quorumcunque ciuium infectæ ædes, post paucarum septimanarum ab ultimo in iis mortuo, quietem, diligenter expurgentur, (19.) omniaque supellectilia bene emundentur. Denique necesse est, ut encænia, nundinas, comediarum spectacula, aliosque maiores publicos conuentus (20.) inhibeant. Maximè etiam requiritur ut aliquos boni nominis doctos ac peritos Theologos, Medicos, & Chirurgos eligant (21.) qui ægrorum pestiferorum diligentem curam habeant; utque hi alacrius magisque intrepidi periculosissimum hoc munus (22.) obeant, liberali & annuo stipendio ex ærario publico dotandi sunt. Non minus etiam requiritur, ut multos nouitos viros, (23.) de quorum vitæ probitate constet, nec non aptas ac fidas mulieres sub publico iuramento constituant, qui ægrotis ubique inseruiant, & si ab iis aliquod improbitatis, furti, homicidij, aliusve sceleris signum peractum intellexerint, ut statim severissimè tales puniant, atque exemplo constituant.

I. Ex

I. EX prædictis illis, durante hac peste, Noviomagi paucissimæ tantum leges conformatæ & publicatæ sunt, neque adhuc postea earundem exacta aliqua ratio habita fuit: quia Magistratus Noviomagensis eo tempore grauibus bellorum turbis & hostium vicinia tantopere intricatus, & ut inde se aliquo modo expediret, adeo occupatus erat, ut intestini mali, scilicet Pestis, non nisi minorem curam habere posset. Hac de causa in morbi principio contagii semina longè lateque disseminata fuerunt, ita ut intra paucos menses veneni pestilentis furor totam ciuitatem occuparet, cui certè bonis legibus, tempestiue institutis, multum obviam iri potuisset.

II. Solet semper in omni peste, si initia periculi contemnantur, & contagii propagatio citissimè non impediatur, postea vix ullo consilio succurri posse. Quapropter necesse est, ut in ipso principio strictis legibus obuiam eatur illis erroribus quibus tanto hosti liberior introitus præbetur, ut vix locum aliquem ingressus, antequam ibi firmam sedem figat, rursus ejiciatur, nam

Ægrius ejicitur, quam non admittitur hospes.

III. Multoties docuit experientia, peregrinos ex infectis locis venientes, sæpe contagium pestilens, vestibus aliisve suis rebus innatens, ad alias urbes & regiones detulisse, itique hoc pacto pestilentem labem communicasse. Ab hac causa refert Mercurialis pestem Venetam sui temporis initium sumpsisse: qualia exempla plura enarrantur à Ioanne Eyvichio, *lib. 1. de offic. Magistrat. cap.* 10. Ab hac occasione etiam anno 1663. initium sumpsit pestis Amsterodamensis, propterea quod navem unam aut alteram ex Algeria & Smyrna (quibus in locis, & tota Græcia, pestis crudeliter grassabatur) admitterent, & peregrinos inde venientes nimis imprudenter intra urbem reciperent, quorum multi peste correpti primò hospitia sua infecerunt, ab hisque malum ulterius per urbem disseminatum fuit. A multijuga huius rei experientia prodiit ille ordo, in Italia, Gallia, Hispania, multisque Germaniæ locis frequentatus, nempe, ut neminem, licet sanum, ex infectis locis venientem, intra alias urbes recipiant, nisi post quadragesimum ab exitu è tali loco diem; certissimum iudicantes, eum qui per quadraginta dies continuos extra locum infectum sanus vixerit, nullo contagio infectum esse, qui ordo nobis quondam in itinere Gallico haud parum molestus fuit, ac interdum ille mendacia extorsit, ut iis mediantibus alicubi hospitio excipi possemus; nam adeo ab huiusmodi peregrinis abhorrebant passim homines, ut eorum neminem intra ædes suas admittere vellent. In multis quoque locis omnia commercia ad infecta loca omnino prohibentur, & merces ex infectis locis allatæ non admittuntur.

IV. Testatur Fracastorius, *lib. 2. de morb. contag. cap.* 7. Anno 1511. cum Germani Veronam tenerent, exorta peste, qua hominum fere decem millia periere, ex una veste pellicea non pauciores quam quinque & viginti Teutones obiisse; uno defuncto, alius induebat eam vestem, donec monefacti ex tot defunctis, vestem combussere. Contagii enim fomes inprimis vestibus, ut & lanceis, lineis, aliisque similibus suppellectilibus ac mercibus diu inhærere solet, nec quidquam est per quod magis communiter disseminetur, & ad alia loca deferatur, non tantum ad propinquas ædes vel ciuitates, verum etiam ad longissimè dissitas urbes & regiones, cuius rei exempla extant apud Appianum Alexandrinum, *lib. de bello Illyrico*, Fracastorium, *lib. 2. de morb. contag. cap.* 7. Mercurialem *de peste cap.* 1. Alexandrum Benedictum, *de peste cap.* 3. Eyvichium, *loco proximè citato.* Trincauellam, *lib. 3. Consil.* 17. Forestum, *lib. 6. Observat. 22. in scholio.* Erasmum Heidenum, *in orat. de contag.* aliosque plures.

V. Sordes & fæces putridæ fœtore suo aerem inquinant: excrementa vero ægrorum, cum sint contagiosa, facile quoslibet transeuntes inficiunt: hic quoque stramina quibus incubuerant ægri & mortui, non semel alios contagium intulisse, obseruauimus.

VI. Hoc pestis tempore animaduertimus fœtorem illum qui excitabatur ab aqua laponata, in qua sordida linteamina lauabantur vel lota erant, & ægris & sanis maximè noxium fuisse. Illud enim notatu dignum sæpissime obseruauimus, nempe in illis ædibus in quibus nulla adhuc pestis erat, si linteamina sordida aquâ & lapone nostrate (ut in Belgio moris est) illic

lota

lauarentur, eo ipso die, vel interdum postridie duos tresve simul peste correptos fuisse, ipsique ægri testabantur fœtorem aquæ saponatæ illis primam & maximam alterationem intulisse. Hoc ipsum quoque in mei ipsius hospitio infelix experientia docuit, in quo post lota linteamina statim grauem alterationem perceperunt plerique domestici, & proximè sequenti nocte tres peste correptæ, ac breui post mortuæ fuere, nempe hospitis mei filia, ancilla, & alia lotrix forinsecus aduocata, quæ etiam omnes conquerebantur mali principium ipsis ab aquæ saponatæ nauseabundo fœtore inductum fuisse. Quin imo interdum integras familias post sordidorum linteaminum lotionem peste infectas fuisse vidimus, idque maximè in ædibus angustioribus, in quarum omnia cubicula dictæ calentis aquæ fœtidus vapor facile penetrabat. Ego ipsemet, si aliquas ædes intrarem ubi sordida linteamina lauabantur, statim sentiebam me ab aquæ saponatæ fœtore ad nauseam & vomitum prouitari, cum tamen extra pestem huiusmodi fœtor me planè non afficiat. Hinc tandem per multijugam experientiam Noviomagi factum est, ut plurimi hunc fœtorem non minus, imò magis, quam ædes infectas fugerent; & multi quoque melioris fortunæ ciues, aliorum periculis prudentiores redditi, sordida sua linteamina passim foris lauari curarent, à lotricibus illi operi ac fœtori assuetis. Quemadmodum autem saponis fœtor sanis nocebat, ita quoque ægris multum oberat: idque sæpissimè animaduertimus in delicatioribus, alitique qui sordida linteamina tractarent; cum enim post sudores indusia vel alia linteamina renouarent, & cum mundis mutarent (licet ea optimè calefactis) semper quatuor aut sex horis post multo peius se habebant; anxietates, vomitum, febres maiores, capitis dolores, aliaque incommoda plura incurrebant; eaque omnia maximè oriebantur à saponis fœtore, quem lota, quamvis optime ficca, linteamina plus minus retinent. Non autem hæc mala producebantur à frigore (ut quispiam existimare posset) in hac linteaminum mutatione corpus facillimè subeunte, & poros cutis occludente, nam vltus contrarium docebat; quia si ægris inducrentur talia indusia quæ ab alio quopiam sano homine prius per tresquatuorve dies gestata fuerant; quorum saponis fœtor iam à sani corporis calore discussus erat, tunc illa nullum nocumentum interebant, quod alioqui per illud ipsum frigus tunc fieri debuisset. Hanc ob causam ego in meis ægris renouationem seu mutationem indusiorum ante diem septimum, vel in aliquibus ante decimumquartum (pro morbi & ægri conditione, sordiumque copia) non desiderabam, atque tunc adhuc semisordida, ab aliis sanis per aliquot dies gestata ipsis indui curabam, & immunditiem munditiei in hoc casu præferebam, cùm hanc grauiter nocere, illam verò prodesse, nec vllum vnquam incommodum ab indusiorum sudorifero fœtore sequi, obseruarem. Linteaminum renouationes tantopere nocuerunt ægris, vt etiam imperitum vulgus, tristibus plurimorum exemplis edoctum, has cane peius & angue fugeret, & vrgente aliqua necessitate, non alia quam semisordida indusia ab aliis sanis per aliquot dies prægestata induere vellet. Huic nostræ obseruationi vnanimiter obsistunt omnes Medici, qui hactenus de Peste scripserunt; nec quemquam inuenias qui non suadeat, post copiosos sudores indusia aliaque linteamina sudore madentia (quibus malignitatem, aliquam per sudores expulsam inhærere arbitrantur) abiicere, aliaque nitida induere, quorum opinioni ego ipsemet etiam antehac subscripsi, &, si solam speculationem sequerer, adhuc fortè subscriberem, nisi me tere nolentem quasi vi, ab illa discedere coegisset multiplex experientia.

VII. Inueniuntur nonnulli qui putridos & corruptos fœtores cadauerum animalium, aliarumque similium rerum putrescentium, pro amuleto esse credunt, eodem modo sicut aliquando vnum venenum alterius veneni vim intringit. Atque ea ratione ducti suadent feles, canes, aliaque inutilia animalia trucidare, & in vias publicas proiicere, vt ibi putrescant, & aerem teterrimis fœtoribus impleant: quo modo olim Medicum quendam a peste Scythiam liberasse aiunt (quod illius Medici experimentum etiam Alexander Benedictus, *lib. de febr. pest. cap. 6.* ex relatione cuiusdam mercatoris referre & confirmare non erubescit;) suadent etiam quotidie fœtidissimarum cloacarum

rum aut latrinarum teterrimum nidorem olfacere. Hoc modo dicunt naturam citra vitæ periculum adversus pestilentis aëris malignitatem ita confirmari, ut postea eandem planè neglegat. Opinionem hanc confirmant exemplis vespillonum, qui ægrotis continuè inservientes, pestilenti malignitati assuescunt, ita ut ægrorum fœtores & excrementa contagiosa innoxiè tractent & ferant: præterea exemplis cerdonum, coriariorum, eorumque sordidorum hominum qui latrinas & cloacas expurgant, quos malignis fœtoribus assuefactos, rarius peste infestari tradunt. Verum non sunt audiendi huius fœtidæ opinionis patroni, cum putridos fœtores semper febres pestilentes inducere, & corpora ad pestilentem malignitatem facile suscipiendam disponere, ac per consequens pestem semper multum augere, experientia doceat. Testes sunt Diodorus Siculus *lib.* 14. Ioh. Cuspinianus, *in vita Henrici* I. *Imp. & in vita Ludouici* II. *Imp.* Iulius Alexandrinus, *de bello Punico lib.* 6. Forestus, *lib.* 6. *Obseruat.* 9. *in scholio*. Michaël Saxo, 2. *part. Chronic. Cæsar.* Paræus *de peste cap.* 3. aliique plures, cum Medici, tum historici, inprimis illi qui diuturniores urbium obsidiones describunt, qui omnes plurimis exemplis putridorum fœtorum noxas annotarunt. Ad probationem dictæ opinionis nihil etiam confert exemplum Scythiæ, utpote quod pro fallo & incredibili habendum est, cum planè non constet quo tempore, & a quo Medico pestis tali modo fugata fuerit: & quamvis illius historiæ meminerit præclarus Medicus Alexander Benedictus (nemo enim alius, quod sciò, illius meminit, nisi ex Alexandro Benedicto citati) hoc tamen nihil ad rem facit, nam & ille deceptus fuisse potuit, nimis facile fidem præbens rumori, qui hinc auctore in ore solius populi vagatur, quem ipse Alexander etiam non ex sese, tanquam de re sibi visa, sed tantummodo ex cuiusdam mercatoris (quorum multi latis splendidè mentiri norunt) relatu describit. Male etiam per exemplum vespillonum docere nituntur, naturam citra vitæ periculum putridis malignis fœtoribus assuescere, & consuetudine illa aduersus pestilentem malignitatem muniri posse: nam in principio pestilentis constitutionis, etiam plurimi moriuntur vespillones, nec quidquam illis prodest fœtorum consuetudo: illi verò soli superstites manent, omnesque venenosos pestilentes halitus innoxiè ferunt, quorum occulta temperamenti proprietas veneno pestilenti resistit, atque hi postea tuti omnibus pestiferis inseruiunt. Hinc fit quod in pestis principio plurimi vespillones moriantur, illi scilicet qui illam occultam temperamenti qualitatem non habent: & quod postea in progressu pestis pauciores vespillones moriantur, quia vix alii supersunt quam illi qui occultam istam dispositionis proprietatem pesti contrariam habent. Sic quoque cerdones, coriarii, aliique eius generis homines, à peste nõ magis immunes sunt quam alii, imò ea grauius plerumque affliguntur: refert enim Palmarius, cum pestis inuadit eam urbis Parisiorum partem in qua sordidi illi mechanici habitant, illam nusquam grauius sæuire. Itaque explodendum est fœtidum illud pro putidis putridisque fœtoribus allatum patrocinium. Grauibus & insuauibus potius, quam suaveolentibus, odoribus se assuefacere, etiam nos laudamus, (ut docemus sequenti cap. 5.) sed minimè putridis ac corruptis.

VIII. Sennertus præcipit ut viæ publicæ inprimis mundentur à stercore suillo & anserino, quia illud fœtore suo spiritibus & cerebro intentissimum esse, ac præ cæteris ad contagium propagandum multum facere, dicit. Sic quoque Vnzerus porcorum inprimis stercora abominatur: *Magistratus*, inquit, *officium erit, sedulo cauere ne in urbibus ciues ac incolæ prope ædes suas, aut saltem in interiore earum parte, haras aut suilia erigant aut construant, in illisque porcos magno numero alant ac saginent, cum hac re nihil pernicios ius ciuitati, præsertim tempore grassantis pestis, possit contingere, propagata per eam tanquam fomite aptissimo, contagione virulenta, & ad plures celerrimè translata.*

IX. Puteorum publicorum inprimis diligens ratio habenda est, præcipuè in illis ciuitatibus in quibus, sicut Nouiomagi, ad omnes necessarios usus puteali aqua, tanquam clarissima & optima, semper utuntur. Nihil enim est quod pestilens seminarium magis disseminare possit, quam huiusmodi puteorum publicorum infectio. Non semel malignorum, ac scelera-

torum

viuentibus veneni ferociam reprimere solet) uniuersum corpus à veneno occupatur, quod tunc non tantum multo ferocius, quam antea, dominatur, verum etiam ab insequente putredine multum augetur & exasperatur. Hanc sententiam confirmare videtur historia Diodori Siculi, qui *lib.* 14. refert, ob multitudinem cadauerum insepultorum, pestem Athenien sem maxima incrementa sumpsisse. Sic quoque Zacutus Lusitanus, *lib.* 3. *Prax. admir. obseru.* 42. dicit se vidisse plures, corpus peste emortuum ex agro, ubi iacebat, per tunes super tabulas deportantes, qui omnes unius diei spatio peste correpti occubuerunt. Nos ad controuersiæ huius decisionem dicimus, cadaueris tempus distinguendum esse in tres partes. 1. Cum cadauer peste extinctum primis horis adhuc calet. 2. Cum cadauer tam diu mortuum fuit, ut planè refrigeratum sit. 3. Cum cadauer tam diu extinctum iacuit, ut iam putredinem contrahere incipiat. In primo tempore cadauer magis contagiosum est, quam corpus viuens peste infectum: *primo*, quia venenum pestilens in illo cadauere adhuc ferociter dominatur, ut docent bubones & exanthemata, quæ nonnullis dum moriuntur, alijs statim post mortem erumpunt: *secundo*, quia veneni violentia a calore nativo amplius non coercetur: *tertio*, quia halitus illi qui è morboso viuente corpore prodeunt, cum tenues sint & à magno calore propulsi, eodemque comitati, facile dispelluntur, nec alijs multum adhærent, atque minorem malignitatem sibi coniunctam habent: contra verò halitus qui è cadauere adhuc calente exeunt, ab exiguo calore propulsi, non attenuantur, nec satis discutiuntur, sed prope cadauer hærent, magnamque simul iunctam malignitatem in se continent, & propter deficientem calorem incrassati, ac viscositate quadam præditi, facillime alijs corporibus adhærent, eaque inficiunt. Eodem modo hic processus fit ficut in lampade ardente, cuius vapores quousque à luculenta flamma dispelluntur & attenuantur, minimè molesti sunt, at extinctâ flammâ illi vapores magno calore priuantur, & exudat ab elychnio adhuc calente crassus, tetricus ac viscosus vapor omnibus facile adhærens, maximeque infectus. In secundo tempore cadauer multo minus contagiosum est quam corpus morbosum viuens, quia ob frigiditatem & extinctionem caloris nativi pori sunt adstricti & occlusi, humores & spiritus amplius non agitantur, nullæ vel pauciſſimæ fiunt exspirationes, & veneni intus latitantis actio (quæ à calore & motu antea excitabatur) languida ac torpida reddita est. In tertio tempore cadauer rursus multo magis contagiosum euadit, quam corpus morbosum viuens, quia tunc quod antea languidum latebat venenum, vi caloris externi non solummodo in actum rursus promouetur, verum etiam ab insequente putredine multum exasperatur. Hinc fit quod ijs in locis, ubi peste mortuorum cadauera diu insepulta manent & putrescunt, pestis breui tempore multum increscat, ut patet ex Diodori Siculi citata historia. Hac consideratione ducti omnes præclarissimi Medici, qui de Peste præcauenda scripserunt, unanimi consensu statuunt, peste interemptorum cadauera citò terræ esse mendanda, (nempe antequam putrescere incipiant) & quidem in sepulchris altius effossis, atque, si fieri possit, longius extra urbes in locis solitarijs, soli peste mortuorum sepulturæ dicatis, ne fortè ulli adhuc vapores vel halitus è cadaueribus illis surſum extra terram efferantur & alijs noceant; quemadmodum illud Noriomagi in hac peste non semel factum fuisse nouimus, ubi in ipso Templo maiore, ob sepulchra nimis multis cadaueribus repleta, & pauca terra negligentius contecta, cadauerum pessimus fœtor exspirans non uni exitiorum contagium intulit. Quapropter non sine ratione dicebat Zoar, antiquissimus Medicus, pessimum esse tempore pestis habitare in locis mortuorum monumentis propinquis. Porro, quantum ad illud quod Fracastorius, Rondeletius & Iordanus credunt, venenum pestilens in cadaueribus, planè mortuis esse, atque illa omni contagione carere, quia multi innoxiè cum ijs conuersantur, eaque contrectant; dicimus, non tantum cum pestiferis cadaueribus, sed etiam cum ægrotantibus vivis multos tutò conuersari, non quod ægri aut cadavera contagiosa non sint, sed quod illi, qui cum iis tutò conversantur, non habeant aptam dispositionem ad recipiendam pestem. Ad hæc si vestis, aliaque supellex possit esse fomes veneni

ni pestilentis, quanto magis cadaver illo veneno occisum & occupatum? Præterea, quid mirum, venenum pestilens in cadavere permanere, & mortuo animali non penitus extingui, cum etiam alia venena contagiosa in corporibus mortuis diu integris viribus latuisse visum sint? Sic ex Io. Bauhino refert Sennertus, rusticum quendam suem rabidam occisam minus alte in terra defodisse, quam cum tempore hyberno vulpes olfecissent, erutamque vorassent, non tantum illas in rabiem actas fuisse, sed eandem etiam aliis pecoribus & hominibus morsu communicasse. Si rabidum venenum tanto tempore in cadavere latere potuerit, quare non æque venenum pestilens? quod non minus quam alia venena diu in corpore latere posse, docet clarissime Iulius Alexandrinus, qui refert duos veneficos conjuratos Patavii inter tormenta confessos fuisse, se, cum peste extinctorum cadaverum elixatorum iure, ostiorum repagula, manubria, limina, & postes illevisse, atque ita quoslibet transeuntes & attingentes contagio infecisse, ac pestem incredibiliter propagasse. Idem quoque docet historia Nicolai Poli, *in suo Hemerol. Silef.* qua refert, anno 1606, Franckesteinii Silesiæ vespillones quoidam veneficos captos, inter tormenta confessos fuisse, se veneficio ultra duo hominum millia occidisse; quod venenum ex cadaveribus peste interemptorum parabatur, quibus capita amputabant, & bubones ac carbunculos abscindebant, præterea è monumentis carnosas inprimis seu musculosas cadaverum putrefactorum, ac in tabum iam diffluentium partes sumebant, atque ex his omnibus pulueres & unguenta sua venefica conficiebant. Eodem modò è cadaueribus peste extinctis, & elixatis maleficos anno 1555, unguenta contagiosa & pestifera concinnasse, testantur Hercules Saxonia, *lib. de plica, cap.* 12. & Fallopius, *de bubone pest. cap.* 13. Si in illis cadaueribus venenum pestilens plane emortuum fuisset, etiam maleficia illa unguenta non fuissent contagiosa. Profectò agens cum ob caloris priuationem, aliudve incidens impedimentum, ab actione cessat, omnino interire, dicendum non est. Concludimus ergo, cadavera pestiferorum esse contagiosa, idque magis vel minus pro dictorum temporum diversitate. Quod contagiosa sint, hoc ipsa bruta animalia ab experientia & naturali instinctu nouerunt: nam refert Thucydides, animalia carniuora in peste Athenienſi cadauera pestifera non attigisse, & si illa gustassent, statim mortua fuisse. Quod ipsum quoque testatur Titus Liuius, *Decad. 5. lib. 1.*

XIII. Fœtidissimam platearum, cloacarum, & sterquiliniorum illuviem ad multorum morborum, & inprimis malignarum febrium inductionem, ac pestiferi contagii propagationem plurimum facere, docet experientia, sicut de Parisiorum urbe testatur Palmarius, *lib. de pest.* & Quercetanus, *in diæt. lib. 2. cap. 3.* de urbe Tholosana. Quapropter omnium maximè in pestilenti constitutione annitendum est, ut viæ publicæ ab omni sordium & excrementorũ illuvie diligentissimè mundentur, & impediatur ne ullæ fœtidæ sordes in illas rursus projiciantur, secundum legem Pampinii I. C. *Ædiles non permittant, neque in plateas stercora aut sordes projici, neque cadavera, neque cerdones pellium sordes abstergere.*

XIV. Si veteres Hebræi prohibuerint conuersationem in illis cubiculis, ubi mulieres menstruatæ depurabantur, propterea quod timerent sanguinem menstruatum corruptum aliis contagio aliquam noxam illaturum; quanto magis periculosa & contagiosa debet censeri frequentatio illarum ædium in quibus aliqui peste laborant, vel ab eadem extincti sunt? Hinc est quod in Gallia, Italia, aliisque multis regionibus, non tantum agros peste infectos statim longius extra urbes deferri, eorumque ædes occludi, ac sigillo publico obsignari curent; verum etiam non rarò istarum platearum, in quibus multæ ædes infectæ sunt, transitum obiectis muris impediant. Verum etsi nostrates tanta morbi & mortis formidine non teneantur, ut in pestilentia integras plateas occludant, & charitatis Christianæ immemores, multos ægros, & simul sanos, in ijs habitantes, solorum sceleratorum & quorundam inhumanitimorum vespillonum tyrannidi, ad exemplum Italorum & Gallorum, exponant, eosque ab omni honestorum hominum ac amicorum subsidio secludant; tamen illud cum maxima Reipublicæ utilitate fieri posse, existimandum

mandum est, ut Magistratus ædes infectas occludi, & signo præposito notari, atque in ijs, si officinæ fuerint, omnem venditionem prohiberi, & extraneos ab illis diligenter arceri & auerti curent. Verum hic fortè quispiam mihi objiciet; cùm alios ab infectis locis arceri velim, quare ego ipsemet, durante tota hac peste, quaslibet infectas ædes adierim, & ægros pestiferos tam liberaliter inuiserim? Respondeo, licet morbi huius malignitas præsens exitium minaretur, tamen minime Christianum, sed planè inhumanum ac crudele fuisset, proximos omni spe & ope destitutos deserere: quapropter cum meæ essent partes, hoc inprimis tempore, proximorum necessitatibus succurrere, nolui huic meo officio deesse, sed in summo Deo confidens, (etsi nullo pretio aut præmio publico, nulla lege, nullo Magistratus iussu ad munus illud deuinctus essem) promiscuè omnes, pauperes æque atque diuites, sine ulla tergiuersatione inuisi, ijsque consilia & auxilia mea libentissimè communicaui, idque non temere sordidi lucri gratiâ, sed piè proximorum commiserationis ergo: atque ea de causa non minus vigilanter inseruiebam pauperibus gratis, quam diuitibus mercede, quam ab his etiam non maiorem petij in peste, quam alijs temporibus solui solet, imò sæpe minorem. Quis scit an non summus Deus, qui omnium corda & renes perscrutatur, & cui hæc mea pia intentio cognita fuit, me propter illam miraculosè ab omni pestilenti contagione immunem seruauerit? Nam non tantum Nouiomagi, verum etiam in aliis plurimis ciuitatibus, multi Medici sordido lucro toti inhiantes, peste extincti sunt, alii ingratis, alii dissolutis quibusdam hæredibus morte adeptum lucrum relinquentes.

XV. Nouiomagi in eo quoque grauiter eratum fuit, quod pauperum ægri à sanis non fuerint statim separati, quæ res plurimum ad contagij propagationem fecit; partim quia pauperes angustis domibus inclusi, non poterant ægrotos in diuersa cubicula deferre, & sic à sanis domesticis seiungere: partim quia etiam defectu linteamentorum aliarumque rerum necessariarum, non poterant ægrorum & ejtium impuritates satis debito modo expurgare, atque ita propter sordium, vaporum, exhalationum, & fœtidorum excrementorum communionem, unico infecto facillimè ac citissimè reliqui omnes eiusdem familiæ inficiebantur. Solent in Rebuspublicis melius constitutis sua habere Nosocomia solis pestiferis dicata, ad quæ tales ægros statim deferri curant, ut ibi ex ærario publico alantur, & à Medicis ac Chirurgis, illis Nosocomijs ordinarie inseruientibus, curentur ac sanentur. Qui tamen laudabilis ordo multis in locis, apud Italos, Hispanos, & Gallos (Magistratuum nonnullorum siue auaritiâ, quod sumptus fugiant: siue immisericordiâ, quod proximorum his extremis ac maximis necessitatibus oppressorum non magis quam canum meminerint: siue negligentiâ, quod publicum non satis curent) horribilis & execrabilis euasit, propterea quod huiusmodi nosocomiorum curam solummodo nebulonibus quibusdam ac sceleratis hominibus committant, (sicut ipsimet in Gallia quondam varijs in locis vidimus) qui nullam pestem curandi cognitionem habent, & ægrotos non pluris quam stercora æstimant; ac, si qui valde debiles sint, vel sordida apostemata curatu molestiora habeãt, hos pulmari faciei impositio, atque sic anhelitus meatu obstructo, suffocant; reliquos verò negligunt, & qui facile curari possent, non curant, sed ad interitum dimittunt, ita ut vix centesimus quisque ægrorum eò delatorum inde spes reuertatur: quæ causa est quod ijs in locis adeo ab huiusmodi nosocomijs abhorreant homines, ut plurimi in apertum campum sub parua straminea casa deponi, atque ibi negligi malint, quam istorum crudelium ac sceleratorum nosocomijs illis inseruientium tyrannidi exponi: atque ita tempore pestis extra multas urbes in aperto campo innumeras stramineas casas, in ijsque singulis singulos ægros pestiferos depositos vidimus, quibus bis terve de die necessaria quædam porrigebantur à paucis quibusdam hominibus, vitæ probitate cognitis, quos ægrorum amici cum in finem conduxerant, ut eorum rationem haberent.

XVI. Aquæ stagnantes publicæ pestem sæpe multum adaugent contagij cita propagatione, præcipue ijs in locis ubi quilibet suas quascunque sordes & excrementa in eas projcit, ubi quoque latrinarum, cloacarum, ac platea-

sum illuvies in illas exoneratur, sicut Lugduni Batauorum, Amsterodami, Hagæ-Comitis, aliisque multis in locis fieri solet. Illis enim aquis ab his impuritatibus (quarum multæ sunt valde contagiosæ) inquinatis & infectis alij rursus ad coquendas cereuisias, cibos, aliaque alimenta, alij ad ædes expurgandas, alij ad alios usus utuntur, atque ita malignas infectiones ipsimet sibi ipsis imprudenter & inscij inferunt. Quapropter semper, & inprimis pestilenti tempore, summo studio annitendum est, ut tales aquarum corruptiones impediantur & corrigantur; idque *vel* currentes riuulos in illas (si fieri possit) deducendo seu immittendo, sicut Empedoclem à Selenutijs pestilentes morbos, ex adiacentis stagni fœtore ortos, auertisse testatur Laertius, nempe duobus vicinis amnibus proprio sumptu in illud deductis: *vel* eadem exsiccando, sicut Petrus Salius, *de febr. pest. cap.* 20. scribit patriam suam exsiccatione tollarum stagnantium à febribus pestilentibus, quibus incolæ singulis annis circa finem æstatis infestabantur, fuisse liberatum: *vel* sordium quarumcunque influentiam prohibendo.

XVII. Corrupta alimenta, qualiacunque fuerint, prauos humores, & hi graues morbos generare solent. Licet autem hæc pestem primariò non inducant, (ut late docuimus *lib.* 1. *cap.* 8. *annot.* 1. *problem.* 4.) quia tamen in pestilenti cõstitutione omnes fere alij morbi corpora facillime disponunt ad pestem; propterea omnes occasiones ad quorumcunque morborum generationem facientes, diligentissimè fugiendæ, & inprimis prauorum alimentorum publicæ venditiones strictissimè prohibendæ sunt.

XVIII. Solent in Italia, Hispania, Gallia, alijsque multis regionibus, tempore pestilentiæ nullos pauperes in urbes recipere, imò sæpe omnes illos qui in urbibus male habitant, vel malè ac miserè viuunt, extra urbes ejicere, ut illa ratione pestis occasiones imminuant, & minorem populum in urbibus remineant, qui latius, largius, & commodius habitare possit. Nam populi multitudinem anguste habitantem, pestilens contagium citius deleminare notum est: eaque de causa Annemenles, teste Plutarcho, olim Periclem mulctabant, quod pestis occasionem dedisset, coacta, ob bellum, multa agrestium copia intra urbem. Sic quoque scribit Titus Liuius, *Decad.* 1. *lib.* 3. Romæ pestem excitatam fuisse, propterea quod populus coactus esset sub arctis tectis, atque copiosius habitaret. Hanc autem pauperum electionem olim Galliæ multum profuisse tradunt, eandemque etiam Venetijs inligniter contulisse, refert Sabellicus, *lib.* 3. *Decad.* 4. *histor. Venet.* Verum cum pauperibus semper benefacere ipse Christus iubeat, præcipuè ijs qui in graui aliqua miseria (qualis est hic morbus) constituti sunt, ac per consequens verè impia sit hæc pauperum immisericors electio & seclusio, non solet illa in usu esse Belgis (præcipuè in Confœderatis Prouincijs) utpote quos Deus clementiore spiritu donauit: sed solent nostrates plerisque in locis diligentissimam pauperum curam habere, iisque omnia necessaria liberaliter suppeditare, ut hoc pacto tam percutientem diuinum gladium citius à regionibus suis auertant.

XIX. Hic quærunt nonnulli, an non expurgationes ædium, aliarumque rerum domesticarum (præcipuè in domibus iam infectis) prohibenda potius sit, quam iniungenda. 1. Quia pestilentis contagij miasmata, si quieta relinquantur, tandem sponte emoriuntur, (hoc liquet cum pestis desinit grassari, quæ si illa miasmata non extingueremur sponte, identidem ab illis rursus suscitaretur, atque sic duraret in perpetuum) & si nimis cito & multum commoueantur, facile per aërem late diffunduntur, sicque vires suas magis exserũt, & proximos quosque, vel inspiratione, vel contactu, inficiunt. 2. Quia contagionis seminaria satis resolvuntur, dissipantur, & discutiuntur beneficio aëris, aquarum, & ventorum, ita ut illo, & quidem ipsis expurgatoribus ac domesticis sæpe damnoso, expurgationis labore opus non sit. 3. Quia periculosum est hominibus inidis (quales sunt plerique illi qui domuum infectarum & supellectilium expurgationem suscipiunt, totam rem familiarem committere, cum plurimas sæpe res furentur, imò ipsas infectas res multoties alio transferunt, sicque pestem ulterius propagent. 4. Quia pestis est flagellum Dei, quod nullis humanis expurgationibus extingui aut eliminari,

nari, sed sola Dei misericordiâ placari debet & potest. Verum etsi hæc nonnihil speciosè proponantur, tamen expurgationum publicarum & priuatarum necessitas atque utilitas undequaque patet. Respondeo igitur ad *primum*, quod etsi pestilens venenum tandem sponte emoriatur, tamen si quietum in domibus relinquatur, se plerumque, instar fermenti cuiusdã, indies magis magisque expandat, aëremque magis inficiat, atque sic plurimos in eo viuentes miserè occidat, antequam ad tempus suæ extinctionis perueniat: præterea, quod omnino metuendum non sit, illud ulterius se propagaturum, cum in expurgatione domuum & supellectilium hinc illinc commouetur & agitatur, quia tali modo illud non solum per aëris & ventorum flatum discutitur; verum etiam per ignes, suffumigia, & ablutiones cum aqua, lixiuio, aceto, calce, aliisque similibus (qualibus in expurgando utuntur) multum extinguatur. Ad *secundum*: quod, quia contagionis seminaria beneficio aëris, aquæ, & ventorum valde discutiuntur, hinc, ut illud beneficium quã citissime impetrari possit, expurgationes maximè necessarias, & quocunque tempore instituẽdas esse. Ad *tertium*: quod publica salus & plurimorum hominum vita nullis periculis exponendæ sint propter inanem metum, quem nonnulli concipiunt de expurgantium infidelitate: quærat sibi quisque fideles expurgatores, quibus supellectilium curam tuto committere potest, quales facile inueniet, qui liberaliorem mercedem soluere volet: sed qui auari, parum soluere, & multum periculosi officii sibi præstari desiderant, communiter incidunt in fures, qui passim furantur quantum possunt. Ad *quartum*: quod, etsi pestis flagellum Dei sit, ea tamen de causa no prohibeantur expurgationes, omniaque illa quibus contagii propagatio impeditur (ut nec medicamenta, de quibus vide *sequentis cap. 4. annot* 1.) dummodo talia cum timore Domini fiant, & humilibus precibus flagelli, ablatio ab eo expectatur. Itaque, si extra pestis tempus, unanimiter ab omnibus laudetur mundities imò maxime necessarium sit, ut e domibus & vijs publicis ejiciantur cadavera, & quæcunque res corruptæ, lordidæ, & lætentes, ne per talium corruptas fœdasque exhalationes hominum sanitati damnum inferatur, si olim in castris Hebræorum id ipsum jussu Dei exactissime fieri debuit, quemadmodum id ex variis sacræ Scripturæ locis patet; an illud etiam tempore pestis (quo virus pestilens per huiusmodi abominandam immunditiem multo magis propagari, & corpora ad infectionem facilius suscipiendam præparari à longo tempore docuit experientia) non esse faciendum ædiumque ac compitorum, imo omnium rerum, infectarum expurgationes non esse instituendas, quispiam mente sanus existimabit? Viuant tales lordidi immunditiei patroni in medijs lordibus & impuritatibus, sic breui per lordidam istam pertinaciam lordidum damnosumque lordidæ suæ opinionis præmium consequentur.

XX. Cum in magnis publicis conuentibus plurimi ignoti, ex infectis ædibus prodeuntes, etiam accurrere, & se reliquo populo immiscere soleant, atque sic alijs quoque contagium, quod fæpe inicu in vestibus suis circumferunt, non rarò communicent, sicque pestilentem labem ulterius disseminent, necessario requiritur, ut tempore pestis huiusmodi conventus inhibeantur, & in aliud tempus rejiciantur; sicut Noviomagi in hac peste illud à Magistratu prudenter factum fuit. Sunt qui etiam publicas in Templis concones, ac Verbi diuini prædicationes, eo tempore, ob prædictam rationem, intermittendas esse statuunt. Verum nos potius arbitramur populum admonendum esse, ut qui se malè habere, vel infectos esse sentiunt, vel inter infectos conuersantur, ab illis concionibus abstineant: præterea curandum esse ut illæ concones tempore pestilentiæ non celebrentur in communibus Templis ubi mortui sepe tumulantur, (qui pessimus mortuos sepeliendi mos nostratibus ubique familiaris est) sed in loco aliquo à sepulturis longè separato, vel tali templo in quo nulla cadauera sepeliuntur. Nam propter cadauerum eo tempore undiquaque allatorum maximam multitudinem, fæpe fit ut duran e concione hic illic varia sepulcra aperta relicta, & multa quoque cadauera minus altè terra contecta, pessimum ac contagiosum fœtorem exspirent, qualem durante hac peste in Magno templo Noviomagi multoties olfecimus.

XXI Mi-

XXI. Maxima (proh dolor) conspicitur Magistratuum plurimis in locis negligentia in eo, quod extra pestilentes constitutiones non eligant, & ex publico ærario annuis stipendiis liberaliter dotent pios & aptos Theologos, prudentes, doctos, atque in praxi dudum versatos Medicos, & peritos Chirurgos, quorum opera tempore necessitatis ad omnium pestiferorum visitationem & curam publicè uti possint. Vt illis stipendiis & exiguis sumptibus parcant, publicum commodum negligunt; volentes potius ingruente peste totum ægrorum negotium committere ignaris quibusdam, ac sæpe non satis bonæ famæ, semitheologis (quos ægrorum consolatores appellant) & sciolis agyrtis, medicastris, ac pseudochirurgis, (quos in genere pestis magistros nominant) quam ad publicæ salutis & sanitatis curam annuis stipendiis doctos atq; peritos viros obligare. Hinc fit quod huius grauissimi morbi (in quo Medici summa ac cita prudentia atque peritia opus est) curatio plerumque demandetur ineptissimis ac stolidissimis quibusdam pseudochirurgis & bardis, seu potius ex licentia homicidis, quibus tunc temporis publica auctoritate ægrorum impunè necandorum licentia conceditur, & quorum temeritati ignorantiâ innumeri pereũt, qui à prudentibus Medicis seruari potuissent: cuius rei etiam nos in hac peste à tribus quatuorve talibus ignaris asinis (à Magistratu ad id munus imprudenter deputatis, & liberali stipendio donatis) multa perpetrata exempla vidimus. Neque id mirum, nam cum sint Medicinæ prorsus ignari, nec morbum, nec curationis modum, nec medicamentorum vires noverunt; atque hinc fit quod æque facile venenum quam alexiterium porrigant, & quos corroborare oportet, detracto sanguine labefactent, quos propinato antidoto convenit erigere, dato catarctico dissolvant. Propterea dico expertos atque peritos viros extra pestem esse eligendos & obligandos, quia in ipsa peste aliorum vestigia quemlibet terrent, & a tanto munere abhorrere faciunt, ita ut tunc difficulter quis doctum aliquem Medicum practicum inueniat, qui tam graui & periculoso oneri se subjicere velit. Dico etiam illos non exiguo, sed liberali annuo stipendio dotandos esse, non minus extra pestem, quam in peste: quia Medici & Chirurgi docti ac periti cum satis habeant quod agant, ægerrimè periculosissimam hanc prouinciam suscipiunt, ac proinde talibus continuis nummorum illecebris ad hanc publicam utilitatem illiciendi sunt, ne forte stipendii exiguitatem contemptui habentes, aliquando tantæ seruitutis jugum è ceruicibus suis excutiant. Sic etiam sentit Bricius Bauderonus, *prax. tract.* 1. *cap.* 15. per largas remunerationes peritos Medicos & Chirurgos ad periculosum hoc munus esse inuitandos ac deducendos: postquam enim proposuit, illam curam magistratui inprimis gerendam, ut præter theologos religiosos, etiam doctos atque peritos Medicos & Chirurgos, constituat, qui pestiferorum ægrotantium curam suscipiant, & annuis stipendiis ad illud munus obligati sint, tandem addit: *Ea cautione, ut si quis eorum ea lue moriatur, tunc præter stipendia concessa, etiam annua pensio ex ærario publico detur, qua uxores & liberi viuere possint. Sic doctos, & non ignaros habebunt Medicos & Chirurgos.* Verum hodie, proh dolor, huiusmodi cantilenæ surdis canuntur Magistratibus, utpote quorum maxima pars magis priuato, quam publico cõmodo studet, & dum eorum singuli ex ærario publico proprias crumenas aureis nummis infarciunt, vix ænei aut plumbei in publicam utilitatem impenduntur. Interim propter illud regentium proprii commodi studium, & publici negligentiam patiuntur subditi, & tempore pestis destituuntur Medicorum necessariorum desiderato subsidio; propterea scilicet, quod luculenta præmia & dignæ mercedes pro magno labore & summo periculo subeundo non sint constitutæ, & horum nemo gratis tantum onus libenter suscipere velit. Quippe perpauci inueniuntur Medici, qui non lucri, sed pietatis ergo, ægrotos pestiferos omnes intrepide inuisunt, sicut ego libentissimè & sponte, a nemine incitatus feci; quod meum factum Senatus Noviomagensis haud iniquis oculis adspexit, sed adeo inhumanus fuit, ut finita peste non tantum nullis donis (sicut aliarum ciuitatum Magistratus Medicos suos, qui in peste aliquam operam præstiterunt, luculentis & honorificis donis cumulare ac exornare solent

lent in gratiarum actionem) me pro præstito meo officio donauerit, sed ne quidem ullis verbis mihi unquam aliquas minimas gratias agere dignatus sit.

XXII. Dico, *periculosissimum*, quia multoties

in ipsos sæva medentes.
Irrumpit clades, obsuntq; auctoribus artes.

XXIII. Tempore pestis maximus quoque error in plerisque urbibus in eo committitur, quod Magistratus publica auctoritate non eligat & constituat certos notæ fidei homines, qui ægrotis ubique inseruiant, sed illud munus à quibuslibet obiri permittant. Hæc enim causa est quod multæ pessimæ fœminæ ac sceleratissimi vespillones se ubique in ciuium ædes, sub pii auxilii prætextu, egregiè intinuent, non tam ut ægrotis inseruiant, quam ut eorum loculos spolient, & quælibet pretiosiora supellectilia furentur: quod ut commodius peragant, non raro spumam de primi agonizantis ore pendulam clanculum cibis immiscent, quibus reliquos domesticos sanos omnes inficiunt, infectos verò ægrotantes ac debiles puluinaribus faciei impositis suffocant, atque tunc pro libitu æraria, cistas, scrinia aperiunt, & nullo prohibente quidlibet furantur: sicut plurima tristissima exempla illud passim testatur, quorum (proh dolor) nimia copia inuenitur apud Medicinæ & Historiarum Scriptores, atque etiam nostro tempore pluries videre contigit. Imò sæpe illius generis nefariorum hominum eo usque processit sceleratissima audacia, ut etiam mulieres ac virgines ægrotantes & summè debiles stuprare ac violenter vitiare non timuerint: quod scelus an non Nouiomagi in hac peste aliquoties perpetratum fuerit, dicere non ausim; credo terram huiusmodi flagitia non semel occultasse. Memini, cum in Gallia quòdam versarer, illud tunc Salmurii à quodam nebulone factum fuisse, qui deprehensus, illam ob causam publicè vivus igne crematus est. Sed quid de viuis ægrotantibus dico? vix etiam mortuorum cadavera ab horum sceleratorum hominum sceleratissimo furore immunia esse posse videntur, nam (præterquam quod ab illis varias partes ad venefica sua unguenta conficienda excindant) scribit Iordanus, *de pest. phænom. tract.* 1. *cap.* 18. Vratislauiæ Silesiorum peste atrociter grassante, vespillonem quèdam pulchrum virgineum cadauer, lue pridie interemptum, sequenti mane nefando scelere intuisse, atque ob illud flagitium publicè virgis cæsum, & in perpetuum exilium electum fuisse.

CAPVT IV.

De Prophylaxi Medica in genere, & de fuga.

PRophylaxim Theologicam & Politicam sequitur Medica, quæ in diuino hoc morbo semper Theologicæ prophylaxi necessario unita procedere debet, propter rationes iam ante *cap.* 2. dictas. Hanc Medicam (1.) prophylaxim diuidimus in dieteticam, chirurgicam, & pharmaceuticam, atque de illis tribus iam in sequentibus ordine acturi sumus. Verum antequam eo perueniamus, hic de uno maximo & laudatissimo præseruatiuo paucis præfari necesse est, nempe de fuga (2.) cum timore Domini copulata; quam tanquam præstantissimum ac certissimum prophylacticum commendant plerique Medici, & multi Theologi. Dico, *cum timore Domini copulata*, quia non debet quispiam cum audacia fugere, tanquam summi Dei manus effugiturus, sed tanquam Deum timens, & cuitaturus solummodo illa loca in quæ diuinæ plagæ effunduntur, quas nihilominus Deus ubique terrarum cui vult immittere potest: ac proinde non instituenda fuga, nisi diuina ope ac protectione ardentissimis precibus simul etiam implorata, ut hoc pacto diuino fauori, tanquam inseparabili comiti, fuga associari possit. Fugiendum autem in-

mali

mali principio (3.) cum pestis primo urbem aliumve locum inuadere incipit: & in longè remotas (4.) à loco pestilenti terras salubres demigrandum, atque inde tardissimè (5.) redeundum est, iuxta versiculos:

Hæc tria tabificam tollunt aduerbia pestem,
Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

Quos versiculos alij breuius sic contrahunt:

Ocyus; binc ito longè, tardeque redito.

Ita quoque nos in truculenta hac peste fugam, tanquam certius præseruativum, Nobilibus aliisque ditioribus, quorum res familiaris id permittebat, maxime commendauimus: quorum verò conditio loci mutationem non patiebatur, his alios se præseruandi modos, de quibus mox agemus, præscripsimus.

I. HIc dubium occurrit: Anne homini Christiano in hoc cœlesti ac diuino morbo liceat confugere ad auxilia & remedia mundana ac terrestria? Dicimus, non modo licere, verum etiam in hoc morbo maximè necessarium esse citum remediorum usum, dummodo in ijs solis tota sanationis spes non ponatur, sed illis adiungantur spiritualia remedia, nempe supplices orationes, & feruentes auxilij cœlestis imprecationes. Tali modo post feruidas orationes per emplastrum ex ficubus à peste liberatus fuit Ezechias Rex, 4 *Regum* 20. Verum tres sunt ordines eorum qui de Medicina & remedijs male iudicant. Primi, nimium in Medicina confidunt. Secundi, nihil omnino in ea confidunt. Tertij, quamvis hanc salutarem Dei manum nouerint, eaque ipsimet sapissimè feliciter usi fuerint, tamen per maleuolentiam, inuidiam, aut contemptum malè de ea loquuntur. Primi, cum nimium tribuant instrumento, negligunt instrumenti auctorem & directorem, sine quo instrumenti operatio non procedit; tantopere confidunt creaturæ, ut creatorem non agnoscant, non respiciant; atque hos in sua peruersitate punit Altissimus Deus: cuius rei clarissimum exemplum habet Sacra Pagina, de rege Asa, 2. *Paralipom. cap.* 16. *vers.* 12. qui recessit à Deo, & solis Medicis confisus est, atque hac de causa simul benedictione diuina & vita priuatus, impietatis suæ pœnas dedit. Medicina manus & donum Dei est, ille autem qui manum creat & donum dat, maior est & creatura, & ipso dono, ac proinde qui manum adorat, Creatorem verò manûs negligit, ei ut inutilis manus, & diuinum donum ei cedit in perditionem. Medicina utendum est cum gratiarum actione & confidentia in Deo, supremo Medico, à quo supplicibus precibus cum fide petendum, ut doctam medicam manum nutu suo dirigat, eique benedicat, & donum hoc in ægrorum salutem conuertat: nam,

Ni Deus adfuerit, vireſque infuderit herbis,
Quid rogo, dictamnus, quid panacæa invent?

Homines sumus omnes: nullus autem homo, qualitcunque fuerit, sine nutu Dei manum vertere poterit, multo minus aliquid boni præstare circa proximos suos: ille Deus fons est omnis boni; ille est qui *Deuteronomy cap.* 32. *vers.* 39. dicit, *Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam & ego sanabo.* Et 1. *Regum.* 2. *vers.* 6. ait: *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Medicus vero instrumentum est quod creauit, & quo utitur, quo benedictionem suam circa agros exequitur: malè igitur faciunt, qui nimium confidunt instrumento, & interim instrumenti creatorem ac directorem negligunt. Ab altera parte, non minus malè faciunt, qui Medicinam omnino negligunt, nec quidquam salutare ab ea procedere posse arbitrantur; sed à solo Deo, omnium bonorum fonte, morborum sanationem, nullis remedijs adhibitis, expectandam esse existimant; imò etiam impietatis eos accusant, qui medicam opem in morbis implorant: Deus, inquiunt, omniscius est, morbique aduentum & euentum diu præscivit & præordinauit, eiusque voluntatem hac in parte nulla Medicina immutabit, aut euertet: præterea omnipotens est, atque mor-

morbos, quoscunque vult, sanare potest sine remediorum medicorum usu, ergo in scopulos impietatis impingunt, Deoque diffidunt, qui à Medicis morbi medelam expetunt. Certè, qui ita loquuntur, aut ipsimet impij sunt, aut saltem adeo stolidi, ut præ crassa ignorantia nesciant quid dicant. Æque sonat eorum argumentum, ac si quis diceret, Deus, quos vult, potest alere sine cibis, ergo tempore famis confugere ad cibos, impium est; ab ipsoque solatium & vitæ prolongationem expectare, nihil aliud est, quam diffidere Deo. Profectò nimis impia foret hæc locutio: nam sicut Deus ad vitæ sustentationem creauit cibos & alimenta, sic ad morborum sanationem creauit herbas aliaque medicamenta, & voluit ut utrisque uterentur homines. Non tamen promisit per alimenta vitam in sempiternum producturn, nec per medicamenta morbos semper sanatum iri, sed nihilominus voluit per illam obedientiam honorari. Nam sicut illi, quorum vita sustentatur per alimenta, non vivunt per illa sola alimenta, sed per Deum, qui illos ipsos Verbo creauit, ut & alimenta illa quæ ijs concessit; (sicut scriptum est, *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod exit ab ore Dei*;) ita etiam illi qui per medicamenta curantur, non per illa sola sanantur, sed Deum, qui illa creauit, atque tales sanatiuas facultates indidit. Atque ita per eorum felicem usum & successum non debent, nec verè possunt illa sola laudari, neque etiam propter finistrum morbi euentum damnari infontia medicamenta, sed per obedientiam iis utentis, in quemcunque morbi euentu, magnificari debet Deus, sine quo illa medicamenta non fuissent, & qui per illa operatur in ægris operationem ad suum beneplacitum; quæ operatio ut feliciter ceuat, precibus ab illo petendum, & ipsi soli sanationis summa ac prima gloria danda est. Diximus igitur, sicut qui volentes se ipsos fame enecant, nolentes uti alimentis ut remediis ad famem extinguendam, vitamque sustentandam concessis, illi omnium homicidarum pessimi, & æternæ perditionis rei habentur; sic etiam grauissimum peccatum incurrere illos, qui inobedientes medicamenta aliaque remedia, summi Dei dona, tanquam inania irrident & contemnunt, atque in morbis iisdem uti prohibent, vel negligunt, cum tamen ipse Christus dicat, ægrotos egere Medico; imò cum ipse Seruator Christus, qui omnes languores verbo sanare poterat, medicamentis tamen nonnunquam uti voluerit, ut etiam tali modo gloriam Patris sui exaltaret: sicut legimus apud Marcum, *cap.* 8. cum cœcum sanare vellet, quod verbo potuisset, ipsum usum fuisse collyrio ex saliua, nam *exspuit in oculos eius, & bis imposuit manus suas*: id est, collyrium illud bis manu intricauit in oculos. Sic etiam apud Ioannem, *cap.* 9. cœcum sanaturus, huiusmodi collyrium fecit: *Exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linit lutum super oculos eius, & dixit, Vade, laua in natatoria Siloe*. Sic etiam discipulis suis injunxit, ut ægros, quos verbo sanare potuissent, oleo inungerent ad sanationem, ut non sine medicamento perageretur sanatio ad gloriam Dei; sicut videre est Marci, *cap.* 6. & epist. Iacobi *cap.* 5. Non minus misericors quam iustus est Omnipotens, & quos punit ac vulnerat, eosdem, quando vult, rursus sanat, idque sæpissimè per media naturalia, sicut per medicamenta id fieri videmus in morbis, quos licet, sine medicamentis aliisve naturalibus remediis, verbo sanare possit, vult tamen ut iis utamur, & ex illorum infinito numero, virtiumque varietate & excellentia, omnipotentiam eius admiremur, gloriam eius extendamus, & diuinitatem eius veneremur. Ex quibus satis patet, quam longè à vero aberrent, qui Medicinam, summi Dei donum, penitus contemnunt. Concludendum igitur, etiam in peste maximè necessarium esse remediorum usum. Nam licet prima causa pestis desuper à Deo immittatur, (ut dictum *lib.* 1. *cap.* 8. *annot.* 1.) cuius manus nullis remediis cohiberi posse videtur; tamen sciendum, illam causam tale quid esse, quod res naturales corrumpit, quarum corruptio commodis remediis emendari, imminui, & cuinci potest, (dummodo summi Numinis fauor supplicibus precibus impetratus accedat;) atque hinc, cum in nullo alio morbo maior corruptio aeris, alimentorum, humorum corporis, aliarumque multarum similium rerum, inueniatur, etiam in nullo alio morbo citissimus remediorum usus magis necessarius est.

11. Hippocrates, *lib.* 2. *de nat. hum.* fugam

capescere suadet his verbis: *Locum præterea in vim alienam, ab eo, in quo morbus ille excitatus est, mutabis.* Sic Galenus, *lib. de prop. lib. cap.* 2. non solum verbis innuit fugiendum esse, sed illud ipsum suo ipsius exemplo docet. Nam dicit, cum pestilentia Aquileiam inuasisset, atque hinc imperatores statim Romam, cum paucis militibus, inter quos ipse versabatur, fugere coacti essent, finxisse se in patriam ad Æsculapij sacrificium vocatum esse, atque sic ab Antonio discedendi licentiam postulasse, propterea quod cum militibus, qui una cum ipso Romam confugerant, conuersatio tuta non esset. Idem alibi scribit, quod cum Romæ tribus annis versatus esset, se magna ingruente peste, contestim urbe excessisse, atque in patriam properasse. Ratio autem fugæ est, ut per loci mutationem, non solum infectus aer, sed etiam contagium ab ægrotis exiens, euitetur, quod plurimos inficere solet, ut abunde docet Aristoteles, dum inquit, *Omnes celerrimè ijs morbis corripiuntur, qui è spiritu corrupto proueniunt, quale omne pestilens genus est: qui autem appropinquauerit talem spiritum trahit, qualem æger reddiderit: ægrotat igitur, quia mortiferum est quod spiritu trahitur.* Hanc fugam nonnulli Stoici nec piam esse, nec hominum Christianum decere arbitrantur. 1. Quia repugnat (inquiunt) fidei, & abiectionem inducit in Deum indicat. 2. Quia nemo Altissimi manus usquam effugere potest, qui neminem non omni loco seruare vel perdere potest, pro eius beneplacito. 3. Quia per illam charitas in proximos annihilatur. 4. Quia cum unicuique certus & ineuitabilis vitæ terminus à sumino Deo constitutus sit, nemo ulla fuga illum transire, vel longius extendere poterit. Verum non sunt audiendæ tales friuolæ rationes: nam in peste ea intentione non instituitur fuga, quasi per diffidentiam, manus Dei omnipotentis effugere, vel vitæ statutam metam prolongare quispiam vellet aut posset; verum, ut hoc pacto timor Domini demonstretur, quem Sacra Pagina ubiq; non minus commendat quam Spem, Fidem, & Charitatem: nam cum hac triplici cœlesti scala nemo ad salutem adscendit, absque timore Domini, utpote cui scala illa, tanquam basi & firmo fundamento, insistit: nam est initium & quasi prima via ad Sapientiam & salutem, sicut testatur Salomon, *Initium sapientiæ timor Domini.* Qui ergo à nullo rei familiaris aut publicæ impedimento detinetur, & tamen in loco ad quem pestilentem plagam depluit Altissimus, audacter ac pertinaciter vult permanere, in tali homine non est timor Domini, sed temeraria ac impia audacia, qua Diuini furoris iustissimas plagas irridet & contemnit, quas tamen unumquemque cum timore & tremore metuere oportet. Neque etiam per fugam charitati quidquam detrahitur, quia hæc incipit à se ipso: nullus enim veram & debitam charitatem in alios ostendere potest, qui suam ipsius & domesticorum salutem ac sanitatem eadem charitate non prosequitur: nam scriptum est: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Non dicit S. Scriptura, *Ante te ipsum*, nec *Plus quam te ipsum*, sed, *Sicut, te ipsum.* Talem charitatem ostendit ille, qui ingruente aliqua calamitate, Deum timens, se suosque fuga seruare nititur, & simili, vel alio modo proximos suos seruari posse desiderat, cùm sua ope, vel suo auxilio illos seruare omnino nequeat. Si vero per illius auxilium cum illo aliqui proximorum seruari possent, & tunc ipse sibi soli fuga consuleret, ac proximos desereret, charitatem non haberet; verum illud non fit in peste. Præterea charitas non requirit ut omnes omnibus ægris adsint, ipsis quippe succurri potest per eos qui ad id munus electi ac deputati sunt. Certè omnino contra charitatem foret, si quis, ut uni inseruiat, multis aliis velit officere, si familiam suam inficere, si alios, cum quibus conuersatur, in periculum velit adducere non necessarium: quid enim necesse est ut singuli ægrotis inseruiant, cum ad illud munus obeundum satis multi alii sint destinati, qui lubentes ægris inseruiunt, & maligno aëri ac contagiosis fœtoribus iam dudum assueti sunt? Profectò non est omnium tanta perfectio, ut ægris pestiferis intrepidè ac sine terrore adesse possint, in quo tamen morbo terror ac timor maximam communicationis contagii ac infectionis occasionem præbent. Quapropter dico è locis pestilentia infestatis cuilibet fugere licere, exceptis iis qui speciali officio proximis & Reipublicæ sunt deuincti; quales sunt, Magistratus, Verbi diuini Ministri, Me-

Medici; Chirurgi, obstetrices, aliique similes, quos pietas fugere vetat, & quorum opera Respublica, tali inprimis tempore, carere nequit. Reliquis autem omnibus, quos nec rei familiaris angustia, nec alia necessaria impedimenta detinent, licitum esse fugâ sibi consulere, ipsa S. Scriptura docet: nam Ezechiel *cap.* 7. inquit, *Qui in ciuitate sunt, pestilentia & fame deuorabuntur & saluabuntur qui fugerunt ex eis*. Ieremias *cap.* 51, non tantum docet, sed iubet fugam capescere: *Hæc dicit Dominus, ecce ego suscitabo super Babylonē & super habitatores eius quasi ventum pestilentem*, &c. Paulo post addit. *Fugite de medio Babylonis, ut saluet unusquisque animam suam*. Sed velim mihi dicant prædicti Stoici, quare non æque licitum sit homini Christiano fugere è locis peste infectis, ut pestilentiæ pericula euitentur, atque aliis sanctis viris licitum fuit alia pericula fugiendo euitare? sicut legimus *Gen. cap.* 17. Iacobum Patriarcham, propter iram fratris sui Esau, in Mesopotamiam recessisse: *Exodi* 2. Moysen a facie regis Ægypti in Madian fugisse: item 2. *Samuel.* 4. *vers.* 19. 20. 21. Dauidem ob furorem regis Saul se multoties occultasse: & 3. *Regum cap.* 19. Eliam propter minas Iezabellis reginæ diu in deserto solitarium vixisse: In Actis Apostolorum & Epistolis Pauli, ipsos Apostolos, ab metum Iudæorum, multoties sibi fuga consuluisse: *Matthæi cap.* 2. Iosephum cum Maria matre Iesu à facie Herodis clanculum in Ægyptum confugisse: imò ipsum Seruatorem nostrum Iesum Christum imminentia pericula fugiendo non semel euitasse, ut videre est apud Matthæum, *cap.* 12. *vers.* 15. Marcum, *cap.* 14. *vers.* 50. Ioannem, *cap.* 6. *vers.* 15. & *cap.* 7. *vers.* 1. & *cap.* 8. *vers.* 59. Quam fugam etiam Christus discipulis suis inculcauit, Matthæi *cap.* 10. *vers.* 23: Si vos persecuti fuerint in una ciuitate, tunc fugite in alteram. Præterea cum fames etiam sit manifestissimum supplicium quod Altissimus ἐκπε aliqui populo vel variis regionibus immittit, quam tamen famem Patriarchæ Abraham, Isaac, & Iacob fugerunt, scire velim, quare non etiam pestem, quæ haud leuius supplicium est, effugere liceat Christianis? Si in bello, quod ad hominum punitionem quoq; fuscitatur, hostium pernicioſas copias, regionum vastationes, & militum tyrannidem fugere ac euitare liberum sit; quare illud ipsum in pestilentia quoque facere non liceat? His omnibus pensius consideratis, non sine ratione fugam non modo permittunt, sed etiam suadent, ac ipsimet instituunt præstantissimi Pontificii scriptores, cum quibus etiam aliarum Religionum clariores Ministri hac in parte passim consentiunt. Lutherus enim *in epistola quâdam ad Ioannem Hessum* ita scribit: *Si sanctis Patriarchis licitum fuit fugere gladii famis, &c. impendens periculum, cur non idem quoque in peste sit licitum; cum non minus hac, quam illis, utpote peccatorum nostrorum flagellis, mortem nobis accersere queamus?* Idem 2. *tom. in Genes.* omnibus, & inprimis pauidis fugam suadet: *Si pestis (ait) imminet, fugiat qui volet, ac præcipuè isti qui pauidi sunt; hos enim Sacra Scriptura iubet excedere castro, ne simul faciant pauere corda fratrum*. Sic quoque Ioannes Caluinus, *epist.* 362, agens de quæstione fugæ, scribit, hanc quæstionem videri ex stupiditate eorum nasci, qui nunquam aliquo humanitatis gustu fuerunt prædit: *Ergo (inquit) non licebit eligere salubrem aerem? ergo in ædibus quoque non licebit prospectum salubrem præferre? ergo cauere à noxio fœtore non licebit? ergo nulla contagio erit timenda? Facessant igitur paradoxa, quorum finis est, exuere nos omni sensu. Interea nostri consilij non est, eorum indulgere timiditati, qui obiecto periculi colore, à vocatione sua discedunt: quemadmodum, si vir uxorem, si maritum uxor, si liberi parentes, aut vicissim parentes liberos suos deserant; si Pastor ecclesia relicta sibi consulat; si Magistratus officio desit. Denique, modo ne officium negligatur, non minus pestis contagio, quam gladius aut ignis vitari potest.* Idem etiam sentiunt Hieronymus Zanchius, *comm. ad 2. epist. ad Philip. vers.* 30. Guilhelmus Perkinsus, *in explicat. Decalogi* VI. Georgius Abbatus, Cantuariensis Archiepiscopus, *in schola Theolog. quæst.* 5. *de fuga in persecut. & pest.* Ludouicus Lauaterus, *in lib.* 5. *Paral. cap.* 21. Georgius Sohnius, Theodorus Beza, Andreas Riuetus, aliique præstantissimi Theologi. Concludimus ergo fugam in peste licitam esse, iuxta illud Ieiu Syrach: *Qui amat periculum, peribit in eo*: & iuxta dictum Alcibia-

ni pestilentis, quanto magis cadaver illo veneno occisum & occupatum? Præterea, quid mirum, venenum pestilens in cadavere permanere, & mortuo animali non penitus extingui, cum etiam alia venena contagiosa in corporibus mortuis diu integris viribus latuisse visum sint? Sic ex Io. Bauhino refert Sennertus, rusticum quendam suem rabidam occisam minus alte in terra defodisse, quam cum tempore hyberno vulpes olfecissent, erutamque vorassent, non tantum illas in rabiem actas fuisse, sed eandem etiam aliis pecoribus & hominibus morsu communicasse. Si rabidum venenum tanto tempore in cadauere latere potuerit, quare non æque venenum pestilens? quod non minus quam alia venena diu in corpore latere posse, docet clarissime Iulius Alexandrinus, qui refert duos veneficos conjuratos Patavii inter tormenta confessos fuisse, se, cum peste extinctorum cadaverum elixatorum iure, ostiorum repagula, manubria, limina, & postes illeviisse, atque ita quoslibet transeuntes & attingentes contagio infecisse, ac pestem incredibiliter propagasse. Idem quoque docet historia Nicolai Poli, *in suo Hemereol. Silef.* qua refert, anno 1606, Franckestemii Siletiæ vespillones quosdam veneficos captos, inter tormenta confessos fuisse, se veneficio ultra duo hominum millia occidisse; quod venenum ex cadaueribus peste interemptorum parabatur, quibus capita amputabant, & bubones ac carbunculos abscindebant, præterea è monumentis carnosas inprimis seu musculosas cadaverum putrefactorum, ac in tabum iam diffluentium partes sumebant, atque ex his omnibus pulueres & unguenta sua venefica conficiebant. Eodem modò cadaueribus peste extinctis, & elixatis maleficos anno 1555, unguenta contagiosa & pestifera concinnasse, testantur Hercules Saxonia, *lib. de plica, cap.* 12. & Fallopius, *de bubone pest. cap.* 13. Si in illis cadaueribus venenum pestilens plane emortuum fuisset, etiam maleficia illa unguenta non fuissent contagiosa. Profectò agens cum ob caloris privationem, aliudve incidens impedimentum, ab actione cessat, omnino interire, dicendum non est. Concludimus ergo, cadavera pestiferorum esse contagiosa, idque magis vel minus pro dictorum temporum diversitate. Quod contagiosa sint, hoc ipsa bruta animalia ab experientia & naturali instinctu nouerunt: nam refert Thucydides, animalia carniuora in peste Atheniensi cadauera pestifera non attigisse, & si illa gustassent, statim mortua fuisse. Quod ipsum quoque testatur Titus Liuius, *Decad. 5. lib. 1.*

XIII. Fœtidissimarum platearum, cloacarum, & sterquiliniorum illuviem ad multorum morborum, & inprimis malignarum febrium inductionem, ac pestiferi contagii propagationem plurimum facere, docet experientia, sicut de Parisiorum urbe testatur Palmarius, *lib. de pest.* & Quercetanus, *in diætet. lib. 2. cap. 3.* de urbe Tholosana. Quapropter omnium maximè in pestilenti constitutione annitendum est, ut viæ publicæ ab omni sordium & excrementorũ illuvie diligentissimè mundentur, & impediatur ne ullæ fœtidæ sordes in illas rursus projiciantur, secundum legem Pampinii l. C. *Ædiles non permittant, neque in plateas stercora aut sordes projici, neque cadavera, neque cerdones pellium sordes abstergere.*

XIV. Si veteres Hebræi prohibuerint conuersationem in illis cubiculis, ubi mulieres menstruatæ depurabantur, propterea quod timerent sanguinem menstruatum corruptum aliis contagio aliquam noxam illaturum; quanto magis periculosa & contagiosa debet censeri frequentatio illarum ædium in quibus aliqui peste laborant, vel ab eadem extincti sunt? Hinc est quod in Gallia, Italia, aliisque multis regionibus, non tantum ægros peste infectos statim longius extra urbes deferri, eorumque ædes occludi, ac sigillo publico obsignari curent; verum etiam non rarò istarum platearum, in quibus multæ ædes infectæ sunt, transitum obiectis muris impediant. Verum etsi nostrates tanta morbi & mortis formidine non teneantur, ut in pestilentia integras plateas occludant, & charitatis Christianæ immemores, multos ægros, & tamul sanos, in ijs habitantes, solorum scelleratorum & quorundam inhumanissimorum vespillonum tyrannidi, ad exemplum Italorum & Gallorum, exponant, eosque ab omni honestorum hominum ac amicorum subsidio secludant; tamen illud cum maxima Reipublicæ utilitate fieri posse, existimandum

mandum est, ut Magistratus ædes infectas occludi, & signo præposito notari, atque in ijs, si officinæ fuerint, omnem venditionem prohiberi, & extraneos ab illis diligenter arceri & auerti curent. Verum hic fortè quispiam mihi objiciet, cū alios ab infectis locis arceri velim, quare ego ipsemet, durante tota hac peste, quaslibet infectas ædes adierim, & ægros pestiferos tam liberaliter inuiserim? Respondeo, licet morbi huius malignitas præsens exitium minaretur, tamen minime Christianum, sed planè inhumanum ac crudele fuisset, proximos omni spe & ope destitutos deserere: quapropter cum meæ essent partes, hoc inprimis tempore, proximorum necessitatibus succurrere, nolui huic meo officio deesse, sed in summo Deo confidens, (etsi nullo pretio aut præmio publico, nulla lege, nullo Magistratus iussu ad munus illud deuinctus essem) promiscuè omnes, pauperos æque atque diuites, sine ulla tergiuersatione inuisi, ijsque consilia & auxilia mea libentissimè communicaui, idque non temere sordidi lucri gratiâ, sed piè proximorum commiserationis ergo: atque ea de causa non minus vigilanter inseruiebam pauperibus gratis, quam diuitibus mercede, quam ab his etiam non maiorem petij in peste, quam alijs temporibus solui solet, imò sæpe minorem. Quis scit an non summus Deus, qui omnium corda & renes perscrutatur, & cui hæc mea pia intentio cognita fuit, me propter illam miraculosè ab omni pestilenti contagione immunem seruauerit? Nam non tantum Nouiomagi, verum etiam in aliis plurimis ciuitatibus, multi Medici sordido lucro toti inhiantes, peste extincti sunt, alii ingratis, alii dissolutis quibusdam hæredibus morte adeptum lucrum relinquentes.

XV. Nouiomagi in eo quoque grauiter eratum fuit, quod pauperum ægri à sanis non fuerint statim separati, quæ res plurimum ad contagij propagationem fecit; partim quia pauperes angustis domibus incluſi, non poterant ægrotos in diuersa cubicula deferre, & sic à sanis domesticis seiungere: partim quia etiam defectu linteamentorum aliarumque rerum necessariarum, non poterant ægrorum & ędium impuritates satis debito modo expurgare, atque ita propter sordium, vaporum, exhalationum, & fœtidorum excrementorum communionem, unico infecto facillimè ac citissimè reliqui omnes eiusdem familiæ inficiebantur. Solent in Rebuspublicis melius constitutis sua habere Nosocomia solis pestiferis dicata, ad quæ tales ægros statim deferri curant, ut ibi ex ærario publico alantur, & à Medicis ac Chirurgis, illis Nosocomijs ordinarie inseruientibus, curentur ac sanentur. Qui tamen laudabilis ordo multis in locis, apud Italos, Hispanos, & Gallos (Magistratuum nonnullorum siue auaritiâ, quod sumptus fugiant: siue immisericordiâ, quod proximorum his extremis ac maximis necessitatibus oppressorum non magis quam canum meminerint: siue negligentiâ, quod publicum non satis curent) horribilis & execrabilis euasit, propterea quod huiusmodi nosocomiorum curam solummodo nebulonibus quibusdam ac sceleratis hominibus committant, (sicut ipsimet in Gallia quondam varijs in locis vidimus) qui nullam pestem curandi cognitionem habent, & ægrotos non pluris quam stercora æstimant; ac, si qui valde debiles sint, vel sordida apostemata curatu molestiora habeāt, hos pu uinari faciet impolito, atque sic anhelitus meatu obstructo, suffocant; reliquos verò negligunt, & qui facile curari possent, non curant, sed ad interitum dimittunt, ita ut vix centesimus quisque ægrorum eò delatorum inde sospes reuertatur: quæ causa est quod ijs in locis adeo ab huiusmodi nosocomijs abhorreant homines, ut plurimi in apertum campum sub parua straminea casa deponi, atque ibi negligi malint, quam illorum crudelium ac sceleratorum nosocomijs illis inseruientium tyrannidi exponi: atque ita tempore pestis extra multas urbes in aperto campo innumeras stramineas casas, in ijsque singulis singulos ægros pestiferos depositos vidimus, quibus bis terve de die necessaria quædam porrigebantur à paucis quibusdam hominibus, vitæ probitate cognitis, quos ægrorum amici cum in finem conduxerant, ut eorum rationem haberent.

XVI. Aquæ stagnantes publicæ pestem sæpe multum adaugent contagij celeri propagatione, præcipue ijs in locis ubi quilibet suas quascunque sordes & excrementa in eas proijcit, ubi quoque latrinarum, cloacarum, ac platearum

rum illuvies in illas exoneratur, sicut Lugduni Batauorum, Amsterodami, Hagæ-Comitis, aliisque multis in locis fieri solet. Illis enim aquis ab his impuritatibus (quarum multæ sunt valde contagiosæ) inquinatis & infectis alij rursus ad coquendas cereuisias, cibos, aliaque alimenta, alij ad ædes expurgandas, alij ad alios usus utuntur, atque ita malignas infectiones ipsimet sibi ipsis imprudenter & insci inferunt. Quapropter semper, & inprimis pestilenti tempore, summo studio annitendum est, ut tales aquarum corruptiones impediantur & corrigantur; idque *vel* currentes riuulos in illas (si fieri possit) deducendo seu immittendo, sicut Empedoclem à Selenutijs pestilentes morbos, ex adiacentis stagni fœtore ortos, auertisse testatur Laertius, nempe duobus vicinis amnibus proprio sumptu in illud deductis: *vel* eadem exsiccando, sicut Petrus Salius, *de febr. pest. cap.* 20. scribit patriam suam exsiccatione fossarum stagnantium à febribus pestilentibus, quibus incolæ singulis annis circa finem æstatis infestabantur, fuisse liberatum: *vel* sordium quarumcunque influentiam prohibendo.

XVII. Corrupta alimenta, qualiacunque fuerint, prauos humores, & hi graues morbos generare solent. Licet autem hæc pestem primariò non inducant, (ut late docuimus *lib.* 1. *cap.* 8. *annot.* 1. *problem.* 4.) quia tamen in pestilenti cõstitutione omnes fere alij morbi corpora facillime disponunt ad pestem; propterea omnes occasiones ad quorumcunque morborum generationem facientes, diligentissimè fugiendæ, & inprimis prauorum alimentorum publicæ venditiones strictissimè prohibendæ sunt.

XVIII. Solent in Italia, Hispania, Gallia, alijsque multis regionibus, tempore pestilentiæ nullos pauperes in urbes recipere, imò sæpe omnes illos qui in urbibus malè habitant, vel malè ac miserè viuunt, extra urbes ejecere, ut illa ratione pestis occasiones imminuant, & minorem populum in urbibus reineant, qui latius, largius, & commodius habitare possit. Nam populi multitudinem anguste habitantem pestilens contagium citius deleminare notum est: eaque de causa Athenienses, teste Plutarcho, olim Periclem inculabant, quod pestis occasionem dedisset, coacta, ob bellum, multa agrestium copia intra urbem. Sic quoque scribit Titus Liuius, *Decad.* 1. *lib.* 3. Romæ pestem excitatam fuisse, propterea quod populus coactus esset sub arctis tectis, atque copiosius habitaret. Hanc autem pauperum electionem olim Galliæ multum profuisse tradunt, eandemque etiam Venetijs insigniter contulisse, refert Sabellicus, *lib.* 3. *Decad.* 4. *histor. Venet.* Verum cum pauperibus semper benefacere ipse Christus iubeat, præcipuè ijs qui in graui aliqua miseria (qualis est hic morbus) constituti sunt, ac per consequens verè impia sit hæc pauperum immisericors electio & seclusio, non solet illa in usu esse Belgis (præcipuè in Confœderatis Prouincijs) utpote quos Deus clementiore spiritu donauit: sed solent nostrates plerisque in locis diligentissimam pauperum curam habere, iisque omnia necessaria liberaliter suppeditare, ut hoc pacto tam percutientem diuinum gladium citius à regionibus suis auertant.

XIX. Hic quærunt nonnulli, an non expurgationes ædium, aliarumque rerum domesticarum (præcipuè in domibus iam infectis) prohibenda potius sit, quam iniungenda. 1. Quia pestilentis contagii miasmata, si quieta relinquantur, tandem sponte emoriuntur, (hoc liquet cum pestis desinit grassari, quæ si illa miasmata non extinguerentur sponte, identidem ab illis rursus suscitaretur, atque sic duraret in perpetuum) & si nimis cito & multum commoueantur, facile per aërem late diffunduntur, sicque vires suas magis exerũt, & proximos quosque, vel inspiratione, vel contactu, inficiunt. 2. Quia contagionis seminaria satis resolui untur, dissipantur, & discutiuntur beneficio aëris, aquarum, & ventorum, ita ut illo, & quidem ipso expurgatoribus ac domesticis sæpe damnoso, expurgationis labore opus non sit. 3. Quia periculosum est hominibus inidis (quales sunt plerique illi qui domuum infectarum & supellectilium expurgationem suscipiunt, totam rem familiarem committere, cum plurimas sæpe res furentur, imò ipsas infectas res multoties alio transferunt, sicque pestem ulterius propagent. 4. Quia pestis est flagellum Dei, quod nullis humanis expurgationibus extingui aut eliminari,

nari, sed sola Dei misericordia placari debet & potest. Verum etsi hæc nonnihil speciosè proponantur, tamen expurgationum publicarum & priuatarum necessitas atque utilitas undequaque patet. Respondeo igitur ad *primum*, quod etsi pestilens venenum tandem sponte emoriatur, tamen si quietum in domibus relinquatur, se plerumque, instar fermenti cuiusdã, indies magis magisque expandat, aëremque magis inficiat, atque sic plurimos in eo viuentes imsèrè occidat, antequam ad tempus suæ extinctionis perueniat: præterea, quod omnino metuendum non sit, illud ulterius se propagaturum, cum in expurgatione domuum & supellectilium hinc illinc commouetur & agitatur, quia tali modo illud non solum per aëris & ventorum flatum discutitur; verum etiam per ignes, suffumigia, & ablutiones cum aqua, lixiuio, aceto, calce, aliisque similibus (qualibus in expurgando utuntur) multum extinguatur. Ad *secundum*: quod, quia contagionis seminaria beneficio aëris, aquæ, & ventorum valde discutiuntur, hinc, ut illud beneficium quã citissime impetrari possit, expurgationes maxime necessarias, & quocunque tempore instituẽdas esse. Ad *tertium*: quod publica salus & plurimorum hominum vita nullis periculis exponendæ sint propter inanem metum, quem nonnulli concipiunt de expurgantium infidelitate: quærat tibi quisque fideles expurgatores, quibus supellectilium curam tuto committere potest, quales facile inveniet, qui liberaliorem mercedem soluere volet: sed qui auari, parum soluere, & multum periculosi officii hoi præstari desiderant, communiter incidunt in fures, qui passim furantur quantum possunt. Ad *quartum*: quod, etsi pestis flagellum Dei sit, ea tamen de causa no prohibeantur expurgationes, omniaque illa quibus contagii propagatio impeditur (ut nec medicamenta, de quibus vide *sequentis cap. 4. annot* 1.) dummodo talia cum timore Domini fiant, & humilibus precibus flagelli, ablatio ab eo expetatur. Itaque, si extra pestis tempus, unanimiter ab omnibus laudetur mundities imò maxime necessarium sit, ut e domibus & vijs publicis ejiciantur cadavera, & quælibet res corruptæ, lordidæ, & fœtentes, ne per talium corruptas fœdasque exhalationes hominum sanitati damnum inferatur, si olim in castris Hebræorum id ipsum jussu Dei exactissime fieri debuit, quemadmodum id ex variis sacræ Scripturæ locis patet; an illud etiam tempore pestis (quo virus pestilens per huiusmodi abominandam immunditiem multo magis propagari, & corpora ad infectionem facilius suscipiendam præparari à longo tempore docuit experientia) non esse faciendum ædiumque ac compitorum, imo omnium rerum, infectarum expurgationes non esse instituendas, quispiam mente sanus existimabit? Viuant tales lordidi immunditiei patroni in medijs lordibus & impuritatibus, sic breui per lordidam istam pertinaciam lordidum damnosumque lordidæ suæ opinionis præmium consequentur.

XX. Cum in magnis publicis conuentibus plurimi ignoti, ex infectis ædibus prodeuntes, etiam accurrere, & se reliquo populo immiscere soleant, atque sic alijs quoque contagium, quod fæpe inscij in vestibus suis circumferunt, non rarò communicent, sicque pestilentem labem ulterius disseminent, necessario requiritur, ut tempore pestis huiusmodi conventus inhibeantur, & in aliud tempus rejciantur; sicut Noviomagi in hac peste illud à Magistratu prudenter factum fuit. Sunt qui etiam publicas in Templis concliones, ac Verbi diuini prædicationes, eo tempore, ob prædictam rationem, intermittendas esse statuunt. Verum nos potius arbitramur populum admonendum esse, ut qui se malè habere, vel infectos esse sentiunt, vel inter infectos conuersantur, ab illis concionibus abstineant: præterea curandum esse ut illæ conciones tempore pestilentiæ non celebrentur in communibus Templis ubi mortui sæpe tumulantur, (qui pessimus mortuos sepeliendi mos nostratibus ubique familiaris est) sed in loco aliquo à sepulturis longè sepatato, vel tali templo in quo nulla cadauera sepeliuntur. Nam propter cadauerum eo tempore undiquaque allatorum maximam multitudinem, sæpe fit ut duran e concione hic illic varia sepulcra aperta relicta, & multa quoque cadauera minus altè terrâ contecta, pessimum ac contagiosum fœtorem exspirent, qualem durante hac peste in Magno templo Noviomagi multoties olfecimus.

XXI Mi-

XXI. Maxima (proh dolor) conspicitur Magistratuum plurimis in locis negligentia in eo, quod extra pestilentes constitutiones non eligant, & ex publico ærario annuis stipendiis liberaliter dotent pios & aptos Theologos, prudentes, doctos, atque in praxi dudum versatos Medicos, & peritos Chirurgos, quorum opera tempore necessitatis ad omnium pestiferorum visitationem & curam publicè uti possint. Vt illis stipendiis & exiguis sumptibus parcant, publicum commodum negligunt; volentes potius ingruente peste totum ægrorum negotium committere ignaris quibusdam, ac sæpe non satis bonæ famæ, semitheologis (quos ægrorum consolatores appellant) & sciolis agyrtis, medicastris, ac pseudochirurgis, (quos in genere pestis magistros nominant) quam ad publicæ salutis & tanitatis curam annuis stipendiis doctos atq; peritos viros obligare. Hinc fit quod huius grauissimi morbi (in quo Medici summa ac cita prudentia atque peritia opus est) curatio plerumque demandetur ineptissimis ac stolidissimis quibusdam pseudochirurgis & bardis, seu potius ex licentia homicidis, quibus tunc temporis publica auctoritate ægrorum impunè necandorum licentia conceditur, & quorum temerariâ ignorantiâ innumeri percũt, qui à prudentibus Medicis seruari potuissent: cuius rei etiam nos in hac peste à tribus quatuorve talibus ignaris alinis (à Magistratu ad id munus imprudenter deputatis, & liberali stipendio donatis) multa perpetrata exempla vidimus. Neque id mirum, nam cum sint Medicinæ prorsus ignari, nec morbum, nec curationis modum, nec medicamentorum vires noverunt; atque hinc fit quod æque facile venenum quam alexiterium porrigant, & quos corroborare oportet, detracto sanguine labefactent, quos propinato antidoto convenit erigere, dato catarctico dissolvant. Propterea dico expertos atque peritos viros extra pestem esse eligendos & obligandos, quia in ipsa peste aliorum vestigia quemlibet terrent, & a tanto munere abhorrere faciunt, ita ut tunc difficulter quis doctum aliquem Medicum practicum inueniat, qui tam graui & periculoso oneri se subjicere velit. Dico etiam illos non exiguo, sed liberali annuo stipendio dotandos esse, non minus extra pestem, quam in peste: quia Medici & Chirurgi docti ac periti cum satis habeant quod agant, ægerrimè periculosissimam hanc prouinciam suscipiunt, ac proinde talibus continuis nummorum illecebris ad hanc publicam utilitatem illiciendi sunt, ne forte stipendii exiguitatem contemptui habentes, aliquando tantæ seruitutis jugum è ceruicibus suis excutiant. Sic etiam sentit Bricius Bauderonus, *prax. tract.* 1. *cap.* 15. per largas remunerationes peritos Medicos & Chirurgos ad periculosum hoc munus esse inuitandos ac deducendos: postquam enim propoluit, illam curam magistratui inprimis gerendam, ut præter theologos religiosos, etiam doctos atque peritos Medicos & Chirurgos, constituat, qui pestiferorum ægrotantium curam suscipiant, & annuis stipendiis ad illud munus obligati sint, tandem addit: *Ea cautione, ut si quis eorum ea lue moriatur, tunc præter stipendia concessa, etiam annua pensio ex ærario publico detur, qua uxores & liberi viuere possint. Sic doctos, & non ignaros habebunt Medicos & Chirurgos.* Verum hodie, proh dolor, huiusmodi cantilenæ surdis canuntur Magistratibus, utpote quorum maxime pars magis priuato, quam publico cõmodo studet, & dum eorum singuli ex ærario publico proprias crumenas aureis nummis infarciunt, vix ænei aut plumbei in publicam utilitatem impenduntur. Interim propter illud regentium proprii commodi studium, & publici negligentiam patiuntur subditi, & tempore pestis destituuntur Medicorum necessariorum desiderato subsidio; propterea scilicet, quod luculenta præmia & dignæ mercedes pro magno labore & summo periculo subeundo non sint constitutæ, & horum nemo gratis tantum onus libenter suscipere velit. Quippe perpauci inueniuntur Medici, qui non lucri, sed pietatis ergo, ægrotos pestiferos omnes intrepide inuisunt, sicut ego libentissimè & sponte, a nemine incitatus feci; quod meum factum Senatus Noviomagensis haud iniquis oculis adspexit, sed adeo inhumanus fuit, ut finita pestis non tantum nullis donis (sicut aliarum ciuitatum Magistratus Medicos suos, qui in peste aliquam operam præstiterunt, luculentis & honorificis donis cumulare ac exornare so-

lent

sent in gratiarum actionem) me pro præstito meo officio donauerit, sed ne quidem ullis verbis mihi unquam aliquas minimas gratias agere dignatus sit.

XXII. Dico, *periculosissimum*, quia multoties

in ipsos sæua medentes.
Irrumpit clades, obsuntq; auctoribus artes.

XXIII. Tempore pestis maximus quoque error in plerisque urbibus in eo committitur, quod Magistratus publica auctoritate non eligat & constituat certos notæ fidei homines, qui ægrotis ubique inseruiant, sed illud munus à quibuslibet obiri permittant. Hæc enim causa est quod multæ pessimæ fœminæ ac sceleratissimi vespillones se ubique in ciuium ædes, subpii auxilii prætextu, egregiè intinuent, non tam ut ægrotis inseruiant, quam ut eorum loculos spolient, & quælibet pretiosiora supellectilia furentur: quod ut commodius peragant, non ratò spumam de primi agonizantis ore pendulam clanculum cibis immiscent, quibus reliquos domesticos sanos omnes inficiunt, infectos verò ægrotantes ac debiles puluinaribus faciei impositis suffocant, atque tunc pro libitu æraria, cistas, scrinia aperiunt, & nullo prohibente quidlibet furantur: sicut plurima tristissima exempla illud passim testātur, quorum (proh dolor) nimia copia inuenitur apud Medicinæ & Historiarum Scriptores, atque etiam nostro tempore pluries videre contigit. Imò sæpe illius generis nefariorum hominum eo usque processit sceleratissima audacia, ut etiam mulieres ac virgines ægrotantes & summè debiles stuprare ac violenter vitiare non timuerint: quod scelus an non Nouiomagi in hac peste aliquoties perpetratum fuerit, dicere non ausim; credo terram huiusmodi flagitia non semel occultasse. Memini, cum in Gallia quōdam versarer, illud tunc Salmurii à quodam nebulone factum fuisse, qui deprehensus, illam ob causam publicè viuus igne conerematus est. Sed quid de viuis ægrotantibus dico? vix etiam mortuorum cadavera ab horum sceleratorum hominum scelestissimo furore immunia esse posse videntur, nam (præterquam quod ab illis varias partes ad venefica sua unguenta conficienda excindant) scribit Iordanus, *de pest. phænom. tract. 1. cap. 18.* Vratislauiæ Silesiorum peste atrociter grassante, vespillonem quēdam pulchrum virgineum cadauer, lue pridie interemptum, sequenti mane nefando scelere intuisse, atque ob illud flagitium publice virgis cæsum, & in perpetuum exilium electum fuisse.

CAPVT IV.

De Prophylaxi Medica in genere, & de fuga.

PRophylaxim Theologicam & Politicam sequitur Medica, quæ in diuino hoc morbo semper Theologicæ prophylaxi necessario unita procedere debet, propter rationes iam ante *cap. 2.* dictas. Hanc Medicam (1.) prophylaxim diuidimus in dieteticam, chirurgicam, & pharmaceuticam, atque de illis tribus iam in sequentibus ordine acturi sumus. Verum antequam eo perueniamus, hic de uno maximo & laudatissimo præseruatiuo paucis præfari necesse est, nempe de fuga (2.) cum timore Domini copulata; quam tanquam præstantissimum ac certissimum prophylacticum commendant plerique Medici, & multi Theologi. Dico, *cum timore Domini copulata*, quia non debet quispiam cum audacia fugere, tanquam summi Dei manus effugiturus, sed tanquam Deum timens, & cauturus solummodo illa loca in quæ diuinæ plagæ effunduntur, quas nihilominus Deus ubique terrarum cui vult immittere potest: ac proinde non instituenda fuga, nisi diuina ope ac protectione ardentissimis precibus simul etiam implorata, ut hoc pacto diuino fauori, tanquam inseparabili comiti, fuga associari possit. Fugiendum autem in-

mali

mali principio (3.) cum pestis primo urbem aliumve locum inuadere incipit: & in longè remotas (4.) à loco pestilenti terras salubres demigrandum, atque inde tardissimè (5.) redeundum est, iuxta versiculos:

Hæc tria tabificam tollunt aduerbia pestem,
Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

Quos versiculos alij breuius sic contrahunt:

Ocyus; binc ito longè, tardeque redito.

Ita quoque nos in truculenta hac peste fugam, tanquam certius præseruativum, Nobilibus aliisque ditioribus, quorum res familiaris id permittebat, maxime commendauimus: quorum verò conditio loci mutationem non patiebatur, his alios se præseruandi modos, de quibus mox agemus, præscripsimus.

I. HIc dubium occurrit: Anne homini Christiano in hoc cœlesti ac diuino morbo liceat confugere ad auxilia & remedia mundana ac terrestria? Dicimus, non modo licere, verum etiam in hoc morbo maximè necessarium esse citum remediorum usum, dummodo in ijs solis tota sanationis spes non ponatur, sed illis adiungantur spiritualia remedia, nempe supplices orationes, & feruentes auxilij cœlestis implorationes. Tali modo post feruidas orationes per emplastrum ex ficubus à peste liberatus fuit Ezechias Rex, 4 *Regum* 20. Verum tres sunt ordines eorum qui de Medicina & remedijs male iudicant. Primi, nimium in Medicina confidunt. Secundi, nihil omnino in ea confidunt. Tertij, quamvis hanc salutarem Dei manum nouerint, eaque ipsimet sæpissimè feliciter usi fuerint, tamen per maleuolentiam, inuidiam, aut contemptum malè de ea loquuntur. Primi, cum nimium tribuant instrumento, negligunt instrumenti auctorem & directorem, sine quo instrumenti operatio non procedit; tantopere confidunt creaturæ, ut creatorem non agnoscant, non respiciant; atque hos in sua peruersitate punit Altissimus Deus: cuius rei clarissimum exemplum habet Sacra Pagina, de rege Asa, 2. *Paralipom. cap.* 16. *vers.* 12. qui recessit à Deo, & solis Medicis confisus est, atque hac de causa simul benedictione diuina & vita priuatus, impietatis suæ pœnas dedit. Medicina manus & donum Dei est, ille autem qui manum creat & donum dat, maior est & creatura, & ipso dono, ac proinde qui manum adorat, Creatorem verò manûs negligit, ei fit inutilis manus, & diuinum donum ei cedit in perditionem. Medicina utendum est cum gratiarum actione & confidentia in Deo, supremo Medico, à quo supplicibus precibus cum fide petendum, ut doctam medicam manum nutu suo dirigat, eique benedicat, & donum hoc in ægrorum salutem conuertat: nam,

Ni Deus adfuerit, vireſque infuderit herbis,
Quid rogo, dictamnus, quid panacæa invent?

Homines sumus omnes: nullus autem homo, qualiscunque fuerit, sine nutu Dei manum vertere poterit, multo minus aliquid boni præstare circa proximos suos: ille Deus fons est omnis boni; ille est qui *Deuteronomij cap.* 32. *vers.* 39. dicit, *Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam & ego sanabo.* Et 1. *Regum.* 2. *vers.* 6. ait: *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Medicus vero instrumentum est quod creauit, & quo utitur, quo benedictionem suam circa ægros exequitur: malè igitur faciunt, qui nimium confidunt instrumento, & interim instrumenti creatorem ac directorem negligunt. Ab altera parte, non minus malè faciunt, qui Medicinam omnino negligunt, nec quidquam salutare ab ea procedere posse arbitrantur; sed à solo Deo, omnium bonorum fonte, morborum sanationem, nullis remedijs adhibitis, expectandam esse existimant; imò etiam impietatis eos accusant, qui medicam opem in morbis implorant: Deus, inquiunt, omniscius est, morbique aduentum & euentum diu præscijt & præordinauit, eiusque voluntatem hac in parte nulla Medicina immutabit, aut euertet; præterea omnipotens est, atque

mos-

morbos, quoscunque vult, sanare potest sine remediorum medicorum usu, ergo in scopulos impietatis impingunt, Deoque diffidunt, qui à Medicis morbi medelam expetunt. Certè, qui ita loquuntur, aut ipsimet impij sunt, aut saltem adeo stolidi, ut præ crassa ignorantia nesciant quid dicant. Æque sonat eorum argumentum, ac si quis diceret, Deus, quos vult, potest alere sine cibis, ergo tempore famis confugere ad cibos, impium est; ab ipsique solatium & vitæ prolongationem expectare, nihil aliud est, quam diffidere Deo. Profectò nimis impia foret hæc locutio: nam sicut Deus ad vitæ sustentationem creauit cibos & alimenta, sic ad morborum sanationem creauit herbas aliaque medicamenta, & voluit ut utrisque uterentur homines. Non tamen promisit per alimenta vitam in sempiternum productum, nec per medicamenta morbos semper sanatum iri, sed nihilominus voluit per illam obedientiam honorari. Nam sicut illi, quorum vita sustentatur per alimenta, non vivunt per illa sola alimenta, sed per Deum, qui illos ipsos Verbo creauit, ut & alimenta illa quæ ijs concessit; (sicut scriptum est, *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod exit ab ore Dei*;) ita etiam illi qui per medicamenta curantur, non per illa sola sanantur, sed Deum, qui illa creauit, usque tales sanativas facultates indidit. Atque ita per eorum felicem usum & successum non debent, nec verè possunt illa sola laudari, neque etiam propter finistrum morbi euentum damnari infontia medicamenta, sed per obedientiam iis utentis, in quamcunque morbi euentu, magnificari debet Deus, sine quo illa medicamenta non fuissent, & qui per illa operatur in ægris operationem ad suum beneplacitum; quæ operatio ut feliciter eueniat, precibus ab illo petendum, & ipsi soli sanationis summa ac prima gloria danda est. Dicimus igitur, sicut qui volentes se ipsos fame enecant, nolentes uti alimentis ut remediis ad famem extinguendam, vitamque sustentandam concessis, illi omnium homicidarum pessimi, & æternæ perditionis rei habentur; sic etiam grauissimum peccatum incurrere illos, qui inobedientes medicamenta aliaque remedia, summi Dei dona, tanquam inania irrident & contemnunt, atque in morbis iisdem uti prohibent, vel negligunt, cum tamen ipse Christus dicat, ægrotos egere Medico; imò cum ipse Seruator Christus, qui omnes languores verbo sanare poterat, medicamentis tamen nonnunquam uti voluerit, ut etiam tali modo gloriam Patris sui exaltaret: sicut legimus apud Marcum, *cap.* 8. cum cæcum sanare vellet, quod verbo potuisset, ipsum usum fuisse collyrio ex saliua, nam *exspuit in oculos eius, & bis imposuit manus suas*: id est, collyrium illud bis manu intricauit in oculos. Sic etiam apud Ioannem, *cap.* 9. cæcum sanaturus, huiusmodi collyrium fecit: *Exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linit lutum super oculos eius, & dixit, Vade, laua in natatoria Siloe*. Sic etiam discipulis suis injunxit, ut ægros, quos verbo sanare potuissent, oleo inungerent ad sanationem, ut non sine medicamento perageretur sanatio ad gloriam Dei; sicut videre est Marci, *cap.* 6. & epist. Iacobi *cap.* 5. Non minus misericors quam iustus est Omnipotens, & quos punit ac vulnerat, eosdem, quando vult, rursus sanat, idque sæpissimè per media naturalia, sicut per medicamenta id fieri videmus in morbis, quos licet, sine medicamentis aliisve naturalibus remediis, verbo sanare possit, vult tamen ut iis utamur, & ex illorum infinito numero, virtiumque varietate & excellentia, omnipotentiam eius admiremur, gloriam eius extendamus, & diuinitatem eius veneremur. Ex quibus satis patet, quam longè à vero aberrent, qui Medicinam, summi Dei donum, penitus contemnunt. Concludendum igitur, etiam in peste maximè necessarium esse remediorum usum. Nam licet prima causa pestis desuper à Deo immittatur, (ut dictum *lib.* 1. *cap.* 8. *annot.* 1.) cuius manus nullis remediis cohiberi posse videtur; tamen sciendum, illam causam tale quid esse, quod res naturales corrumpit, quarum corruptio commodis remediis emendari, imminui, & cuinci potest, (dummodo summi Numinis fauor supplicibus precibus impetratus accedat;) atque hinc, cum in nullo alio morbo maior corruptio aeris, alimentorum, humorum corporis, aliarumque multarum similium rerum, inueniatur, etiam in nullo alio morbo ciuissimus remediorum usus magis necessarius est.

11. Hippocrates, *lib.* 2. *de nat. hum.* fugam

Medici; Chirurgi, obstetrices, aliique similes, quos pietas fugere vetat, & quorum opera Respublica, tali inprimis tempore, carere nequit. Reliquis autem omnibus, quos nec rei familiaris angustia, nec alia necessaria impedimenta detinent, licitum esse fugâ sibi consulere, ipsa S. Scriptura docet: nam Ezechiel *cap.* 7. inquit, *Qui in ciuitate sunt, pestilentia & fame deuorabuntur & saluabuntur qui fugerunt ex eis*. Ieremias *cap.* 51, non tantum docet, sed iubet fugam capescere: *Hæc dicit Dominus, ecce ego suscitabo super Babylonẽ & super habitatores eius quasi ventum pestilentem*, &c. Paulo post addit. *Fugite de medio Babylonis, ut saluet unusquisque animam suam*. Sed velim mihi dicant prædicti Stoici, quare non æque licitum sit homini Christiano fugere è locis peste infectis, ut pestilentiæ pericula euitentur, atque aliis sanctis viris licitum fuit alia pericula fugiendo euitare? sicut legimus *Gen. cap.* 17. Iacobum Patriarcham, propter iram fratris sui Esau, in Mesopotamiam recessisse: *Exodi* 2. Moysen à facie regis Ægyptii in Madian fugisse: item 2. *Samuel.* 4. *vers.* 19. 20. 21. Dauidem ob furorem regis Saul se multoties occultasse: & 3. *Regum cap.* 19. Eliam propter minas Iezabellis reginæ diu in deserto solitarium vixisse: In Actis Apostolorum & Epistolis Pauli, ipsos Apostolos, ab metum Iudæorum, multoties sibi fuga consuluisse: *Matthæi cap.* 2. Iosephum cum Maria matre Iesu à facie Herodis clanculum in Ægyptum confugisse: imò ipsum Seruatorem nostrum Iesum Christum imminentia pericula fugiendo non semel euitasse, ut videre est apud Matthæum, *cap.* 12. *vers.* 15. Marcum, *cap.* 14. *vers.* 50. Ioannem, *cap.* 6. *vers.* 15. & *cap.* 7. *vers.* 1. & *cap.* 8. *vers.* 59. Quam fugam etiam Christus discipulis suis inculcauit, Matthæi *cap.* 10. *vers.* 23: Si vos persecuti fuerint in una ciuitate, tunc fugite in alteram. Præterea cum fames etiam sit manifestissimum supplicium quod Altissimus sæpe alicui populo vel variis regionibus immittit, quam tamen famem Patriarchæ Abraham, Isaac, & Iacob fugerunt, scire velim, quare non etiam pestem, quæ haud leuius supplicium est, effugere liceat Christianis? Si in bello, quod ad hominum punitionem quoq; suscitatur, hostium pernicio sas copias, regionum vastationes, & militum tyrannidem fugere ac vitare liberum sit; quare illud ipsum in pestilentia quoque facere non liceat? His omnibus pensius consideratis, non sine ratione fugam non modo permittunt, sed etiam suadent, ac ipsimet instituunt præstantissimi Pontificii scriptores, cum quibus etiam aliarum Religionum clariores Ministri hac in parte passim consentiunt. Lutherus enim *in epistola quâdam ad Ioannem Hessum* ita scribit: *Si sanctis Patriarchis licitum fuit fugere gladii, famis, &c. impendens periculum, cur non idem quoque in peste sit licitum; cum non minus hac, quam illis, utpote peccatorum nostrorum flagellis, mortem nobis accersere queamus?* Idem 2. *tom. in Genes.* omnibus, & inprimis pauidis fugam suadet: *Si pestis (ait) imminet, fugiat qui volet, ac præcipuè isti qui pauidi sunt; hos enim Sacra Scriptura iubet excedere castro, ne simul faciant pauere corda fratrum*. Sic quoque Ioannes Caluinus, *epist.* 362, agens de quæstione fugæ, scribit, hanc quæstionem videri ex stupiditate eorum natam, qui nunquam aliquo humanitatis gustu fuerunt prædicti: *Ergo* (inquit) *non licebit eligere salubrem aerem? ergo in ædibus quoque non licebit prospectum salubrem præferre? ergo cauere à noxio fœtore non licebit? ergo nulla contagio erit timenda? Facessant igitur paradoxa, quorum finis est, exuere nos omni sensu. Interea nostri consilij non est, eorum indulgere timiditati, qui obiecto periculi colore, à vocatione sua discedunt: quemadmodum, si vir uxorem, si maritum uxor, si liberi parentes, aut vicissim parentes liberos suos deserant; si Pastor ecclesia relicta sibi consulat; si Magistratus officio desit. Denique, modo ne officium negligatur, non minus pestis contagio, quam gladius aut ignis vitari potest.* Idem etiam sentiunt Hieronymus Zanchius, *comm. ad 2. epist. ad Philip. vers.* 30. Guilhelmus Perkinsus, *in explicat. Decalogi* VI. Georgius Abbatus, Cantuariensis Archiepiscopus, *in schola Theolog. quæst.* 5. *de fuga in persecut. & pest.* Ludouicus Lauaterus, *in lib.* 5. *Paral. cap.* 21. Georgius Sohnius, Theodorus Beza, Andreas Riuetus, aliique præstantissimi Theologi. Concludimus ergo fugam in peste licitam esse, iuxta illud Iesu Syrach: *Qui amat periculum, peribit in eo*: & iuxta dictum Alcibia-

dis, apud Plutarchum: *Stultum est non fugâ sibi consulere, cum fugere possis.* Nam,

Se minus afflictum sentit, qui prouidet ictum:
Sis procul à iaculis, & feriere minus.

III. Citò fugiendum est, priusquam admissum aëris vitium spiritus & humores infecerit: nam qui serius locum mutant, non rarò pestis causam iam in sinu fouent, quæ paulatim vires acquirens, illos sæpe breui in aëre sereniſſimo atque saluberrimo versantes perimit: quod Io. Evvichius, *lib. 1. de offi. Magistrat. cap. 9.* confirmat historiâ cuiusdam primarii Medici, cujus uxor & filia pestiferam contagionem fugiẽtes, cum in locum salubriorem se recepissent, eadem contagione, quam iam antea domi contraxerant antequam fugerent, paucis diebus extinctæ sunt.

IV. Longè fugiendum est, extra pestilentiâ infectæ regionis limites. Sed quò ergo? Auicenna laudat transitum in aërem crassum. Hujus opinionem rejiciunt alii, atque ad aërem purum & tenuem fugere suadent. Nos Septentrionem versus fugiendum esse arbitramur, (si modo nulla illic pesti vigeat) ad aërem frigidiorem, cum hæc lues in frigidioribus regionibus rarius grassetur, imò in nonnullis fere nunquam, ut de Moscouia testantur quidam Historici: Nam frigus est inimicum corruptioni ac putredini, & impedit valde dispositionem illam qua corpora ad pestem apta redduntur. Quapropter non temere rejicienda est Auicennæ opinio, qui procul dubio, per aërem crassum intellexit frigidiorem.

V. Tardè redeundum est, id est, non antequam malignitas prorsus extincta ac deleta sit, & aër pristinam puritatem ac integritatem receperit. Qui citius reuertuntur, pessimè sibi consulunt, nescientes periculosum esse transitum è salubri loco in grauem ac insalubrem. Consultius sane fuerit in aëre inquinato remanere, eiusque malignitati paulatim assuescere, quam alternatis vicibus modò in salubri, modò in insalubri aëre versari. Huius rei triste exemplum vidimus in Trans Insulana Prouincia, in qua cum anno, nî fallor, 1657, pestis totâ æstate crudeliter grassaretur, multique diuites inde fugissent, tque circa hyemem, peste fere cessante, plurimi eorum peste correpti & mortui fuerunt, ita ut quasi noua pestis inter diuites speciatim accensa videretur.

CAPVT V.

De prophylaxi Diætetica, & primò de Aere.

PRophylaxis diætetica consistit in exacta & conueniente obseruatione sex rerum non naturalium, Aeris, Cibi & potus, Inanitionis & repletionis, Motus & quietis, Somni & vigiliarum, ac Animi pathematum. Primum locum tenet aer, qui cùm omnibus viuentibus ad vitam sit necessarius, isque purus absque inquinamentis existens sanitatem foueat, impurus verò vel contaminatus morbos inducat, tempore inprimis pestilenti, maximo studio annitendum est, ut ille purus ac nulla labe infectus haberi possit. Quod si verò per se talis non fuerit, illum mutare, expurgare, & arte, quantum fieri potest, ad salubritatem reducere necesse est. Quod Veteres olim præcipue peragebant luculentis ignibus (1.) per vias publicas passim extructis. Qui modus cum hodie, propter sumptuum magnitudinem, & incendiorum pericula omnino abolitus sit, nos in hac peste particulatim in cuiusvis ædibus aerem sequentibus modis emendauimus. Primò domus ab araneatum (2.) telis, aliisque sordibus quotidie curiosissimè expurgari curauimus. Deinde, ut noxius aer excludi, & purior ac salubrior intra ædes admitti posset, iussimus fenestras (scilicet postquam Solis exortus vapores prope terram hærentes dissipasset) quæ orientem, & inprimis illas quæ aquilonem (3.) versus spectabant, per horam unam aut alteram aperiri, cummodo non foret tempus nebulosum; reliquas verò

quæ

quæ austrum (4.) vel occasum, vel propinquas cloacas respiciebant, semper clausas teneri. Post hæc passim in cœnaculis & cubiculis luculentos ignes e lignis iuniperinis (5.) (quæ tunc temporis è proxima sylua satis copiosa ad forum deferebantur) vel fraxineis (si haberi possent) vel quercinis exstruximus, qui ignes hyemali & frigidiore tempore maximè conueniebant: calidiore autem tempore eosdem non adeo (6.) magnos struximus. Ætate in maximo aeris feruore, loco ignis, cubicula aceto (7.) conspersimus, & interdum pampinos, folia salicis, rosas, folia & flores nymphææ, aut violarum, aceto vel oxycrato immersa, dispersimus per pauimenta. Aere verò non admodum calido existente, sæpe etiam herbas calidiores per pauimenta dispergi curauimus, ut melissam, serpillum, hyssopum, nepetam, betonicam, thymum, maioranam, rosmarinum, folia lauri, aliasque similes. Nonnulli suo ipsorum consilio auiculas (8.) in caueis alebant, easque in cubiculis ad aeris purificationem suspendebant. Præterea quocunque anni tempore suffumigia per totas ædes, manè & vesperi, & sæpe etiam meridie instituimus, in quibus illud notatu dignum animaduertimus, quod suffitus boni seu suauis (9.) odoris, (qualia ex styrace, labdano, benzoino, gariophyllis, aliisve similibus conficiuntur) non tantum parum profuerint, sed plurimis maximè noxij extiterint: præterquam enim quod caput tentarent, inprimis aere calidiore existente, etiam illi qui his gratis assuefacti erant odoribus, si forte malum quendam fœtorem alicubi persentiscerent, multo magis ab eo exterrebantur, & grauius afficiebantur, quam alij qui suauibus odoribus se non assueuerant. Quapropter nos suaueolentia hæc fugientes, alia nonnihil insuauia & graueolentia, non quidem multa & varia, sed pauca, fere omnibus præscripsimus; inprimis hæc sequentia.

℞. *Thuris, baccarum iuniperi, ana part. æq. imponantur igni ad suffumigium. Hoc licet vile & commune esset, plurima tamen alia suffumigia viribus longè superabat.*

℞. *Thuris* (10.) *granorum iuniperi, succini* (11.) *albi, ana unc. ſ. myrrhæ, benzoini, mastiches, styracis cal. ana drach. ij. gariophyllorum drach. j. ſ. fiat pulvis, è quo cum mucaginе tragacanthæ concinnentur pastilli, prunis candentibus imponendi.*

Sæpe solum sulphur (12.) *igni imponi & accendi curani, utpote cuius fumus seu halitus putredini maximè resistit, & omnes aeris corruptiones optimè ac citissimè corrigit.*

℞. *Sulphuris* (13.) *thuris, baccarum iuniperi, picis naualis, ana unc. ſ. misceantur & paruntur ſ. art. pastilli.*

℞. *Thuris, unc. ſ. sulphuris unc. j. myrrhæ drach. iij. picis naualis, benzoini, styracis, succini, ana drach. j. ſ. gariophyllorum drach. j. fiat pulvis, cui adde olei iuniperi scrup. ij. cum mucaginis tragacanthæ q. ſ. fiant trochisci ad suffumigium.*

Præter hæc pauca, quæ nobis maximè in usu erant, subinde etiam puluerem tormentarium (14.) (cuius sulphur & sal nitrum aerem egregiè expurgant) in mediis ædibus longis ductibus accendimus, vel solum, vel cum forti aceto in massas, magnitudinis pilæ, redactum. Nonnunquam etiam solo aceto acerrimo (15.) ignitis lapidibus infuso magnum fumum seu vaporem excitauimus: de quo tamen illud notandum, hunc aceti vaporem ab omnibus ferri non posse, quia multorum pulmonibus molestus existit, & asperam arteriam per inspirationem admodum exasperat; quod non tantum in me ipso, verum etiam in plurimis alijs, tam sanis, quam ægris, sæpius comperi, qui nescientes quidnam pectus eorum tantopere exacerbat, ac molestam aridamque tussiculam moueret, de suffumigio aceti non cogitabant, quod tamen solum mali causa erat. Hæc prædicta nostro consilio ad aeris domestici emendationem à nobis præscripta sunt: præter quæ pauperi-

mum

mum vulgus in eundem finem cornua bestiarum (16.) & detritos calceos, aliave antiqua coria comburebat. Nonnulli ditiores Equitum Capitanei, hircum, (17.) quem alioqui apud equos stabulo includunt, in cœnaculis & cubiculis alebant, atque huius fœtorem ab experientia aeris pestilentis contagium impedire & extinguere asserebant. Innumeri suffumigium tabaci omnibus aliis præferebant, de quo plura dicentur sequenti cap. 10. Quidam etiam lac dulce (18.) recens mulctum, hic illic in ædibus passim deponebant, idque aeris malignam venenositatem ad se trahere credebant.

I. AEris inquinamenta maximè consumit ignis, neque ullum melius pestilentis aeris correctorium in rerum natura datur. Cujus rei veritatem non semel comprobauit experientia. Hippocrates (testibus Galeno, Plutarcho, Aetio, Varrone, aliisque) famosissimam illam pestem, quæ ex Æthiopia Græcos inuaserat, olim per ignes edomauit & extinxit. Insserat quippe per totam ciuitatem accendi ignes luculentos, nocturnis præcipuè temporibus, qui non simplicem incendii materiam habebant, sed etiam odoratissima ligna; præterea etiam coronas & herbas ac flores fragrantis odoris, nec non aromata & unguenta pinguissima in illos projiciebat: ut hi, ignibus aëris inquinamenta purgarentur, eumque homines sic puriorem inspirarent, atque hoc modo à peste immunes viuerent: imò referunt nonnulli, illum in locis campestribus, eundem in finem, integras syluas accendisse & combussisse. Sic Plinius, *lib. 7. cap. 27*, refert Acronem Agrigentinum & Empedoclem à Siciliæ urbibus pestem ignium vi depulisse. Ita quoque Plutarchus, *in Isid. & Osir.* scribit Ægyptios solere noctu consurgere, ac inquinatum aerem suffitibus & odoratis incendiis purgare. Ita ut ignes, inprimis publicos & generales, ad pestis extinctionem plurimum valere, iam à multis seculis constet. Hinc est quod Plinius, *lib. 36. cap. 26.* dicat: *Est & ipsis ignibus medica vis, cuius suffitum pesti auxilium ferre, certum est.* Etiam Augenius, *lib. 2. de pest. cap. 3.* ignes maximè commendat: *Vellem* (inquit) *tempore pestis ut circa urbem in quatuor vel quinque angulis quotidie ignes excitarentur, iniectis lignis quercinis, miscendo odorata ex lauro, cypresso, iunipero, & aliis; ausim promittere, adhibita tali diligentia, pestem vel exiguam, vel nullam noxam esse allaturam.* Sic quoque Ioannes Eyrichius, *lib. 1. de offic. Magistrat. cap. 8.* scribit: *Ego si interrogarer, quid ad præseruandam ciuitatem aliquam à pestis contagione, omnium rerum sit primum, quid item secundum, & quid tertium, huic uno respondebo verbo, ignem.*

II. Nonnulli satis stultè credunt araneas, quæ telas in mediis ædibus expandunt, omnem aëris venenositatem ad se trahere, eumque à contagiosis inquinamentis emundare ac liberare. Sic in hac peste vidi quosdam, qui illas, tanquam magnum aeris expurgatorium, curiosissimè seruabant, eoque priuilegio donabant, ut telas suas, quousque vellent, extenderent, neque illas ab ancillis abigi, expelli, vel occidi volebant. Horum opinioni video etiam calculum adjicere Matthiam Untzerum, qui, *lib. 1. de lue pest. cap. 21.* sic ait: *Illi malè sibi consulere videntur, qui tempore grassantis pestis araneas scopis ac pertices è parietibus detrahũt, easque ab omnibus omnium cubiculorum ac conclauium angulis deijciunt ac deturbant, ignorantes scilicet, hoc iniectum omnia inquinamenta aeris putrida ac venenata peculiari naturæ suæ proprietate allicere, & pro alimento attrahere & coquere.* Profectò miror Untzerum, virum doctissimum, tam facile talibus nugis subscribere, quæ adeo frigidam & friuolam rationem habent, ut eius refutationi incumbere vix operæ pretium videatur: qua de re plura dicemus *cap. 11. annot. 1.* Illud tamen unum non possum non hic adjicere, pestilens venenosum contagium se multoties insinuare in telas aranearum, atque in illo fomite sæpe diu latere, ac postea inde calu excussum sæpe alios inficere; cuius rei experientia notissima est, quam exemplo confirmat Forestus *lib. 6. Observ. 22.* Si araneis inesset illa vis consumendi venenum pestilens, profectò illud maximè consumere deberent dum telis earum inharet, quod cum ulus

docear

doceat ipsas non posse, talis quoque vis ipsis minimè adscribenda est.

III. Hippocrates, *lib. de morb. sacro*, dicit, Aquilonem omnium ventorum saluberrimum esse. Et paulo ulterius, *eodem lib.* dicit, ventum aquilonarem aerem compingere, turbatum ac nebulosum excernere, illustriorem ac pellucidiorem facere. Hinc est quod Aristoteles, 7. *Polit. cap.* 11. tradit, urbes auroram versus spectantes, & ventos ab oriente spirantes, salubriores esse; proximum verò ab his salubritatis gradum obtinere urbes quæ in Aquilonem vergunt. Aquilo aëris impuritates, putredines, ac corruptiones impedit, expurgat, & extinguit, ac simul etiam corpora ad pestem suscipiendam minus disposita reddit. Hinc etiam dicit Alexander Benedictus, *lib. de pest. cap.* 6. *Homo cum securus esse non potest, peregrinari primum, atque longius ire vel naugare debet, versus præcipue aquilonem septentrionesve: ubi id non licet, saluberrima cœli pars foris deligenda est quæ in septentrionem spectet.* Attamen nonnunquam obseruatum est, flante Borea pestem magis incanduisse, quod de peste Cabilonensi testatur Ioannes Morellus, *de febr. purp. cap.* 3. Sed cum illud rarius contingat, & septentrionales regiones rarius, & quæ magis polares sunt, nunquam peste infestentur, atque ut plurimum Aquilonem pestis progressus multum sistere ac imminuere, iam à multis annis animaduersum, & ab innumeris Medicis obseruatum & annotatum sit, omnibus modis studendum est, ut hic ventus, tanquam reliquis salubrior, intra ædes admitti possit. Verum hic notare oportet (quod etiam monet Hollerius, *lib. de pest.*) cum Aquilonem salutiferum, Austrum verò noxium esse dicimus, illud solummodo intelligi debere in Europa alijsque regionibus citra zonam torridam sitis; nam in Africa & locis ultra hanc zonam sitis, Auster salutaris est, Aquilo verò damnosus existit, quodque nobis Aquilo, illud ijs Auster operatur.

IV. Obseruatum semper fuit ventos austrinos pestem maximè augere, quod etiam testatur Plinius, *lib. 7. cap.* 50. Quapropter diligentissimè prouidendum est, ut huiusmodi venti, quantum fieri potest, euertantur & arceantur, alijque salubriores, quales sunt septentrionales & orientales, intra urbes, si fieri possit, vel saltem intra domus admittantur. Ita refert Plutarchus, Empedoclem olim Agrigentinam regionem à sterilitate & pestilentia liberasse, obstructis montis faucibus, per quas Auster in campos decidebat. Sic etiam scribit M. Varro, 1. *de Re Rustic.* 4. se Corcyram insulam à grauissima peste liberasse, obstructis iis fenestris quæ Austrum spectabant, & apertis iis quę ad Aquilonem vergebant.

V. Lignum iuniperinum ad venenatas aëris corruptiones emendandas multum valere, propterea credibile est, quia illud accensum (ut & eius baccæ) suo halitu seu fumo & odore è tota vicinia serpentes fugare dicitur. Nec minus illud de fraxineis lignis credi potest, nam arboris fraxini, teste Plinio, contra venena tam præclara vis est, ut illius ne matutinas quidem occidentesve umbras, licet sint longissimæ, serpentes attingere audeant, sed longè inde diffugiant. Paræus scribit se expertum fuisse, si circulus conficiatur, cuius una pars ignis sit, altera verò frondibus fraxini clausa, & serpens vivus in medio collocetur, illum in ignem potius, quam in fraxinum fugere.

VI. Ignes calidis tempestatibus adeo luculenti non sunt exstruendi, ut frigidis temporibus, ne fortè ab intento calore aër nimis efferuescat, ac spiritus humoresque in eo degentiũ nimis excandefiant, hincque febres accendantur; quem damnosum errorem in hac peste inter vulgus non rarò vidimus, qui in maximo cœli feruore se ipsos interdum ante magnos ignes extorrebant, atq; ita incidebant in Scyllam volentes euitare Charybdin; nempe pestilentem infectionem euitare & fugere volentes, incidebant in febrem, à qua mox corporis dispositio citius ad pestem præparata fuit. Sic etiam Mercurialis, *lib. de Pest. cap.* 22. obseruauit in peste Patauina multos ex iis interisse, qui ad ignem artes exercebant, ut fabri ferrarii, aurifices, &c. neque id (inquit) sine ratione, quia vi ignis corpora rarefacta facilius aeris inquinamenta admittebant. Cum igitur ignes luculenti ad aëris expurgationem laudantur, hoc intelligendum est de iis qui frigidioribus, non verò qui feruidis temporibus exstruuntur.

VII. Rha-

VII. Rhazes, *lib. 4. de Re Medic. cap. 25.* iubet domum quotidie irrorare aceto cũ aqua mixto, quia acetum veneno & putredini potentissimè resistit: hinc plurimi Medici illius irrorationem ad pestem, maximi faciunt. Quantum autem valeat acetum ad aëris pestilentis emendationem, abundè satis compertum habent nautæ qui Indos petunt; multoties enim vehemens pestis ipsos invadit dum longius à terris abluunt, quam cum ob medicamentorum aliorumque subsidiorum inopiam compescere nequeunt, solo multoties aceto, si eius copiam habeant, profligare solent; quod non tantum ægris ad sanationem, & sanis ad præseruationem exhibent, sed eodem etiam totas naues interiores quotidie diligenter abluunt & emundant, hocque pacto breui tempore intestinum hostem expellunt. Hinc etiam Liddelius iubet ædes illas, in quibus aliqui pestiferi mortui sunt, primò scopis bene emundare, ac postea aceto acerrimo cum aqua mixto abluere. Qua autem vi acetum conueniat videndum *sequente cap. 10. annot. 17.* Videntur veteres loco aceti ad aëris purificationem interdum usi fuisse vino: nam Ioannes Beucrovicius, *in Idea Medic. veter.* ex Luciano hæc verba citat: *Quo tempore sæua pestilentia grassabatur Athenis, existimarit Architelis Areopagitæ viri uxor, astantem sibi Toxarim iussisse, ut Athenienſibus diceret, cessaturam pestem, si vino multo consperserent angiportus: quod cum sæpe fecissent, non amplius grassata est pestis, quia vapores infestos odore suo vinum extinxit.*

VIII. Auiculas, & inprimis passeres, si in cubiculis alantur, aërem purgare, nõnulli scribunt, atque hinc fortasse vulgi de hac aëris purificatione, dimanauit opinio: quam nos nihili æstimamus, utpote ab experientia & ratione planè alienam. Dico, *ab experientia*: quia sæpissimè animaduerti auiculas illas in ædibus omnium primò peste correptas & mortuas fuisse, atque pestem non potuisse excludi è domibus eorum qui plurimas huiusmodi auiculas alerent, eaque per omnia conclavia deponerent. Dico, *à ratione*: quia non percipio qua vi illæ aërem corrigere possint, nisi dicamus illud fortasse propterea fieri, quod aërem alarum motu identidem commoueant, quem à nimia quiete, instar aquæ mortuæ putrescere ac corrumpi, nonnulli existimant.

IX. Multi arbitrantur suaueolentia sola efficere ut pestiferi halitus ab homine citius ac facilius recipiantur, quam depellantur; quorum opinioni non malè fauent ratio & experientia. *Illa*: quia cum grati odores à mente percipiuntur, cerebrum, ut diutius fruatur ista amœnitate, poros suos undequaque dilatat, sicque suaueolentium fragrantes halitus longè copiosiores, sed simul etiam longè plures halitus venenatos suscipit & admittit: adde quod ad suaueolentium occursum longè fortior & frequentior fiat inspiratio, atque ita simul cum aëre copiosa pestilentia maligna, aeri inhærentia, cum magno hominis periculo, introducuntur ad pulmones & cor. *Hæc*: quia in hac peste à nobis obseruatum est, his odoribus allectos, citius & magis fuisse afflictos, quam alios. De his suaueolentibus etiam mentionem facit Alexander Massaria, *lib. 2. de peste*, eaque damnans, hoc modo scribit. *Illud hoc loco nullo pacto prætereundum est, quod miror à paucis animaduerti, ut tum in suffimentis, tum in alijs omnibus remedijs adhibendis, quæ odoramenta suscipiunt, talis adhibeatur modus & temperatio, ut perpetuo vtentur illa, quæ summe odorata, acuta, & calida sunt: etenim prætereaquam quod hæc totũ sæpenumero corpus excalefaciunt, inflammãtque, etiam peculiari quadam vi capitis dolorem & grauitatem inducere consueuerunt.* Paulo post addit: *Communi quadam consuetudine plerique omnes uti solent pila ex ladano, cinnamomo, myrrha, cariophyllis, & alijs id genus medicamentis calidioribus, quæ suapte natura euaporationem capiti infestam, excitare, & persæpe cor ac uniuersum corpus inflammare solent. Quamobrem hæc magis officere, quam prodesse valent.*

X. Auerrhoes, 9. *Collect. cap. ult.* laudat pro suffumigio costum, styracem, & galbanum, nec non terebinthinam, eo quod proprietate quadam pesti resistat. Rhazes domum suffumigare iubet cum costo, thure, myrrha, styrace, bunch, santalis, & camphora. Atque ita hi auctores tumis grati odoris suauitia quadam admiscent, ne tota suauia noceant, illique nimis assuescat natura. In eum finem nonnulli etiam lau-

laudant suffitus ex assa fœtida, sagapeno, galbano, & similibus. Arnoldus VVeichardus, *in suo tract. pract. lib. 3. cap. 1.* cornu arietis accensum magni facere videtur: *Quocunque autem modo*, inquit, *pestis se habeat, aer corrigendus est suffitu ex cornu arietis vel hirci accenso, in hoc enim magnum & peculiare præsidium est contra pestem, usque suffitus etiam vestimenta munit.* Aliud suffumigium fœtidum vide paulo post, *annot. XVI.* Sennertus, *lib. 4. de febr. cap. 5.* ab experientia commendat hunc pulvercum, à Gregorio Horstio quoque laudatum:

REC. *Baccarum iuniperi* M. iiij. *radicum belenij, cortic. exterioris betulæ, cornu hirci raspati, sabinæ, ana* M. ij. *foliorum quercus, myrrhæ, ana unc.* j.

Fiat pulvis pro suffumigio.

Præscribit etiam pro pauperibus, ad suffumigia, hoc sequens: Rec. *baccarum iuniperi* M. ij, *corticum baccarum lauri* M. j, *thuris lib. ſ, fol. absinthij, ruthæ, quercus, ana* M. ij, *scobis ligni iuniperini* M. iv, *succini unc.* j, *fiat pulvis.*

Commodum est (inquit idem) *calcem vivam in conclavi aqua perfundere, atque eo vix aliud efficacius.* Idem quoque probant Quercetanus & Hollinus, nec non Franciscus Ranchinus, *lib. de purif. rer. infect.* qui scribit, calcem aquæ affusione in cubiculis accensam & extinctam, acerrimo suo fumo admodum penetrante, subtiliora, eaque latentia contagii seminaria dissipare & abstumere. Denique addit: longa experientia confirmatum esse, si parietes calce oblinantur, eaque meatus lapidum occludantur, perire & penitus extingui pestilentiæ fomites.

XI. Succinum suffitum aerem optimè corrigere, & venenum pestilens occulta quadam proprietate extinguere, ab experientia testantur, Cardanus, *lib. 5. Subtil.* Anselmus Boetius, *lib. 2. de lapid. cap 160*, Georgius Agricola, *lib. 4. de natur fossil.* Libavius, *part. 3. singular. de succino, lib. 15. cap. 27. & 28.*

XII. In sulphuris accensione notandum, eius vaporem seu fumum cerebro & pectori admodum grauem & molestum existere, atque præcipuè tussiculosis, anhelosis, aliisve thoracis vitijs detentis, valde noxium esse: ac proinde cum in cœnaculis aut cubiculis accenditur, eo tempore hominibus per horam unam aut alteram ex iis recedendum esse. Interim ad corrigendas aeris infectiones, tam præclaras vires obtinet, ut vix aliud quippiam cum eo comparari possit. Vnde etiam Veteres sulphuris suffumigatione ad aerem alterandum, purificandum, & à putridis contagiosisque ac venenatis miasmatibus expurgandum, usos fuisse, liquet ex Homero, *in Odyss. 22. circa finem*, ubi Vlysses ad purgationem suæ domus petit ignem & sulphur, malorum medelam, & dicitur sulphure bene purgasse cœnaculum, & reliquam domum, ac vestibulum. Arnoldus VVeichardus, *tract. pract. lib. 3. cap. 1.* non sine ratione sulphuris suffitum inprimis commendat ad expurgationem cubiculorum in quibus pestiferi extincti sunt. *Locus in quo*, inquit, *pestilentiales decubuere & extincti fuere, nulla re melius à contagio (quod sæpe parietibus aliisque externis tenaciter adhæret) emendatur, quam sulphure crudo, si illud in cubiculo undique clauso accendatur, & suffitus aliquamdiu retentus iterum per fenestras apertas emittatur.* Inueniuntur tamen nonnulli, qui sulphur nimis fœtens & calidum esse, aliisque potius temperatis, aromaticis, & suaueolentibus utendum existimant. Verum, quantum ad fœtorem, sciendum tempore pestis non nimis indulgendum esse naso, neque ullam habendam esse rationem gratiæ, sed magnam utilitatis medicamentorum: nam venenum pestilens vehemens & malignum est, quod non magis per totum gratum odorem benzoini, styracis, moschi, zibethi, aliarumque rerum suaueolentium, domatur, quam rabies leonis per resistentiam agni, vel quam viperæ, scorpionis, aut arsenici virulentia per usum sacchari Candi. Quantum ad calorem, dicimus oleosas sulphuris partes quidem esse calidas, sed eas, dum accenditur, temperari ac intringi per spiritus seu vapores acidos, qui ustione ab eo separantur, atque in aëre oleosis particulis immiscentur. Hos enim acidos vapores non esse calidos, docet aqua (vulgò male appellatur oleum) sulphuris, quæ ex sententia Medicorum refrigerandi vim obtinet, putredinem, omnemque corruptionem ac venenatam qualitatem tollit & corrigit, febrilem calorem extinguit, etiam aquas vitiosas, & putridas, nec non vina turbida clarificando purificat. Sic etiam vapor ul-

le effumans in accenſione ſulphuris, aerem purificat, omnemque eius corruptionem & noxam abigit, quam ob cauſam uſus eius in peſte meritò magnificiendus eſt. Neque etiam ob flammæ calorem uſus eius extimeſcendus, cum ipſa quoque flamma ſit optimum aeris purificatorium, ut ante dictum, *annot.* 1. Si fœtidus illius odor minus arridcat, dum accenditur, aliquantiſper ſecedendum eſt.

XIII. Theophraſtus Paracelſus cum ſulphure parat tale ſuffumigium:

Rec. *Sulphuris, lib.* j. *myrrhæ, unc.* iiij. *thuris, unc.* viij. *gr. opponacis, dr.* j. *aſſæ fœtidæ unc.* j. *baccarum lauri, lib.* ij. *ſuccini flaui, lib.* ſ.

Fiat puluis.

XIV. Pyrius ſeu tormentarius puluis inſigniter aeris impuritates expurgat & emendat, ratione ſulphuris & ſalis nitri; præterea etiam ratione violentæ commotionis aeris, ſi nempe in tormentis bellicis accendatur, nam tali modo peſtiferæ nebulæ quaquauerſum diſpelluntur, & ſuccenſi pyrij puluueris flamma atque ardore venenata qualitas corrigitur. Hoc modo Tornacenſes venenum peſtilens diſpuliſſe, teſtis eſt Leuinus Lemnius, *lib.* 2. *de occult. natur. mirac. cap.* 10. *Factum* (inquit) *apud Neruios, quos Tornacenſes modò vocant, ubi milites præſidiarij machinas tormentaq; bellica puluere bombardico, non globis, oppleta urbi obuerterunt, eaque ſub diei noctiſque crepuſculo, incenſo funali explodi curabant: quo effectum eſt, ut ſonitu violento, fumantique odore aeris contagium diſcuteretur, ipſaque ciuitas à peſte facta fuerit immunis & libera.* Mox addit Lemnius: *Neque enim minus præſentaneum eſt hoc remedium in diſſipandis nebulis, infectique aeris contagijs, quam, quod Hippocratem factitaſſe legimus, exſtructis pyris per compita ignes excitare.* Hinc etiam Petrus Salius, *de febr. peſt. cap.* 20. inquit: *Credo ego quod maximè in tali caſu proficient tormenta bellica maiora, ſæpius vi ignis excuſſa: nam cum hæc validiſſimè aerem, & ad diſtans commoueant, & ſonitus maximus ab eis concitetur, & terra etiam circumſtantis tremor, ideirco apta erunt, ſi ſæpius reiterentur, ad aeris validam purificationem, poterimusque aerem ab illis inquinamentis, ea diſſipando, liberare.*

XV. Medici Antuerpienſes, in ſuo Conſilio ad peſtem dato, anno 1624, in aceto iubent coquere rutham, ſcordium, ſcarleam, roſmarinum, lauendulam, radices iridis, gentianæ, zedoariæ, & baccas iuniperi, idque ſic coctum infundi in lapides ignitos, hunceque fumum ſeu vaporem, ianuis & feneſtris bene clauſis, ad minimum ſex horis intus detinere, antequam cubiculum aperiatur. Eodem vapore etiam veſtes aliaque mobilia eorum qui peſte interierunt, perfumare iubent.

XVI. Lemnius, alijque multi ſuffitus ex cornibus & detritis coreis combuſtis valde laudant, eoſque etiam antiquitus apud noſtrates in uſu fuiſſe, docet Belgicum prouerbium: *Wacht u, men brant daer hoorn*: id eſt, caue tibi ab illo loco, nam ibi cornu comburitur: quaſi dicas, eſt peſtilens ille locus, vel inſtar peſtis fugiendus: in eos enim quadrat prouerbium, quorum ædes & conſortia, tanquam peſte infecta loca, fugere oportet. Ex cornibus aliiſque fœtidis huiuſmodi ſuffumigium præſcribit Franciſcus Ranchinus:

Rec. *cornu birci raſpati unc.* iiij, *limaturæ cornu cerui unc.* ij, *rad. angelicæ, valerianæ, ana unc.* j, *baccar. lauri, iuniperi, anæ lib.* ſ. *thuris lib.* j, *reſinæ lib.* iij, *ſulphuris, unc.* iiij, *fiat omnium puluis pro ſuffumigio.*

Alia ſuffumigia vide paulo ante. *annot.* x.

XVII. Illud experimentum de hirco, teſtatur Mercurialis ſe ſuo tempore etiam vidiſſe apud Hungariæ Cancellarium, qui ad aeris correctionem, & præſeruationem à peſte, magnum hircum cum in ædibus ſuis alebat. Omnino ſimile de hirco etiam referunt Iordanus, *de peſt. phænom. cap.* 9. *tract.* 3. Paræus, *lib.* 21. *cap.* 6. & Liddelius, *de febr. lib.* 3. *cap.* 5. Illud ipſum quoque obſeruaſſe videtur Palmarius, nam *de febr. peſt. lib.* 1. *cap.* 15. inquit: *Sunt qui pro ſingulari præcautione in cubiculo, ubi cibum capiunt & cubant, hircum alant, qui graui ſuo halitu tetroque nidore de ſe perfuſo omnia impleat, omnemque vim aeris maleficam vel repellat, vel diſſipet, atque extingnat, quorum minimè reuocienda videtur opinio, nam aduerſus hoc contagium optimum creditur eſſe ſuffimentum: graui enim & olidus vapor, alium qui fœtidus eſt, diuerſi tamen generis, oppugnat & arcet quam longiſſime.*

XVIII.

XVIII. Stulta est hæc vulgarium opinio, qui existimant lac dulce, quasi magnetica quadam vi, pestilentia miasmata ad se attrahere, eaque in illo extingui: atque hac falsa imaginatione decepti, illud non tantum hic illic in ædibus ad præseruationem deponunt; verum etiam in scutellis patulis ægrorum lectis apponunt, certò credentes illud adeo fortiter ad se trahere venenum pestilens è corpore ægroto exspirans, ut nusquam alio deferri, vel alibi fomitem facere possit: cum verò pestilentis veneni bona quantitas à lacte iam attracta est, illud eo significari dicunt, quod lac in supremitate aliquantum ex cæruleo liuescat, ac propterea illo tunc abiecto aliud nouum deponunt. Verum friuola sunt hæc omnia, ijsque neque experientia, neque ratio fauet. Non *illa*; quia non minus peste infestantur illæ domus in quibus lac illud depositum est, quam aliæ: præterea qui ægroti propius adsunt, æque contagio inficiuntur lacte illo depositio, quam illo non depositio: & usus docet, æquè fomites inueniri in illis lectiis, in quibus lac ante ægrotos depositum fuit, quam in alijs. Non *hæc*; quia lac non contrahit illum cæruleum liuorem à seminario pestilenti in illud attracto, sed à generali maligna aeris alteratione, qua non tantum lac, verum etiam carnes, fructus, aliaque multa facile & citò corrumpuntur.

CAPVT VI.

De cibo & potu, repletione & fame, balneis & vestimentis.

DVrante hac peste in cibo & poty (1.) ad præseruationem commendaui mediocrem sobrietatem, (2.) & in genere iussi famem ac sitim (3.) ut & maiores ac insolitas inanitiones & repletiones (4.) fugere. In utroque autem consuetudini (5.) multum concessi: illis qui assueti erant crassioribus & durioribus cibis & potibus, non facile ad alios transeundum esse arbitratus sum, tantummodo ex ijs maxime suspectos vel noxios prohibui: alijs autem, qui leuioribus assueti erant, transitum ad crassos interdixi: qui verò utrisque, & leuioribus, & crassis, omnisque generis cibis semper usi & assueti fuerant, & quorum lautior fortuna copiosiorem victum ac quadram bene instructam permittebant, his sequenti modo victum præscripsi. Cibos commendaui euchymos & facilis digestionis, quales sunt, panis optimus, caro agnina, ouilla, hœdina, vitulina, bubula: gallinæ, capones, pulli gallinacei, galli Indici, cuniculi, perdices, alaudæ, passeres: pisces plurimi fluviatiles, cancri: oua gallinacea recentia, lac acidum ebutyratum (quod etiam à Rhaze valde commendatur) aliique similes, qui ad lubitum vel assati, vel elixati (6.) possunt: quorum condimenta etiam conficere iussi cum talibus quæ cordis robur firmant, putredines impediunt & tollunt, ac corruptionibus malignis resistunt: qualia sunt vinum, acetum, omphacium, cappares, uvæ immaturæ, fructus, ribesii rubri, berberis, cerasa, morella acida: herbæ, cichoreum, pimpinella, endiuia, borago, acetosa, lactuca, melissa, betonica, chærefolium, petroselinum, maiorana, rosmarinum: asparagi, bulbi raparum, mala citria, aurantia, cydonia, aurea vinosa (nostratibus *guldelingen* dicta) item cinnamomum, chariophylli, macis, nux moscata, aliaque similia. Summopere improbaui iejunum exitum matutinum, imprimis qui in diei crepusculo, vel nondum discussis à Sole vaporibus circa terram hærentibus, fiebat; & omnibus suasi non ante in publicum prodire, nisi post duas à Solis exortu horas, idque non nisi prius assumpto ientaculo (7.) ex fructu panis butyro pinguius iuncto, vel solo, vel galeo ouillo viridi ei impositio, & poculo cere-

uiſiæ melioris ſuperbibito: nam butyrum aduerſus peſtem valere creditur & caſeum viridem (qui à ſtercore ouillo viriditatem habet) alexipharmiacam vim habere, & malignas corporis putredines à centro ad peripheriam propellere, notiſſimum eſt. Prohibui uſum eorum ciborum qui mali ſucci ſunt, vel difficilius digeruntur; ut & ciborum valde pinguium, antiquorum, durorum, aut facile corruptibilium: quales inprimis ſunt, carnes porcinæ (8.) vel recentes, vel fumo ſiccatæ, (ſicuti pernæ & lardum venundari ſolent) haleces, (9.) ſoleæ, aſelli ſaliti, ſalmones, anguillæ, aloſæ, conchæ, lac dulce, ſimileſque plures: nec non fructus horarij plurimi, exceptis acidis; ut cucumeres, pepones, melones, abricochi, pruna, mala perſica, ceraſa dulcia, dactyli, pira dulcia, uvæ maturæ dulces, &c. ad hæc fabæ Romanæ, omniaque legumina, allium, (10.) cæpe, porri, &c. etiam abſtinere iuſſi à melle (11.) & ſaccharo, omnibuſque valde dulcibus. In genere illud in omnibus edulijs præcepi, ut cum aqua clara & optima curiosè abluerentur, & deinde uſque ad ſufficientem mollitiem percoquerentur, vel aſſarentur, ac cum maximo nitore præparatarentur: deinde ut in eorum uſu ac comeſtione mediocritas (12.) ſeruaretur, nec maiore copia ingererentur quam pro famis neceſſitate natura deſiderat; utque potius uno aut altero cibi genere fames pelleretur, quam multis varijſque ſimul ingeſtis denique ut ex prædictis cibis ſinguli eligerent ſibi maximè conuenientes, ſecundum cuiuſque temperamenti diuerſitatem; bilioſi nempe humidiores & refrigerantes, pituitoſi ſicciores & calefacientes, & ſic de cæteris. Pro potu conceſſi cereuiſiam claram, tenuem & mediocrem, ex optima aqua (13.) confectam (qualis Nouiomagi clariſſima exhauritur e cereuiſiatorum puteis) ut & vinum (14.) tenue modice ſumptum, vel ſolum, vel potius admiſto ſucco citri recens expreſſo, vel impoſito fruſto pomi citrij, vel aurantij, vel granati acidi. In potu temperantiam maximè colere, & ebrietatem (15.) tanquam infenſiſſimum hoſtem fugere, præcepi: triſtioribus uſque ad hilaritatem, (præcipuè hyberno tempore) nemini uſque ad ebrietatem vinum conceſſi. Verum hos a me præſcriptos limites plurimi haud rarò tranſgrediebantur, quorum tamen multi temeritatis ſuæ pœnas dederunt. Inprimis fugere iuſſi craſſiſſimam cereuiſiam Brunſuicenſem, & Bremenſem, aliaſque ſimiles: ut & cereuiſias turbidas minimeque defœcatas, eaſque quæ e ſtagnantibus vel corruptis aquis, vel hordeo corrupto confectæ erant: adhæc etiam fugere melicratum, & omnia vina dulcia ac fortia, qualia ſunt pleraque vina Gaſconienſia, Canarina, Hiſpanica, & ſimilia. Spiritum vini, ut & omnes aquas vitæ varij generis (quibus vulgus apud noſtrates maiore copia uti ſolet) in pleriſque prohibui, ſolis tenibus, alijſque frigidam temperiem: vel debilem ventriculum habentibus, exiguum earundem uſum concedens, inprimis hyberno tempore, & maximè uſum ſpiritus vini iuniperini. Poſt cibos & potus, ſuaſi ut natationibus aſſueti, hoc tempore ab omni natatione (16.) penitus abſtinerent, ſiue in fluminibus, ſiue in aquis ſtagnantibus eæ fierent: ſicut alijs in locis, ubi publica tepida balnea in frequenti uſu ſunt, ab ijs abſtinere, bene iubent Medici. Iis, quorum fortuna lautior paulo maiores impenſas permittebat, ſuaſi ut geſtarent veſtes ex ſerico tenuiore, vel undulato, vel ſatino (17.) aliove ſimili; in alijs vero minoris conditionis, ex lana tenuiore, vel camelina, vel lana bombacina, vel ex corio tenui, aut ſimilibus, confectas. Illas autem veſtes ſemper nitidas ſeruari, alias verò, ex pannis laneis craſſioribus confectis, in aliud non peſtilens tempus ſeponere ac ſeruare, iuſſi.

I. SI ullo tempore, certè in pestilente constitutione exquisita victus ratio magnopere requiritur, & ad præseruationem conducit; nam licet illa sola per se pestem fugare & excludere nequeat, tamen per illam variæ occasiones ad pestem declinantur, & corpora in tali dispositione conseruantur, quæ pestilenti veneno contraria est, ita ut pestis illa vel non inuadat, vel minus & leuius affligat. In hunc sensum eleganter M. Varro, *lib. 1. de Re Rustic. cap. 4.* sic inquit: *Etsi salubritas, quæ ducitur à cælo & à terra, non sit in potestate nostra, sed naturæ, multum tamen est in nobis, ut quæ sunt graviora, possimus diligentia nostra facere leviora.*

II. Pestis sibi summum ius vendicat in intemperantes, quapropter consultum est, pestilenti inprimis constitutione, temperantiam colere, quæ quantum ad sanitatis conseruationem prosit, exemplo suo docuit olim Socrates, de quo Aulus Gellius, *lib. 2. cap. 1.* ita scribit: *Temperantia eum fuisse tanta traditum est, ut omnia fere vitæ suæ tempora valetudine inoffensa vixerit, in illius etiam pestilentiæ vastitate, quæ in bello Peloponesiaco inprimis ipsam Athenienses ciuitatem internecino genere morbi depopulata est, is parcendi moderandique rationibus dicitur & a voluptatum labe cauisse, & salubritates corporis retinuisse, ut nequaquam fuerit communi omnium cladi obnoxius.*

III. Fames spiritus resoluit, vires dejcit, corpora languida, eorumque meatus inanes reddit, & ea præparat ut pestilentem labem facilius suscipiant, eique minus resistant. Sitis autem humores incendit, eosque acriores reddit, præcipuè in bilious: adde, quod etiam haud parvum languorem inducat. Quapropter Rhases, 4. *ad Almans. cap. 25*, scribit, *maximè cauendum esse ne in Sole fiat sessio, neque ieiunet aliquis, neque comestio tardetur, sitim etiam nullo modo esse tolerandam.* Quantum ad pestis incrementa facere possit fames, diuturna multarum urbium obsidia satis docuerunt, præcipue autem notissima illa duo, primum Lugduni Batauorum, ab Hispano milite quondam obsessi; alterum Rupellæ in Gallia, a Galliarum Rege anno 1628, captæ, in quibus multa hominum millia fame & peste interierunt. Hinc Bruderonus, *prax. tract. 1. cap. 15.* sic inquit: *Non sine ratione vulgus Medicorum improbat quinque nomina ab F; incipientia: fœmina, fames, fructus, flatus, & fatigatio.* Inter hæc tamen fames omnium maxime damnosa est: ad quam proxime accedit fœmina, seu nimia Venus, ut liquet ex ijs quæ diximus *præcedente lib. 1. cap. 5. annot. 4.* & quæ dicentur *sequente cap. 7. annot. 7.* ubi etiam ex *annot. 5. & 6.* liquet, quam noxia sit fatigatio.

IV. Magnæ replectiones meatus obstruunt, & corpus cruditatibus replent, atque ad morbos disponunt; inanitiones verò illud debilitant: atque ita utræque per accidens illud ad pestem præparant. Si quispiam hic roget, cuinam magnus excessus tempore pestilenti magis periculosus ac noxius exitat? dicam, inanitionis, propter rationes præcedente annotatione relatas: & si necessariò in alterutro peccandum foret, ego peccari malim in repletione, quam inanitione quia illam facilius & tutius est imminuere, quam hanc replere. Hinc etiam Hippocrates, 1. *Aphoris. 5.* postquam docuisset ægros magis delinquere in tenui victu, quam in paulo plentore, tandem addit: *Propterea etiam sanis periculosus est valde tenuis, & status, ac exquisitus victus.* Plerumque, inprimis autem tempore pestilenti, minus peccatur in replendo, quam in inaniendo, quia tutius est superfluitates cumulare, quam spiritus vitales humidumque nativum consumere ac debilitare, superfluum enim facilius expellitur, quam deperditum restauratur. De inanitione quæ fit per chirurgiam & pharmaciam, dicemus *cap. 8. & 9.*

V. *Omnis repentina mutatio periculosa;* quapropter a consueta victus ratione subitò discedere, præcipue in constitutione pestilenti, maximè periculosum foret: neque etiam ratio ad illud faciendum urget. Nam summus Deus omnes res alimentares eo fine creauit, ut ad nutritionem & conseruationem hominis interirent, eaque variis modis inter mortales distribuit, ut alii his, alii illis, pro regionum & cujusque fortunæ varietate uterentur, utque illi qui crassis & crudioribus alimentis vescuntur, æque bene nutrirentur, quam alii leuioribus & tenuioribus assueti. Quod ipsum quoque docet experientia, cum in utrisque æque bonus

sangois reperiatur, neque ordinariè melior sit in iis qui panem triticeum album ciboſque delicatos comedunt, & vinum bibunt, quam in alijs qui panem secalinum, castanearum, vel fabarum, & carnes suillas, aliasque crassas edere, atque aquam bibere consueti sunt. Quapropter si Medicus talem victus consuetudinem repentè mutare ac inuertere velit, robur corporis non conseruabit, nec augebit; sed illud potius imminuet & dissoluet: quemadmodum illud in multis fieri videmus, qui è longinqua regione ad aliam transeunt, in qua ob aeris & alimentorum mutationem in principio valde debilitantur, ac non rarò etiam in morbos concidunt, neque ad pristinum statum redeunt, antequam huic nouæ diætæ temporis tractu paulatim rursus assueti fuerint. Hinc est quod Hippocrates, *lib. de nat. hum.* dicat: *Si quis citò diætam permutet, periculum est etiam a permutatione aliquid in corpore nouatum iri: quapropter victu soluto quidem utendum* [in pelle] *ubi hominem nihil lædere videtur*. Paulo ante dicit: *Homines eo tempore* (scilicet pestis) *commonefaciendi sunt, ut diætas non commutent, quia morbi causa non existunt, sed ut corpus habeant quam minimæ molis*.

VI. Ridendi profectò sunt illi Medici, qui, in pestilenti constitutione diætam exquisitam præscribere volentes, omnes carnes allari scrupulosissimè præcipiunt, ut hoc pacto earum humiditas consumatur; haud secus ac si ciborum lucci pectores forent illa humiditate quæ cum condimentis affunditur, & pectores potu, qui post siccos cibos necessario superbibitur. Videntur nescire, cum cibis elixis longè commodius varias herbas, fructus, aliaque res malignæ corruptioni ac putredini reluctantes, viscera que corroborantes, & ad feliciores coctiones præparantes, coqui posse, quam cum allatis; ac proinde nihil esse quod elixatorum usum magis quam allatorum, damnent. Non minus etiam ridendi sunt illi, qui carnes bubulas, hœdinas, & cerulinas damnant, propter nimiam siccitatem: nec non carnes agninas, ouillas, & vitulinas, propter nimiam humiditatem; quasi verò illarum siccitas, vel harum humiditas ad pestilentis veneni generationem vel inductionem aliquid faciat, & nulla etiam arte corrigi possit.

VII. Malum est vigente peste ieiuno stomacho manè exire in publicum, quia ventriculus vacuus non habens quod concoquat, parum vel nihil chyli ad cor transmittit; hinc cor etiam debilius pulsans, cum non fortiter propellat à centro ad peripheriam, facile sibi assumit aeris inquinamenta per inspirationem assumpta, & corpori in ambitu adhærentia. Contra verò cum ventriculi aliorumque viscerum coctiones liberaliter procedunt, tunc à centro ad partes externas humores alimentarij, spiritus & vapores transmittuntur. Quapropter ientaculum manè ante exitum assumptum, etiã pro insigni præseruatiuo contra pestem habendum est, imprimis illud de quo in textu diximus. Qui non sunt assueti ientare, illi buccellam panis albi, vel panis biscocti, vino intinctam edere: vel, Anglorum more, haustum cerealiæ, cui frustum panis recenter tostum, cum pauxillo nucis moscatæ immissum est, bibere queunt: vel mortulorum seu placentularum, ab Angelo Sala descriptarum, unam aut alteram assumere possunt, quæ sunt admodum delicatæ & grati saporis:

> Rec. *Panis triticei biscocti, saccharj albissimi, ana lib. j. amygd. dulc. excortic. cortic. citri virid. condit. ana lib. ſ. gelatinæ cydoniorum unc. iiij. nucis muscatæ condit. zingiberis chynæ condit. myrobalanorum condit. ana unc. ij. cinnamomi electi drach. j. ſ. croci opt. drach. ſ. singula seorsim exactè contund. untur, postea cum pistillo ligneo simul misceantur, & fiat pasta, addendo Aquæ rosarum q. ſ. Ex hac deinde conficiantur placentulæ, quæ postea lenissimo calore aliquantum exsiccentur, & ad usum seruentur.*

Angelus Sala huic pastæ addit ambræ grisiæ & moschi, ana scrup. j. sed nos illa duo studio omittimus: partim quia huiusmodi grati ac subtiles odores in peste minus conueniunt: partim quia multi tales odores ægerrimè ferunt, imprimis verò mulieres.

VIII. Carnes porcinæ in pestilenti constitutione maximè damnosæ sunt: quod in huius pestis principio ipsa experientia adeo notum fecit omnibus, ut earumdem usum postea quilibet

si et fugeret, imò multi quoque eadem foras canibus projicerent; utpote post quarum comestionem multos statim peste infectos fuisse observauerant. Quo factum ut Noviomagi tota æstate & autumno pauci porci mactarentur. Hoc ipsum Rhazes quoque observasse videtur, nam *lib. de peste cap.* 4. in victu, præter alia, etiam à carnibus porcinis abstinere, expresse iubet.

IX. De halecibus illud notatu dignum in hac peste observauimus, nempe cum mense Iunio & Iulio halices novæ (ut appellant) muria conditæ adveherentur, & incolæ, nouitatis gratia, illas passim crudas (ut solent nostrates) comederent, pestem eo tempore multum accreuisse, multosque, qui illas comederant, intra viginti horas contagio infectos fuisse: quibus exemplis alii prudentiores reddit, postea halecum usum intermiserunt. Huic nostræ observationi è directo contrarium est illud, quod scribit Palmarius, *lib.* 2. *de febr. pest. cap.* 18. his verbis: *Certissimo experimento constare tradunt, cum primum halecis sale conditæ copia à piscatoribus in maritimas ciuitates defertur, pestem breui tempore euanescere, ignorata causa propterea quod omnibus salsis id minime concessum sit.* Vt hæ contrariæ observationes concilientur, dicendum; primò, dubitari posse de veritate illius posterioris observationis, utpote quam Palmarius totumodo scribit ex relatione aliorum, ipsemet autem non vidit. Secundò, posito illam veritimam esse, varietates tamen locorum seu regionum, nec non tempestatum, saepius in causa esse, ut quod in una peste prodest, in victu, id in alia noceat, quod uni regioni damnosum, illud alteri salutiferum existat. Quapropter Cardanus, *lib.* 2. *Subtil.* non sine ratione inquit, tot ferme esse modos pestis, quot tempora. Non quod venenum pestilens sit diuersæ naturæ, sed quod diuersimodè operetur pro diuerso corporum apparatu. Hoc est quod Lucretius significare voluit his versibus, nempe, eandem pestem etiam pro mutatione temporis anni multum variare: nam quod

—— alijs dederat vitales aëris auras
Volvere in ore licere, & cœli templa tueri;
Hoc alijs erat exitio, letumque parabat,

Hanc varietatem multoties confirmauit experientia. Scribit Appianus, *de bello Parthico*, in exercitu Antonii, pestilentia graui laborante, casu præsidium inuentum esse, quo plerique seruati sunt, qui eo utebantur, idque erat *ἀκρατον*, id est, vinum oleo permixtum, quod tamen aliis in pestibus nihil prodest, imò sæpe nocet. Sic in vehementissima peste anni 1580, obseruatum est, nulla alia medicamenta profuisse, præter lenientia (teste Thuano, *Hist.* 68.) quæ contra in aliis pestibus semper noxia fuerunt, ac in hac nostra certissimam mortem aduocarunt. Huiusmodi varietates aliàs quoque sæpius animaduersa sunt, quas nonnulli scribunt procedere à diuersa veneni pestilentis natura ac conditione: sed errant: nam veneni pestilentis semper una eademque est conditio, sola intensione vel remissione differens: operationum verò diuersitas (ut modo dictum) procedit à diuersitate locorum, tempestatum, victus, & temperamentorum corporum.

X. De alliis & capis, quare non conueniant in præseruatione, dicemus paulo post, *cap.* 10. *annot.* 6.

XI. Omnia dulcia facile biliescunt, inflammationem concipiunt, & corrumpuntur, præcipue in adolescentibus, iuvenibus, aliisque calidiore natura præditis. Hac de causa Rhazes, *lib. de Peste*, omnia dulcia vitare iubet: & Auicenna, à saccharo abstinere, ac succos refrigerantes, acetosæ, citri, &c. sine saccharo exhibere præcipit. Sic etiam Valescus de Taranta, *lib.* 7. *Philon. pharmac. cap.* 16. inquit: *Non probantur mellitæ confectiones, & quæ dulcedine pollent.* Etiam Mercurialis, ætate ab omnibus dulcibus abstinendum esse, docet. Nos quoque in hac peste dulcia maximè nocuisse, & in corporibus, præcipuè calidioribus, citissimè in bilem mutata ac corrupta fuisse animaduertimus, inprimis autem mel & mellita omnia; quoniam mellis damnosissimus usus erat: illud enim hoc tempore assumptum, in ventriculis sanorum non minus quam ægrotorum, statim corrumpebatur, biliescebat, ac malignam qualitatem suscipiebat, vomitum quoque, diarrhœam, summas anxietates, febrem, aliaque mala inducebat, ita ut illud omnino fugiendum esse, doceret usus, neque ullis medica-

dicamentis facile admiscendum, nisi iis quorum alexicaca vis hanc eius qualitatem planè eluncit, qualia sunt, theriaca, mithridatium, diascordium, aliaque similia. Quapropter etiam minimè probandum est consilium Quercetani, aliorumque Medicorum, qui jubent ut apozemata sudorifera ad pestem in hydromelite coquantur, aliaque variæ confectiones, loco sacchari, cum melle conficiantur. Notandum etiam, si condita, conservæ, vel qualiacunque fuerint medicamenta, quibus ad pestis tam præseruationem, quam curationem utimur, possent sine melle, saccharo, vel alia dulcedine confici, quod longè utiliora forent, cum dulcia hic noceant. Verum multa medicamenta cum melle, saccharo, vel syrupis exactè misceri debent ad meliorem commistionem, & ut integris ac copulatis viribus melius diu conservari possint. Ad hæc, sæpe etiam cogimur dulcedine aliqua gratiam conciliare medicamentis, eaque ad delicatiorum palatum hoc modo aliquantum accommodare, qui alioqui ab illis nimium abhorrerent. Sed ego auctor esse velim, ut in quam pauciſſima fieri potest quantitate dulcia reliquis admisceantur. Sic nos hoc pestis tempore in tabellis (si forte præscribendæ forent) duplo plus puluerum sumebamus, quam ordinariè ad sacchari quantitatem fieri solet; syrupis solis rarissimè utebamur, &, si syrupos aliis rebus admiscere necesse foret, non utebamur aliis quam de succo citri, de scordio, & conseruationis radicum helenii conditarum.

XII. In ciborum quantitate mediocritatem seruandam esse, docet Hippocrates, 2 *aphoris.* 17. *Vbi nutrimentum ultra naturam capitur, morbum facit*. Præstat igitur tempore pestis paulo infra subsistere, quam ultra progredi, & in omnibus nimias repletiones cuitare, ut hoc pacto crudorum excrementorum copia, hincque procedens meatuum obstructio & humorum putredo, declinari possit: nam id maximè tuetur corpus à morbis, si vacuum sit excrementis, optimeque perspirabile.

XIII. Cerevisia ex optima aqua confecta esse debet, nam si per se, vel in se corrupta fuerit aqua, vel iniectione seu influxu sordium contagiosarum & pestiferarum infecta, licet coctio ad eiusdem emendationem multum faciat, tamen totam malignitatem penitus absumi, vix certo asseri potest: nam etsi putredo, impuritas, malus sapor, & similia, coctione multum corrigantur, semper tamen venenositas eius omnino auferri & extingui nequit. Huic nostræ, fortassis nouæ, opinioni statim occurrunt tres obiectiones. *Prima*: si pestilens venenum aeri inhærens expurgari & extingui possit per ignem, (ut in annotationibus præcedentis capitis abunde probatum est) ergo illud etiam fiet per coctionem, si aquæ inhæreat. *Secunda*: si quælibet venena per ignem mitigentur, expurgentur, & sæpe etiam extinguantur, ergo etiam venenum pestilens quod aquæ immistum est. *Tertia*: si per sudorifera medicamenta una cum sanguinis sero simul expellatur venenum pestilens, ergo per coctionem illud una cum vaporibus ex aqua expellitur. *Respondeo ad primam*, non valere consequentiam, quia quod in aere extinguitur ab igne venenum, non potest semper extingui in aqua, quia scilicet ignis, propter substantiæ contrarietatem, non potest eodem modo agere seu operari in aqua, sicut in aere, quia aeris exigua & tenuissima humiditas vi ignis statim dissolvitur in igneam fere subtilitatem, & quod ipsi inhæret venenum, illud eadem ignis vi etiam dissolvitur in minima naturalia, atque ita extinguitur. Contrarium autem fit in aqua, cuius crassa & maxima humiditas venenum, aliaque in se contenta, diu defendit ab illa extrema in minimas particulas dissolutione per ignem, ac propterea venenum, cum in minima naturalia non redigatur, retinet suam venenositatis formam, eamque etiam aquæ imprimit ac communicat; quæ aqua si usque ad siccitatem excoqueretur, tandem & ultimo non posset non etiam extrema dissolutione extingui venenum: sed talis aquæ consumptio non inseruit nostris usibus, ut nec cerevisiæ conficiendæ. *Ad secundum*: non valere consequentiam in genere, nam mercurius vivus ignis ferè calore facillimè resolvitur ac euanescit, in aqua verò coctus non dissipatur: arsenicum igni iniectum exuit venenositatem; in aqua coctum, eandem retinet & aquæ imprimit: venenum canis rabidi, quod combusto cane, aliove rabido animali extinguitur, nulla coctione edomatur, cuius manifestum exem-

plum

plum refert Lycosthenes, de infido quodam caupone, qui porcum à cane rabido commorsum, statim occidit, coxit, & hospitibus suis comedendum apposuit, qui omnes in rabiem acti, se inuicem miserrimè dilaniarunt. Similem quoque historiam refert Fernelius, *lib.* 2. *abdit. cap.* 14. de quibusdam venatoribus, qui lupum, ipsis nescientibus rabidum, captum trucidauerant, coxerant, & in varia obloniorum genera apparauerant, ac comederant, atque omnes rabie correpti fuerunt. Hoc si in veneno rabido factum fuerit, quis idem in pestilenti aliquando fieri dubitet? Non obstat hic quorundam distinctio, qui illam statuunt differentiam inter venenum rabidum & pestilens, quod illud crassius sit, ac crassiori & densiori materiæ innæreat, ac propterea tardius resoluatur aut dissipetur; hoc verò sit tenuius, acrius, & facile resolubile seu dissipabile. Quam differentiam licet impliciter non negemus, interim tamen experientia docet in utroq; veneno rursus magnam occurrere differentiam, & neque omne venenum rabidum esse lentum, neque omne pestilens adeo subtile ut facile dissipetur, (prius ex eo patet, quod sæpe solus canis rabidi halitus, vel tenuis saliva, cuti, imò vestibus solum, adhærens, alios inficiat: posterius, quod subtile venenum per multos menses fomiti inhærere, in eoque integris viribus seruari nō posset) inprimis si aquæ immixtum fuerit. Ad hæc, certissima rerum magistra, experientia multoties docuit, venenum pestilens sæpe nulla coctione edomari, expelli, vel extingui; quod historiis ex Iulio Alexandrino, Fallopio, & Hercule Saxonia citatis, supra abunde probauimus, *huius lib. cap.* 3. *annot.* 12. ut & *lib.* 1. *cap.* 8. *annot.* 1. *problem.* 6. *Ad tertiam dico:* non valere consequentiam, propter maximam diuersitatem subiecti & operationis. In homine venenum continetur in partibus sentientibus, quæ à veneni iniuriis lacessitæ, illud proprio naturali instinctu foras expellunt: in aqua verò venenum continetur in tali re, cui nec vitalis sensus, nec venenum percipiendi, nec secernendi, nec expellendi facultas inest. In homine propellitur, attenuatur, & expellitur venenum vi caloris cordis & corporis, quæ expulsio iuvatur per partium sentientium, molestam veneni vellicationem percipientium, irritationem ac contractionem: in aqua verò coquente venenum solummodo commouetur ab igne non vivente, in subiecto mortuo & non sentiente: atque sicut in homine ad veneni expulsionem nihil prodest magnus ac feruidus calor intus accensus, sed nocet; sic quoque in aqua venenata, solus feruor ignis parum aut nihil facit ad veneni extinctionem. Si in homine calor intensus seu feruor faceret ad veneni expulsionem & extinctionem, ergo euphorbium, piper, aliaque calidissima medicamenta forent optima antidota, imò ipse febrilis ardor veneni pestilentis vires infringeret: contrarium tamen docet usus. Roges fortè, quid faciunt igitur sudoriferа? Fermentatione quadam humores à veneno, vel alia quacunque causa nonnihil coagulatos seu condensatos dissolvunt & attenuant, viasque & meatus versus peripheriam aperiunt; & dum attenuatos serosos humores eò depellunt, etiam expultricem partium facultatem adiuvant in expellendo veneno: præterea inprimis antidotali sua facultate veneni vires suffocant, tollūt, infringunt. Concludimus ergo, aliquod venenum pestilens, nempe quod densiori seu firmiori substantiæ firmiter immistum est, aquæ inhærens, non facile posse coctione expurgari, expelli, vel extingui. Dico, *aliquod*, & non omne, quia si in tale fuerit tenuissimæ substantiæ, & subiecto tenuissimo inhæserit, instar spiritus cuiusdam, coctione citissimè dissolvi, dissipari, & expurgari posse, credibile est. His ita se habentibus, sanè alienum non fuerit, suspectas habere illas cereuisias quæ conficiuntur in locis pestè multum infectis, præcipuè illis, in quibus cereuisiæ coctores non ex aliis quam publicis stagnantibus aquis cereuisiam conficiunt, (sicut fit Lugduni Batauorum, Harlemi, Hagæ-Comitis, Delphis, aliisque multis in locis) quæ aquæ ab infectione excrementorum ægrotantium aliarumque rerum infectarum corruptione cadauerum bestiarum in illis sæpe putrescentium, fœtidissimo influuio multarum latrinarum ac cloacarum in illa se exonerantium, omnibus denique, omnium ædium ac platearum putridis, fœtidissimis, & infectis sordibus in illas defluentibus, corrumpuntur atque inficiuntur. Profectò si insalubres sint illæ aquæ in

quibus linum vel cannabis macerata sunt, (quas Petrus Pena venenatas esse scribit) quanto insalubriores erunt illæ, in quas tanta putridarū, fœtidissimarum, & infectarum sordium confluentia est?

XIV. Quamvis nonnulli Medici vinum tempore pestis omnino prohibeant, nos tamen eiusdem moderatum usum laudandum existimamus, inprimis hyeme, & in naturis frigidioribus, ut & vino assuetis. Nam vinum putredines aufert & impedit; præterea alexipharmacam vim habet, ac venenis intigniter resistit, testibus Dioscoride *lib.* 5. *cap.* 11. & Plinio, *lib.* 33. *cap.* 2. quo loco hic scribit, illud in peste magnam auxiliandi vim habere. Ad hæc vinum partes principes confortat, vires corroborat, calque conseruat, &, quod omnium maximè in pestilenti constitutione requiritur, animum exhilarat, tristitiam, metum, terroremque fugat, qui affectus maximè noxij sunt. Si nimius eius calor metuatur, inprimis æstate, Rhazes illud multa aqua frigida temperare; Cornelius Celsus modo aquam, modo vinum bibere, præcipit. Nos aliquantum succi fructus ribesiorum rubrorum, berberis, aut ceratorum morellorum, vel pomi citrii, aut aurantiorum, cum cantillo sacchari & aquæ rosaceæ eidem admiscemus, vel pomum citrium in talcolos dissectum, eidem imponimus, atque ita omnem nimii caloris suspicionem amputamus. Plutarchus, *in Cæsare*, scribit exercitum Cæsaris horrenda hac lue correptum, in eadem abigendi vini vires egregiè persensisse; quippe milites eodem largius hausto, tanti hostis acutissima spicula ita retruderunt, ut pestis breui tempore planè disparuerit. Sic etiam Toxaris Medicus solo vini odore Athenienses à peste liberasse traditur. Qui has aliasque innumeras vini facultates scire desiderat, illas curiosius descriptas legat apud Canonherium Antuerpiensem, *lib.* 2. *de vini facult. admir.* apud Lætum Bisciolam, *tom.* 2. *Horar. Subcisiuar. lib.* 5. *cap.* 9. Videantur adhuc nonnulla de vino intra, *lib.* 3. *cap.* 2. *annot.* 5.

XV. Ebrietas, cum eruditates generet, vitales spiritus incendat, omniumque maximè cerebrum & animales spiritus malè afficiat, valde damnata habenda est; quod Noviomagi in hac peste plurimos suo damno expertos fuisse nouimus: idemque se etiam obseruasse testatur Mercurialis, *de peste cap.* 22: *Et Patauij*, inquit, *& Venetijs vidimus bibaces plurimos extinctios esse, qui existimabant vinis generosis se propulsaturos esse pestem.* Verum licet Noviomagi ebrioli multi morerentur, attamen ter quaterve vidi copiosiore vini usu pestem, quæ iam inualerat, propulsatam & extinctam fuisse: quæ de re exempla dabimus libro quarto: sed illa pro rarissimis habenda sunt: neque debent hujusmodi paucissima exempla contrariæ quotidianæ experientiæ anteponi.

XVI. Solent Medici tempore pestis prohibere balnea, propterea quod corpora rarefaciant & languida reddant, spiritusque dissolvant: inprimis autem fugere iubent publica balnea, ad quæ omnis generis homines accedunt, & procul dubio etiam multi tales qui ex infectis ædibus prodeunt, vel infecti aliquem pestilentis contagij fomitem, vestibus aliisve rebus forte in hærentem, secum ferunt. Huiusmodi tepida balnea cum Noviomagenses non haberent, solebant multi ex consuetudine, æstiuo tempore, in stagnis, vel ipso flumine Vahali natare: quod innumeris malè cessit, idque non sine variis rationibus. *Primo*, quia stagnorum aquæ ob diuturnas siccitates, & intensissimum aëris æstum valde corruptæ, multisque in locis malè olentes erant: fluminis verò aqua infectionis pestilentis suspicione non carebat, propterea quod sursum Germaniam versus, imò per totam Germaniam usque ad Heluetiam, pleræque urbes ad Rhenum sitæ, unà cum innumeris pagis, eodem tempore grauissima peste infestarentur, quarum omnium fœda illuvies, tam cloacarum, quam latrinarum, domuum, & platearum, una cum infectis ac contagiosis sordibus in flumen dies noctesque effluens, eiusdem aquis permiscebatur, atque sic cum illis deorsum ad Noviomagenses, aliasque inferiores ciuitates descendebat. *Secundò*, quia illi natatores se nudos radiis Solaribus exponunt, quod, teste Rhaze, tempore pestis valde periculosum. *Tertiò*, quia sudantes & valde calentes in aquā frigidam prosiliunt, ex ea paulo post egressi radiis Solaribus nuda corpora exponunt, ut incalescant, calidi rursus aquis se immittunt; quæ

muta-

mutationes admodum damnosæ existunt. Quidquid sit, multoties obseruauimus illos natatores, statim post natationem de capitis dolore primò conquestos, & intra paucas horas peste correptos fuisse. Germani Medici, præter balnea, etiam meritò in pestilenti constitutione jubent fugere calorem hypocaustorum, inprimis publicorum (quæ apud ipsos in frequenti usu sunt) quem multis pestem intulisse, à Platero obseruatum est.

XVII. Vestes lanex crassiores, pelliceæ; aliæque similes, tempore pestis rejiciendæ sunt, propterea quodquælibet infectę sordes, & contagiosi vapores facillimè iis inhæreant, ac fomitem constituant; quod in vestibus sericeis, tenuibus, & læuibus, aliisque in textu commemoratis, tam facile fieri nequit. Quam noxiæ sint vestes lanex, sæpe docuit experientia. Mercurialis, *lib. de pest. cap.* 22. scribit, Venetiis peste sæuiente, plurimos Medicos extinctos fuisse, eo quod in ægris inuisendis, uterentur tunicis pelliceis latissimis. Hanc ob causam putat Follinus, *in Amulet. anton. cap.* 8. suo tempore in urbe Sylux-Ducensi pestem tam immaniter propagatam fuisse per uniuersam plateam Lanificii, ut vix domus intacta relinqueretur. Rationem huius rei suppeditat Marsilius, *Antid. epid. cap.* 24. *Vt oleum*, inquit, *ignis, sic nutrimentum huius veneni est lana: & quidem enutrit hæc lana venenum, ut non modò conseruet ipsum, sed & augmentet, simulque fortificet.* Hoc certum est, corpora spongiosa & laxa, quale etiam est lana, promtè suscipere, & diu conseruare infectos venenatosque vapores, atque hinc laneas vestes tempore pestis rejiciendas esse. Super his videantur quædam *præcedente cap.* 3. *annot.* 4.

CAPVT VII.

De Somno & vigilia, Motu & quiete, ac animi Pathematibus.

AD præseruationem consului omnibus, ut in somno & vigiliis (1.) modum seruarent, atque nec illum ultra consuetos naturæ limites extenderent, nec his præter consuetudinem corpus nimis emaciarent: inprimis autem ut fugerent somnum meridianum, (2.) iis exceptis, qui plus solito vigilauerant, vel à longo tempore tali somno assueti erant. Ad hæc, ut nunquam sub dio, radiis solaribus expositi, vel supra fœnum cubantes (3.) somnum capescerent. Similiter ut corpora moderatè (4.) tantum exercerent, ac maiora (5.) exercitia, & graves labores, (6.) quibus corpus vel nimis incalescit, vel delassatur, cane peius & angue fugerent, omnium verò maxime illi, qui talibus exercitiis vel laboribus non erant assueti, utpote qui ab iis grauius lædebantur, quamvis etiam iis assueti hoc pestis tempore inde non rarò pessimè afficerentur. Præterea ut à Venere (7.) abstinerent, vel ea saltem moderatè & rarius uterentur, utpote quæ spiritus excalefaciendo & vires resolvendo, hoc tempore corpora ad pestiferam labem suscipiendam citissimè disponebat, præcipuè in non assuetis; quemadmodum id tristes plurimorum sponsorum exequiæ hoc tempore plus satis testatæ sunt. Denique ut omnes quieto ac tranquillo animo essent, & quoslibet vehementes ac impetuosos animi motus, (8.) atque occasiones ad tales motus, studiosissimè cuitarent, inprimis, verò iram, metum, & terrorem (9.) qui hoc tempore omnium pessimi ac damnosissimi erant. Vt intrepidi, hilares (10.) & bene contenti viuerent, omnemque mœrorem ac tristitiam (11.) penitus in exilium ejicerent.

I. *Somnus & vigilia, (inquit Hippocrates, 2. aphor. 3.) utraque si modum excesserint, malum.* Nimius enim somnus caput ac totum corpus aggrauat & pituitosis excrementis replet, sensus quoque torpidos reddit, omniaque viscera & membra ad munia sua ignaua facit. Immodicæ verò vigiliæ cerebrum exsiccant, spiritus dissipant, coctiones debilitant, eruditates pariunt, totumque corpus labefactant. Ac propterea utriusque excessus euitandus est, cum inprimis tempore pestilenti corpus vegetum seruare, omnesque morborum occasiones diligenter euitare conueniat.

II. Somnus meridianus, præcipuè insuetus, ut & ille qui sub dio fit, ab omnibus Medicis, tanquam multorum morborum auctor & maximè noxius, semper damnatus fuit. Quod tamen absolute pro generali regula habendum non est, neque omnibus hominibus æqualiter applicari potest: iis enim, qui grauibus laboribus matutinis sunt delassati, vel ratione studiorum, alteriusve cuiuscunque causæ, matutino tempore solito maturius surrexerunt, continuisque ac firmis animi intentionibus occupati fuerunt, & circa meridiem animi corporisq; actiones nonnihil languidas sentiunt, ad spirituum refectionem aliqua quies necessaria est, & breuis somnus meridianus plurimum conducit. Alijs verò, quorum spiritus non multum dissipantur, & qui quiettiores viuunt, somnus meridianus nocet.

III. Supra fœnum cubare ac dormire, sæpissimè comperti sumus multi valde exitiosum fuisse, inprimis si fœnum recens foret. Hinc primo capitis dolores ac febres, & tandem breui pòst ipsam quoque pestem accessisse, obseruauimus.

IV. Elegantissimum est illud quod ex Catone citat Aulus Gellius, *lib.* 11. *cap.* 2: *Vita, inquit, humana prope uti ferrum est; si exerceas, conteritur; si non exerceas, tamen rubigo interficit: itidem homines exercendo videmus conteri: si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitatio.* Ab hoc aureo dicto alienum non est illud Fulgentij: *Exercitium est humanæ vitæ conseruatio, caloris nativi lima, virtutum robur, superfluitatum consumptio, temporis lucrum, iuventutis debitum, & senectutis gaudium:* Verum hæc aurea dicta non de alijs quam honestis & temperatis exercitijs, conuenienti tempore institutis, intelligenda sunt: quod etiam Aristoteles, 2. *Ethicor.* docens, inquit: *Exercitium temperatum conseruat sanitatem.* Item Auicenna, qui 3. *primi fen. cap.* 3. ait: *Si homines, debito tempore, moderato exercitio ac labore uterentur, carere possent multis medicamentis.* Nam huiusmodi exercitationes omnia viscera & membra ad naturales functiones melius peragendas excitant; cum è contra inconsueta & grauia exercitia totum corpus debilitent & affligant.

V. Cornelius Celsus in pestilenti constitutione inprimis vitare iubet defatigationes seu lassitudines: idque non sine ratione, quia spiritus incendunt ac dissipant, poros externos aperiunt, corpus debilitant, humores acriores ac biliosiores reddunt, &, quod omnium pessimum est, crebriores maioresque respirationes efficiunt, atque ita multi aeris impuri & inquinati inspiratione cordis facultatem maximè lædunt. Hinc etiam Hippocrates, *lib. de nat. hum.* in peste crebras respirationes fugere præcipit: *Verum, inquit, cura erit adhibenda, ut quam parcissimè spiritus in corpus influat, sitque maximè familiaris.* Sic etiam Auicenna, 3. *primi, doct.* 5. *cap.* 1. scriptit: *Pestis tempore illud studendum, ut fugiatur necessitas attrahendi multi aeris, quod optimè fit quiete & otio.*

VI. Durante hac peste sæpius obseruauimus statim pòst graues exercitationes & magnas defatigationes, multos peste correptos fuisse; cuius rei euentus tandem adeo innotuit omnibus, ut multi etiam vulgares à grauioribus laboribus abstinerent; quin & rustici, tempore messis fœni, suum fœnum metere & colligere nollent, edocti tristibus aliorum exemplis, qui grauiter laborantes statim pòst peste correpti fuerant.

VII. Quam ob causam Venus noceat, docuimus *lib.* 1. *cap.* 5. *annot.* 4. Verum sicut nimius Veneris usus corpora debilitando & excalefaciendo ad pestem disponit, ita quoque eiusdem nimiam abstinentiam illud ipsum facere, nonnulli credunt; inter quos est Cornarius, qui *lib.* 1. *de pest. cap.* 13. hanc opinionem ita confirmat: *Ego certe, inquit, affirmare possum,*

sum, in una urbe, in diuersis ædibus, & fœminas nuptas, & viduas, & puellas, omnes ad unam peste correptas & absumptas esse, cum mares magna ex parte fuga sibi consuluissent: nec adhuc scio an alia, quam a viris abstinentia, mortis illarum causa fuisse, putari debeat. Illud ipsum etiam sentit Alexander Massaria, ut supra dictum, *lib. cap. & annot. modo citat.*

VIII. Animi emotiones corpora ad pestiferam labem disponere, docuimus *lib. 1. cap. 8. in textu, & annot. 9.*

IX. Nullus est animi motus qui pestilentis domini limites longius & citius extendit, quam terror, siue ex consternatione funeris visi, vel hominis infecti occurrentis, vel mali nuncii, vel terribilis imaginationis, alteriusve rei, incutiatur. Hunc solum durante maligna hac constitutione, pestem multis aduocasse nouimus: idemque Ie anno 1626, in plurimis quoque obseruasse, refert Sennertus, *lib. de peste cap. 1: Memini, inquit, peste correptos fuisse, qui currum illum, quo peste extincti ad sepulturam vehuntur, è longinquo extra urbem conspexerant; alios qui domo inclusi eum non viderunt, sed strepitum saltem eius audierunt. Imo etiam nobis relatum est, & ex insomnijs de peste nonnullos peste correptos fuisse, qui cum nullo peste infecto conuersati erant, & quos certum erat per contagium pestem non hausisse.* Sic etiam Euagrius & Nicephorus ex solo aspectu infectarum ædium varios peste infectos fuisse, affirmant. Guido de Chauliaco, 2. *doct. apostem. cap. 5.* scribit, in peste anni 1348, à solo aspectu ægrotorum plurimos pestilens contagium concepisse. Ex sola imaginatione quorundam peste infectorum historias referunt, Scheunemannus, *in Paracels. de peste, cap. 15.* Erastus Hedenus, *in quadam Oratione*, & Ioannes Matthæus, *in Cent. quæst. 86.* Non possum non mirari opinionem Quercetani, *in Pest. alex. cap. 2.* ubi scribit, per solum visum eodem modo contrahi pestem, sicut a muliere menstruata speculum contrahit maculas, & ab ophthalmico ophthalmia contrahitur. Profecto Quercetanus hic tota erat via, nam visus per se nihil facit ad inductionem pestis, sed qui per hunc sensum incutitur terror, ille est qui inordinato spirituum motu, eorumdemque concentratione circa cor, ad veneni pestilentis contractionem per accidens aliquid facit, ut docuimus, *lib. 1. cap. 8.* Nisi forte velit Quercetanus, per inordinatum motum spirituum à fœdi ophthalmici aspectu inductum, sic etiam per accidens gigni ophthalmiam. Metus igitur & terror, siue visu, siue imaginatione, siue alio quocunque modo inducti, spiritus & humores conturbando, corpora ad pestem facile suscipiendam plurimum disponunt, atque hinc omnibus modis illi animi motus arcendi sunt. In quem finem hac methodo utendum scribit Iacobus Sylvius, *lib. de peste. Inprimis verò Deo optimo maximo*, inquit, *omnis salutis, vitæque bonæ ac beatæ auctori, non modo diebus aut horis, sed singulis diei momentis pia vota facienda sunt, qui tibi puram nullaque vitiorum turpitudine inquinatam mentem inserat, tuumque animum omni suspicione ac metu cuiusque imminentis mali, potissimum verò contagionis pestiferæ apprehensione omni vacuum ac liberum faciat: nil enim æque sanguinem commouet ac conturbat quam metus, fixaque in rem aliquam cogitatio suspicionis plena: nihil quod æque humores ac spiritus corporis putredini reddat obnoxios. Liberabis verò mentem hoc pathemate, si veterem hominem exuas, & novum induas: si tuas omnes cogitationes, studia, actiones, diuinæ voluntati committas, id solum optes aut fugias quod diuini numinis nutus imperabit: denique si tecum reputes id mortem non esse quod mortem existimamus, sed potius commutationem vitæ breuis, fluxilis, ac ærumnosæ, in vitam nunquam defuturam, omnisque beatitudinis ac felicitatis dotibus exornatam.*

X. Animus præsens & imperterritus minimè omnium afficitur, & audaciores minus a peste infestantur, ac, correpti, minus periclitantur: quod exempla multorum vespillonum, aliorumque qui quaslibet ædes infectas audacter frequentant, luculenter docent. Contrarij autem timidis euenire, ut iam diximus, experientia certissimum facit, & utrorumque plurima exempla in hac peste vidimus. Cauta dependet a spirituum motu, qui in illis fortis & constans procedit, sine ulla cordis alteratione aut passione: in his verò maxime inordinatus fit, cum summa cordis alteratione ac debilitatione; cuius debilitatis ratione cor pestilens venenum

num minus à se dispellere valens, ab eo occupatur.

XI. Mœror, tristitia & timor (quos animi motus Pigræus pabulum & nutrimentum pestis appellat) tantum valent in maligna constitutione, ut iis solis de causis pestes maxima incrementa sumere, multi crediderint: ac propterea quoque Veteres aduersus has animi affectiones peculiare alexipharmacum excogitauerunt, nempe Musicam, cuius vi olim multos maximosque morbos sanatos fuisse, referunt. Plutarchus, *de Musica*, scribit, à Lacedæmoniis graui pestilentia infestatis, Pythii Apollinis oraculo, Thaletem Cretẽsem accitum fuisse, eumque Musica grassantem pestem fugasse: cuius Thaletæ etiam mentionem facit Pausanias *lib.* 1. Sic quoque Homerus, *Iliad.* 1. Græcos pestem cantu depulisse tradit. Vbi per Musicam & Cantum nihil aliud quam animi lætitiam & hilaritatem, duos præcipuos pestis hostes, intelligendum esse, plurimi existimant. Præter Musicam, nos aliud mœrori fugium ac tristitiæ alexipharmacum habemus, nempe vinum, quo tristibus interdum uti licet usque ad hilaritatem, (cauendo tamen ab ebrietate) ut hoc modo curæ & mœrores è corde excutiantur. Tempore itaque pestilenti illud omnibus inculcandum est, ut timorem & tristitiam in totum fugiant, & diuini Numinis auxilio ardentibus precibus primum implorato, in Medici sui fidelitate, & alexipharmacorum viribus fiduciam reponant, sicque animo imperterrito ac tranquillo viuant; nam, ut inquit Auicenna, plus interdum prodest ægroti huduia in Medicum, quam ipsa medicina.

CAPVT VIII.

DE PROPHYLAXI CHIRVRGICA.

ABsoluta diætetica prophylaxi, ad Chirurgicam deueniendum est. Duo tantum media ad præseruationem à peste subministrat Chirurgia, nempe venæsectiones, & cauteria. Venæsectionos, (1.) quamuis à multis veteribus & neotericis Medicis summè laudatas, nos tanquam valde periculas & damnosissimas planè reiecimus. Cauteria (2.) verò, seu fonticulos per ea excitatos, summopere approbauimus, & utilissima fuisse obseruauimus; per eaque in brachiis, vel ut plurimum in cruribus, fonticulos (quos *fontinellas* vulgò vocant) multis fecimus, atque illos toto pestis tempore apertos seruauimus, per quos multi superfiui, acres, noxii, corrupti, ac fœtidi humores paulatim effluxerunt. Tali ratione multi præseruati sunt, imò vidimus aliquos his præmunitos, qui pestis inuasionem sentientes, statim in ipso principio antidotum sudoriferum assumpserunt, atque ita citissime liberati sunt, natura expellente per fonticulos atrum quendam ac venenatum tabum.

I. MVlti præclarissimi, tam veteres, quam neoterici Medicinæ proceres, ad præseruationem, magis laudibus extollunt venæsectionem, præcipuè in plethoricis, hancque opinionem plurimis egregiis, & sanè verisimilibus rationibus confirmant, (has breuitatis gratia hic præteribimus) quibus non tantum calculum suum adiecit Quercetanus, sed reliquis curiosior existere volens, etiam certum venæsectionis tempus definiuit, eamque instituere iubet circa Lunæ quadraturam, sed studiosissimè cauendum esse ait, ne fiat venæsectio cum Luna Marti, Saturno, vel alii cuidam astro maligno opposita, aut in alio quodam adspectu sinistro collocata est: illud autem tempus obseruari vult, quo benignis quibusdam Planetis (quales sunt Iupiter & Venus) Luna coniungitur, vel saltem eos benigno respiciat, aut ab iisdem respiciatur adspectu. Verum omne venæsectionis patrocinium euertitur ab experientia: nam

in

in hac peste Noviomagensi, neq; prædictorũ Medicorum rationes, neq; Quercetani scrupulosæ temporum observationes, unquam impedire potuerunt, quo minus pestis invasio brevi post venæsectionem sequeretur: semper observavimus venæsectiones, etiam in optimè sanis & plethoricis institutas, fuisse damnosissimas: idque abunde docuerunt tristia plurimorum, etiam plethoricorum, exempla, qui cum præservationis gratia venã pertundi curassent, statim post peste correpti sunt. Quapropter nos venęsectionem omnibus prohibuimus. Hac in parte nobiscum sentit Iacobus Sylvius, *lib. de peste*, *Phlebotomia*, inquit, *ad pestem nullo modo conferre videtur, quia exhausto sanguine perspirabile fit, corpus, externisque iniurijs magis pervium redditur: quin etiam vires fiunt debiliores detracto sanguine, qui vitæ pabulum & thesaurus est.* Sic quoque Liddelius & Riverius tempore pestilenti à venæsectione, etiam in plethoricis, abstinere, & non nisi magna aliqua necessitate urgente (ut plenitudine ad vasa, vel aliqua sanguinis solita evacuatione suppressa) eò devenire iubent. Ratio est, quia exhausto sanguine & viribus immunitis, cor malignam auram minus potenter à se expellit, minusque eam evincit & extinguit, atque hinc ab inspirato maligno aëre pestilens qualitas facilius & gravius ei imprimitur. Hac de re plura videantur *lib. 3. cap. 3. annot. 1.*

11. Cauteria, seu potius fonticulos iis excitatos, ad præservationem à peste, Nicolaus Florentinus, Io. Arculanus, Partinus, Ingrassias, Paræus, Antonius Portus, Nicolaus Massa, Hercules Saxonia, aliique plurimi insignes Medici, summopere commendant: quorum fonticulorum insignem utilitatem nos quoque in hac peste multoties vidimus, non solum in cachymis, verum etiam in cacochymis, quos per illa sæpissimè tam insigniter præservatos vidimus, ut nullum à pestilente infectione nocumentum perceperint. Alexander Massaria, *lib. 2. de peste*, de cauteriis ita scribit: *Illud* (scilicet quantum profint cauteria) *experientia satis confirmavit: quandoquidem accurata observatione compertum est, non solum apud nos, verum etiam apud Venetos, Patavinos, & alios, ex infimis pestilentia sublatis, aut nullos, aut certe paucos obijsse, quibus alicubi cauteria insita essent.* Paulo post addit: *Quod quidem præsidii genus non alienum à ratione censendum est, quãdoquidem naturam quotidie noxios humores ad eas partes facile & libenter propellere videmus.* Guilhelmus Fabricius Hildanus, *Cent. 4. observat. 23.* scribit, anno 1612, in maxima Lausaniæ peste, neminem eorum qui fonticulos in brachijs aut cruribus habebant, præter unum aut alterum summè cacochymum, peste obijsse, ac proinde præsentaneum esse præservativum, tum in alijs, tum in se ipso observasse: quod ipsum rursus confirmat *cent. 6. observat. 86.* Sic etiam Georgius Guarnerus, *lib. de peste, cap. 9.* scribit se affirmare posse, quod anno 1574, peste multos Venetijs interficiente, nullum unquam viderit extinctum qui fontinellã gestaret. Quercetanus, *lib. 2. de peste, cap. 2.* scribit, se multos novisse Chirurgos pestiferorum curationi destinatos, qui sibi cauteriis melius, quam ulla alia cautione, prospexerant. Mercurialis quoque suum de cauteriis seu fonticulis experimentum describit *lib. de peste, c. 23. Dicam*, inquit: *quod ego experientia vidi: possum testari me innumeros hac peste extinctos vidisse, nec unquam vidisse quemquam qui haberet cauterium, præter unum tantum, atque ille erat sacerdos: interrogavi etiam hac de re multos Medicos, qui testati sunt, neminem se vidisse. Quod quidem argumentum esse potest, hoc genus auxilij magnopere conducere: & summa cum ratione, quandoquidem per cauteria, tanquam per cloacas, continuo ichores pravi & putredini obnoxij educuntur.* Nos cum Mercuriali, Guarnero, & Hildano, tantum cauteriorum seu fonticulorum encomium adeo audacter exclamare non auderemus; quandoquidem in hac peste non unum, sed plures etiam cum fonticulis mortuos fuisse novimus, licet paucores. Platerus, *Prax. tract. 2. cap. 2.* scribit, peste anno 1564 Lugduni regnante, monachum quendam non cauteriis aut vesicatorijs, sed alio attractorio usum fuisse nempe perforabat in viris scrotum, & vulneri imponebat radicem hellebori nigri, sicque viros a peste tutos fore pollicebatur: de quo curationis modo vide plura *lib. 3. cap. 12. annot. 2.* Nos durante hac pestilenti constitutione vidimus nonnullos qui

anti-

antiqua ulcera in cruribus habebant, quæ ipsis loco fonticulorum inseruiebant, cum æquali præseruationis fauore. Quod ipsum Forestus, *lib. 6. Obseruat. 15.* refert se quoque obseruasse in Chirurgo quodam, qui ægrotos in Nolocomio tractabat. Sic in pestilenti constitutione Galenus, *Method. 5. cap. 12.* scribit omnes fere euasisse quibus scatebat corpus ulceribus. Ita quoque Paræus, *lib. 21. cap. 17.* refert, se obseruasse, à peste minus tentatos fuisse eos qui cancros ulceratos habebant, quibus nares fœda ozæna diffluebant, qui lue Venerea, abscessibus & ulceribus fœdis correpti erant, ut & scrophulosos, elephantiacos, leprosos, scabiosos, omnes denique eos quibus ulcera erant in corpore fistulosa & fluentia. Hunc in finem etiam Alexander Benedictus, *lib. de pest. cap. 9.* tempore pestis scabiem & ulcera curare vetat, ne scilicet vitiosi humores per scabiem euacuari soliti, curata scabie in corpore detineantur, sicque alios morbos inducant, usque mediantibus corpora ad pestem facilius suscipiendam disponant. *Aliud item præceptum*, inquit, *est inter omnes regulares obseruationes, ne sanguinis naturale profluvium* (puta, menstruorum, hæmorrhoidum in consuetis, &c.) *pestis tempore prohibeatur, neque item scabies unguine sanetur, & ulcera corporis impleantur: male enim sibi consulunt qui scabiem curant, nam certissimum est remedium, quo corpus à peste tutissimum redditur.* Hic quispiam obijcere posset, cum fonticuli tantum euacuent excrementitios & noxios humores, pestilentis autem veneni ingressum in corpus impedire, eiusque virulentiam extinguere nequeant, quomodo ad præseruationem conducere possint? Respondendum: quod euacuando corruptos humores, viscerumque integritatem conseruando, præseruant corpus ab aliis morbis, quibus mediantibus ad pestem disponi posset; ut diximus *proximè sequenti capite, annot. 1.*

CAPVT IX.

De prophylaxi Pharmaceutica: & primò de Purgatione.

PRophylaxis pharmaceutica consistit partim in expurgatione noxiarum superfluitatum, partim in præmunitione corporum aduersus venenum pestilens. Cum autem noxiæ superfluitates in corporibus retentæ, variorum morborum causæ existant, per quos morbos corpora præparantur ad pestem, ea propter hic primo dicturi sumus de illarum superfluitatum expurgatione. Tempore pestis in corporum expurgatione (1.) maxima Medici prudentia requiritur, nam impuritates clementer & leniter (2.) subducere nullis verò catharticis (3.) vehementer proturbare oportet. Quapropter etiam nos in hac peste nullis catharticis usi sumus, ipsa ratione, experientiæ copulata, satis docente, per fortiora purgantia humoribus violentius agitatis spiritibusque exhaustis atque etiam confusis, corpora ad pestem præparari ac disponi; quemadmodum hac tempestate catharticorum assumptione varios hunc crudelissimum tyrannum citissimè ad penetralia sua aduocasse vidimus. Si igitur corpora firma occurrerent, in iis quidem alvum liberam, seu non planè fluidam seruabamus. Si verò cacochyma forent, eorum cacochymiam corrigere, & paulatim ac clementer subducere annitebamur medicamentis lenientibus (4.) quibus semper etiam talia quædam admiscebamus, quæ pestilenti malignitati resistere possent. Ad has intentiones pauca nobis in usu erant medicamenta. Nonnullis è massa pilularum Rufi, duas, tres, quatuor ve, pisi magnitudinis pilulas semel aut bis in septimana, aliis duas alternis diebus, vel manè, vel vesperi, aliis tantum semel in hebdomada degiutiendas dabamus. Plurimis etiam nostras pilulas magistrales antipestilentiales simili modo exhibuimus,

mus, quarum hæc est descriptiò:

℞. *Radicum petasitidis,*
carlinæ,
dictamni,
angelicæ,
beleníj, ana unc. ſ.
gentianæ drach. j. ſ.
rhabarbari opt. unc. j. ſ.
agarici albiſſimi unc. ſ.
herbar. ſcordíj,
centaurij minor:
rutæ, ana unc. ſ.
cardui bened. drach. vj.
florum ſtœchados drach. j. ſ.
ſem. citri,
aurantiorum,
zedoariæ, ana drach. j.

Ex his omnibus fiat puluis groſſus, qui maceretur per biduum vel triduum in vini albi lib. ij. ſ. vel iij. deinde coquatur per horæ quadr. intem, ſiatque colatura cum forti expreſſione in torculari, quæ colatura coletur rurſus per chartam emporeticam ſeu bibulam rariorem. In hac colatura tunc diſſolue,

aloes optimæ unc. iij ſ.
myrrhæ clarę in guttis drach. iij. ſ.

Ac in ſcutella porcellana fiat euaporatio humiditatis, uſque dum maſſa pilularis fieri poſſit, è qua formentur pilulæ, quas tempore peſtis utiliſſimas eſſe comperti ſumus.

Multis etiam bis terve in ſeptimana vini aloetici (5.) noſtri hauſtum matutino tempore dabamus, quod tali modo conficiebatur.

℞. *Radic. angelicæ,*
beleníj,
petaſitidis,
dictamni,
corticum aurantiorum ana drach. j.
aloes lucidæ ſcrup. vj. ſ.
herb. cardui ben. M. ſ.
centaurij minoris p. ij.
abſinthij p. j.

Conſcindantur minutim, & ex his concinnetur puppa, ſuſpendenda in vini albi tennis Rhenani vel Gallici lib. vj. in quo vino puppa illa remaneat uſque dum totum epotum fuerit.

Huius vini quatuor unciæ aſſumptæ, alvum ſemel, bis, vel ter clementer ſubducunt. Ab illo tamen & ab alijs amaris abſtinebamus in iis, quos hæmorrhoides afligebant, nec non in mulieribus grauidis, quibus potius rhabarbari & agarici uſum commendabamus. Paucissimis aliis medicamentis purgantibus ad præſeruationem utebamur.

I. GRauiter nobis errare videntur illi, qui veneſectionibus & purgationibus idē tidem reiteratis, immunitatem à peſte audacter pollicentur, cum his artibus ſolum nodo corpora ab intrinſeca putredine vendicent, non autem à peſte, quæ pura pariter atque impura corpora æqualiter inuadit; eo tantum facto diſcrimine, quod impura citius quam pura, ſeu aliqua de cauſa, febres aliaſve morbos putridos non peſtilentes concipiant, qui morbi, ſpirituum & humorum concordiam interrumpendo, corpora ad peſtem citius ſuſcipiēdam diſponunt: præterea quod peſtis in corporibus cacochymis grauiores putredines aliaque peiora ſymptomata inducat, quam in puris: denique, quod puris corporibus metuenda ſit peſtis ab occulta diſpoſitionis aptitudine quam in ſe habent; cacochymis verò & ab eadem aptitudine quam in ſe habent, & præterea ab illa aptitudine, quam, mediante alio aliquo inuadente morbo, habere ſeu nancifci poſſunt. Quapropter in præſeruatione optimum quidem eſt, hinc victu, hinc medicamentis, corpora pura conſeruare, ſed in illa puritate ac purificantibus medicamentis veram, totam, certamque peſtis prophylaxin conſtituere, nec ratio, nec experientia patitur. Adde, quod tempore peſtilenti illa corporum puritas non ſine maximo periculo per veneſectiones & medicamenta purgantia, inprimis cathartica, ſæpius repetita,

acquiratur, ut latius docebimus, *lib. 3. in annot. cap. 3. & 4.*

II. Inconstitutione pestilenti corpus non multum purgandum esse, docet Cornelius Celsus *lib. 1. cap. 10. Neque mouenda est* (inquit) *alvus, atque etiam, si per se mota fuerit, comprimenda est.* Quia tali tempore humores valde proclives sunt ad fluxum, & si moueantur, facillime damnosissimum alui fluxum inducunt.

III. Medicamenta cathartica & fortiter purgantia, cum veneno pestilenti non resistant, neque eius introitum in corpus prohibeant, neque illud, cum ingressum est, foras proturbare queant, neque etiam cordis & insiti caloris robur tueantur, tempore pestilenti prorsus fugienda sunt. Nam præterquam quod prædictæ virtutes cathartices concessæ non sint, & quod pleraque nonnihil venenatæ qualitatis participent, etiam pestilentem perniciem, quæ fortè circa ambitum corporis innoxiè adhuc hæret, ad præcordia citissimè, maximo cum damno, aduocant & protrahunt. Adde, quod multa etiam frugi materiam cum inutili eripiant, spiritus dissipent ac conturbent, vires deficiant, & corporis harmoniam dissoluant.

IV. Non quælibet mitia purgantia conueniunt in peste, sed illa præcipuè quæ putredini fortiter resistunt, vlcera roborant, eaque ab internis obstructionibus liberant, ac simul etiã proprietate quadam venenatæ pestilenti maligantati resistunt. Tale medicamentum est aloë, præcipue lota cum succo rolarum. Tales etiam sunt rot leculorum experientijs probatæ pilulæ Rufi (hc nominatæ ab auctore Rufo: ab ingredientium verò numero, *pilulæ de tribus*: à communi usu, *pilulæ communes*) quas ipsemet Rufus Ephesius in peste accommodatissimas fuisse comperit, hancque earum descriptionem posteris reliquit:

Rec. *Aloes, ammoniaci thymiamatis, ana part. ij. myrrhæ, part. j.*

Misceantur cum vino odorato.

Illam compositionem Arabes sequenti modo immutarunt, & meliorem reddiderunt, quos hac in parte plerique hodierni Medici sequuntur:

Rec. *Aloes, part. iij. myrrhæ, part. ij. croci, part. j.*

Cum vino odorato fiat massa.

Nos quoque illa, hoc modo composita, massa utimur, quamvis illam compositionem varij adhuc varijs modis immutauerint, addendo vel ammoniacum, vel mastichen, vel cinnamomum, vel alia quædam, pro singulorum diuersis intentionibus. Tales sunt etiam pilulæ nostræ antipestilentiales in textu commemoratæ, quarum in hac peste maximas virtutes ipsa experientia satis demonstrauit. Tales sunt etiam pilulæ Alberti, Ducis Bauariæ, à Quercetano in sua Pharmacopœa hoc modo descriptæ:

Rec. *Croci, myrrhæ, camphoræ, cornu cerui, spodij, ana drach. j ligni aloes, beon candidi, ana unc. ß. terræ sigillatæ; drach. ij. florum sulphuris, drach. j. corticum & seminum citri, gariophyllorum, ana scrup. j. ambræ. siue succini flaui, scrup. j*

Fragmentorum hyacinthi,
smaragdorum,
granatorum bene præparatorũ,
ana scrup. ß.

agarici electi, rhabarbari optimi, ana unc. ß. aloes è vesica, ad pondus omnium, cum syrupo aut succo limonum, fiat massa pilularis. Dosis drach. ß. paulo ante cibum.

Tales sunt etiam hæ pilulæ pestilentiales Cratonis:

Rec. *Aloes rosatæ unc. j. myrrhæ, croci, ana unc. ß. agarici trochiscati drach. ij. rhabarbari electi, drach. j. boli Armenæ, scrup. ij. ligni aloes, dictamni albi, margaritarum præparatar. ana scrup. j.*

Cum succo limonum formentur pilulæ parvæ. Dosis drach. j. singulis septimanis.

Sunt qui has pilulas laudant:

Rec. *Myrrhæ, camphoræ, croci, ana drach. j. rad. angelicæ,*
gentianæ,
vincetoxici,
florum sulphuris, ana scrup. ij. corticum ac seminum citri, zingiberis albi, xyloaloes, ana scrup. j. agarici electi, rhabarbari optimi, ana drach. iij. diagridij. drach. j. aloes unc. ß olei stillatitij angelicæ scrup. j. syrupi de scordio, q. ſ.

Fiat massa pilularis.

Chymici in hoc casu admodum commendant flores rhabarbari sulphuratos, quorum talis est compositio;

Rec.

Rec. *Extracti rhabarbari ad duritiē & friabilem fere aridit atem exsiccati, unc. j. florū sulphuris ter sublimatorum unc. ij. olei cinnamomi, scrup. j. olei macis, scrup. ſ. invicem optimè mista indatur cucurbitæ vitreæ, impositoque alembico cæco, & iuncturis undique probè occlusis, lento igne sublimentur.*

Quod peracta sublimatione in altum ascenderit, denuo cum reliqua materia in fundo residua misceatur, & fiat de nouo secunda vice sublimatio, eademque etiam tertio repetatur, & sic non vulgare medicamentum leniter laxans, omnemque putredinem coercens obtinebis. Dosis in adultioribus scrup. j. ad gr. xv. in iunioribus gr. viij. vel ix.

Qui plura leniter purgantia in peste cōuenientia scire volet, legat Scriptores Medicos, qui magnam eorundem copiam describunt: nos in nostra praxi paucioribus usu probatis acquiescere potius solemus, quam cum magna quasi eruditionis ostentatione in incertum per multa diuagari.

V. Mirum est tam parvum aloes pondus tantæ vini quantitati purgatiuam aliquam vim conferre posse, attamen millies compertum, si aliquantum cardui benedicti, centaurij minoris, & absinthij, cum aloēs drachm. ij. aut drach. ij. ſ. indatur vini lib. viij. istius vini unicum haustum non minus purgare, quam si aloēs in substantia drach. ſ. assumator. Causam adscribendam arbitramur leptomeriæ substantiæ vini, qua aloēs purgatiua qualitas facillime ad viscera penetrat. Palmarius, *lib. de peste, cap.* 13. huiusmodi vinum emulatum ad præseruationem præscribit.

Rec. *rad. belenij siccarum, unc. ſ.*
dictamni,
tormentillæ,
gentianæ, ana unc. ij.
foliorum siccor. menthæ,
absinthij vulgaris,
ruthæ, ana p. i,
vini albi optimi lib. vi.

ponantur omnia in phiala, quæ Soli exponantur, aut loco calido asseruetur dies sex ante usum. Dosis unc. j. ſ. aut unc. ij. mane.

CAPVT X.

DE ANTIDOTIS INTERNIS.

PRæmuniuntur corpora aduersus veneni pestilentis impetum per medicamenta, vel interna, vel externa. Interna (de quibus hoc capite agemus) sunt antidota (1.) seu alexipharmaca, (2.) quæ corpora in naturali statu conseruant, ipsque occultam quandam qualitatem imprimunt, quæ totaliter contraria est, & e directo repugnat veneno pestilenti. Hæc autem magis experientia, quam ratione inuenta fuerunt, & multa variaque sunt, tam simplicia, quam composita: è quibus nos ad præseruationem tantum pauca (3.) eaque selectiora, certiora, & experientia comprobata, in usu habuimus. Inter simplicia (quorum seriem describimus *lib.* 3. *cap.* 5.) imprimis duo commendauimus: Primum erat tabacum, (4.) nempe illius fumus per tubulum seu fistulam ore attractus, & post paucam retentionem inde rursus dimissus, quemadmodum ordinarie à fumiductoribus fumi solet. Illius usum in hac peste, tam in me ipso, quam in plurimis aliis, insigniter profuisse obseruauimus. Alterum erat radix helenij (5.) vel sicca masticata, vel in puluere sumpta, vel potius saccharo condita: quas radices ita conditas plurimis solas ad præseruationem præscripsimus, eaque semper maximi fecimus, utpote quas solas animaduertimus plus profuisse, quam plurima alia medicamenta magno sumptu & labore præparata. Illas autem acriores eligebamus, non tam ad palatum & saporis gratiam, quam ad maiorem utilitatem conditas: nam ad gustum delicatulorum præparatæ, optima earum vis longa macer-

ſatione & coctione ſic extrahitur & diſſipatur, ut tandem vix alium quam ſacchari ſaporem retineant. Harum autem radicum conditarum non unum fruſtulum, ut vulgò ſolent, ſed duo, tria, quatuorve matutino tempore ſumere ſuaſimus. Præter hæc duo primaria ſimplicia, pauperioribus radices angelicæ maſticandas, vel puluerem cardui benedicti, eiuſdemve decoctum aſſumiendum; delicatioribus verò cortices aurantiorum vel citri conditos comedendos, vel aliquot guttulas olei iuniperi cum pauxillo vini bibendas, vel ipſum rob iuniperinum ad nucis moſcatæ quantitatem, edendum dedimus. Pluribus ſimplicibus uſi non ſumus, cum hæc pauca nobis viderentur ſufficere, & utiliora eſſe rel quis. Multi vulgares hoc tempore allium (6.) crudum maſticabant & comedebant, nec non etiam pani affricabant, & edul js incoquebant, idque tanti faciebant, ut eo ſolo ſe optimè præſeruari poſſe crederent: alij urinam (7.) propriam matutino tempore recenter mictam bibebant, non tantum ad præſeruationem, ſed eandem quoque pelle iam correptis exhibebant ad curationem. Verum nos tam alij, quam urinæ uſum, ut inutilem, ſordidum, ac damnoſum, improbauimus. Non pauci etiam aquas vitæ dictas quotidie ad præſeruationem mane ſumebant, in quarum nimio excellu, ſub præſeruationis prætextu inſtituto, ſæpiſſime grauiter peccabatur, atque ea ratione aquæ vitæ multis fiebant aquæ mortis. Compoſita præſeruatiua varia confecimus. Multos cereuiſiam quandam medicatam præſcripſimus, de qua bis terve de die hauſtum bibebant, vel eadem, ſi vellent, pro potu ordinario utebantur, eamque ſummis laudibus ubique extollebant, eo quod non eſſet valde ingrati ſaporis, & ſi quid in corpore lædebat malignitatis, illud ad cutem propelleret: formula (8.) hæc erat:

℞. *Radicum petaſitidis, dictamni, ana unc. j. corticum aurantiorum ſicc. rad. oſtrutij, angelicæ, ana unc. ij. l. herb. abſinthii unc. j. l. centaurii minoris unc. j. cardui ben. unc. iij. conſundantur minutim, & in ſaculo ſetaceo fiat puppa, ſuſpendenda in integro vaſe (menſuræ noſtratis) cereuiſiæ melioris.*

Similiter etiam matutino tempore, præcipue aere frigidiore exiſtente, in vino aſſuetis approbauimus hauſtum vini abſinthitis (9.) communis, noſtratibus familiaris, quod cum puppa ex cardui benedicti, abſinthij & centaurij minoris, ana part. æq. adiectis baccis iuniperi, confecta, & in vino tenui tubiculo ſuſpenſa, parari ſolet. Nonnullis vinum medicatum præſeruans (10.) ſequenti modo præſcripſimus:

℞. *Radic. helenij ſic. unc. j. rad. angelicæ, dictamni, oſtrutii, cortic. aurantiorum, & citri ſicc. ana unc. ß. rad. gentianæ drach. j. herb. cardui ben. unc. ß. centaurii minoris, abſinthii ana drach. ij. ex his conſectis & non nihil conquaſſatis fiat puppa in ſaculo ſetaceo, ſuſpendenda in vini albi tenuis lib. xx.*

Quantum ad alia compoſita, etſi Medici ut plurimum in peſtilenti conſtitutione multis variiſque antidotis utantur, in forma electuariorum, conditorum, puluerum, tabellarum, ſyruporum, &c. (quorum ſæpe multa ad vanam potius ſcientiæ oſtentationem, quam ad aliorum utilitatem commendant) noſtri tamen pauca (11.) ſolummodo in uſu habuimus. Quolibet anni tempore communem uſum mithridatium minus (12.) ſequenti modo compoſitum.

℞. *Folicum ruthæ viridis, ficuum, nucum in. laudium, ana lib. j. Contundantur ſingula ſeorſim fortiter cum piſtillo ligneo, in mortario lapideo: poſtea in eodem mortario bene ſimul miſceantur, addendo ſa. s communis unc. j. & ſyrupi de ſucco limonum q. ſ. ad faciendam electuarii conſiſtentiam.*

Præter

Præter hoc etiam alia, sequentibus fere formulis, præscripsimus:

℞. *Pulueris liberantis scrup. iiij. rad. belenii condit. cort. aurantiorum cond. ana drach. vj. diascordii Fracastorii, drach. iij. olei iuniperi scrup. j. syrupi limonum q. s. misce, fiat conditum.*

℞. *Theriacæ Androm. Mithridatii Democ. ana drach. j. ſ. diascordii Fracast. unc. ſ. cortic. aurantiorum condit. rob ribesiorum rubr. ana drach. vj. olei succini flaui scrup. ſ. syrupi de scordio q. s. misce, fiat electuarium.*

℞. *Pulueris Bezoartici Renodei, drach. j. ſ. florum sulphuris drach. j conserua absinthii drac. iij. radic. belenii condit. unc. j. mithridatii minoris, diascordii Fracastorii, ana unc. ſ. syrupi de succo citri q. s. misce, fiat electuarium.* (13.)

℞. *Conserua acetosæ, rosarum rubr. corticum aurantiorum condit. rob ribesiorum rubr. rob iuniperini, ana unc. ſ. pulueris liberantis drach. j. ſ. syrupi limonum q. s. misce, fiat conditum.*

Pulueres cornu cerui, terræ sigillatæ, croci, alioſque innumeros admiſcere neceſſe non erat, quia in confectione liberante, puluere bezoartico, diascordio, &c. hæc omnia ordine maximè laudabili coniunctim habentur. De his & similibus conditis assumebatur semel aut bis de die frustum magnitudinis nucis molcatæ. Vel etiam una aut altera de his tabellis: (14.)

℞. *Pulueris bezoartici drach. j. liberantis drach. ſ. rad. belenii sicc. angelicæ, petasitidis ana scrup. j. ſ. florum sulphuris ter sublimatorum drach. j. fiat pulus subtiliſſimus, è quo cum sacchari albi, aqua cardui benedicti diſſoluti nuc. iij fiant s. art. tabellæ.*

Hyeme quoque non paucis ſolius theriacæ (15.) Andromachi, vel Mithridatii Democritate verò diascordii Fracastorii paruam particulam manè dedimus. In forma liquida etiam pauciora exhibuimus:

℞. *Aquæ noſtræ theriacalis unc. iij. syrupi limonum unc. j. olei vitrioli vel sulphuris s. rup. ſ. misceantur. Doſis, bis de die cochleare unum aut alterum.* (16.)

℞. *Aquæ noſtræ theriacalis unc. iij succi citri recentis, syrupi de scordio, ana unc. j misceantur.*

Paupertoribus etiam conſuluimus ut quotidie manè unum, duo, vel tria cochlearia aceti vini optimi ac fortis (17.) biberent, vel ſine, vel cum pauxillis granulis salis (18.) supermaſticando fructuum panis: atque illud in hac peſte animaduertimus fuiſſe unum ex optimis præſeruatiuis, dummodo eo non uterentur aſthmatici, tuſſiculoſi, aliive qui aliquod pectoris aut pulmonum vitium habebant. Nonnullis etiam acetum bezoarticum commendauimus, hoc modo confectum.

℞. *Radicum angelicæ, carlinæ, petaſitidis, belenii, dictamni, ana unc. ſ. zedoariæ drach. iij. herbarum. cardui ben. ſcordii, ana drach. vj. centaurii minoris, ruthæ, ana unc. ſ. florum ſtœchados drach. ij. ſem. cardui ben. citri, ana drach. j. bac. iuniperi drach. iij fiat pulvis groſſus, cui effunde aceti fortiſſimi lib. v. vel vj. Stent ſimul in loco radiis ſolaribus expoſito per quatuordecim vel plures dies, poſtea colentur cum forti expreſſione. Eidem aceto, ſi velis, eundem pulverem adhuc ſemel de nouo infundere poteris, tuncque erit multo efficacius.*

Hæc & ſimilia ad ſanorum præſeruationem in hac peſte præſcripſimus, habita ſemper ratione ætatis, temperamenti, ſexus & anni temporis, pro quorum diuerſitate etiam medicamenta variauimus, & modò frigidiora, modo calidiora, modò aſtringentia, &c. modò gratioris, modò minus grati ſaporis, dedimus. Verum hoc tempore inuenimus etia non-

nonnullos adeò nauseabundos & à medicamentis abhorrentes, ut talibus alexipharmacis quotidie uti non possent. His consuluimus ut tantum singulis quinque vel septem diebus semel matutino tempore, assumpta theriaca cum aqua nostra theriacali, aliove sudorifero, in lecto sudores clementer promouerent (19.) & post illos aliquot horis se domi continerent, nec ante prandium se rursus aeri committerent: atque hoc modo nonnulli etiam præseruati fuerunt, licet minus tuto quam alii qui quotidie antidotis utebantur.

I. ACerrimè disputatur inter Medicos, ane detur in rerum natura certum aliquod specificum medicamentum, quod propria specifica qualitate veneno pestilenti ita repugnet, ut, accedente Diuini Numinis fauore, omnium cuiuscunque conditionis hominum corpora aduersus tanti hostis insultus præmunire, atque etiam pestilens venenum, quod corpus tam ingressum est, extinguere vel expellere possit? Multi statuerunt Deum Opt. Max. nullos morbos immittere, quin etiam, secundum immensam suam bonitatem, remedia aduersus eosdem concedat; atque ita quoque plurima insignia aduersus pestem medicamenta à Deo creata & data esse; idque manifestum esse ex Medicorum praxi, qui remediorum ope multos à peste præseruant, & plurimos infectos curant. Huic opinioni quilibet facile suffragium adderet, si, ad illius confirmationem, comitata esset descriptione illius specifici antidoti; aut si unquam scriptum, lectum, vel auditum fuisset, unum saltem mortalium, qui sunt, quique fuerunt, tale specificum pestis alexicacum inuenisse, vel scivisse, vel si illi ipsi dictæ opinionis patroni se tale antidotum scire gloriarentur. Quod cum non possint, cadit eorum causa, & melius fecissent, si cum Cratone, Cunrado Gesnero, Scheunemanno, Rudolpho Goclenio, aliisque multis Medicis, simpliciter dixissent, verum pestis antidotum in manu Dei esse, & cum Francisco Vlmo, pestis quidem exitium certum esse, remedium tamen nullum inueniri quod certò seruare possit; & licet quædam fortasse iuvent, incerta tamen esse omnia. Si quis meam opinionem roget, dicam cum Iulio Palmario, aliquod certum veneni pestilentis antidotum creatum quidem esse, sed illud hactenus in Naturæ sinu occultum latuisse. Causa quod latuerit, duplex est. 1. Quod pestis sit inter pœnas supernaturaliter immissas, quibus hominum peccata singulariter puniuntur, ac propterea non voluit Deus, ut aduersus hanc plagam homines inuenirent specificum illud antidotum, sed ut ad pœnitentiã & unius Dei auxilium reuocarentur, idque specificum ab illo solo peterent. 2. Quod Medici hactenus veram essentiam seu naturam pestilentis veneni non cognouerint: quæ cognitionis ignorantia inde promanauit, quod hactenus omnes suo naturali ingenio morbi supernaturalis essentiã perlerutari & cognoscere voluerint, cuius notitiam ab ipso Deo, vero Medicinæ fonte, petere debuissent; sed maluerint, Gentilium vestigiis insistentes, eorumque sapientiæ ac suæ propriæ humanæ scientiæ nimium confidentes, suo ipsorum ingenio illam inquirere & percipere, quam cum propriæ ignorantiæ confessione ad Deum confugere, & ab illo Diuini morbi naturam & curationem edisserere; ac propterea in sua cœcitate adhuc magis occæcati sunt: nec quempiam etiam maximorum & doctissimorum Philosophorum aut Medicorum hactenus inuenias, qui sibi ipsi, nedum aliis, hac in re satisfacere possit. Hinc factum est, quod Medici, nec certam præseruationem, nec curationem pestis hactenus scierint, sed generalem venenorum cognitionem habentes, in incerto multa variaq; antidota simul miscuerint, (inquet in theriaca aliisque innumeris compositionibus) ea spe, aliquod inter tam multa casu immissum iri quod pestem fugat: hinc quoque factum, ut, ex multis tentatis, interdum aliqua compositio casu inuenta sit, quæ in variis ægris felicem effectum edit; sed quidnam tunc illi compositioni speciatim inlit, quod peculiari vi pestilens venenum extinguit, & quidnam etiam inlit quod illum optatum effectum in omnibus fieri impediat, illud est quod ignoratur. Attamen multa egregia non contemnenda auxilia contra pestem inuenta sunt, quæ in

cet incerta existant, præstat tamen in desperato morbo, cum spe salutis, uti incerto aliquo remedio, cuius felices successus multoties apparuerint, quam nullo, & sic ægrum certæ morti relinquere. Hanc quæstionem etiam latius examinant, Vntzerus, *lib. 2. de pest. cap. 7.* & Sennertus, *in Paralipom. ad lib. 5. de febr.*

II. Alexipharmaca antipestilentialia licet omnino certa non sint, inter mu ta tamen aliqua esse quæ pestilenti malignitati resistunt, docet experientia, etsi quænam illa specialim sint, & qua vi illud faciant, adhuc ignoretur: (hic ridendos censemus eos qui hoc occultum iam manifestum reddere, & per minimas particulas flexiles, obtusas, rotundas, &c. quibus aculeatæ ac pungentes veneni particulæ retunduntur, inuoluuntur, atque implicantur explicare nituntur; dum enim ingenioso figmento aliquid dicere videntur, nihil dicunt quod demonstratione probari possit; nec quæ hominibus velare voluit secreta Deus, acutissimis speculationibus satis patefaciunt, vel unquam patefacere poterunt.) Interim tamen illud compertum est, præter antidota non dari alia medicamenta, quæ maius subsidium aduersus huius intensissimi tyranni impetum promittunt. Hinc etiã Sennertus, *lib. 4. de Febr. cap. 5.* inquit: *Hoc quisque sibi persuasum habeat, post Deum Opt. Max. a nulla re quempiam sibi maiorem immunitatem a peste polliceri posse, quam ab alexipharmacis; ea ipsa nimirum quæ pestilentiam curant, ab ea quoque præseruant.* Non tantum enim occulta quadam proprietate veneni resistunt, verum etiam dispositiones hominum iis utentiũ, occulta vi ita immutant, & aduersus quælibet venena præmuniunt, ut à nulla venenorũ vi affici queant. Exemplo fuit Mithridates, Ponti rex, qui, teste Plinio, *lib. 25. cap. 2.* ob continuum antidotorum usum, ta em dispositionem nactus est, ut tandem à tortissimis venenis offendi non potuerit.

III. Nos in hac peste paucioribus, & experientia maximè probatis, uti fuimus alexipharmacis, flocci facientes multa multorum arrogantium Medicorum inania secreta, & nescio quæ non abstrusa præsidia, quibus, tanquã è deorum concilio prolatis, nimis temere gloriantur ie pectus aculeos delectere & retundere posse; haud secus ac si in manibus eorum esset altissimi Dei iram suis medicamentis sedare & consopire, eamque his quasi fasciis & funibus ita constringere, ut planè impotens reddatur. O superbam vanitatem! ô inanem arrogantiam! Sanè friuolum est in populari morbo, vbique obvio, recurrere ad remedia abstrusa & vix parabilia: stultum est vigente peste totam regionem alere velle carnibus ciconiarum, vel essentiis pretiosorum lapidum, vel auro potabili, aliisque similibus. Cuncta hæc ignaram detegunt arrogantiam, nullam verò solidam sapientiam indicant. Quapropter nos in hac peste irridebamus magnos illos iactatores, inprimis chymicos, nil nisi meras tincturas, essentias, secreta, & nescio quæ non mysteria crepantes, qui splendidissimis promissionibus omnium animos occæcabant, sicque plurimos turpiter seducebant, & non aliorum solummodo, sed etiam suam ipsorum spem plerumque miserè illudebant, quia vix unquam euentus aureis horum Thrasonum promissionibus respondebat: imò vidi quorundam horum gloriatorum vanam ac superbam arrogantiam, non obstantibus validissimis suorum secretorum propugnaculis, à pestilentis veneni leuioribus insultibus facile suppressam fuisse, atque illos qui alios certò seruare promiserant, se ipsos seruare non potuisse.

IV. Iacobus Primerosius, *lib. 4. Error. Medic. cap. 35.* non credit tabacum aduersus venenum pestilens quidquam valere. Sic etiam hodie multos nouimus, haud parui nominis, Medicos, qui in peste tabaci usum valde detestantur, & summopere improbant, propterea quod nullum e tabaco commodum se agnoscere posse dicant, atque proinde alia potius præseruatiua, occultâ qualitate occulto morbo resistentia, danda esse iudicant. Verum non quid hi dicant, sed quibus rationibus eorum sermones innitantur, videndum est. Nihil enim absurdius, quam quod tabacum inculantes, ad proprias ignorantias confugiant; & quia eius vires ipsis incognitæ sunt, inde turpiter concludunt, nullum ex eius usu commodum sequi posse; haud secus ac si herbarum vires ab eorum scientia vel cognitione procederent, eorumque ignorantia eaidem suis viribus spoliaret.

Sed

Sed aliter hanc rem examinare necesse est. Pestem à veneno oriri unanimiter sentiunt omnes Medici, cui veneno magna plerumque & maligna putredo adiungitur. Tabacum autem peculiari specifica qualitate venenis (ut testantur Monardus, Dodonaus, & alij) omnique putredini ac corruptioni resistit, detergit, attenuat, siccat, dolores sedat, & validè discutit: quæ eius facultates oculis conspicuæ sunt, si applicetur antiquis putridis ulceribus, vel carbũculis, vel tumoribus externis, vel partibus scabiosis: eademque etiam manifestè apparent, si ad effectus internos tabacum foris applicetur: nam eius folia capiti imposita cephalgiæ medentur & dolores sedant (nempe discutiendo vapores & humores acres, prauos, superfluos) arthriticos quoque dolores applicata mitigãt, &c. Dictæ autem facultates seu vires ad præseruationem à peste plurimum conducunt, neque propterea, quod occultæ non sunt, pro malis haberi debent; præstat enim cognitis qualitatibus certius huic morbo resistere, quam occultis per incertum fluctuare. Quærat aliquis, anne quoque fumus per tubulum seu fistulam ore attractus, & inde rursus emissus, eadem illa in corporibus nostris operetur? Respondeo, quãtum ad effectus internos, fumum tali modo hausum adhuc melius operari. Primò enim, discutit in cerebro quoscunq; vapores noxios, humor. que excrementitios ac superfluos educit. Secundò, odor & qualitas tabaci, cum parte vaporum, qui cum inspiratione anhelitus os transeuntis necessario pulmonibus & pectori communicatur, impedit ne aliqua in pectore generetur corruptio, nam detergendo, attenuando, & discutiendo, pulmones a saburra & malis vaporibus, excrementitiisq; humoribus liberat, & sanguini per pulmonem ad sinistrum cordis sinum transeunti, qualitatem suam præseruatiuam imprimit. Denique eodem quoque modo operatur in ventriculo aliisque visceribus, quibus hæ tabaci virtutes communicantur per potum qui superbibitur, qui fumos & vapores toti ori inhærentes abluit & deorsum transfert, ut & per saliuam, quæ hoc fumo imbuta identidem deglutitur, atque ad inferiores partes descendit, quas abstergit, & in iisque omnem corruptionem, putredinem, & obstructionem impedit. His iam dictis adhuc duo alia tabaci commoda in pestilenti constitutione accedunt. Primum, quod illi qui tabacum sumpserunt, ob adhærentem continuum eius odorem, vix ullos alios noxios fœtores percipere possint, à quibus alioqui homines valde exterreri solent. Alterum, quod odor cum qualitate tabaci ori inhærens, in transitu ita corrigat aerem inspiratum, ut interiora viscera nullo damno afficere queat. Prædictas rationes confirmat experientia, quæ in nostra aliisque pestibus satis docuit, plurimos solius tabaci usu à maligna labe fuisse præseruatos; imò nonnullos pestem quæ iam inuaserat, in ipso principio solius tabaci usu fugasse: (huius exemplum videatur *lib.* 4. *Histor.* 17.) Ita ut ratione & experientia concludendum sit, tabaci fumum, hodierno modo per fistulam haustum, ad præseruationem a peste optimum esse alexicacum. Dico, *fumum*, nam tabacum in substantia, decoctione, vel infusione sumptum, non est æque conueniens, cùm, tali modo datum, corpus nimium conturbet; quamvis etiam illo modo pestem intra paucas horas sanatam viderim, cuius exemplum videatur *lib.* 4. *Histor.* 40. Verum circa huius fumi usum quatuor notanda occurrunt. 1. Quod non alio quam optimo tabaco sit utendum, ex foliis satis maturis & minimè putridis contortum. 2. Quod illi qui nimis siccos habent pulmones, eundem ferre nequeant, cum eosdem adhuc magis exsiccet. 3. Quod tabaco utentibus abstinendum sit ab aquis vitæ & spiritu vini, nam hæc simul non conueniunt, sed viscera debilitant, & imprimis pulmones nimia exsiccatione lædunt, atque sic aliquos, his simul uti consuetos, asthmate (ita Henricus Zasio & Ioannes ab Heruelt euenit, quibus pulmones post mortem adeo exsiccati inuenti sunt, ut amplius aperiri nequeuntes, suos possessores suffocauerint) aliquos phthisi, (sic Isaacus a Langeuelt, post venam in pulmone ruptam, ulcus, phthisis, ac denique mors successit) hac sola de causa interemptos vidimus. 4. Quod in usu huius fumi unusquisque se ipsum nosse, atque etiam modum seruare debeat: nam qui à tabaco facilius afficiuntur, seu alterantur, eo parcius uti debent: qui non facilè afficiuntur, us liberaliori eiusdem usus cõcedi potest: utrique

que

que tamen mediocritatis limites excedere nefas esto: quos limites quisque suo naturæ modulo metiri oportet.

V. Radicũ helenii qualitates duplices sunt, occultæ & manifestæ. Ratione illarum, alexipharmacam vim habent, &, secundum Dioscoridem, Plinium, Dodonæun, alioſque, omni veneno contrariæ sunt, ac venenatorum morsus sanant, imò & pesti quoque fortiter resistunt, ut testantur Crato, Augenius, Svvenckfeldius, Hollerius, Iacobus Horstius, Gabelchoverus, Ioannes Vochs, Eustachius Rudius, & plures alii. Ratione harum, calefaciunt, putredines tollunt, calque fieri impediunt, vermes, aliaque è putredine genita animantia è corpore expellunt, urinas mouent, coctiones augent, crassos humores incidunt & attenuant, pectus expurgant. Ita ut non sine ratione primariis antidotis annumerari debeant. Memini doctissimum, & in praxi Medica versatissimum virum D. Schreuelium in Academia Lugduno Batava Medicinæ Professorem primarium, nobis quondam narrasse, se in magna illa peste, quæ anno 1624 Hagam-Comitis afflixit, helenii radicibus conditis tam in se ipso, quam in aliis, omnium maximè ad præseruationem usum fuisse, atque ex illarum usu se plus commodi percepisse, quam ex aliis antidotis omnibus. Loco helenii, Droëtus, *de peste, cap. 9.* comedendam exhibet radicem petasitidis derasam, & per noctem in vino albo, vel vino absinthite macerata. Hollerius succum thapsi barbati cum vino expressum magni facit.

VI. Multi existimant tempore pestis utilem esse allii usum, eo quod Galenus, 12. *Method.* allium vocauerit theriacam rusticorũ; & Dioscorides dixerit, illud contra viperarum & rabiosorum animalium morsus valere. Sed longè falluntur, quandoquidem id corporibus, imprimis biliosis, valde noxium existit, nam malos & putidos succos generat, cerebrum grauat, somnolentiam inducit, & alluuios humores facit; ac proinde licet fortissimis quibusdam rusticis, grauibus laboribus assuetis, ciborum crudiorum & durorum concoctionem promouendo, conducat, aliis tamen, nec tantis laboribus, nec tam rudi dietæ assuetis, minimè conuenit, sed in iis noxios succos generat. Hinc etiam Galenus, *lib. 1. de differ. febr. cap. 3.* allium & cæpas inter cibos praui succi numerat. Sic quoque Aëtius dicit, allium habere quippiam virosum & mali succi. Cum his etiam consentiunt Simeon Sethi, & Dodonæus, docentes allium nullum dare corpori nutrimentum, sed malum, æstuosum, & acrem succum seu sanguinem generare, ac proinde damnosum esse, inprimis biliosis & calidioribus naturis. Propterea Oribasius à continuo allii usu abstinere præcipit: & Valescus de Taranta, *lib. Philon. pharmac. cap. 16*, dicit tempore pestis abstinendum esse ab alliis, porris, eruca, & pipere: *Nec audiendi sunt* (inquit) *alia commendantes, quoniam fumos generant, supercalefaciunt, ebullitionem augent, & sanguinem adurunt, unde mortiferi generantur abscessus.* Quam noxios & putridos succos generet allium, docuit Arnulphi Imperatoris mors, quem Crantzius, *lib. 3. Histor. Saxon. cap. 3.* narrat, ex allii frequentiore usu in tantam incidisse vermiũ multitudinem, ut nulla ope medica seruari potuerit. Quam noxius etiam sit ipsius allii odor, liquet ex eo quod Bruyerinus, *lib. 9. de Re Cibar. cap. 12.* referat, Iacobum Foroliuiensem Medicum, ab allii odore, tanquam à re pestilenti, lædi consueuisse. Ex eo etiam quod epilepticis ab eodem odore paroxismus epilepticus inducatur. Atque his de causis etiam plane reijciendum est consilium Platteri, qui, *lib. 3.* ad curationem pestis exhibet ℥ij decocti allii in hydromelite arati, quod potenter sudores & urinas eliciere dicit. Sed utinam etiam ingentem ardorem, capitis grauitatem, soporem, bilis exæstuationem, & cordis anxietatem maiorem, non induceret.

VII. Dioscorides, Auicenna, Rhazes, Crollius, aliique, scribunt urinam humanam præsentaneum antidotum esse contra plurima venena, viperarum morsibus auxiliari, & canis rabioli morsum, virulentorumque animalium punctiuras, coërcere ac retundere. Hinc multi concluserunt, eandem, si bibatur, plurimum valere aduersus venenum pestilens. Sed non video, neque percipio, quam, vel qualem alexipharmacam seu præseruatiuam qualitatem ex urina quispiam explicari possit. Nam etsi aliquantum abstergat, sola tamen abstersio non

sufficit ad præseruationem. Etsi aduersus morsus animalium venenatorum, & venena extrinsecus aduenientia, foris tuto adhiberi possit, (quod videtur inprimis voluisse antedicti Medici) tamen bibita, aliove modo intus assumpta, nobis non modò non prodesse, sed multum potius nocere posse videtur; propterea quod Natura per urinarias vias sæpe noxios & corruptos humores urinis permistos expellat, ac proinde qui illas bibunt, easdem corruptiones, cũ manifestissima noxa, sibi ipsius rursus ingerunt & infundunt. Attamen certum est illud remedii genus non esse planè novum, verum etiam à Galeno, 10. *simpl. med. fac. cap.* 15. propositum, sed tamen minimè laudatum; scribit enim, abominandum esse urinam degustare; interim tamen, cùm Syria peste affligeretur, multos, qui urinam puerorum simul & virorum hausissent, se hinc seruatos credidisse. Henricus Rantzouius, *lib. de tuenda sanitate*, pueri impuberis, vel propriam urinam epotam maximi facit: cum quo consentiunt Follinus, *lib.* 2. *amulet. cap.* 9. Georgius Magirus, *in libello Germanico de Peste*. Marsilius Ficinus, Philippus Ingarsius, Hollerius, & Massarius. Sed quid opus sordido hoc atque suspecto remedio uti, cum aliorum longè præstantiorum, certiorum, & gratiorum copia nobis abunde concessa sit? Franciscus Ioel, *tom.* 5. *lib.* 1. *sect.* 3. loco urinæ, admodum extollit urinæ sal, ex urina hominis sani coctione separatum, sed quia per coctionem omnes urinæ impuritates una cum serositate exhalare vix credibile est, propterea etiam hoc ipsum sal nobis manet suspectum remedium.

VIII. Maximè proficuus fuit istius cereuisiæ medicatæ usus. Vidimus hoc tempore multos, quibus, cum per aliquot dies illa cereuisia usi fuissent, pustulæ, alijs pauciores, alijs plures, alijs infinita copia in cute per totum corpus eruperunt; quibus sanatis, postea optimè valuerunt, neque plures pustulæ amplius eruperunt, quamvis eiusdem cereuisiæ usum continuarent. Imò vidimus aliquos in quibus (adiuvante forte maligna aeris constitutione) variolas produxit. Medici Antverpienses, *in consil. pestis anni* 1624. cereuisiam medicatam hac formula præscribebant:

Rec. *Corticum aurantiorum sicc. lib.* ſ.
herb. cardui bened.
scabiosæ,
scordij, ana M. j.
absinthij M. ſ.
minutim conscissa indantur sacculo, suspendendo in vase cereuisiæ melioris notæ.

IX. Vinum absinthite, cum eruditates absumat, superfluos & biliosos humores absergat, coctiones adiuvet, obstructiones tollat, urinas moueat, & putredini resistat, ad præseruationem non parum conuenit. Imò præter alexipharmacam vini vim, ipsum quoque absinthium aduersus venenum pestilens magnopere valere, scribunt, Tabernamontanus, Iomnes Vochs de Colonia, Keglerus, Sibyllenus, Bartholomæus Hubnerus, & alij. Sed moderatus illius vini debet esse usus; nam obseruauimus nonnullos, qui illud aliquamdiu copiosius biberant, appetitum omnino prostrauisse, & viribus tandem detectis adeo debiles euasisse, ut non sine difficultate ad pristinum statum reduci potuerint, cuius rei causam alibi describemus.

X. Mindererus, *de pest. cap.* 20. scribit se tali vino medicato usum fuisse, pro suo ipsius primario præseruatiuo remedio:

Rec. *Absinthij vulgaris*, M. j. ſ.
scordij,
cardui bened. ana M. j.
dictamni Cretici, M. ſ.
cortic. citri, unc ſ.
rad. pimpenellæ, unc. j. ſ.
incidantur grosso modo, & in syndone fiat pupa, in vino suspendenda, de quo bibatur hausius post sumptum ientaculum.

Medici Dordraceni in peste anni 1636 præscripserunt, in suo Consilio publico, hoc vinum medicatum præseruans:

Rec. *Summitatum absinthij*, M. iiij.
fol. scordij, M. ij.
rad. enulæ campanæ, unc. iiij.
corticum ℔ ſ
seminum citri, ana unc. j.
sem. carui unc. j. ſ.
injiciantur in vasculum continens vini albi lib. xxx *vel* xxxv.

Collegium Medicum Vltraiectinum, in peste anni

anni 1655, in Consilio publico præscripsit hoc vinum medicatum præseruans:

Rec. *Radic. angelicæ,*
belenij,
petasitidis,
zeduariæ, ana unc. ſ.
foli cardui bened.
abſinthij,
meliſſæ,
ruthæ,
ſcordij, ana drach. ij.
granorum iuniperi, unc. j.
corticum citri unc. ſ.
fiat ſacculus, ſuſpendendus in vini albi lib. xij.

XI. Myrrha in ore retenta & paulatim deglutita, valde laudabilis existimatur ad præseruationem; cuius tamen usus, ob ingratitudinem, delicatulis, pueris, mulieribus, aliisque, qui palatum magis quam sanitatem curant, displicet. Fallopius, *de bubon. peſt. cap.* 13. refert illos qui tunc temporis interuiebant peste correptis, nulla alia re præseruasse sua corpora, quam usu zingiberis & zedoariæ, ea ore masticando; manè masticabant zingiber, postea bibebant vinum maluaticum, & tota die habebant zedoariam in ore mandendo. Droëtus, *Consil. de peste cap.* 10. refert nonnullos huiusmodi homines se nulla alia re defendisse à peste, quam nuce iuglande, quam ad ignem parum adurebant priusquam comederent. Ioannes Schenckius, *lib.* 9. *Obseruat. Medic.* refert ex Antonio Maria Parolino, Medico Ferrariensi, duo remedia, quibus venefici quidam nebulones, qui contagio alios inficiebant, se præmuniebant, ne venefícia illis ipsis nocerent, Vnũ fuit hoc electuarium:

Rec. *Imperatoriæ,*
carlinæ,
gentianæ,
dictamni albi,
dictamni Cretici,
baccarum lauri, ana part. æq.
omnia ſubtiliter pulueriſata miſceantur cum
Melle deſpumati q. ſ.
fiat electuarium.

Alterum fuit hoc unguentum;

Rec. *Olei terebinthinæ,*
petrolei,
de iaſmino,
lauri,
pinguedinis taxi, ana unc. v.
ceræ nouæ,
olei commun. ana unc. iij.
bulliant per horæ quadrantem, poſtea adiungantur,
abſinthij,
chamedryos,
ſaluiæ,
ruthæ,
anethi, ana M. j.
coquantur in B. & fiat unguentum, quo inungantur tempora, arteriæ manuum, & cordis regio.

Alexis Pedemontanus scribit hunc puluerem in maxima quadam Angliæ peste, ab omnibus Medicis probatum esse, & omnes qui de eo quotidie manè aliquantum sumebant, præseruatos fuisse:

Rec. *Aloes hepaticæ,*
cinnamomi electi,
myrrhæ electæ, ana drach. iij.
gariophyllorum,
macis,
ligni aloes,
maſtiches, boli Armenæ, ana unc. ſ.
pulueriſentur ſubtiliſſime.

Dodonæus, *lib.* 1. *Prax. cap.* 18. hunc puluerem ſummopere commendat:

Rec. *Radicum tormentillæ,*
carlinæ,
zeduariæ,
angelicæ, ana unc. ſ.
herb. ſcordij, drach. iij.
baccarum lauri,
iuniperi, ana drach. ij.
cinnamomi,
macis,
croci,
ſem. acetoſæ. ana drach. j
fiat pulvis, cui per minimas guttas inſtillandum aliquid aceti, atque ita ad uſum ſeruandus eſt.

Vntzerus scribit hunc puluerem annis 1607, & 1610, in grauissimis pestibus valde salutarem compertum fuisse;

Rec. *Florum sulphuris ter sublimatorum*, *drach.* ij. ſ.
cornu cerui præparati drach. j. ſ.
boli Armenæ præparatæ,
terræ Lemniæ veræ, *ana ſcrup.* ij.
myrrhæ electæ, *drach.* j.
croci, *ſcrup.* j.
ſaccharo fini, *ad lubitum*,
fiat pulvis, *doſis* 2. *aut* 3. *cuſpides cultri manè ieiuno ſtomacho*.

Gregorius Horſtius, *Conſil. de peſte anni* 1611, hunc ſuum puluerem extollit.

Rec. *Radic. dictamni*,
pimpinellæ,
angelicæ,
tormentillæ, *ana unc.* j.
zedoariæ:
corticum citri,
cornu cerui uſti præparati, *ana dra.* vj.
ſem. ruthæ.
cardui benedicti ana drach. ij.
myrrhæ, *unc.* ſ.
terræ ſigillatæ, *unc.* j.
ſalis abſinthij, *drach.* iij.
miſce, fiat pulvis benoarticus. Doſis à ſcrup. ij. *ad ſcrup.* iiij.

Cornelius Gemma, *de curat. bubon. peſt.* ſcribit hanc compoſitionem pro ſummo ſecreto à rege Hiſpaniæ haberi.

Rec. *myrrhæ ſelectæ*
maſtiches,
bolis arm.
terræ ſigill.
ligni aloes,
gariophyllorum,
macis,
croci, *ana part. aq. fiat pulvis*;
Doſis quotidie manè drach ſ.
vel quantum vis.

Crato hunc puluerem hoc modo immutat.

Rec. *myrrhæ*,
ligni aloes,
terræ ſigillatæ,
bolis arm. ana unc ſ.
macis, *bene præparati*,
croci, *ana drach.* ij.
fiat pulvis.

XII. Pompeius deuicto magno rege Mithridate, dicitur in ſanctuarijs eius inueniſſe hoc electuarium, propria Mithridatis manu deſcriptum, quod ille Rex confecerat ex duabus nucibus ſiccis, ficubus totidem, & ruthæ foliis viginti. ſimul tritis, addito ſalis grano: qui hoc ieiunus ſumeret, nullum venenum ei nociturum illa die, nec peſtem incurrere poſſe. Hoc medicamentum Sirenus, Medicus Poeta, his verſibus cecinit:

Bis denum ruthæ folium, ſalis & breue granum,
Inglandeſque duas, totidem cum corpore ficus.
Hæc oriente die, pauco conſperſa Lyæo,
Sumebat, metuens dederat quæ pocula mater.

Nos, ut in meliorem formam compoſitio redigeretur, Foreſtum imitati, potius ſingula ſeorſim contudimus, ac poſtea miſcuimus cum ſyrupi limonum, quantitate ſufficiente. Nonnulli Medici huic compoſito adhuc varia alia miſcent, ut bolum Armenam, crocum, myrrham, cornu cerui, galangam, dictamnum, baccas lauri, &c. atque ita quaſi paruam theriacam componunt. Sic D. Stapedius olim pro ſua familia hoc compoſitum præparabat:

Rec. *Granorum iuniperi*, *unc.* vj.
caricarum pinguium, xii.
nucleorum nucum inglandium, *unc.* xiiij.
conſerua boraginis,
bugloſſæ, *ana unc.* iiij.
theriacæ veteris,
Mithridatij, *ana unc.* ij.
radic. tormentillæ,
gentianæ,
pimpinellæ,
angelicæ:
zedoariæ. *ana unc.* j.
ſyrupi limonum q. ſ.
miſce, fiat electuarium.

Vnzerus aliud electuarium dianucum, hoc modo componit:

Rec. *nucum inglandi excort* n. vj.
ficus pingues, n. iv.
ſol. ruthæ drach j ſ. *ſcordij drach.* ij.
rad. angelicæ,
tormentillæ, *ana ſcrup.* ij.
dictamni,
zedoariæ. *ana drach* j
theriacæ Androm. drach. ij
myrrhæ, *ſcrup* ſ.
conſerua roſarum, *aut acetoſæ unc.* j
ſalis abſynthij drach j.
Ex hiſce contuſis & optimo mixtis, cum ſyrupi cardui ben. qs. fiat ſ. *ars. electuarium. doſis ad magnitudinem inglandis*.

Arnoldus Veickardus aliud hoc modo deſcribit:

Rec.

Rec. nucleorum nucum ingland.
excortic. unc. iiij
caricarum ping. n xx.
rad. tormentilla, pimpinella,
zedoaria, angelica, ana drach. iij
gentiane, drach. ij.
bac lauri excort. unc. ſ.
iuniperi drach. ij
cort citri, galanga, macis in
aceto preparat. ana drach. j ſ.
ſummitat. abſinthij, ruthæ,
cardui ben. ana M j.
cornu cerui uſti, boli arm.
terra ſigillata, una drach. ij.
myrrhæ elect drach j
croci ſcrup. ij, conſerua florum
boraginis, violarum, roſarum, ana unc. j.
mellis vel ſacchari
clarificati lib. iiij. fiat ſ. art.
electuarium. doſis magnitudo
caſtanea, vel auellana.

Iacobus Syluius, *lib. de peſte*, aliud longe ſimplicius ex nucibus deſcribit; quippe dicit omnes monſpeſſulanos opiatam conficere ex ficu integra per medium ſecta, dimidia nuce veteri in mediam ficum impoſita, & quinque aut ſex foliis ruthæ: idque eos totum tempore peſtilenti ſingulis matutinis deuorare, alios quidem crudum, alios uſtulatum ex cuſpide cultelli ſuper ignitos carbones.

Franciſcus Ioël, *tom. 5. lib. 1. ſect. 3.* hoc electuarium ſic componit:

Rec. ficuum ping. unc. iij, nucleor. ingland
à pelliculis purgat unc. ij, ruthæ viridis unc. j
ſcordij, cardui bened. ana unc. ij, aceti
paruiſſimi, fiat ſ. art. electuarium.

XIII. Ioannes Crato his duobus electuariis ſe bis in peſtilentia præſeruatum fuiſſe refert, alternis diebus ad magnitudinem caſtaneæ de iis ſumendo:

Rec. ſuccι cydoniorum, unc. iij.
conſerua boraginis,
roſarum, ana. unc. ij. ſ.
mithridatij opt. unc ſ.
margaritarum diſſolut. drach. j.
hyacinthorum,
ſpecur. electr. de gemmis,
liberantium,
coralli diſſoluti, ana ſcrup. iiij.
extracti cardui benedicti,
Veronicæ,
ſcabioſæ,
ſcordij, ana drach. ij.
miſceantur, & fiat electuarium:
Æſtate dicit ſe plus conſerua roſarum & ſuccι
cydoniorum, & interdum aliquid conſerua
nymphæa adiciſſe.

Alterum electuarium tale eſt:

Rec. Macerꝛ unc. j. macerentur horis 24. in aceto vi-
ni fortiſſimi, vel ſucco limonum, deinde ſiccetur,
& minutim incidatur, ad deinde, theriacæ opt. unc. ſ.
conſerua boraginis, unc. ij.
corticum citri condit. unc. j.
ſem. citri excortic.
cardui bened. ana drach. j. ſ.
ſpecierum liberantium, drach. j.
xyloaloes, drach. ſ.
miſce, fiat electuarium.

Foreſtus hoc ſequens electuarium laudat:

Rec. Conſerua fol. acetoſæ, unc. iiij.
ſuccι acetoſæ condenſati, unc. ſ.
ſuccι ruthæ condenſati, drach. j.
pulueris ſcordij, drach. ſ.
theriacæ, drach. ij.
ſem. citri mundat. drach. iij.
ſyrupi de limonibus q. ſ.
fiat electuarium.
Doſis drach. ij. vel drach. iij.

Idem ſcribit, ſe ipſum hoc ſequente electuario uti ſolere, manè ieiuno ſtomacho:

Rec. Confectionis Mithridaticæ de nucibus, unc. ij.
theriacæ antiquæ,
Mithridatij Democ. ana. drach. ij.
boli Armenæ veræ,
terræ ſigillatæ, ana ſcrup. j. ſ.
ſyrupi de limonibus q. ſ.
fiat electuarium.

Vntzerus hoc ſæpius expertum dicit:

Rec theriacæ antiquæ,
conſerua roſarum, ana unc. j
mithridatij, unc. ſ.
elect. de ouo, drach. ij.
flor ſulphuris. drach. j
camphoræ drach ſ.
rad. zedoariæ,
angelicæ,
gentianæ, ana drach. ſ.
pimpinellæ,
dictamni,
tormentillæ, ana ſcrup. j
ſol. ruthæ,
ſcordij, ana ſcrup. j. ſ.
myrrhæ, ſcrup. j
croci gr xij.
oſſis de corde cerui,
cinnamomi, ana drach. j
coralli rubr. præp.

Succini,

succini,
boli arm. ana scrup. ij
specier. diamargariti frig.
diatrium santalorum,
ana drach. ß.
syr. de acetositate citri q. ſ.
misce, fiat electuarium.

XIV. Crato has tabellas Maximiliano Secundo, Imperatori, olim præscripsit, quæ gratæ sunt, & omni sexui, ætati, & tempori familiares esse possunt:

Rec. Bol Arm. in aqua scabiosæ lota, unc. ß.
margaritarum præparatarum,
coralli præparat. ana scrup. iij.
sem. cardui bened.
citri excortic. ana drach. ß.
hyacinthi præparati, scrup. ij.
smaragdi præparati,
specierum liberantium,
terræ sigillatæ,
cornu cervi præparati, ana drach. ij.
foliorum auri, n. xv.
ambræ, gr. vj.
saccharj, lib. ß.
dissolue in ß. q. aquæ rosarum & cinnamomi, additis paucis conserua rosarum, fiat confectio in tabulis. Dosis drach. ij. vel unc. ß. superbibendo haustum vini.

Minus operosum erit hoc.

Rec. flauedinis cort. aurantior.
rad. angelicæ,
belenij, ana scrup ij ß.
specierum liberantium drach. j.
Zedoariæ,
cinnamomi,
macis,
boli arm.
sem. citri, ana drach. ß.
croci scrup. ß.
fiat pulvis, e quo cum
saccharo in aqua cardui soluti unc. ij. ß.
fiant ß. art. tabellæ.

Alij cum extractis huiusmodi tabellas componunt:

Rec. Extracti angelicæ,
rad. belenij, ana scrup. j. ß.
Zedoariæ, scrup j.
olei corticum citri, gut. viij.
cinnamomi, gut. ij.
florum sulphuris scrup. ij.
croci opt. gr. vij.
saccharj albi, aquæ rosarum dissoluti, q. ſ.
fiant ß. art. tabellæ.

XV. Paræus in præseruatione theriacam & mithridatium cæteris cardiacis omnibus præponit, sumendo calidis tempestatibus ad theriacæ unc. ß. conseruæ rosarum, vel bugloſſæ, vel violarum unc. j. ß. boli Armenæ, drach. iij. misceantur. Alii admodum extollunt hoc antidotum, quod in Sudore Anglico plurimos præseruasse dicitur:

Rec. Menthæ crispæ,
absinthij,
chelidonia maioris,
rutæ,
omnium recentium, ana M. j.
ex his exprimatur succus: cui adde,
radic. gentianæ,
angelicæ,
tormentillæ,
belenij, leuiter contusorum,
ana unc. ß.
vini albi lib ß.
digerantur in vitro bene clauso horis 24.
postea admisceatur
spiritus vini l. b. ß.
& fiant simul per tres quatuorve dies, postea simul exprimantur, eaque expressio in vitro clauso seruetur. Dosis ad præseruationem cochlearia duo, singulis matutinis: ad curationem cochlearia tria, cum prouocatione sudoris.

XVI. Ioannes Hartmannus, in Praxi Chymiatrica, tanquam singulare præseruativum commendat hoc sequens:

Rec. spiritus salis dulcorati q. v.
saccharj candi albi pulverisati q. ſ.
saccharum imbibatur cum prædicto spiritu ad formam electuarij, cuius dosis omni mane drach. ß.

Hoc omnem putredinem arcet, & viscera in optima conseruat constitutione. Dulcificatur spiritus salis hoc modo: Spiritus salis cum spiritus vini æquali parte misceatur, & simul ter quaterve distillantur, atque ita uniuntur inseparabiliter, & dulcescunt.

XVII. Acetum maximæ virtutis est aduersus plurima venena, idemque etiam omnes Medici iam à multis seculis experientia comperti sunt fortiter resistere pestilenti malignitati, nec quempiam fere Practicum inuenias, qui eius alexipharmacam vim non cognoscat, & aceti usum, tam in præseruatione, quam in curatione pestis, summis laudibus non extollat. Rhazes, lib. de pest. cap. 5. nec non 4. de Re Medica, cap. 25. acetum tanti facit, ut illud omnibus cibis

cibis & potibus, multisque medicamentis admiscere, eodemque etiam domus conspergere, & aërem corrigere iusserit. Nos in hac peste vidimus multos pauperes, qui quotidie manè aceti vini cochleare unum aut alterum bibebant, melius fuisse præseruatos, quam multos alios qui pretiosissimis antidotis utebantur. Vt aceti alexipharmaca vis augeatur & potentior fiat, Medici varia simplicia, antidotali vi prædita, in illo quandoque macerare solent, quod tunc appellant *acetum bezoarticum seu theriacale*, cuius variæ extant compositiones apud Medicos, & fere quilibet illud componit suo modo: nos nostram compositionem, quam in hac peste admodum efficacem esse usu comperti sumus, in textu describimus. Sennertus, *lib. 4. de feb. cap. 5.* duas treve alias aceti bezoartici formulas proponit. Vnzerus hoc acetum bezoarticum extollit:

Rec. *Rad. petasitidis*,
beleny,
pimpinellæ,
angelicæ, ana drach. vj.
baccarum iuniperi, unc. j. f. corticum citri sicc. unc. j. cymarum rutbæ. dr. v.
herb. scordij.
valerianæ.
scabiosæ,
cardui bened ana M. j.
flor. rosarum,
calendulæ,
anthos, ana p. j.
camphoræ, scrup. ij. croci, drach. j. incisa & contusa infundantur in aceti gariophyl. bortensis, lib. iij.
Vas bene clausum quotidie agitur.
Dosis duo vel tria cochlearia.

Notandum tamen ab aceti usu arcendos esse tussiculosos, asthmaticos, calculosos aliisve pectoris, renum, aut vesicæ morbis infestatos. De aceti viribus videantur quædam suprà, *hujus libri cap. 5. annot. 7. & lib. 3. cap. 5. annot. 18. & 19.* Has præstantissimas aceti, aliorumque multorum acidorum (ut olei vitrioli, sulphuris, aluminis, succi citri, &c.) vires tam ad præseruationem, quam ad curationem in peste, hactenus sola docuit experientia. Verum hoc nostro seculo, quo quælibet abstrusa eruuntur, etiam huius rei causa aliqua perceptibilis inueniri cepta est. Soient acida modice sanguini admista laudabilem eius consistentiam in iusta mediocritate conseruare, & prohibere quo minus a tali volatili (quod tempore pestis admodum acre & copiosissimum aëri immiscetur) cum aëre identidem per inspirationem introducto, nimis tenuis fluidusque fiat; quæ eius vitia in pestiferis causa sunt, quod, præter alia grauissima symptomata, nonnunquam pernitiosæ hæmorrhagiæ contingant, quæ rarò nisi pessimum, & ægros plerumque ad exitium deducunt. Eum in finem, ut scilicet sanguinis consistentia in iusta mediocritate conseruetur, etiã in nostro corpore acidi humores generantur, tam in liene, quam in pancreate, qui suauiter coagulando aliqualem crassitiem in sanguine conseruant, eumque refrigeratum nonnihil coagulari faciunt. Verum si illi subacidi humores peccent in quantitate, aut qualicunque prava qualitate, tunc sanguinem aut nimis multum, aut nimis parum coagulando, a iusta consistentia deiciunt, variorumque morborum causæ fiunt. Hæc vera esse docuerunt ingeniosa quædam hodiernorum Medicorum experimenta. Quippe si sal volatile sanguini admisceatur, sanguis fluidus permanet, & refrigeratus non coagulatur: si verò acetum, vel aliud aliquod acidum affundatur, mox coagulatur; & quo magis excellit acidi adiecti aciditas, tanto maior fit coagulatio. Præterea, acida, præter coagulandi vim, etiam effervescentiam aliquam in sanguine & humoribus excitant, qua ferosi attenuati humores, una cum salinis volatilibus particulis, sudoris forma per poros foras propelluntur. Sic fit quod in peste, ista qua salsæ istæ volatiles particulæ valde acres & malignæ sunt, multum diffluant, & sanguis ab istius noxii salis volatilis admixtione multum liberatus, rursus nonnihil incrassetur, & ad pristinam constitutionem redeat. Quemadmodum acida intus assumpta, ita etiam foris naribus admota & odorata sanguinem aliquo modo leuiter coagulando in iusta consistentia conseruant, atque etiam salis acris volatilis cũ aëre inspirati volatilitatem compescunt. Alexander Massarius, *lib. de pest. 2.* scribit in crudelissima peste sui temporis, loco aceti, multos

sos mirum in modum celebrasse acetosam, atque illius maxime succum expressum, siue per se, siue cum aliis medicamentis sumptum, ita ut in maxima illa peste huic uni medicamento salutem referrent acceptam Gordonius, *de febr. partic.* 1. c. 10. omnia acida, idque non sine ratione, laudat, cum infignis aciditas, cuicunque subiecto insit, in præseruatione & curatione pestis admodum excellens sit: *Omnia acetosa*, inquit, *competunt, sicut est lac acetosum, herba acetosa, & mala granata acida, & succus uuæ acerbæ, & acetositas citri & limonum, & citranguli, & acetum.*

XVIII. Salem esse antidotum præstantissimum tam ad præseruationem, quam ad curationem, scribit Augenius, *lib. 9 Epist.* cum quo consentit Ioubertus, *Tract. de peste, c.* 13. Refert Ioannes VVittichius, *in Halilog.* incolas Miletæ insulæ quotidie ad præseruationem à peste parum salis usurpare solere, dicentes hoc esse efficacissimum remedium remouendi à se pestiferum contagium. Fideiustus Reineccrus, *lib. 6. thes. Chym.* asserit, sal commune in aqua haustum, præseruare à lue pestifera. Brudus Lusitanus, *lib. 3. de vicl. rat. in febr. c.* 19, & 20, pluribus docet, sal esse efficacissimum præseruativum ac curativum in peste, & refert chirurgum quendam in Anglia solitum esse piscibus salitis laborantes feliciter nutrire. Vincentius, *in Spect. Alch. cap.* 18. sale tritu cum aceto utitur. Sic etiam in nostra peste multi eorum qui aceto utebantur, pauca grana salis ei injiciebant. Chymici spiritum salis in frequenti habent usu, eiusque aliquot guttas cum haustu alicuius liquoris exhibent matutino tempore: vel illum dulcificatum cum saccharo miscent, ut dictum præcedente annotatione 16.

XIX. Paracelsus, *lib. de Peste ad Sterzingenses, c.* 2. inquit: *Præseruatiuum optimum & compendiosissimum est, senis singulis diebus potionis nostræ, drach. j. cum vino, aut similibus, calide bibere, & in lecto strenuè sudare. Hæc potio præseruat sex diebus.* Huius potionis descriptionem vide *lib. 3. c. 5. annot.* 18. Verum cum sudoritera semel in septimana assumpta, noxia quidem inquinamenta forte in corpus recepta, foras expellant, sed intermediis diebus corpus non satis defendant, minus tutò nobis præseruari videntur illi qui his utuntur, quam alii qui quotidie antidota sumunt: nam unico & singulis momentis aliquod fortius pestilens venenum corpus subire, pestem inferre, & hominem occidere potest. Propterea in hac peste, tanquam utilius commendauimus, antidotis potius quotidianis corpora aduersus huius tyranni insultus præmunire, quam latentes eius exploratores cartus per sudoritera expellere.

CAPVT XI.

DE ANTIDOTIS EXTERNIS.

MEdicamenta externa quibus corpora aduersus venenum pestilens præmuniuntur, duplicia sunt. Alia quæ foris appensa sola occulta qualitate prodesse creduntur, & Medicis *Amuleta* vocantur: alia quæ occulta quidem qualitate veneno pestilenti resistunt, sed simul etiam manifesta qualitate cortoborant principalia viscera, aerem corpus ingredientem emendant ac purificant, putredines arcent, omnesque corruptiones impediunt. *Priora* sunt vel venenata seu venena per se, vel non venenata. Nos venenata (1.) tanquam summè noxia, plane reiecimus. Non venenata vel sunt superstitiosa & fictitia, (2.) vel naturalia. Illa, tanquam deliramenta & meras fallacias, non minus quam venenata amuleta, in totum repudiauimus: neque hæc (3.) quoque magni fecimus, quia succinum, ebur, & similia gestata, parum aut nihil profuisse animaduertimus: & quæ forsan prodesse poterant, eorum nobis deerat copia, qualia sunt lapis hyacinthus, (4.) smaragdus, &c. *Posteriora*, multa variaque sunt: nos tamen è paucioribus tantum usi sumus, quibus

quibus cor & cerebrum roborari, & aëris circumstantis ac corpora subeuntis impuritates corrigi possent. Æstate & calidis temporibus, multis corticem citri extracta per parvum foramen medulla cavum, aut pomum eburneum vel argenteum cavum, ac multis foraminibus undequaque pertusum, cui parua spongia aceto (5.) theriacali madefacta erat imposita, naribus obiiciendum dedimus, quam spongiam interdum quoque imbuimus hac mixtura:

℞. *Aceti theriacalis, vini Rhenani odoriferi, aquæ rosarum, ana unc. j. camphoræ scrup. j. vel scrup. j. ß. misceantur.*

Cum eadem mixtura nonnulli ditiores manus & faciem lauabant. Pauperibus solius aceti odorem commendauimus. Tempore hyberno vel subfrigido, multis succini vel ruthæ oleũ distillatum, vel theriacæ pauxillum naribus illinendum, dedimus. Curiosioribus interdum tale unguentum (6.) præscripsimus, quo nares, tempora, regionem cordis, & pulsus manuum, quotidie manè inungebant:

℞. *Theriacæ Andromachi, drach. j. camphoræ, gr. ix. olei nucis moschatæ expressi, olei scorpionum, axungiæ serpentum, ana scrup. ij. olei succini, ol. rutacei distillati, ana scrup. ß. olei cinnamomi, caryophyllorum, ana gut. j. olei cortic. citri, gutt. v. misceantur.*

Maximopere autem improbauimus epithemata humida, ex simplicibus in aqua vel vino decoctis, vel ex aquis stillatitiis multis confecta, & cordis regioni imposita: nec non poma illa odorifera factitia, quæ *poma ambræ* vulgò vocantur (qualia delicatuli naribus obtrudere solent) omniaq; alia suaueolentia balsama, præsertim illaq; moschum & zibethum redolebant: subgraues odores magis laudauimus, propter rationes antea cap. 5. allatas. Pluribus externis antidotis in hac peste usi non sumus, cum hæc pauca sufficere, & plurima alia inutilia esse, nobis viderentur.

I. AMuleta venenata plurima sunt, è quibus alii hæc, alii illa summis laudibus ad cœlum usque extollunt, eaque, tanquam è deorum scrinijs depromptæ, commendant. Nonnulli araneum magnum, vivum includunt duobus corticibus nucis iugiandis, quibus filo colligatis, illum de collo suspendunt. Alii bufonem exiccatum, vel combustum & in cineres redactum, ac in sacculo ligatum, eodem modo gestant. Alii corticem nucis auellanæ, nucleo per exiguum foramen extracto, replent argento viuo, cera obstruunt, & cum filo sericeo rubro carmesino, è collo propendent, idq; Droëtus, *de pest. cap. 8.* summopere laudat: cum quo contentiunt Iabernamontanus, Ioannes Beguinus, Poppius, Martinus Panta, Gocleuius, & Ioubertus: imò Marsilius Ficinus illud mirè iuuare, exemplis adhibitis probare nititur. Alii penna scriptoria mercurio viuo repleta, & cera sigillari obstructa, eodem modo utuntur. Plurimi vero laminam ex arsenico crystallino nudam supra cordis regionem gestare iubẽt, quo remedio etiam Adrianum VI. Pontificem, vsum fuisse scribunt, putantes fortè auctoritatem vel eminentiam Sedis Pontificalis al quid conferre ad maiorem remedii excellentiam. Mercurialis, ut isti amuleto maiores vires addat, aliis admistis, huiusmodi pastam componit:

Rec. *Arsenici crystallini, unc. ij.*
diciamni albi,
croci, ana drac. ij.
camphoræ,
euphorbij, ana drach. j.

Ex his puluerijs cum mucilagine ex aquæ rosaceæ & gummi Arabico facta, fiat pasta, è qua conficiantur rotulæ maiusculæ, quæ exiccata gestentur supra cor.

Alii maximi faciunt placentulas ex arsenici crystallini part. ij. rubei part. j. (nonnulli sumunt cuiusque partes æquales) cum albumine ouj, vel mucilagine tragacanthæ confectas, & tenui serico inuolutas. Quibus placentulis, in seruandis sanis, multi Medici Itali nihil illustrius

ftrius à Deo immortali hominibus concessum esse tradunt, vocantque diuinum inuentum Dei: imò non pudet multos etiam infectam iuramento afferere, neminem peste fuisse, qui illas gestauerit; (quod, inter alios, quoque testari non erubescit Monauius, Medicus Cæsareus, *epist. a Scholtio collect.* 225. & 227.) cum tamen nos in hac peste innumeros, qui illas curiosissimè gestabãt, contagionis labe infectos & mortuos fuisse, nouerimus. Harum ex arsenico placentularum factosum encomium describunt, Georgius Agricola, Montuus, Fallopius, Ioan. Pistorius, Ludouicus Mercatus, Lacuna, Saracenus, Petrus Monauius, Ioannes Bickerus, Vidus Vidius, Ioannes Baptista Theodosius, Crollius, Dauid Herlicius, Petrus Pavv, Quercetanus, Follinus, Hildanus, aliique plurimi: imò Ioannes Rhenanus, qui omnium perfectissimum amuletum dare voluit, hoc sequens non solum ad pestilens contagium, sed etiam ad alias malignas cœlestes impressiones auertendas, summopere commendat:

Rec. *Pulueres bufonum exsiccatorum, unc.* ii.
arsenici cristallini,
citrini, ana unc. ſ.
mercury sublimati,
farinæ tritici,
radicum dictamni, vel tormentillæ, ana drach. iii.
croci.
hyacinthi,
smaragdi, ana scrup. i.
Puluerisentur subtilissimè, ac cum mucagine tragacanthæ, aquæ rosaceæ extractæ, fiat massa, è qua formentur pastilli, ac collo suspendendi.

Vt huic compositioni aduersus cœlestes impressiones maior efficacia adsit, iubet ex tenui chalybis lamina formari capsulas cordis figuram referentes, ut istius massæ drach. ſ. recipere possint: in istis capsulis, vbi Luna caput Draconis attigerit, inculpere iubet signum serpentis instar cochleæ sese in gyrum voluentis: in altera parte, Luna in Scorpione existente, formam scorpionis inculpit, & statim, Luna in eodem signo adhuc existente, capsulam illam replet massa prædicta, eamque siccatam cordis regioni applicat. Profecto non piget tantum, verum etiam pudet, tot doctissimorum virorum somnia hic in medium proferre, qui omnia venena & venenata tempore pestilenti fugere iubentes, ipsamet omnium pessima venena circumferre iubent ad præseruationem, haud secus ac si ex deleteriis venenis, cordi calorique nativo infensissimis, aliquid boni sperandum sit aut magnetica qualitas iis insit, qua alia venena ad se trahant, nec suas malignissimas qualitates corporibus communicent. Mirari sanè licet, quomodo tot præclarissimi Medici & inter alios iam nuper etiam Carolus de la Font, *differt.* 1. *de Peste, cap.* 10. eò non tantum seducti fuerint, sed iam tot seculis isti errori pertinaciter inhæserint, ut venenata illa amuleta homines a pestilenti veneno præseruare posse crediderint. Non sine ratione istius opinionis sectatoribus se opponunt, Hercules Saxonia, Erastus, Augentius, Hennemannus Reyling, Martinus Mollerus, Gregorius Horstius, Laurentius Heylandus, Gerardus Columba, aliique plures, qui omnes venena hæc nostræ naturæ esse aduersissima, eaque non tantum non à peste præseruare, sed maximum damnum inferre posse, docent. Verum ut ipsius rei veritatem clarius perscrutemur, audiendum etiã qua ratione venenata hæc, & pleraq; ex arsenico confecta amuleta, prodesse putentur. Iordanus, Antonius Portus, Petrus Salius, aliique, discedunt in Paracelsi sententiam, qui illa prodesse statuit à veneni similitudine, cuius ratione illa internum pestilens venenum ad se trahunt & dissipant. Alii exiccatiua qualitate illa conducere, & humores prauos ac venena ea siccando abstumere credunt. Alii, cum Simone Simoneo, illa venenum pestilens occulta qualitate extinguere tradunt. Alii, cum Theodotio, putant, per talia amuleta cor venenis assuefieri, atque ob illam consuetudinem à veneno pestilenti minus lædi posse. Alii, cum Ioanne Heurnio, existimant illa hac ratione prodesse, quod cor veneni qualitatem perfrictiuam, secie contrahat, ac proinde eius tyriole tortior fiat diatriole, atque eo modo validius à se expellat quam attrahat. Alii simpliciter experientiæ hac in parte credendum esse arbitrantur, quæ iam a longo tempore docuit, nullimodi amuleta conducere ad præseruationem. Thomas

VVillis,

VVillis, *lib. de febr. cap.* 13. præter experientiam, etiam manifestam rationem, ipsa subtilitate subtiliorem huius rei tradere volens, ita scribit. *Amuleta venenata in hoc casu prodesse, præter Medicorum obseruationes, hæc ratio nonnihil suadere videtur. Effluvia, seu corpuscula atmoidea, è corporibus, modo bis emergentia, modo super illis residentia, per totam aeris regionem circumvolitant. Hæc cum diversimode sint figurata, eorum alia cum aliis optimè cohærent sin verò in quædam alius formæ impingant, eadem oppugnant & evertunt: hinc pestilentis miasmatis particulæ, quæ spiritibus nostris aduersantur, cum istis venenis corpusculis iuxta positis, optimè conueniunt usque prompte affiguntur. Quare hoc faciunt amuleta è veneno conflata, scilicet pestilentiæ semina nobis occursantia, propter similitudinem partium in se excipiunt; etiam a corpore nostro eadem in amplexus suos alliciendo, infectos quodammodo a malignitate liberant.*

Nos ad omnes has plurimum discrepantes sententias breuiter respondemus, nullam earũ valere ad dictæ opinionis confirmationem. Nam si amuleti venenum ratione similitudinis ab interioribus partibus ad se toras trahat venenum pestilens, quare non venenum pestilens ob eandem similitudinem introrsum ad cor trahit venenositatem amuleti, præsertim in peste correptis, in quibus pestilens venenum longè efficacius est altero? Si venenata amuleta conducant exhiccatione, tunc araneus, Mercurius vivus, bufo, & similia, nihil salutem proderunt: ad hæc, tunc alia qualibet calida & multum exhiccantia eatenus conducerent, quod tamen negat experientia. Si occulta qualitate extinguant venenum pestilens, quare non æque naribus admouentur; quam pectori? quare non illidem etiam suffuratur domus ad aeris correctionem quare talia per os non exhibentur? Si cor hoc modo venenis alluchat, ita ut postea à veneno pestilenti minus læsi possit; quare ipsum cor, antequam illam consuetudinem contraxit, ab amuleti veneno non extinguitur? Si cor veneni malignitatem sentiens, se contrahat, & maiorem systolem quam diastolem faciat, an non illa operatio satis ostendit, venenatum amuletum cordi esse inimicissimum, & paulatim, temporis tractu magnam noxam ipsi inde exspectandam esse? Si effluvia atmoidea è corporibus exeuntia aliis corporibus similiter figuratis ad hæreant, ab iisque excipiantur, quare amuletorum venenatorum effluvia nos ad hærent partibus corporis veneno pestilenti infectis, ab iisque excipiuntur? quare harum effluvia potius excipiuntur ab amuletis, quam amuletorum ab his, cum utrimque sit par ratio? Damnanda igitur sunt venenata illa arsenicalia amuleta, stulto encomio à multis imprudenter, decantata; nec minus reiciendum cœcum eorum consilium, qui oleum & balsamum arsenici admiscere suadent cataplasmatibus & emplastris buboni ac carbunculo adhibendis, quasi venenum pestilens sic melius per horum venenositatem foras attraheretur, nugæ sunt, & damnosæ fallaciæ, ab imperita speculatione sine fundamento procedentes. Hic nihil etiam ad rem facit quorumdam effugium, dicentium, etsi arsenicalia amuleta damnum aliquod inferre posse videantur, nihil tamen mali expectandum esse a Mercurio vivo, araneis, & bufonibus, utpote quæ nullam adurentem qualitatem habent. Dico, nihil etiam boni ab his exspectari, sed multa mala metui posse. Nam hydrargyrum non conuenit, quia frigidum existens, poros condensando, fuliginum putridarum exhalationem prohibet, quibus incorde accensis excitatur febris, ipsumque cor debilitatur, atque sic minus resistit futuro imminentique veneno. Ab araneis magnum periculum impendere, docet illud quod de araneis in Valconia refert Scaliger, *Exercit.* 186. qui calcati per calceorum solcas transmittunt venenum. Quanto facilius ergo per crepaturam nucis illud cordi propinquo communicabunt? Aude, quod tanta venenositate præditi sint, ut Nicolaus Florentinus, *Sermon. 4. tract. 4. c. 23.* referat, à fumo aranei combusti quendam Leobardum Florentiæ pene occisum fuisse; ibidemque. Florentiæ cœnobium monachorum veneno infectum esse, quod araneus niger, in ollam decidisset dum iuscula coquerentur: & Mercurialis tradat, in monasterio Eremitanorum multos monachos peremptos fuisse potu vini in quo araneus extinctus fuerat. Bufones quoque suspectos & metuendos esse, ob magnam virulentiam, liquet ex historiis variorum.

sum. Antonius Mizaldus, *memorab. cent. 1. aphor. 1. & in Hort. Medic.* nec non Paræus, *de venen. cap. 24.* referunt exempla eorum, qui gustatis tantum herbis à bufone contactis, extincti sunt. Bufones anhelitu alios lædere, auctor est Actius, *tetrab. 4. serm. 1. cap. 63.* Cannam, cum cuius inferiore parte rubeta transfixa fuerat, superiore parte manibus arreptam, quendam veneno infecisse, scribit Ferdinandus Ponzettus, *de Venen. lib. 3. cap. 12.* & simile quoque refert Ardoynus, *lib. 4. de Venen. cap. 7.* Si venenum bufonis per baculum usque ad manum transmitti possit, quanto magis, si bufo cordis regioni admoueatur, eidem etiam communicabitur? Ex quibus satis manifestum est, nullis solidis & veris, imò ne quidem verisimilibus rationibus confirmari posse, amuleta venenata ullo modo conducere ad præseruationem à peste, & absque periculo gestari posse. Atque hinc etiam irridendum esse experimentum illud quod de bufone scribit VVilhelmus ten Rhyne, *in suis meditat. ad textum 24. Hippocratis de veteri Medicina*, ubi sic inquit: *Memini me Franequeræ tempore pestis bufonem fere per semestre spatium in pera gestasse, quem dum fortuito in cubiculo deposuissem, exhorruit ad huius visum hospita mea, existimans eum viuere, ita enim intumuerat ante exsiccatus, tum ominabar eum mihi fuisse non in salubre remedium, quod venenum absorpserat.* Quasi verò exsiccatus bufo totum venenum pestilens ab illo absorpsisset, & non potius a vaporibus è corpore eius continue exeuntibus adeo intumuisset. Quantum ad experientiam, cui hac in parte fidem adhibendam esse arbitrantur, profectò illa ad defensionem dictæ opinionis nihil facit, sed è contra illam omnino euerit. *Primo* enim illos qui ista amuleta gestant, ab iis præseruari, certò dicinequit, quia multi eorum per se, seu ratione natiui temperamenti non habent aptam dispositionem ad pestem, atque etiam non inficerentur, licet illa amuleta non gestarent. *Secundò*, cum plurimi eorum, qui amuleta ista de collo pendula ferunt, iis non satis confidant, quotidie variis utuntur antidotis internis, quibus illorum præseruatio potius quam amuletis adscribenda est. *Tertio*, quia non tantum in hac nostra hac, verum etiam in aliis pestibus, sæpe visum fuit amuleta hæc nihil profuisse. Sic testantur, Cornelius Gemma, *de curat. bubon. pest.* & Hercules Saxonia, *lib. de plica, cap. 52.* se certò scire, cum in pestilentia Patauina, anno 1576, Hieronymus Capiuaccius multis hæc adhibuisset, nihil egregii præstitisse. Nos in nostra peste vidimus indiscriminatim æque mortuos fuisse illos qui ista gestabant, atque alios qui illa contemnebant. *Quartò*, quia non tantum illa non conducere, verum lethales noxas à venenatis amuletis multoties induci, docet usus, idque plurimorum testimoniis constat. Sic Crato, *epist. 168. ad Monauium*, inquit: *Vera tibi narro, N. ex gestatione arsenicalis sacculi adeo debilitatum, & in pectore exulceratum fuisse ut cum magna indignatione sacculum abiecerit.* Ita quoque Mattaria, *lib. 2. de peste*, refert quendam Iurisconsultum, tempore pestis sacculum ex arsenico gestantem, cum aliquando concitatiore motu incaluisset circa cordis regionem, incidisse in febrem vehementem ac periculosissimam, à qua cum magna difficultate seruatus fuit. Sic etiam Franciscus Alphanus, Medicus Salernensis, testatur iuvenem quendam amuleto ex arsenico munitum, in sphæristerio pilæ lusu defatigatum corruisse, & confestim occubuisse. Alia varia incommoda à venenatorum amuletorum gestatione inducta, se quoque vidisse testatur Zacutus Lusitanus, *lib. 3. Prax. observ. 45* & *Histor. Medic. lib. 2. hist. 89.* His accedat quoque testimonium nostrum, qui in hac peste infelices successus horum amuletorum (quæ ex arsenico parata Gerardus Butæus Pharmacopæus, & Adolphus Fildar Chirurgus, quibuscunque satis magno pretio distendebant) non semel obseruauimus: quippe in aliquibus ab eorum contactu pustulas nigras dolorificas in pectore excitatas, & quasi cauterio potentiali insitas (quæ nõ erant a veneno pestilenti foras attracto, ut illi venditores populo persuadebant, sed à corrodente ac causticâ arsenici qualitate) fuisse: in nonnullis illa tantam cordis angustiam & debilitatem induxisse vidimus, ac si venenum per os assumptum fuisset, (inter varios conspectos tales casus, huius rei duas annotauimus historias libro quarto, historia 44. & 99.) a quibus malis ægri assumptione antidoti, & amuleti abie-

obiectione rursus liberati sunt. Cum itaque neque ratio, neque experientia prædictæ opinioni ullo modo faueat, sed utraque damnosum usum venenatorum amuletorum demonstret, explodenda iam tandem erunt tot seculis receptissima quidem, sed maximè fallacia, periculosa, & noxia illa venenata amuleta, atque alia potius alexiteria certiora, non suspecta, sed longo usu probata, in usum vocanda erunt.

II. Multa inania amuleta timor, multa fallacia & superstitiosa excogitauit auaritia. Illa maximè à Medicis timidis inuenta sunt, ut hominibus inseruirent consolationi, dum ipsi auxiliatores fugitiui essent. Hæc ab auaris quibusdam Medicis & circulatoribus eum in finē maximè concinnata sunt, ut si non venenum pestilens, saltem loculorum nummos euacuarent, quorum talibus maior solet esse cura, quā sanitatis aliorum. *Priores*, ut auxilii vanitas magis lateret, amuleta sua inuestierunt aliqua fucata verisimili ratione, inprimis ab astrorum influxibus desumpta, atque in eum finem iis sigilla, figuras, & certa signa insculpserunt, cum sidera hoc illove modo simul mulcentur. Tale est Xenexton Paracelsi, quod ab una parte serpentem in gyrum conuolutum, ab altera scorpionem certo quodam tempore insculptum habet: Tale est etiam sigillum id Regum Persarum, (huic in lapide hæmatite insculptus erat homo, genubus flexis, cinctus serpente, ita ut dextra manu caput, sinistra caudam, teneret) cuius meminerunt Petrus Aponensis & Hollerius *lib. de Pest.* & innumera alia, astrologica aliqua verisimilitudine exornata amuleta. *Posteriores*, ut dolum occultarent, alii gestanda nomina ineffabilia, & scripta meris stipata vanitatibus, verbis quoque non significatiuis polluta, propoſuerunt, quibus interdum versiculum aliquem ex Sacris literis adiunxerunt. Alii radices aut herbas ignotas, lapides, animalium longè petitorum particulas, aliaque nonnulla (quæ ex Syria, Ægypto, vel à monte Oliuarum, aut a Pirenæi montis cacumine, aliove longinquo & incognito loco deportata esse ferunt) summis ac diuinis laudibus extulerunt. Alii figuras, imcas, characteres, verba, numerorum typos, aliaque, sub Pythagoræ, Salomonis, alteriusve nomine commendarunt. Huic posteriorum ordini nō male etiam annumerari possunt multi auari sacrificuli & monachi, malè religiosi appellati, qui argenteo magis quam spirituali lucro inhiantes, passim scedulas benedictas, imagines, sanctorum reliquias, aliaque similia hominibus, turpi superstitione effascinatis, ex collo suspenderunt. Verum omnia hæc media infida sunt, nugacia, illicita, ac penitus abominanda, quæ hominum mentes à diuina confidentia ad res inanes ac friuolas diuertunt. Quid de talibus, aliisque multis venenatis, aut inanibus amuletis iudicandum sit, admodum dilucide explicat Thomas Erastus, *in disputationum libro, disputatione* 22.

III. Amuleta naturalia, quamuis plurima exiguas vires emittant, vel saltem non tantas habeant, quantas varii illis adscribunt, quia tamen ratio docet, illas aliquo modo prodesse, nec unquam nocere posse, præter naturales suas quas habent vires, eatenus quoque utilia sunt, quod multis animositatem, spem, & aliqualem fiduciam persuadeant, metumque ac terrorem, in pestilenti constitutione maximè noxium auferant. Quale hoc modo subinde concinnauimus:

Rec *Rad. angelica drach.* ij.
ostrutij,
Zedoaria,
bolenij, *ana drach.* ß
pæoniæ maris drach. ß. ℈.
succini flaui drach. nj ℈.
foliorum lauri drach. ß
subtiliter pulueri sata misceantur cum mucagine tragacanthæ in aqua rosarum extracta, fiatque massa, è qua formentur pastilli magnitudinis dactyli imperialis, qui exsiccati de collo suspendantur.

Arnoldus VVeickardus, hoc sequens præscribit.

Rec. *Rad. Angelicæ*,
Zedoariæ,
bolenij,
dictamni, *ana drach.* ℈.
cassiæ drach ß
camphoræ, *scrup.* ß
crocci, *scrup.* ℈.
thuris, *drach.* ℈.
theriacæ Androm. drach. ß ℈.
olei succini, *gut.* iv.
lumbrici, *gut.* ij.
cum mucagine tragacanthæ in aceto rosaceo facta,

fiat

fiat massa, seu plastinula, serico includenda, & de collo suspendenda.

Gregorius Horstius, *lib. 2. part. 2. obseru. 28.* & Io. Capellanus, Regis Francisci Medicus, *Consil. de peste*, hoc sequens simili modo componunt, quod tamen ob suaueolentiam (quam noxiam esse, *præcedente cap. 5. in ipso text. & annot. 9.* docuimus) minus nobis probatur:

Rec. *Benzoini,*
storacis calam. ana unc. ß.
ladani bene olentis unc. iv.
cortic. citri drach. ij. scrup. ii.
santali citrini,
maiorana,
rosmarini, ana drach. i scrup. i
olei cinnamomi gut. xvi.
macis, gut. xxiv.
Cum mucagine tragacanthæ fiat massa, è qua formentur pastilli drach. iii

IV. Auicenna, Aloysius Mundella, & Marsilius, probant smaragdum de collo suspensum, ut nudum pectus contingat. Dodonæus iubet gestare lapides pretiosos, (quales sunt rubini, sapphiri, &c.) sed inprimis hyacinthum experientia sibi notum esse testatur: quem etiam laudant, Lonicerus, Gerardus Bergensis, Anselmus Boetius, & Io. Fragosus. Ioannes Baptista ab Helmont, *in Tumulo Pestis*, summopere cõmendat Sapphirum saturato colore cœruleum, & Hyacinthum fuluo colore prægnantem, sed tamen sapphirum præfert hyacintho, quia in Sacerdotis pectorali olim sapphirus, non verò hyacinthus fuisse legitur. Idem *ibid.* etiam maximis laudibus extulit succinum; præseruationis gratia gestatum, atque illud multum prodesse posse, rationibus & experientia docet: illud etiam plurimum laudat Bernhardus Croneburgius, *lib. de peste*.

V. Valleriolus, *tract. de epidem. cap. 16.* etiã iubet spongiam, vel linteum aceto intinctum sæpius naribus admouere: quod consilium quoque probat Iacobus Horstius, & a nobis quoque comprobatur.

VI. Duncanus Liddelius, *lib. 3. de febr. cap. 5.* tale linimentum naribus, temporibus, carpis & regioni cordis illinendum præscribit:

Rec. *olei nucis moscatæ expressi, drach. ij.*
olei sem. angelicæ,
sem. rutæ
cort. citri, ana gut. v.
olei cinnamomi, gut. j.
garioph yllorum, gut. ij.
theriacæ drach. j.
moschi,
ambræ, ana gr. ii.
misce, fiat balsamum.

Georgius Magirus, *in suo Germanico libello de pest.* hoc unguentum ad eandem intentionem commendat:

Rec. *olei nucis moscatæ expressi, drach. j. ß.*
maioranæ distil. gut. vj.
myrrhæ,
succini, ana gut. iii.
theriacæ scrup. i.
extracti ligni aloes scrup. ß.
moschi,
ambræ, ana gr. iv.
aquæ vitæ q. s.
fiat unguentum.

Verum hæc suaueolentia nobis displicent, propter rationes *cap. 5.* allatas. Melius hoc sequens linimentum in eundem finem præscribit Arnoldus VVeickardus, *tract. pract. lib. 3. c. 1.*

Rec. *Mithridatu, vel theriacæ drach. ii.*
pulu. santali citrini drach. ß.
zedoariæ, scrup. ii.
castorei, scrup. i.
camphoræ, scrup. ß.
olei nucis moscatæ distillat. drach. i.
de corticibus citri drach. ß.
cum pauca cera virginea, fiat linimentum.

Mindererus, *lib. de pest. cap. 16.* extollit hoc oleum scorpionum.

Rec. *olei antiquissimi lib. v.*
scorpiones viuos, n. 120.
aceti fortissimi unc. iv.
bulliant simul, donec scorpiones crepent in colaturam deinde conyce,
zedoariæ,
gentianæ,
dictamni, ana unc. i.
theriacæ,
mithridatij, ana unc. i. ß.
spicarum atij, n. iii.
ceræ nouæ modicum.
bulliant lento igne, vase clauso, per diem naturalem, & oleum expressum umbilico, arteriis, dorso, cordi, & loco buboni vicino inungatur.

Multi

Multi tanquam præstantissimum præseruatiuum extollunt operosum illud antidotale oleū Matthioli, quod *in præfatione lib. Dioscor.* describit, & aduersus omnia lethalissima venena (exceptis erodentibus,) ab experientia commendat, si nempe pulsibus temporum, manuum, ac pedum, ut & extimæ cordis parti ad sinistram mammillam illinatur, singulis tribus horis repetita illinitione. Alii maximi faciunt oleum Ludouici de Leombus, summi Practici Bononiæ, cuius hanc descriptionem, acceptis mille ducatis aureis Vngaricis, Matthiæ, Vngariæ Regi, dedit.

Rec. *olei terebinthinæ,*
laurini,
abietis, ana lib. ſ.
gummi elemni, unc. 1ſ.
bederæ, unc. 1. ſ.
thuris, unc. ii.
opeponacis unc. i.
resinæ pini,
picis naualis, ana unc. ſ.
masticbes,
myrrhæ,
ladani,
sagapeni,
castorei, ana unc. ii. ſ.
galangæ,
cinnamomi,
garioſ hyllorum,
nucis moſcatæ,
cubebarum,
zedoariæ ana unc. i.

Terantur terenda, & in vaſe vitreo ponantur, ſtent per menſem in putrefactione, poſtea lento igne diſtillentur.

Hoc oleo non tolum cor præseruationis gratia inungi præcipit, sed si aliquod pestis signum apparet, ad curationem etiam pulsus temporum, brachiorum, ac pedum. Alii mirè extollunt hoc oleum Bratauolæ:

Rec. *olei antiquiſſimi, lib.* v.
terebinthinæ opt. unc. vj.
euphorbij,
castorei, ana drach. j.
lumbricorum terreſt. M. j.

bulliant in olla plena aqua per ſex horas, deinde exprimātur. Oleo colato ferueuti inyciātur

ſcorpiones viui n. 180.
viperæ ſemellæ, integræ, n. ij.

bulliant in vaſe duplici per horas ſeptem, poſtea inſolentur ſub canicula in vaſe vitreo obturato, per x. vel plures dies: deinde addantur,
zedoariæ,
tormentillæ,
gentianæ,
dictamni albi,
ariſtolochiæ rotundæ,
rhabarbari: ana unc. j.
florum altheæ,
hyperici,
ebuli,
roſmarini, ana M. j.
theriacæ,
mithridatij, ana unc. ſ.

Tritis terendis miſceantur omnia, & in clauſo vaſe vitreo in ſimo equino recondantur per tres menſes, deinde fiat colatura, quæ ad uſum ſeruetur.

Dicunt hoc oleo pectori & pulsibus temporū, brachiorum, ac pedum inuncto, quendam capite damnatum, cui venenum exhibitum erat, seruatum fuisse: qualem experientiam de suo oleo etiam sumptam fuisse, refert Matthiolus. Montagnana admodum extollit hoc suum oleum.

Rec. *olei antiquiſſimi lib.* j.
ſcorpios centum,

frigantur in ſartagine: poſtea exprime & cola, colaturæ adde,
rhabarbari unc. j

inſoletur in vaſe vitreo per dies quindecim.

Hoc præsidium, inquit, arteriis temporum, & carpi, & circa cor illitum, omnem luem pestiferam a corpore eximit.

Montuus, *practicæ suæ part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 5. admodum commendat hoc sequens oleum valde operosum.

Rec. *cymarum hyperici immaturarum* M. ij.
olei vetuſtiſſimi lib. j.

mixta in phiala vitrea obturata inſolētur octo diebus: mox in balneo maris bulliant horis duodecim: poſtea colentur per cilicium vino albo lotum. In altera phiala ponantur flores hyperici. In tertia ponatur ſemen: & omnia apparentur ad normam primæ phialæ. Deinde

mixtis

mixtis illis tribus expressionibus adde hunc pulueres.

Rec. gentiana,
corallina,
zedoaria,
aristolochia longa,
& rotunda;
dictamni,
tormentillæ,
santali rubri,
boli armeni ppt. ana unc. ii.

Insolentur diebus viginti, deinde in B. M. bulliant horis 14. post sub torculari exprimantur: addendo expressioni,

croci drach. ii.
aloes,
rhabarbari,
spicæ,
myrrhæ, ana drach. iii.

Rursus insolentur, & bulliant in balneo, & exprimantur. Adde ad singulas libras

scorpios vivos 120.

Insolentur iterum, & in balneo bulliant, & exprimantur. Expressioni adde, ad singulas libras,

mithridatij,
Theriacæ. ana unc. i.

Seruetur hoc oleum in vitro bene obturato. Illinitur, inquit auctor, circa cor & arterias manuum, temporum, & pedum: euocat omne venenum a corde. Illinitur etiam circa anthracem, & circa vulnera ex morsu venenato.

Hæc aliaque similia externa remedia tuto adhibere & in usum vocare licet, valeant quantum possint: sed iis tamen non nimis confidendum arbitror, cum eorum vires non satis certæ & notæ sint, eorumque multa à medicis excogitata videantur, partim ut satisfiat timidis hominibus: partim ut satisfiat auaris quibusdam medicis, tali modo crumenas suas auro infarcientibus.

CAPVT XII.

De meo ipsius viuendi modo.

QVemadmodum *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, sic in pestilenti constitutione omnes homines, subitaneam mortem metuentes, oculos in Medicos conjicere, suamque vitam ad illorum viuendi formam instituere desiderant, ut æquali cum ipsis modo præmuniti, horrenda truculentissimi tyranni spicula melius à se deflectere queant. Durante hac pestilentia mirabantur multi, quomodo fieri posset, ut ego, qui quaslibet ædes infectas, & omnes ægrotos indiscriminatim inuisebam, à tanta malignitatis & contagii violentia non læderer, ac proinde meum viuendi ordinem plurimi diligentissimè considerabant: qui ut omnibus cognitus esse possit, eundem hoc capite describam. Omnes animi vehementes motus, quantum poteram, inhibebam ac fugiebam, intrepidus planè viuebam, nec pericula, nec mortem, nec aliud quippiam timens: mihi eodem redibat, ædesne infectas. an non infectas adirem, pestiferosne an alios ægrotos inuiserem; æquè libenter pauperibus gratis, quam diuitibus mercede inseruiebam. Nec terrori, nec iræ, nec mœrori locum concedebam. Si forte me ipsum aliquo modo contristatum percipierem (quod tristi illo tempore, quo in toto Noriomago nulla, quod scio, domus à peste immunis remansit, interdum fieri non erat alienum) tunc tribus quatuorve vini haustibus assumptis cor exhilarabam, atque ita citissimè omnem melancholicum luctum fugabam. Quamuis somnum diurnum aliis plerisque dissuaderem, cum tamen mihi ob ægrotorum inuisendorum multitudinem ne nocte quidem ad libitum & necessitatem requiescere permitteretur, & continuis deambulationibus vehementer delassarer, de die, nempe post prandium (quo tempore id optimè licebat propter pauciora negotia per horam unam necessario dormire cogebar. In victu utebar cibis cychymis & facilis digestionis, studiosissimè abiti-

abstinendo ab iis quos aliis noxios fuisse animadverteram, quales erant carnes porcinæ, hi-
leces, &c. Potus mihi erat cerevisia Nouiomagensis ordinaria, ut & vinum album tenue
vel mediocre, quo interdum usque ad hilaritatem, nunquam ad ebrietatem utebar. Alvum
non fluidam, sed ita liberam seruabam, ut eandem semel aut bis de die exoneratem. Cubi-
tum iturus semel aut bis in septimana deglutiebam unam vel alteram pilulam ex antipesti-
lentialibus nostris, quas supra, *cap. 9.* descripsimus. Manè inter horam quartam & quin-
tam ægros inuisurus, nihil omnino assumere poteram (quod tamen ipsemet valde impro-
babam) nec cibi, nec potus, nec medicamenti, sed ad omnia nauseabam, ac proinde præ-
missis piis precibus, me meamque sanitatem Deo Opt. Max. commendabam, & solummo-
do aliquot grana cardamomi minoris masticando, ieiunus primos ægros inuisebam usque
ad horam sextam, præter propter. Tunc vel theriacæ, vel diascordii pauxillum, vel corti-
cem aurantiorum conditum, vel ut plurimum radicum helen i conditarum tria quatuorve
frustula comedebam. Post horam, septimam, vel circa octavam frustum panis cum butyro
& caseo ovillo viridi, ientabam, superbibendo haustum cereuisiæ. Inter octauam & nonam
sæpe quidem, sed tamen non quotidie, data occasione, haustum vini absinthitis bibebam.
Circa decimam, si per otium liceret, fistulam unam tabaci exsugebam: statim post præ-
dium duas treive fistulas, nec pauciores post cœnam: sæpe etiam intermediis horis post
meridiem, hic illic ubi occasio dabatur, adhuc duas treive fistulas sumebam. Si verò ab
ægrorum vel ædium infectarum fœtore me vel tantulum alteratum sentirem, statim post-
positis omnibus negotiis quantumvis necessariis, qualicumque diei hora foret, duarum
triumve tabaci fistularum fumum suctione trahebam: nam, ut verum fatear, tabacum pro
primario præseruatiuo in pestе semper habui, & re vera tale esse, non sola ratione ductus,
sed experientia edoctus, comperi; neque aliud melius pro ordinario usu hactenus inuentum
fuisse existimo, dummodo illud sit melioris notæ, ex maturioribus foliis in funes coactum.
Quapropter ego solo tabaco contentus, nullis aliis suffumigiis, morsellis, odoratis simili-
busve utebar: eaque causa fuit, quod durante hac maligna constitutione, istius nobilissimæ
herbæ bonam quantitatem consumpserim, cuius tamen usum postea rursus dereliqui, no-
lens naturam meam illis nimis assuescere, ne eandem eius laudabilem usum in detestandum
abusum converterem, quem admodum illud hodie in plerisque fieri animaduertimus.

Atque hac hactenus de Præseruatione.

LIBER TERTIVS.

De Curatione Peſtis.

CAPVT I.

DE CVRATIONE IN GENERE.

PEſtis certam medendi formam præſcribere haud facile eſt, propterea quod diuini huius morbi naturam (1.) humani ingenii acumen non ſatis perſpiciat: hæcque cauſa eſt, quod in peſtis curatione ſemper plurimum hallucinati fuerint omnes Medici, dubii cauſarum, dubii remediorum. Hinc etiam, nec à maioribus noſtris viris ſagaciſſimis, nec à neotericis quantumvis in arte Medica verſatis, hactenus ullum certum antipeſtilentiale remedium, ullum proprium venenatæ huius perniciei alexiterium inuentum fuit: ſemper ad cardiaca, quæ cor tuentur ac roborant, ut & ad communia venenorum alexipharmaca (2.) concurſum eſt: è quibus etiam in hac peſte primaria noſtra ſubſidia dimanarunt, additis ſimul etiam aliis generalibus addi conſuetis & neceſſariis. Poſt imploratam igitur diuinam opem, peſtis curationem deprompſimus è triplici Medico fonte, diæta, chirurgia, & pharmacia, de quibus in ſequentibus ſingulatim acturi ſumus.

ANNOTATIONES.

1. VEtè & bene cecinit Poëta:

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Ille metus omnes, & inexorabile fatum,
Subjciet pedibus, ſtrepitumque Acherontis auari.

Sic etiam, ſi veneni peſtilentis natura unquam verè cognoſci potuiſſet, procul dubio etiam remedium ex oppoſito ei contrarium inuentum fuiſſet: verum & cognitio naturæ atque eſſentiæ peſtis, & eiuſdem certum remedium, ſummi Dei conſilio hactenus mortalibus denegata fuiſſe videntur: *Fortè non placet Deo* (inquit Geſnerus *lib. 1. Epiſt. Medic. 64.*) *ut contra flagellum peccatis noſtris debitum, ullum certum præſidium habeamus.* Quapropter bene & Chriſtianè loquuntur, qui dicunt verum peſtis alexicacum penes illum adhuc latere, qui flagelli huius immiſſionem & auerſionem ſibi ſolu reſeruare voluit.

II. Animaduerterunt Medici cauſam peſtis eſſe venenum, atque hinc, ab effectuum aliqua ſimilitudine, alii illud aſſimilarunt veneno napellino, alii arſenicali, alii aliis venenis; & quamvis incerti eſſent in quonam conſiſteret vera eſſentia iſtius veneni, tamen, ut peſtem certius curarent, plurimorum venenorum antidota ſimul miſcuerunt: atque ea ratione multa egregia ad peſtem inuenta ſunt remedia, etſi verum ſpecificum adhuc lateat. Hinc etiam Goclenius, in λοιμογραφία, inquit: *Certum eſt multa præclara quidem, uſuque & experientia comprobata haberi remedia peſtifero veneno antipathetica, ſed ſpecificum, & quod totius ſubſtantiæ ſuæ viribus ei aduerſetur, à nemine adhuc monſtratum vidi.* Plura hac de re videantur *lib. 2. cap. 10. annot. 1.*

CA-

CAPVT II.

DE DIÆTA PESTIFERORVM.

QVamvis in curatione pestis, in qua magnum periculum est in mora, pharmacia necessario diætam antecedere debeat, nos tamen hanc illi hic præponemus, ut vulgarem ordinem, qui in curatione aliorum morborum teneri solet, etiam seruemus. In cubiculis, in quibus decumbebant ægri, iussimus nitorem seruari, & aerem emendari, eo modo quem descripsimus *lib.* 2. *cap.* 5. Somnum ante promotos sudores in totum prohibuimus, & postea tantum moderatum vel breviorem laudavimus. Motus magnos animi & corporis fugere iussimus. Alui excretiones non promouimus medicamentis ante morbi declinationem. Quantum ad reliquam victus partem, quæ in assumptis consistit, etsi pestis ut plurimum febrem comitem habeat, quæ febris ratione caloris & siccitatis diætam humectantem (secundum communem Medicorum opinionem requirere solet; attamen simpliciter humectans diæta nobis in hac peste non admodum conuenire videbatur, quia non tam caloris febrilis, quam pestiferæ malignitatis ratio habenda erat; hæc enim ab ipso morbi principio totam curationem ad se trahebat, eaque neglecta præsens periculum imminebat. Quapropter nos omnibus cibis & potibus etiam talia admiscuimus, quæ simul cor tueri ac roborare, & venenatæ malignitati resistere possent, quamvis illa etiam modicè exsiccarent, dummodo vel leniter refrigerarent, vel saltem in calore non nimis excellerent, atque hoc modo cibariis etiam alexipharmacam aliquam vim indidimus. Prohibitis primò piscibus, omnibusque aliis salsis, acribus, multum calidis, & facile corruptibilibus, ac mali nutrimenti cibis, præscripsimus cibos euchymos & facilis digestionis, ut plurimum liquidos (assatis enim & siccioribus difficulter vescuntur ægri) ex iusculis caponum, pullorum, gallinarum, perdicum, carnis agninæ, vel vervecinæ, aut vitulinæ, quæ cum acetola, pimpinella, boragine, melissa, radicibus petroselini, fructu ribesiorum rubrorum, cerasis morellis, pomis citrii, aurantiis, cydoniis, aliisque similibus, coctæ erant. In condimentis etiam laudauimus succum citri, acetum vini simplex, vel potius rosaceum, sambucinum, vel calendulatum; omnibusque cibis aliquid acidi admiscuimus, ut delectus ægrorum appetitus magis excitari, & putredo melius coerceri posset. Cibos quidem paulo copiosiores, quam in aliis acutissimis morbis fieri solet, obtulimus, ut vires seruari possent. Verumtamen primis duobus tribusve diebus ab eosdem assumendos non valde impulimus, & ægros his diebus post cibos assumptos se multò peius habuisse obseruauimus, eo quod natura, quæ in principio ad sudores impellenda erat, ciborum coctione impedita, a necessario sudandi opere auocabatur. Sequentibus autem diebus (1.) corde sudoriferorum alexicacorum usu aliquantum alleuato, ægris, etiam nolentibus (nempe ter quaterve de die) patum cibi liquidi dedimus, ut vires labascentes reficerentur. Si verò ægrorum debilitas ciborum assumptionem impediret, talia præparauimus quæ exigua quantitate multum nutrire possent. Interdum carnem (2.) vitulinam aut vervecinam, vel capum, aut gallinam carnosam, in veru assatam contundi, ac in torculari fortiter exprimi curavimus, cui succo expresso aliquantum succi citri recentis, una cum alicuius pulueris cardiaci & antidotalis boni saporis cantillo, admiscuimus, eiusque aliquoties de die cochlearem unum aut alterum exhibuimus. In eundem usum multoties gelatinam hac fere form-

confecimus:

℞. *Gallinam, aut pullum carnosum, vel caponem iuvenem, abiectis intraneis bene mundatum, & cum aceto rosaceo vel sambucino lotum, conscindatur una cum ossibus in minutas partes, & imponatur cantharo lapideo vitreato, angustioris orificii, addendo carnis vitulinæ musculosæ, similiter conscissæ, lib. ſ. (subinde quoque perdicem, aut passeres, vel alas aliquot addidimus) pomum citri, (3.) unum (si parua fuerint, sumenda duo) in particulas una cum cortice conscissum, conserua rosarum rubrarum, unc. ij. cinnamomi electi drachi ij. vel iij. vini Rhenani unc. v. vel sex. his immissis cantharus exactissimè firmo operculo obturetur, & coquatur in balneo sex septemve horis: deinde totum effundatur super mappam mundam, ex eoque omnis succus fortiter contorquendo exprimatur, à quo frigefacto postea omnis pinguedo auferatur, & sit gelatina.*

Huius gelatinæ aliquoties de die dabam pauca cochearia ad ignem liquefacta, vel sola, vel cum pauxillo alterius iusculi tenuis & succo citri. Huiusmodi autem cibis, neque thetiacam, neque aliud quid gustui ingratum admiscuimus, ne hoc modo ægri à cibis nimium abterrerentur. Sitim magnam diu perferre omnino prohibuimus: pletisque pro potu dedimus cereuisiam tenuem (hæc enim est instar decocti hordei fermentati) vel solam vel admistis aliquot olei sulphuris, aut vitrioli guttulis: alis decoctum hordei simplex cum succo citri ad gratum saporem: alijs iulebos refrigerantes ac maligoitati resistentes, ex aquis stillatitiis acetosæ, cardui bened. scabiosæ, cichoreæ, boraginis, cum succo citri, & syrupo granatorum acidorum, vel de acetositate citri, vel rob ribesiorum rubr. oleo sulphuris, aut vitrioli paratos: Alis aquam fontanam (4.) puriſſimam solam, vel cum pauco succi citri concessimus: Alis ex modo dictis coctas potiones gratissimas confici curauimus (5.) Si magnus ardor non adesset, ægris delicatiusculis valde debilibus, & vino assuetis, etiam vinum (6.) album tenue, cum aqua fontana aut succo citri dilutum, modica quantitate concessimus. Nonnullis huiusmodi potum gratum confecimus.

℞. *Poma citri succo plena n. iij. conscindantur una cum cortice in particulas, ac vitro impositis affundatur aquæ fontanæ, rosarum, ana lib. ſ. vini albi tenuis lib. j. sacchari albissimi vel syrupi limonum, parum, ad leuem dulcedinem, misceantur pro potu.*

Omnis potus, cui vinum admistum erat, moderatum tantum usum ægris debilibus iniunximus. Sitim nimiam sæpe fallere iussimus cum frustulo pomi citri in ore detento, aut malticato, vel cum pulpæ tamarindorum pauxillo; vel cum foliis sedi maioris, quæ detracta exteriore pellicula, & aquæ frigidæ immacerata, linguæ imponebantur. Si lingua valde sicca & arida esset, os sæpissime lauare iussimus cum sola aqua fontana, quæ hoc in casu multum proderat: huic nonnulli addebant acetum, sed minus bene, propterea quod acetum per se exsiccet, & linguam aridiorem faciat, ac paulo post lotionem, sitim maiorem excitet. Alij etiam sero lactis acido os colluebant.

I. CVm in peste spiritus vitales admodum corrumpantur & dissipentur, post usu sudoriferorum (quæ omnibus potissimis, in principio morbi aliquoties sunt exhibenda) liberaliore, euchymo, & cardiaco victu ægri alendi sunt. Sic quoque Auicenna & Rhazes, cibis assatim nutrientibus, acidis omnibus, ne contabescat appetentia, peste correptos refocere, imò inuitos ad cibum capiendum cogere iubent. Etiam scribit Auicenna, suo tempore à peste tantum euasisse illos, qui viriliter edebant & bibebant: quod ipsum à se quoque obseruatum scribit Hippocrates, *lib. de attenuante victu. in epidemicis 3. com. 1.* Refert quoque Galenus, in constitutione quadam maligna eos duntaxat euasisse qui multum cibi sumpserant.

Verum

Verum huic sententiæ videtur repugnare Hippocrates, 1. *aphoris.* 7. qui in morbis acutis victum tenuem instituere iubet. Dico, eundem Hippocratem, 1. *aphoris.* 9. expressis verbis iubere, ut consideretur, anne æger cum tali victu usque ad vigorem morbi peruenire possit; quod si virium lapsus ante statum futurus animadvertatur, vel metuatur, (quod in peste citissimè fieri solet) ut tunc copiosiore alimento restaurentur. Hac quoque de causa Galenus in accessionibus febrium, si syncope metueretur, cibum porrigebat. De talibus morbis etiam loquitur Hippocrates, 1. *aphoris.* 5. dum inquit: *In tenui victu ægri delinquunt, quo fit ut magis lædantur, quicunque enim error committitur, maior in tenui fit, quam in paulo pleniore victu.* Item aphorismo præcedenti: *Victus tenuis atque exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis verò, ubi non convenit, periculosus.* At pestis est morbus acutus, in quo talis victus non conuenit. Hinc Iulius Palmarius, *lib. de peste, cap. 16*, etiam suadet ægros paulo copiosiore alimento alere. *Nemini obscurum esse puto*, inquit, *alimenti benignitate venenatæ causæ malignitatem mitigari, labescentemque naturæ vim erigi, eius denique facultates & dissipatos spiritus instaurari. Toto itaque morbi decursu paulo copiosiore, quam in aliis febribus, alimento, eoque euchymo, cardiaco, & eupepto, vires confirmandæ sunt, quicquid obganniant nonnulli.*

II. Aucnzoar peste laborantibus carnium usum prohibet; quod intelligendum est de ipsa carnium substantia, quam non nisi robustis quibuldam, idque non ante morbi declinationem, tuto dari posse; ipsa ventriculi concoctrix facultas debilitata satis docet. Iuleulus autem & iuscis carnium libere uti licet.

III. Aduerius venena pomis citreis maxima alexipharmaca vis inest, quod Athenæus confirmat historia cuiusdam hominis in Ægypto, qui morte damnatus, aspidum, serpentum, aliarumve huiusmodi venenatarum bestiarum tyrannidi exponendus erat: huic, cum ad supplicium duceretur, muliercula quædam commiseratione ducta, citria poma ad refectionem, & sitim compescendam, obtulit, quibus reus comestis, nihil a lethalibus virulentarum bestiarum ictibus noxæ persensit. Præter Athenæum, omnes etiam Medici unanimiter antidotalem citreorum vim attestantur & extollunt, eaque in peste plurimum prodesse, ab experientia docent. Matthiolus, Daniel Mylius, Augenius, Fumanellus, Montagnana, Mizaldus, Monardes, Minderetus, aliique. Virgilius, 2. *Georg.* antidotalem citrei vim his versibus exprimit:

Media fert tristeis succos, tardumque saporem
Felicis mali, quo non præsentius ullum,
Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.

Omnes autem mali citrei partes antidotalem vim obtinent, nempe succus, semen & cortex, inprimis autem exterior corticis flauedo: ideoque nos tota poma in taleolos dilecta cibis incoquimus, & potibus ordinariis immiscemus, ut iis alexipharmaca vis à tota citri substantia, aciditas & refrigeratio à succo, fragrantia à cortice conciliet ur.

IV. De aquæ potu litigant Medici, anne tutò peste correptis pro potu concedi possit. Fracastorius iudicat aquam simpliciter in pestilenti febre non conuenire, nisi eadem ardens sit & biliosa. Eiusdem unum quoque damnant, Nicolaus Florentinus, Hercules Saxonia, Montanus, & Minderetus, qui omnes aquam humectando putredinem augere, & per consequens multum nocere existimant. Forestus aquæ potum omnino lethalem esse scribit, idque, *lib. 6. observat.* 23. probat exemplo pagi Schoonderloo, prope Rotterodamum siti, in quo omnes pestiferi, qui ob ingentem febrilem calorem aquam biberent, intra duos dies mortui sunt. Contra vero Rhazes, *lib. de peste, cap.* 7. aquam frigidam ægris pestiferis porrigit: *Nam frigida*, inquit, *si paulatim absorbeatur, sudorem elicit, & adiuvat foras extrudere superflua ad corporis superficiem.* Hanc quoque laudant, Auicenna, Paulus, Rutius, Celsus, Actius, aliique: imo Mercurialis dicit se expertum esse, hanc multum contulisse. Ad huius controuersiæ decisionem dicimus, Aquæ optimæ usum tutò concedi posse, dummodo non peccetur in nimia quantitate. Dicò, *Aquæ optimè*; id est, clara, limpidæ, nullo malo sapore vel calore infectæ, qualis est aqua fontana, ex arenaceis vel saxosis montibus

montibus erumpens, ut & putealis illa quæ ex simili fundo ascendit. Aquæ verò stagnantes & puteales illæ, quæ è lutosis ac cœnosis puteis emergunt, cum facile, inprimis tempore pestis, putrescant, corrumpantur, & malignitatem aliquam suscipiant, atque in se contineant, maximè damnosæ sunt; ut & aquæ fluviatiles, in quas tempore pestis omnium urbium in littoribus fluminum sitarum, infecta inquinamenta effluunt & proiiciuntur. Atque huiusmodi aquarum stagnantium corruptarum, & fluvialium infectarum usus in causa fuisse potuit, quod in pago Schoonderloo (de quo Forestus loquitur) ubi alias aquas non habent, omnes peste laborantes ab aquæ potu mortui sint; si non violentiæ morbi potius, quam aquæ potui illorum mors adscribenda fuerit. Aquas autem stagnantes facile corrumpi & putrescere, testis est Auenzoar, *lib. 3. cap. 2.* ubi sic inquit: *Aquæ mortuæ quæ non mouentur, & fœcibus replentur, illæ putrescunt & fœtent, & sunt causa corruptionis aeris & pestilentiæ.* Hinc etiam Ouidius ait:

Et vitium capiunt, ni moueantur, aquæ.

Dico; *Dummodo non peccetur in nimia quantitate*: nam nimia copia, etiam optimæ aquæ, noxam infert. Quapropter planè reijciendum est consilium Celsi, Paræi, aliorumque qui frigidam larga manu usque ad satietatem bibere iubent: qui modus, sicut in aliis quibusdam ardentibus utilis, ita in pestiferis damnosissimus existit. Concludimus ergo, moderatum solius aquæ optimæ (qualis Noutomagi est aqua putealis & fontana) usum, peste correptis tutò permitti posse: ac proinde nos in hac peste illam bibere cupientibus, eo modò liberè concessimus, neque ulli unquam nocuisse, obseruare potuimus; imò contra animaduertimus, alios qualescunque potus ægros sæpe maximè grauasse, usque anxietates induxisse, cum aquæ simplicis potus nihil tale efficeret, sitim melius extingueret, & ægros alacriores redderet.

V. Duncanus Liddelius, *3. de febr. cap. 6.* duas potiones gratissimas, hic apprimè conuenientes, præscribit, quarum prior hæc est:

Rec. *Limaturæ cornu cerui unc. ß.*
santali citrini,
corticum citri.
cinnamomi electi, ana drach. ß.
aquæ puræ fontanæ, lib. iij.
coquantur lento igne ad tertiæ partis consumptionem; colatura admisce,
succi limonum, unc. ß.
sacchari albi unc. ij. ß.
leuiter bulliant, & fiat potio clara.

Posterior sic se habet:

Rec. *Aquæ hordei lib. iß.*
aceti vini optimi,
succi acidi citri, ana unc. ß.
sacchari unc. iij.
fiat ß. art. inleb, cuius aciditas pro voluntate ægri augeri vel imminui potest.

VI. De vini usu, anne conueniat peste correptis, nec ne, acriter disputatur apud Medicos. Multi ob virium deiectionem, syncopen, spirituum oppressionem, aliaque similia mala, concedi debere iudicant, quia vinum vires corroborat, spiritus reficit, malignitati, putredini ac corruptioni resistit, & sudorum promotionem adiuvat. Contra alii ob febrem, eiusque ardorem, & inflammationes internas, illud cane pejus & angue fugiendum esse arbitrantur. Ad quæstionis solutionem dicimus, propter magnam debilitatem vel syncopen vini usum permitti posse, dummodo æger non sit valde bilioſus, & febris non sit vehementer ardens, neque adsit sopor vel capitis dolor, aut ullum delirii signum, neque visceris alicuius inflammatio: dummodo etiam æger sit vino assuetus, neque sit puer; (nam in his vino curare, non satis tutum, inquit Celsus) dummodo etiam morbus non sit in principio, sed circa statum. Extra hos casus vinum tenue, dilutum, subacidulum & aquosum concedi potest; nam vires citissimè reficit, viscera corroborat, & malignitati resistit. Dicto etiam fauet experientia, nam nos multoties vinum in hac peste tali modo tutissimè exhibuimus, non tantum sine damno, verum etiam cum insigni emolumento. Hoc ipsum quoque expertus videtur Mindererus, qui ea propter *lib. de pest. cap. 19.* de vino hæc scribit. *Vinum*, inquit, *tempestiue ac suo loco, consideratis omnibus circumstantijs, exhibitum, magni medicamenti vicem gerit, hoc enim ægri celerrime recreantur, ac regeneratis denuo spiritibus, vires resumunt, & quodam modo reuiuiscunt, ut mirari quandoque liceat, naturam tantopere delassatam, pauci mieri exhibitione tam cito refocillari*

ac

ac insurgere. Vinum ægrotis exhibere, iubet etiam, in pestis curatione versatissimus Iulius Palmarius, *lib. de peste, cap. 16. Potus*, inquit, *esto vinum album, vel gilvum odorum, bene defæcatum, beneque maturum: hoc enim languidioris naturæ vires, dissectosque spiritus mirifice recreat atque reparat, & optimum pestilentis veneni antidotum existit, simplici peste perculsis nunquam denegandum: sed diluatur aqua fontana, quæ cum rasura cornu cerui februerit. Diluendum autem pro consuetudine, si simplex pestis nec sui, nec ardore insigni fatigat. At si febri putridæ implicita est, urgentique calor, dolor, sitis, ac præterea si feruentissimus æstus sit, vel regio torrida, vel natura ægrotantis biliosa, vel oligophorum seligendum, liberaliusque diluendum atque temperandum, vel in totum vino interdicendum est.* Sic quoque Riuerius, *lib. de febr. sect. 3. cap. 1.* dicit se peste laborantibus vinum cum felici successu sæpissimè exhibuisse. Et Zacutus Lusitanus, *Prax. admir. lib. 1. obseru. 93.* solo vini usu restituit mulierem maligna febre laborantem, & iam fatalem terminum exspectantem. De vino ad hoc nonnulla videantur, *lib. 2. cap. 6. annot. 14.*

CAPVT III.

DE AVXILIIS CHIRVRGICIS.

AVxilia quæ ad pestis curationem Chirurgia subministrat, varia sunt, præcipuè quãdo anthraces & bubones curandi occurrunt, de quibus agemus suo loco; hic solummodo dicturi de generalibus chirurgicis auxilijs, nempe Venæsectione, scarificatione, & vesicatorijs. Nos durante hac peste venæsectionem (1.) damnosissimam fuisse animaduertimus, ac proinde venam nullis secuimus, nec sanis, nec ægris, imò vix quidem in alijs morbis, qui venæsectionem exigere videbantur. Illud enim obseruauimus, si peste correptis vena secaretur, illos ad unum omnes certò & citò obiisse: si aliis morbis laborantibus, his statim post venæsectionem se adiunxisse pestem: si sanis, plurimos eorum, qui illud tentauerant, breui post peste correptos fuisse. Scarificationibus, (2.) cucurbitulis, & hirudinibus, loco venæsectionis, etiam usi non sumus, sed solis duntaxat vesicatoriis (3.) emunctoris applicatis.

1. IN curatione pestis maximum dubium occurrit de venæsectione, utrum illa conueniat, nec ne: eaque de re maximè discrepantes sunt Medicorũ opiniones, & alii hanc, alii illam partem, tanquam pro aris & focis defendunt, ac singuli suam opinionem ita mordicus tenent, validisque rationibus confirmant, ut ne ad unguis quidem latitudinem inde diuelli possint: neque his, neque illis grauissimæ auctoritates, & præstantissimorum Medicinæ procerum consentientes sententiæ desunt. Affirmatiuam partem defendunt, Lud. Mercatus, Trincauellius, Ioannes Costæus, Altomarus, Pereda, Andernacus, Lud. Septalius, Ianus Antonius Saracenus, Nicolaus Massa, Montuus, Paulus Mongius, Paschalius, Fonseca, Mercurialis, Forestus, Zacutus Lusitanus, aliique plures clarissimi Medici, qui hanc opinionem variis rationibus confirmant.

1. Quia si plethora adit, necessariò quærendum est citum remedium ad illam soluendam, ut corpus perspirabile reddatur: atqui tale remedium est venæsectio.

2. Quia in febribus putridis venæsectionem conuenire, eamque putredines maximè coercere, notissimum est; atqui illæ adsunt pesti.

3. Quia per venæsectiones citissimè euacuatur venenati ac putridi humoris magna pars, & natura à maiore sarcina leuata, quod postea reliquum est facilius euincit.

4. Quia per venæsectiones fiunt commodissimæ reuulsiones à partibus illis in quas venena-

tus

tus humor decumbit; nempe bubonibus & carbunculis.

5. Quia Hippocrates, *6. epidem.* in affectionibus pestilentialibus usus fuit venæsectione, eamque etiam approbauerunt, Galenus, Rufus, Paulus, Oribasius, aliique veteres: quorum opinioni quoque subscribens Auicenna, 1. 4. *Tract. 4. cap. 4.* sic inquit: *Summa curationis pestilentium febrium est exsiccatio, & illud cum phlebotomia & solutione ventris.*

6. Quia experientia multoties docuit illud remedii genus multum profuisse; & Petrus Bayrus, *lib. 20. cap. 8.* illud confirmat manifestissimo exemplo mulieris peste laborantis, venæsectione curatæ.

Hæc sunt præcipua fundamenta quibus affirmatiua opinio maximè nititur: qui plura alia videre cupiet, legat Alexandri Massariæ *lib. 2. de peste*, ubi hanc affirmatiuam mordicus tenet, eamque, tanquam pro aris & focis, defendit.

Negatiuam autem partem doctissimè tuentur, Cardanus, Fernelius, Platerus, Raymundus à Vinario, Petrus Salius, Andreas Chiocchus, Palmarius, Mindererus, Andreas Treuisius, aliique grauissimi viri, cum quibus etiam nos sentimus, in pestis curatione omnino non conuenire venæsectionem.

1. Quia pestis non inducitur nec generatur à plethora, obstructione, aut humorum putredine, sed à veneno.

2. Quia venæsectione non potest extrahi aut imminui venenum pestilens, neque euacuari malignitas cordi & spiritibus vitalibus inhærens.

3. Quia maioris causæ maior est habenda ratio: ac proinde, quamvis febris (quæ tamen semper non adest) ratione putredinis, venæsectionem poscere videatur, quia tamen venenum ratione suæ malignitatis illam prohibet, & alexipharmaca cuiusmodi poscit, maior ratio habenda est veneni, quam putredinis.

4. Quia venæsectione detrahitur vitæ thesaurus sanguis, & vires maximè deficiuntur, quas in peste omnium maximè conseruare oportet, ut furiosissimo morbo Natura fortiter resistere queat.

5. Quia venæsectio, cum trahat à peripheria ad centrum, peruertit laudabiles & necessarias naturæ operationes, quæ fiunt à centro ad peripheriam, per sudores, tumores, & anthraces: quas operationes non impedire, sed promouere oportet.

6. Quia venæsectio spiritus & humores exagitando, eosdem disponit ad venenum pestilens promptius suscipendum.

7. Quia venenum pestilens, vel foris circa peripheriam, vel intus alicubi in partibus ignorabilibus sanguini nondum permistum hærens, inanitis venis, facile illas ingreditur, ac sanguinis massæ permiscetur.

8. Quia Hippocrates in vera peste non fuit usus venæsectione, ut liquet 1. *epidem. in Historia Critonis*, aliisque in locis: imò *6. epidem. sect. 7. text. 1.* cum in morbis quibusdam pestilentialibus venæsectiones in multis ægris tentasset, nunquam tamen illas profuisse, ipsemet testatur. Quapropter ipse quoque Galenus, *lib. de cibis boni & mali succi, cap. 1.* laudat illos Medicos, qui in peste paucissimè aut nullo fuerunt sanguinem mittere. & dicit in ea pestilentia sui temporis venam paucissimis fectam fuisse. Sic. 1. *de differ. feb. cap. de febr. pestil.* phlebotomiam inter pestis remedia non recenset, imò de ea ne verbum quidem facit. Et *9. simpl. cap. de terra Samia*, scribit nulla alia remedia in peste profuisse, præter bolum Armenam, ergo neque venæsectiones. Ad hæc, *4. de tuenda sanit. cap. 4.* venam secare vetat, humoribus à sanguinis natura multum recedentibus: quod iterum confirmat *lib. aduersus Iuliam.* & 11. *Methodi, cap. 14.*

9. Quia experientia à multis seculis docuit, venæsectiones in peste semper damnosissimas fuisse: & si forte uni aut alteri sanguinis missio feliciter cesserit, illud tamen communissimam experientiam euertere nequit; & credendum potius, vel rarissimum quid accidisse talibus ægrotis, vel illos vera peste non laborasse, sed febribus pestilentialibus sine peste, quales sunt petechiales, aliæque similes, in quibus venæsectiones maximè laudabiles habentur. Maximè autem esse experientiam, quæ semper docuit in peste cu infelicissimo successu institutam fuisse venæsectionem, liquet ex Medicorum scriptis. Anuernacus, *lib. de pest.* testatur in pestilentia

sui

sui temporis venæsectionem magnum damnū dedisse, extinctis omnibus iis qui illam adhibuerant. Fallopius obseruauit in longa peste, ab anno 1524 ad 1530, omnes extinctos esse, quibus vena secta fuerat; multos autem hanc venæsectionem omittentes, seruatos fuisse. Illud ipsum in duabus pestibus se quoque obseruasse, testatur Henricus Florentinus, insignis Practicus Leydensis, *in additamento ad cap. 7. lib. P. Pau, de peste*. Venæsectionis damna se quoque expertum fuisse, scribit Simonius, *lib. 2. de pest.* Dodonæus refert se in peste anni 1602, non vidisse quod sanguinis missio ulli profuerit, sed contra sanguine adhuc fluente, in quibusdam vomitus prorupisse, mortemque subsecutam esse, ut ut adhibitis omnibus cautionibus, ab iis præscriptis qui illam commendant, sectio facta fuisset. Simile etiam testatur Minderetus, *de pest. cap. 14.* obseruatum fuisse in peste sui temporis. Guil. Fabr. Hildanus, *cent. 4. obseru. 23.* refert in peste Lausannensi, omnes fere, quibus vena secta fuit, interisse. Qui celebres pestes annorum 1508, & 1529, describunt, omnes uno ore, se illud quoque comperisse testantur. Paræus, *lib. de pest. cap. 24.* talem historiam refert: *Anno Domini*, inquit, 1565, *qui annus toti fere Galliæ peste pestilentibusque morbis fœtus & funestus fuit, ex omnibus urbium, per quas Carolo IX. Regi, iter Bayonam erat, Medicis & Chirurgis diligenter ac studiosè scisciatus sum, quid ægris successisset ex purgatione & phlebotomia: una voce responderunt se fœdulo obseruasse, omnes peste correptos, quibus sanguis detractus fuerat, & corpus purgatum, deterius inde habuisse, tandemque interisse: reliquos, quibus solis alexiteriis prouisum esset, fere curatos euasisse.* Infelicem venæsectionis usum se quoque compertos habere scribunt, Gelnerus, Donzellinus, Dalechampius, Io. Heurnius, Bauhinus, Salustius Syluianus, Io. Ant. Saracenus, Petrus Salius Diuersus, Angelus Balicochus, Montanus, Io. Nauius, Cornelius Gemma, aliique plures insignes Practici: Imò VVierus, *lib. rarar. obseruat. Med.* meminit pleuritidum & anginarum pestilentium, in quibus venæsectio, quæ maximè profutura putabatur, etiam exitialis fuit. Horum virorum testimoniis adiungatur quoque nostrum, qui in hac peste venæsectionem semper damnosissimam & lethalem fuisse obseruauimus. Idem illud etiam notasse videntur Medici Antuerpienses, qui proinde *in Consil. de pest. anni 1624*, venæsectiones & purgationes omnino prohibent. Quapropter concludimus, venæsectionem in curatione pestis, tanquam maximè exitialem, semper fugiendam esse propter iam dictas rationes: quibus & illud incommodum adiungi potest, quod in peste laborantibus interdum per apertam venam effluens sanguis ægrè coërceri, & vix ullis mediis sisti possit. Sic etiam Zacutus Lusitanus, *lib. 3. Prax. obs. 41.* scribit se in peste vidisse, multum sanguinem è cucurbitulis emanantem, nec validis auxiliis, nec ipso cauterio potuisse compesci, sed omnes obiisse. Tandem pro conclusione adiungamus etiam testimonium magni Fernelii, qui, *lib. 2. de abdit. cap. 12.* sic dicit: *In peste, Medici celeberrimi, qui longo artis usu doctrinæ studia compleuerunt, prorsus abstinent à venæsectione, experti eos quibus sanguis, siue initio, siue postea esset missus, aut paulo post obijsse, aut in deterius lapsos esse. Non enim (ut quibusdam videri posset) euacuatio hanc perniciem summouet, aut imminuit, aut cohibet, ut quæ non est in humoris vitio posita: neque laborantem ulla ratione leuat, sed contrà grauius offendit. Etenim extrinsecus nos circumfundens pernicies, vacuato sanguine, & spiritu, in pulmones, in cor, & in venas facilius penetrat, & ferocia maiore inualescit: sanguis etiam phlebotomia concitatus, promptius labem contrahit, quemadmodum aqua cui sellis tantillum inieceris, si agitetur, ocyus quam si conquiescat, amarescit. Quin etiam vires agitatione imminutæ insilienti pernicies minus obsistunt. Hæ rationes experientia confirmatæ, ut a venæsectione, ita magis à validâ purgatione docent abstinendum.*

11. Oribasius, *lib. 7. Collect. cap. 20.* refert Galenum (vel, ut Amatus & alii volunt, Apollonium) cum vehemens pestis Asiam præhendisset, ipsumque attigisset, secunda morbi die, remissione febris factâ, eius scarificasse, duasque fere sanguinis libras detraxisse, hocque modo periculum euitasse. Quam historiam ipse Galenus describit, *lib. de cucurbit. & scarif. c. 20.* ubi ludum ait, quod plerique etiam

alii hoc præsidio usi, superstites remanserint. Hinc multi illud auxilium adeo præstans esse scripserunt, ut plerique peste infecti cum eo feliciter euaserint, sicut annotauerunt Claudinus, *de ingress. ad infirm. lib. 2. c. 6.* Septalius, *de pest lib. 5. c. 19.* Donatus Sanctorius, *lib. 1. ep. 2.* Aloysius Toreus, *lib. de febr. punct.* Fracastorius, *de curat. febr. punct. lib. 3. c. 5.* Ioannes Colle: *lib. de morb. malig. cap. 6.* Io. Cremona, *lib. de pest. cap. 1.* Alexander Massaria, *lib. 2. de peste.* qui omnes citatis locis de causa præstantiæ huius auxilii latè differunt. Ægyptii & Turcæ solent etiam peste correptis crura panno aspero fricare, & aqua calida fouere, deinde illa infra genu vincire, & ab interiore parte incipiendo, longiusculas incisiones triginta vel quadraginta facere, atque ita duas treve sanguinis libras extrahere: cuius curationis historiam describit Manus, *lib. de malleolor. scarificat.* eamque se Memphis in Ægypto vidisse refert: cuius curationis felix experimentum se quoque fecisse, refert Gavasletius, *in Epistol.* Quicquid sit, nos, propter rationes præcedenti annotatione dictas, in hac nostra peste tales scarificationes prorsus improbauimus, atque hinc, ut à me relictæ, sic à nullo alio durante hac constitutione, eadem feliciter institutas fuisse nouimus. Quantum ad prædictorum virorum, experientiam credimus, illam duntaxat intelligendam esse de febribus petechialibus aliisque pestilentialibus sine peste, in quibus re vera multum prodesse possunt, minimè autem de vera peste. Eustachius Rudius, *art. med. lib. 3. cap. 30.* valde commendat hirudines pectoribus natium partibus admotas, ut & cucurbitulas scarificatas, dorso potissimum è regione cordis applicatas. Verum quia etiam hæc media maximè infida esse, plurimisque citissimam mortem intulisse, experientia in hac nostra peste millies docuit, penitus à nobis reijcienda fuerunt, plurimos enim talibus sanguinis euacuationibus ab aliis duobus Medicis (quos honoris gratia non nomino) occisos fuisse nouimus, quibus tandem illi ipsi Medici (qui illud in Eustachio legisse videbantur) cum variis ex suis domesticis, miserè interempti sunt.

III. Veteres in curatione pestis maximi faciebant vesicatoria, quæ applicabant brachijs, tribus digitis supra carpum, & parte interiore crurum, paulo supra malleolum. Figura autem vesicatorij erat rotunda, magnitudo circiter latitudinis trium digitorum. Sic Galenus, 1. *de humoribus* (ut etiam narrat Rabbi Moses *in aphorismis*) scribit: ubi humor ad caput aut ventrem fertur, medicinas mordicatiuas manibus & pedibus appositas, magnopere conferre. Oribasius quoque, 8. *Collect. cap. 19.* inter remedia quæ maximè reuellunt venenum & prauos humores a partibus nobilioribus, enumerat medicamenta acria artubus apposita. Hos aliosque veteres hac in parte secuti sunt plurimi neoterici. Martilius Ficinus ante eruptionem anthracum vel bubonum, adhibet vesicatorium paulo supra carpum dextri brachij ab interiore parte, & supra talum interiorem dextri pedis. Iacobus de Partibus, *in com. supra primam quarti Auicennæ, cap. de febr. pest.* inter alia remedia conuenientia enumerat vesicatoria, brachijs & cruribus apposita, facta ex lacte vel ficuum, vel tithymali, vel cantharidibus cum fermento. Hercules Saxonia maximi quoque facit reuulsionem quæ fit per vesicatoria, qua de re latè disputat *lib. de phœnig.* Credibile est vesicatoria hoc modo applicata multum prodesse posse: nos tamen illum modum secuti non sumus, sed ipsis emunctorijs illa potius applicauimus: rationes infra petantur, *cap. 12. annot. 4. & 6.*

CAPVT IV.

DE PVRGANTIBVS ET VOMITORIIS.

AD curationem pestis è Pharmacia duo remediorum genera peti solent, nempe purgantia, & antidota sudorifera: de his sequenti, de illis verò hoc capite sermonem habebimus. Purgantia (1.) & vomitoria maxime fugienda esse, præter rationem,

tionem, in hac peste etiam docuit usus. Quapropter nos ante diem septimum nullis, ne quidem cacochymis (2.) aut cathartica, aut lenientia (3.) aut clysteres, aut aliud quippiam quod alvum citare posset, dedimus; & quamvis totis septem diebus alvum non deponerent ægri, nihil tamen mouere ausi fuimus: paucissimis enim, qui id tentaverant, feliciter cessit: at fere in omnibus (veneno a peripheria ad centrum reuocato) diarrhœa insecuta fuit incurabilis & brevi occidens. Quo autem magis cacochyma erant corpora, eo citior fluxus, & maius erat periculum. Ac proinde nos illud opus usque ad septimum morbi diem naturæ totaliter commisimus. Post diem autem septimum, tantummodo unam alteramve pilulam, ex nostris antipestilentialibus, aut Ruffi, exhibuimus. Aliis autem purgantibus vix ante diem vigesimum usi sumus, cum etiam in morbi declinatione illa non sine periculo dari animadverteremus, imò non paucis iam à morbo conualescentibus, illa valde noxia fuisse, virium que recuperationem plurimum impediuisse. Neque etiam alvi constipationem (4.) magnopere metuimus, utpote quam nullis nocuisse animadvertimus. Vomitoria qualiacunque, etiam stibiata (5.) à multis insigniter decantata, minimè probavimus, utpote quorum violentia semper corpora nimis vehementer conturbata & exagitata fuisse, atque ægros post illa se multo peius habuisse, citiusque extinctos esse, obseruauimus.

INter veteres, Auerrhoës, Aëtius, Auenzoar, Oribasius, Auicenna, Ægineta, aliique plures, curationem pestis à purgatione auspicantur: quorum vestigiis, inter neotericos, insistunt, Mercurialis, Donatus ab Altomari, Rodericus à Castro, Monardus, Hercules Saxonia, Vallesius, Augenius, Septalius, Iohannes Bravus, Conciliator, Paschalius, Zacutus Lusitanus, aliique plurimi doctissimi viri, qui omnes purgantia in curatione pestis conuenire, his rationibus confirmant:

1. Quia Hippocrates, 4. *aphoris.* 10. inquit: *Medicamento purgante utendum in valde acutis, si materia turget, eadem die; tardare enim in talibus, malum.* Atqui pestis est morbus acutus, in quo materia turget, ergo, &c.

2. Quia venenum pestilens cum nullam coctionem recipiat, citissimè est exturbandum, sicut docet Galenus, 4. *de sanitat. tuend. cap.* 3. inquiens: *Quod omnino alienum est, nulla ratione fieri potest, ut id naturæ suæ gratiam recipiat, sed educere id, quamprimum est tentandũ.*

3. Quia vomitus bilioli, capitis dolores, cardialgiæ, inquietudines, aliaque multa symptomata, purgationem necessariam esse demonstrant.

4. Quia compertum est purgantia multis ægrotis peste correptis plurimum profuisse.

Verum non obstantibus his validissimis ac verisimilibus rationibus, præclarissimorum veterum & neotericorum Medicorum auctoritate munitis, nos tamen purgantia in pestis curatione plane non conuenire dicimus, & sequentibus rationibus probamus.

1. Quia venenum pestilens, cum nullam coctionem recipiat, statim quidem (secundum Hippocratis dogma) exturbandum est; sed illa exturbatio (docente eodem Hippocrate) fieri debet per vias lege naturæ commodas, ad quas natura feliciter vergere animaduertitur: atqui ab omni æuo obseruatum fuit, ipsam naturam semper feliciter moliri veneni pestilentis expulsionem à centro ad peripheriam, per sudores, tumores & anthraces, & ex hoc motu salutaria signa desumi, sicut lethalia ex omni contrario naturæ motu, qui fit à peripheria ad centrum: ergo cum purgantia peruerso motu moueant, per vias lege naturæ incommodas, planè non conueniunt.

2. Quia purgantia cacochymiam quidem corrigunt, & corruptos putridosque humores (à quibus pestilentiæ causa non dependet) expellunt, sed ipsum venenum pestilens cordi ac spiritibus inhærens, educere nequeunt, quia nullum purgans medicamentum (inquit Crato) pestilens seminarium eiicit; quod tamen primò & citissimè extirpare necesse est, antequam ipsius vitalitatis fontem extinguat.

3. Quia cathartica humores & spiritus imminuunt, exagitant, confundunt, & corporis vires dissolvunt; quas hic conseruare maximè necessarium est.

4. Quia plurima cathartica, præterquam quod venenis non resistant, venenata ac maleficā qualitate prædita sunt.

5. Quia maligni & putridi humores ipsimet per se naturam maximè stimulant; qui si aliquo modo agitentur, & ad intestina trahantur, cum furore eò decumbunt, & validissimas ac perniciosas euacuationes faciunt.

6. Quia experientia hactenus docuit, fere omnes ægros peste laborantes, qui purgantia sumpserunt, subsequente ut plurimum lethali diarrhœa, vel exitiali virium prostratione, fuisse extinctos; quod etiam Paræus & Ioannes Morellus in praxi se obseruasse testentur. Ipse Hippocrates, 3. *epidem. text.* 3. de grauissima pestilenti constitutione agens, inquit: *Purgationes multos offendebant, quorum qui sic habebant, subitò multi periebant; multis malum producebatur.* Sic etiam referunt Annalium scriptores, anno 1510, pestem in Gallos sæuisse, & in huius curatione obseruatum fuisse, à purgantibus, etsi leuioribus, exhibitis, ægros multo citius interisse. Forestus scribit, anno 1557, in peste Delphensi, omnes qui statim ante tertium vel quartum diem purgabantur, periisse; & quocunque fere tempore purgans medicamentum sumerent, paucos pristinæ sanitati restitutos fuisse. Io. Anton. Saracenus testatur in peste Geneuensi, fere omnes eos quibus, siue mox ab initio, siue postea essent humores catarcticō medicamento agitati vehementius, vel esset corpus sanguinis missione inanitum, aut non multo post obiisse, aut in deterius lapsos esse. Palmarius refert in peste anni 1565, omnes fere perfanatos fuisse, qui neglectis vacuantibus sola antidota sumpserunt. Idem, *lib. de febr. pest. cap.* 7. hic vicit. *Vix centesimus quisque euadit ex iis quibus bubones aut carbunculi intro remeantes citra suppurationem subito disparent: vel qui incipiente morbo cathartico utuntur, vel spontaneo alui profluuio corripiuntur, vel exacto triduo quatriduoque, secta vena spiritu & sanguine spoliantur.* His notationibus fauent multorum clarissimorum Medicorum scripta. Rhazes purgationes valde suspectas habet. Galenus, 9. *Simpl.* solam bolum Armenam, non autem purgationes profuisse, scribit. Cornelius Celsus, *lib. 3. cap.* 7. dicit, in peste minimè ducendam esse alvum. Fernelius, 2. *abdit. cap.* 12. scribit, in peste abstinendum esse à venæsectione & purgatione, propterea quod causa pestis à venenata qualitate scaturiat, quæ antidotis expugnanda, & per sudores eliciendā est. Christophorus à Vega, *lib. 3. prognost. in comment. sent.* 15, & 1. *aphoris.* 23. hic ait: *In febre pestilenti naturæ motus uniuersus est ad cutem, hunc Medicus per ea quæ sudorem eliciunt, iuuabit: unicè autem cauebit ne per alvum euacuet, quod is motus naturæ instituto è diametro oppugnet.* Inter reliquos neotericos, purgantia, tanquam damnosissima, quoque reijciunt doctissimi viri, Hieronymus Cardanus, *lib. 2. contrad.* 4. Crato, *lib. de peste*: Gregorius Horstius, *decad.* 10. *probl.* 1. Mundella, *epist.* 16. Pereda, *lib. 2. in meth.* Palchal. *in schol. cap.* 9. Ioannes Bokelius *regim. part.* 2. *cap.* 9. Aquapendens, *lib. 1. tumor. præternat. cap.* 17. Vallesiola, *in append. loc. com. cap.* 2. Leonardus Fuchsius, aliique plures. Hercules Saxonia tamen *Prax. lib.* 8. *cap.* 37. hac in re tali distinctione utitur, nempe, si pestis originem duxerit à causa externa, & inualerit corpus probis humoribus refertum, tunc in curatione probari posse purgationes, nec illas alui fluxum inducturas, metuendum esse: sin minus, non probari purgationes. Hanc distinctionem ratio non minus quam experientia euertit. *Illa*: quæ docet nulla dari purgantia quæ venenum pestilens extrahant: præterea in corporibus cacochymis purgantia, defectu cacochymiæ, non posse non educere humores bonos & laudabiles, atque ita per cōsequens vires (quarum in peste maxima ratio habenda est) grauiter deficere, nec minus salutari operationi naturæ obesse, eamque contrario motu interturbare. *Hæc*: quæ in ægris innumeris cacochymis lethales alui fluxus purgantium usu inductos fuisse, & nobis & plurimis aliis videndum exhibuit.

11. Quæri posset, si in corpore cacochymo magnam humorum putredinem pesti adiunctā esse animaduerteretur, an tunc non liceret in principio curationis per cathartica humorum putrido-

putridorum copiam, sicque ipsam putredinem, imminuere? Minimè, quia in corporibus cacochymis peste infectis longè grauior & periculosior metuendus est alui fluxus, quam in eu-chymis. Præterea, quia curatio incipienda est ab eo quod magis urget & maius periculum minatur, nempe à veneno, (neglectâ tantisper humorum putredine, quæ interim per alexipharmaca, ratione veneni adhibita, simul egregiè coërcetur) eique citissimè resistendum, antequam radices agens vitæ fundamenta subuertat. Illo autem expugnato hoste, reliqua minoris periculi mala (qualia sunt cacochymia, calor in sanguine & spiritibus accensus, humorum putredo, &c.) si naturæ solius vi non euanescant, artis subsidio commodius euincentur.

III. Ad euacuationem corporum peste infectorum alii alia commendant; alii clementioribus, alii fortissimis catharticis utendum censent. Hercules Saxonia pilulas Ruffi, & serum caprinum cum syrupo rosato solutiuo laudat: quo syrupo solo mauult uti Fracastorius: alii syrupum fumi terræ, alii pomorum solutivum commendant: alii rhabarbarum, senam, agaricum, diacatholicum, & similia, magni faciunt. Multi etiam in peste alvum, si sponte non deiiciat, lenire iubent clystere emolliente, sarpositorio, decocto prunorum cum manna, infusione foliorum sennæ & rhabarbari: aliisque similibus. Verum licet omnia hæc leuia tantum esse videantur, attamen in hac nostra peste ante diem septimum exhibita, præsens periculum inferebant; atque ita, proh dolor! Nouiomagenses multi, qui huius illiusve consilio talia assumpserant, infeliciter perierunt. Sic non semel solum syrupum rosatum solutivum, aut de cichoreo cum rheo, nonnunquam solum prunorum decoctum, ut & ipsam quoque mannam, ac clysmata emollientia, diarrhœas lethales excitasse, summasque virium prostrationes citò induxisse, visum fuit: de rhabarbaro quoque & foliis sennæ plurima tristia extiterunt exempla. Quapropter non possumus non mirari, quod multi celeberrimi Medici, his lenioribus, & tamen periculosis, nondum satis contenti, adhuc ad longe fortiora cathartica confugiant, idque, ut aiunt, secundum regulam: *Ad extremos morbos extrema sunt adhibenda remedia*. Haud secus ac si conueniret in extremis morbis causam morbificam violentis medicamentis agitare per vias lege naturæ incommodas, per quas expelli nequit. Sic legimus Fallopium gloriari se fortibus purgantibus in ægris peste correptis feliciter usum fuisse, & inter cætera, cum Auenzoare, maximè extollere calidissimum illud medicamentum euphorbium: dicere etiam, Iacobum Carpensem, maximi nominis Chirurgum, innumeros tali modo sanasse. Gentilis, 4. *can. fen.* 1. refert suo tempore Medicos scammoneata & validissima purgantia ægrotis pestiferis exhibuisse. Paræus etiam extollit diagridium. Mercurialis in principio curationis, cū Auerrhoë, laudat pilulas cochias, ut & euphorbiū. Marsilius Ficinus confectionem hamech: Heurnius trypheram Persicam tanquam specificum: alii diaturbith cum rhabarbaro, alii benedictam laxatiuam commendant. Hollerius hellebori drach. j. pomo includit, quod stuppis aqua rosacea madefactis inuolutum, sub cineribus assat, idque pomum comedendum offert: sed albumne an nigrum sumat helleborum, nō addit. Etiam Capiuaccius ad helleborum, nec non euphorbium, scammonium, colocyntidem, trochiscos alhandal confugit. Paracelsistæ exhibent suum turbith minerale, quod ex mercurio præcipitato præparatur; quem mercuriū exhibere audet Guilhelmus Magistrius, eoque medicamento pestilens venenum per alvum & vomitum optimè expelli ait: quod tamen Antonius Valetius (*in Schol. ad Hollerij lib. de peste*) dicit nefas esse imitari. Nos verò experientiâ plus satis edocti, existimamus nefas esse ullum violentum catharticum, qualecunque fuerit, peste correptis exhibere; imò ipsa quoque lenientia non, nisi maxima aliqua necessitate urgente, exhibenda esse, idque summa cum prudentia: nam in hac peste fere omnes periisse vidimus, quibus, ante diem septimum alvus, vel sponte, vel arte commota fuit. Quantum ad prædictorum virorum auctoritates, dicimus illa fortia purgantia in febribus malignis, petechialibus, aliisque morbis pestilentialibus (qui à prædictis viris fortè sub nomine pestis describuntur) interdum fortassis prodesse posse, minimè autem in vera peste; & si forte aliquibus

quibus robustissimis naturis nō infeliciter cessserit catharticorum operatio, tamen inde, tanquam ab experientia, concludi non posse, cathartica (vel etiam venæsectiones) ad curationem pestis semper maximè conducere & necessaria esse; qualem regulam generalem, à paucissimis ægris sibi quondam Nardeni visis, Medicis Practicis libenter inculcaret Clarissimus Regius.

IV. Alui adstrictionem non modo non nocere, sed primis diebus prodesse, sæpius observauimus. Ratio erat, quia hoc pacto unitæ nec aliorsum distractæ Naturæ vires, validiores erant, & in pestilens venenum alacrius insurgebant. Huic nostræ experientiæ etiam fauet Iulius Palmarius, qui, *lib. de febr pest. cap.* 23, sic ait: *Quamdiu xenodochio curandis ægrotantibus præfui, eos quibus per initia alvus adstricta esset, etiamsi nullo alio remedio uterentur, præterquam Mithridatio, magna ex parte convaluisse deprehendi: contra verò quibus sponte vel arte profluxerat, omnes fere occubuisse.*

V. Droëtus, *de pest. cap.* 11. Quercetanus, *in alexic. lib.* 2. *cap.* 7. Matthiolus, *in comment. ad cap.* 59. *lib.* 5. *Dioscoridis*, & cum illis multi alii Chymici ac Empirici, stibium præparatum in pestis curatione summis laudibus extollunt, atque illud, si in morbi principio, viribus adhuc constantibus, exhibeatur, mirabili & occulta quadam proprietate venenatam perniciem una cum noxiis humoribus furtim deorsumque expellere dictitant. Ex hoc etiam Angelus Sala, *lib. de peste*, tale oxysaccharum vomitivum componit, quod singulari proprietate pesti resistere scribit:

Rec. *Vitri antimonij hyacinthini subtilissimè pulverisati, unc.* j.
cinnamomi electi,
zedoariæ,
ligni aloes,
seminis angelicæ, ana drach. ij.
croci orient. drach. ij.
coccis rosacei unc. xviii.
Omnia misceantur in vitrum fubure bene clausum, & digerantur in B. M. horis 24. *postea liquor frigefactus filtretur per chartam emporeticam: deinde cum aqua rosarum tantum sacchari solvatur quantum est pondus liquoris predicti, quod coquatur ad consistentiam tabellarii, & ita calidam cum predicto liquore pedetentim misceatur, & formetur usui. Dosis drach* ij. *ad unc.* j.

A vomitoriis ex antimonio curationem pestiferorum incipiendam, & post vomitum ad alexiteria sudoritera progrediendum esse, etiam censet, Th. Willis, *lib. de febr. cap.* 13. eaque methodo etiam usum fuisse scribit Henricum Sayer, medicum Londinensem eruditum, qui peste laborantes passim curabat. Verum cum ipsum stibium venenata qualitate præditum sit, cum in hoc morbo motu naturæ contrario moueat, cum vires ægrorum maximè deficiat, cum pestilentem labem cordi spiritibusque impressam exagitet, & non educat. cùm innumeris Medicorum obseruationibus constet eiusdem usu plurimos peste laborantes occisos fuisse, ac paucissimos euasisse; quis, quæso, stibium ad curationem pestis tuto consilio, saluaque conscientia adhiberi posse iudicabit? Quis non magis adhuc abominandum censebit consilium Arnoldi Villanouani, qui *prax. lib.* 3. *cap.* 1. præter stibium, etiam hoc sequens laudat.

Rec. *turpethi mineralis, vel Mercurij præcipitati, gr.* vi.
misce cum pauxillo theriacæ, & exhibe cum syrupo appropriato.

Hoc dicit non modo alvum subducere, sed & vomitum simulque sudorem excitare. Profecto, qui pertinacem luem Veneream isto remedio aliquoties curarunt, illi horrendas illius Mercurii vires, quantas anxietates, & quantas salivationes inducat, satis nouerunt, quales operationes pestiferorum debiles vires omnino sufferre nequeunt. Adde quod euacuationes per alvum, vomitum, & salivationes maxime damnosas in pestis curatione fuisse, semper docuerit experientia: & quod Mercurius, præterquam quod sit violentissimum remedium, etiã in se nihil speciale habeat, quo venenum pestilens impugnare possit.

CAP.

CAPVT V.

DE ANTIDOTIS ET SVDORIFERIS.

CVm pestilens venenum primariò vitæ huius asylum, cor, impugnare soleat, in pestis curatione ante omnia regii visceris rationem habere, eique citissimè suppetias ferre oportet, ut hostis truculentissimi iniuriis fortius resistere queat. Huic primariæ intentioni seu indicationi ut satisfiat, statim ab ipso principio ad antidota (1.) & sudorifera confugiendum est: nam præsentissimum subsidium, quod cordi in his angustiis constituto adferri potest, inest medicamentis alexicacis, præcipuè talibus quæ sudores mouent: hæc enim specifica vi cor à venenis tuentur, ac simul etiam pestilentis labis vires infringunt, obtundunt, atque foras expellunt. Sunt autem hæc alexipharmaca multa & varia, è quibus modò hæc, modo illa magis conueniunt, & variis quoque modis miscentur, pro vario malignitatis & auctæ putredinis gradu (2.) pro varia febris adiunctæ intensione vel remissione, pro vario ægrotantium temperamento, sexu, & ætate, pro regionum & anni temporis varietate, aliisque circumstantiis; quarum decisio ex Medici iudicio atque prudentia omnino dependet, neque certis regulis determinari potest. Horum alexipharmacorum plurima nobis in usu fuerunt in curatione huius pestis, inprimis verò hæc (3.) sequentia. Radices: carlinæ, petasitidis, aristolochiæ, helenii, dictamni, valerianæ, ostrutii, bistortæ, zedoariæ, gentianæ, angelicæ, eryngii, vincetoxici, calami aromatici, tormentillæ, bulbi caparum. Herbæ: scordium, rutha, carduus benedictus, veronica, tanacetum, pimpinella, scorzonera, absinthium, plantago, abrotanum, rosmarinum, melissa, scabiosa, morsus diaboli, verbena, marubium album, centaurium minus, acetosa, borago, buglossa, betonica, artemisia, hedera terrestris. Flores: stœchados, rosarum, balaustiorum, croci, (4.) nymphææ, calendulæ, sambuci. Fructus: berberis, ribesii rubri, poma cydonia, citrea, aurantia, granata, eorumque cortices & succi. Semina: citri, cardui benedicti, acetosæ, coriandri, quatuor frigida maiora: Omphacium, vinum, spiritus vini, acetum vini simplex, vel sambucinum, calendulatum, aut rosaceum. Aquæ distillatæ: cardui benedicti, acetosæ, boraginis, scabiosæ, rosarum, cinnamomi. Nux moscata, macis, gariophylli, cinnamomum, santala omnia, lignum sassafras. Myrrha, camphora, (5.) succinum, margaritæ, lapis bezoar. (6.) corallium rubrum, cornu cervi crudum & præparatum, (7.) ebur ustum, oculi cancri, flores sulphuris, (8.) terra sigillata, bolus armena, (9.) Salia; cardui benedicti (10.) absinthii, scordii, ruthæ prunellæ. Extracta: cardui benedicti, petasitidis, ruthæ, angelicæ. Syrupi: granatorum acidorum, cydoniorum, scordii, de succo citri, conseruationis radicum, helenii condit. Olea: succini, citri, iuniperi, nucis moscatæ, cinnamomi, vitrioli, (11.) sulphuris, baccarum lauri, scorpionum. Conserue: anthos, melissæ, absinthii, rosarum, florum calendulæ, boraginis. Condita: cortices citri, limonum, aurantiorum, rad. helenii, eryngii, calami aromatici, cydonia condita, myra cydoniorum, rob ribesii rubri, berberis, acaciæ, saccharum perlatum. Pulueres: liberantis (12.) Bezoarticus Renodei, aromatici rosati, diamargariti frigidi, diatrium santalorum, diarrhodonis Abbatis. Trochisci: de viperis, (13.) de camphora, de terra sigillata. Electuaria iun. perlinum, confectio alkermes, & de hyacintho (14.) sine moscho, (15.) Theriaca

Andro-

montibus erumpens, ut & putealis illa quæ ex simili fundo ascendit. Aquæ verò stagnantes & puteales illæ, quæ è lutosis ac cœnosis puteis emergunt, cum facile, inprimis tempore pestis, putrescant, corrumpantur, & malignitatem aliquam suscipiant, atque in se contineant, maximè damnosæ sunt; ut & aquæ fluviatiles, in quas tempore pestis omnium urbium in littoribus fluminum sitarum, infecta inquinamenta effluunt & proiiciuntur. Atque huiusmodi aquarum stagnantium corruptarum, & fluvialium infectarum usus in causa fuisse potuit, quod in pago Schoonderloo (de quo Forestus loquitur) ubi alias aquas non habent, omnes peste laborantes ab aquæ potu mortui sint; si non violentiæ morbi potius, quam aquæ potui illorum mors adscribenda fuerit. Aquas autem stagnantes facile corrumpi & putrescere, testis est Auenzoar, *lib. 3. cap. 2.* ubi sic inquit: *Aquæ mortuæ quæ non mouentur, & fœcibus replentur, illæ putrescunt & fœtent, & sunt causa corruptionis aeris & pestilentiæ.* Hinc etiam Ouidius ait:

Et vitium capiunt, ni moueantur, aquæ.

Dico; *Dummodo non peccetur in nimia quantitate*: nam nimia copia, etiam optimæ aquæ, noxam infert. Quapropter planè reijciendum est consilium Celsi, Paræi, aliorumque qui frigidam larga manu usque ad satietatem bibere iubent: qui modus, sicut in aliis quibusdam ardentibus utilis, ita in pestiferis damnosissimus existit. Concludimus ergo, moderatum solius aquæ optimæ (qualis Nouiomagi est aqua putealis & fontana) usum, peste correptis tutò permitti posse: ac proinde nos in hac peste illam bibere cupientibus, eo modò liberè concessimus, neque ulli unquam nocuisse, obseruare potuimus; imò contra animaduertimus, alios qualescunque potus ægros sæpe maximè grauasse, usque anxietates induxisse, cum aquæ simplicis potus nihil tale efficeret, sitim melius extingueret, & ægros alacriores redderet.

V. Duncanus Liddelius, *3. de febr. cap. 6.* duas potiones gratissimas, hic apprimè conuenientes, præscribit, quarum prior hæc est:

Rec. *Limaturæ cornu cerui unc. ß.*
succi citrini,
corticum citri,
cinnamomi electi, ana drach. ß.
aquæ puræ fontanæ, lib. iij.
coquantur lento igne ad tertiæ partis consumptionem; colatura admisce,
succi limonum, unc. j ß.
sacchari albi unc. ij. ß.
leniter bulliant, & fiat potio clara.

Posterior sic se habet:

Rec. *Aquæ hordei lib. iij.*
aceti vini optimi,
succi acidi citri, ana unc. j ß.
sacchari unc. iij.
fiat ß. art. iuleb. cuius aciditas pro voluntate ægri augeri vel imminui potest.

VI. De vini usu, anne conueniat peste correptis, nec ne, acriter disputatur apud Medicos. Multi ob virium dejectionem, syncopen, spirituum oppressionem, aliaque similia mala, concedi debere iudicant, quia vinum vires corroborat, spiritus reficit, malignitati, putredini ac corruptioni restitit, & sudorum promotionem adiuvat. Contra alii ob febrem, eiusque ardorem, & inflammationes internas, illud cane pejus & angue fugiendum esse arbitrantur. Ad quæstionis solutionem dicimus, propter magnam debilitatem vel syncopen vini usum permitti posse, dummodo æger non sit valde bilosus, & febris non sit vehementer ardens, neque adsit sopor vel capitis dolor, aut ullum delirii signum, neque visceris alicuius inflammatio: dummodo etiam æger sit vino assuetus, neque sit puer; (nam in his vino curare, non satis tutum, inquit Celsus) dummodo etiam morbus non sit in principio, sed circa statum. Extra hos casus vinum tenue, dilutum, subacidulum & aquosum concedi potest. nam vires citissimè reficit, viscera corroborat, & malignitati restitit. Dicto etiam fauet experientia, nam nos multoties vinum in hac peste tali modo tutissimè exhibuimus, non tantum sine damno, verum etiam cum insigni emolumento. Hoc ipsum quoque expertus videtur Mindererus, qui capropter *lib. de pest. cap. 19.* de vino hæc scribit. *Vinum*, inquit, *tempestiue ac suo loco, consideratis omnibus circumstantijs, exhibitum, magni medicamenti vicem gerit, hoc enim ægri celerrime recreantur, ac regeneratis denuo spiritibus, vires resumunt, & quodam modo renituscunt, ut mirari quandoque liceat, naturam tantopere delassatam, pauci meri exhibitione tam cito refocillari*

ac

ac insurgere. Vinum ægrotis exhibere, iubet etiam, in pestis curatione versatissimus Iulius Palmarius, *lib. de peste, cap. 16. Potus*, inquit, *esto vinum album, vel gilvum odorum, bene defæcatum, beneque maturum: hoc enim languidioris naturæ vires, dissectosque spiritus mirifice recreat atque reparat, & optimum pestilentis veneni antidotum existit, simplici peste perculsis nunquam denegandum: sed diluatur aqua fontana, quæ cum rasura cornu cerui februerit. Diluendum autem pro consuetudine, si simplex pestis nec sui, nec ardore insigni fatigat. At si febri putridæ implicita est, urgentque calor, dolor, sitis, ac præterea si feruentissimus æstus sit, vel regio torrida, vel natura ægrotantis biliosa, vel oligophorum... seligendum, liberaliusque diluendum atque temperandum, vel in totum vino interdicendum est*. Sic quoque Riuerius, *lib. de febr. sect. 3. cap. 1.* dicit se peste laborantibus vinum cum felici successu sæpissimè exhibuisse. Et Zacutus Lusitanus, *Prax. admir. lib. 1. obseru. 93.* solo vini usu restituit mulierem maligna febre laborantem, & iam fatalem terminum exspectantem. De vino ad huc nonnulla videantur, *lib. 2. cap. 6. annot. 14.*

CAPVT III.

EE AVXILIIS CHIRVRGICIS.

AVxilia quæ ad pestis curationem Chirurgia subministrat, varia sunt, præcipuè quãdo anthraces & bubones curandi occurrunt, de quibus agemus suo loco; hic solummodo dicturi de generalibus chirurgicis auxilijs, nempe Venæsectione, scarificatione, & vesicatorijs. Nos durante hac peste venæsectionem (1.) damnosissimam fuisse animaduertimus, ac proinde venam nullis secuimus, nec sanis, nec ægris, imò vix quidem in alijs morbis, qui venæsectionem exigere videbantur. Illud enim obseruauimus, si peste correptis vena secaretur, illos ad unum omnes certò & citò obisse: si alijs morbis laborantibus, his statim post venæsectionem se adiunxisse pestem: si sanis, plurimos eorum, qui illud tentauerant, breui post peste correptos fuisse. Scarificationibus, (2.) cucurbitulis, & hirudinibus, loco venæsectionis, etiam usi non sumus, sed solis duntaxat vesicatorijs (3.) emunctoris applicatis.

1. IN curatione pestis maximum dubium occurrit de venæsectione, utrum illa conueniat, nec ne: eáque de re maximè discrepantes sunt Medicorũ opiniones, & alij hanc, alij illam partem, tanquam pro aris & focis defendunt, ac singuli suam opinionem ita mordicus tenent, validisque rationibus confirmant, ut ne ad unguis quidem latitudinem inde diuelli possint: neque his, neque illis grauissimæ auctoritates, & præstantissimorum Medicinæ procerum contentientes sententiæ desunt. Affirmatiuam partem defendunt, Lud. Mercatus, Trincauellius, Ioannes Costæus, Altomarus, Pereda, Andernacus, Lud. Septalius, Ianus Antonius Saracenus, Nicolaus Massa, Montuus, Paulus Mongius, Paschalius, Fonseca, Mercurialis, Forestus, Zacutus Lusitanus, aliique plures clarissimi Medici, qui hanc opinionem variis rationibus confirmant.

1. Quia si plethora adsit, necessariò quærendum est citum remedium ad illam soluendam, ut corpus perspirabile reddatur: atqui tale remedium est venæsectio.

2. Quia in febribus putridis venæsectionem conuenire, eamque putredines maximè coercere, notissimum est; atqui illæ adsunt pesti.

3. Quia per venæsectiones citissimè euacuatur venenati ac putridi humoris magna pars, & natura à maiore sarcina leuata, quod postea reliquum est facilius euincit.

4. Quia per venæsectiones fiunt commodissimæ reuulsiones à partibus illis in quas venena-

tus

tos humor decumbit; nempe bubonibus & carbunculis.

5. Quia Hippocrates, 6. *epidem.* in affectionibus pestilentialibus usus fuit venæsectione, eamque etiam approbauerunt, Galenus, Rufus, Paulus, Oribasius, aliique veteres: quorum opinioni quoque subscribens Auicenna, 1. 4. *Tract.* 4. *cap.* 4. sic inquit: *Summa curationis pestilentium febrium est exsiccatio, & illud cum phlebotomia & solutione ventris.*

6. Quia experientia multoties docuit illud remedii genus multum profuisse; & Petrus Bayrus, *lib.* 20. *cap.* 8. illud confirmat manifestissimo exemplo mulieris peste laborantis, venæsectione curatæ.

Hæc sunt præcipua fundamenta quibus affirmatiua opinio maximè nititur: qui plura alia videre cupiet, legat Alexandri Massariæ *lib.* 2. *de peste*, ubi hanc affirmatiuam mordicus tenet, eamque, tanquam pro aris & focis, defendit.

Negatiuam autem partem doctissimè tuentur, Cardanus, Fernelius, Platerus, Raymundus à Vinario, Petrus Salius, Andreas Chiocchus, Palmarius, Mindererus, Andreas Treutsius, aliique grauissimi viri, cum quibus etiam nos sentimus, in pestis curatione omnino non conuenire venæsectionem.

1. Quia pestis non inducitur nec generatur à plethora, obstructione, aut humorum putredine, sed a veneno.

2. Quia venæsectione non potest extrahi aut imminui venenum pestilens, neque euacuari malignitas cordi & spiritibus vitalibus inhærens.

3. Quia maioris causæ maior est habenda ratio: ac proinde, quamvis febris (quæ tamen semper non adest) ratione putredinis, venæsectionem poscere videatur, quia tamen venenum ratione suæ malignitatis illam prohibet, & alexipharmaca citissime poscit, maior ratio habenda est veneni, quam putredinis.

4. Quia venæsectione detrahitur vitæ thesaurus sanguis, & vires maxime deficiuntur, quas in peste omnium maxime conseruare oportet, ut furiosissimo morbo Natura fortiter resistere queat.

5. Quia venæsectio, cum trahat à peripheria ad centrum, peruertit laudabiles & necessarias naturæ operationes, quæ fiunt à centro ad peripheriam, per sudores, tumores, & anthraces; quas operationes non impedire, sed promouere oportet.

6. Quia venæsectio spiritus & humores exagitando, eosdem disponit ad venenum pestilens promptius suscipendum.

7. Quia venenum pestilens, vel foris circa peripheriam, vel intus alicubi in partibus ignorabilibus sanguini nondum permistum hærens, inanitis venis, facile illas ingreditur, ac sanguinis massæ permiscetur.

8. Quia Hippocrates in vera peste non fuit usus venæsectione, ut liquet 1. *epidem. in Historia Critonis*, aliisque in locis; imò 6. *epidem. sect.* 7. *text.* 1. cum in morbis quibusdam pestilentialibus venæsectiones in multis ægris tentasset, nunquam tamen illas profuisse, ipsemet testatur. Quapropter ipse quoque Galenus, *lib. de cibis boni & mali succi*, *cap.* 1. laudat illos Medicos, qui in peste paucissimè auli fuerunt sanguinem mittere: & dicit in ea pestilentia fuisse temporis veniam paucissimis fectam fuisse. Sic. 1. *de differ. feor. cap. de febr. pestil.* phlebotomiam inter pestis remedia non recenset, imò de ea ne verbum quidem facit. Et 9. *simpl. cap. de terra Samia*, testatur nulla alia remedia in peste profuisse, præter bolum Armenam, ergo neque venæsectiones. Ad hæc, 4. *de tuenda sanit. cap.* 4. venam secare vetat, humoribus a sanguinis natura multum recedentibus: quod iterum confirmat *lib. aduersus Iulian.* & 11. *Methodi*, *cap.* 14.

9. Quia experientia à multis seculis docuit, venæsectiones in peste semper damnosissimas fuisse: & si forte uni aut alteri sanguinis missio feliciter cesserit, illud tamen communissimam experientiam euertere nequit; & credendum potius, vel rarissimum quid accidisse talibus ægrotis, vel illos vera peste non laborasse, sed febribus pestilentialibus sine peste, quales sunt petechiales, aliæque similes, in quibus venæsectiones maxime laudabiles habentur. Maximã autem esse experientiam, quæ semper docuit in peste cũ intelligentissimo successu institutam fuisse venæsectionem, liquet ex Medicorum scriptis. Andernacus, *lib. de pest.* testatur in pestilentia

sui

sui temporis venæsectionem magnum damnũ dediſſe, extinctis omnibus iis qui illam adhibuerant. Fallopius obſeruauit in longa peſte, ab anno 1524 ad 1530, omnes extinctos eſſe, quibus vena ſecta fuerat; multos autem hanc venæſectionem omittentes, ſeruatos fuiſſe. Illud ipſum in duabus peſtibus ſe quoque obſeruaſſe, teſtatur Henricus Florentinus, inſignis Practicus Leydenſis, *in additamento ad cap. 7. lib. P. Pau, de peste*. Venæſectionis damna ſe quoque expertum fuiſſe, ſcribit Simonius, *lib. 2. de peſt.* Dodonæus refert ſe in peſte anni 1602, non vidiſſe quod ſanguinis miſſio ulli profuerit, ſed contra ſanguine adhuc fluente, in quibuſdam vomitus prorupiſſe, mortemque ſubſecutam eſſe, ut ut adhibitis omnibus cautionibus, ab iis præſcriptis qui illam commendant, ſectio facta fuiſſet. Simile etiam teſtatur Mindererus, *de peſt. cap.* 14. obſeruatum fuiſſe in peſte ſui temporis. Guil. Fabr. Hildanus, *cent. 4. obſeru.* 23. refert in peſte Lauſannenſi, omnes fere, quibus vena ſecta fuit, interiiſſe. Qui celebres peſtes annorum 1508, & 1529, deſcribunt, omnes uno ore, ſe illud quoque comperiſſe teſtantur. Paræus, *lib. de peſt. cap.* 24, talem hiſtoriam refert: *Anno Domini*, inquit, 1565, *qui annus toti fere Galliæ peſte peſtilentibuſque morbis fœtus & funeſtus fuit, ex omnibus urbium, per quas Carolo IX, Regi, iter Bayonam erat, Medicis & Chirurgis diligenter ac ſtudioſè ſciſcitatus ſum, quid ægris ſucceſſiſſet ex purgatione & phlebotomia: una voce reſpondерunt ſe ſeculo obſeruaſſe, omnes peſte correptos, quibus ſanguis detractus fuerat, & corpus purgatum, deterius inde habuiſſe, tandemque interiiſſe: reliquos, quibus ſolis alexiteryis prouiſum eſſet, fere curatos euaſiſſe.* Infelicem venæſectionis uſum ſe quoque compertos habere ſcribunt, Gelnerus, Donzellinus, Dalechampius, Io. Heurnius, Bauhinus, Saluſtius Syluianus, Io. Ant. Saracenus, Petrus Salius Diuerſus, Angelus Balicochus, Montanus, Io. Næuius, Cornelius Gemma, aliique plures inſignes Practici: Imò VVierus, *lib. rarar. obſeruat. Med.* meminit pleuritidum & anginarum peſtilentium, in quibus venæſectio, quæ maximè profutura putabatur, etiam exitialis fuit. Horum virorum teſtimoniis adiungatur quoque noſtrum, qui in hac peſte venæſectionem ſemper damnoſiſſimam & lethalem fuiſſe obſeruauit animus. Idem illud etiam notaſſe videntur Medici Antuerpienſes, qui proinde *in Conſil. de peſt. anni* 1624, venæſectiones & purgationes omnino prohibent. Quapropter concludimus, venæſectionem in curatione peſtis, tanquam maximè exitialem, ſemper fugienda eſſe propter iam dictas rationes: quibus & illud incommodum adiungi poteſt, quod in peſte laborantibus interdum per apertam venam effluens ſanguis ægrè coërceri, & vix ullis mediis ſiſti poſſit. Sic etiam Zacutus Luſitanus, *lib. 3. Prax. obſ.* 41. ſcribit ſe in peſte vidiſſe, multum ſanguinem è cucurbitulis emanantem, nec validis auxiliis, nec ipſo cauterio potuiſſe compeſci, ſed omnes obiiſſe. Tandem pro concluſione adiungamus etiam teſtimonium magni Fernelii, qui, *lib. 2. de abdit. cap.* 12. ſic dicit: *In peſte, Medici celeberrimi, qui longo artis uſu doctrinæ ſtudia compleuerunt, prorſus abſtinent à venæſectione, experti eos quibus ſanguis, ſiue initio, ſiue poſtea eſſet miſſus, aut paulo poſt obiiſſe, aut in deterius lapſos eſſe. Non enim (ut quouſdam videri poſſet) euacuatio hanc perniciem ſummouet, aut imminuit, aut cohibet, ut quæ non eſt in humoris vitio poſita: neque laborantem ulla ratione leuat, ſed contrà grauius offendit. Etenim extrinſecus nos circumfundens pernicies, vacuato ſanguine, & ſpiritu, in pulmones, in cor, & in venas facilius penetrat, & ferocia maiore inualeſcit: ſanguis etiam phlebotomia concitatus, promptius labem contrahit, quemadmodum aqua cui fellis tantillum iniecеris, ſi agitetur, ocyus quam ſi conſiſtat, amareſcit. Quin etiam vires agitatione imminutæ inſilienti pernicieи minus obſiſtunt. Hæ rationes experientia confirmatæ, ut a venæſectione, ita magis à validâ purgatione docent abſtinendum.*

11. Oribaſius, *lib. 7. Collect. cap.* 20. refert Galenum (vel, ut Amatus & alii volunt, Apollonium) cum vehemens peſtis Aſiam præmeditaret, ipſumque attigiſſet, ſecunda morbi die, remiſſione febris facta, eius ſcarificaſſe, duaſque fere ſanguinis libras detraxiſſe, hocque modo periculum euitaſſe. Quam hiſtoriam ipſe Galenus deſcribit, *lib. de cucurbit. & ſcarif. c.* 20. ubi ſubiungit, quod plerique etiam

alij hoc præsidio usi, superstites remanserint. Hinc multi illud auxilium adeo præstans esse scripserunt, ut plerique peste infecti cum eo feliciter euaserint, sicut annotauerunt Claudinus, *de ingress. ad infirm. lib. 2. c. 6.* Septalius, *de pest lib. 5. c. 19.* Donatus Sanctorius, *lib. 1. ep. 2.* Aloysius Toreus, *lib. de febr. punct.* Fracastorius, *de curat. febr. punct. lib. 3. c. 5.* Ioannes Colle: *lib. de morb. malig. cap. 6.* Io. Cremona, *lib. de pest. cap. 1.* Alexander Massaria, *lib. 2. de peste.* qui omnes citatis locis de causa præstantiæ huius auxilii latè differunt. Ægyptij & Turcæ solent etiam peste correptis crura panno aspero fricare, & aqua calida fouere, deinde illa infra genu vincire, & ab interiore parte incipiendo, longiusculas incisiones triginta vel quadraginta facere, atque ita duas treſve sanguinis libras extrahere: cuius curationis historiam describit Manus, *lib. de malleolor. scarificat.* eamque se Memphis in Ægypto vidisse refert: cuius curationis felix experimentum se quoque fecisse, refert Gavalletius, *in Epistol.* Quicquid sit, nos, propter rationes præcedenti annotatione dictas, in hac nostra peste tales scarificationes prorsus improbauimus, atque hinc, ut à me relictæ, sic à nullo alio durante hac constitutione, easdem feliciter institutas fuisse nouimus. Quantum ad prædictorum virorum, experientiam credimus, illam duntaxat intelligendam esse de febribus petechialibus aliisque pestilentialibus sine peste, in quibus re vera multum prodesse possunt, minimè autem de vera peste. Eustachius Rudius, *art. med. lib. 3. cap. 30.* valde commendat hirudines pectoribus, natium partibus admotas, ut & cucurbitulas scarificatas, dorso potissimum è regione cordis applicatas. Verum quia etiam hæc media maximè infida esse, plurimique citissimam mortem intulisse, experientia in hac nostra peste millies docuit, penitus a nobis reijcienda fuerunt, plurimos enim talibus sanguinis euacuationibus ab aliis duobus Medicis (quos honoris gratia non nomino) occisos fuisse nouimus, quibus tandem illi ipsi Medici (qui illud in Eustachio legisse videbantur) cum variis ex suis domesticis, miserè interierunt peti sunt.

III. Veteres in curatione pestis maximi faciebant vesicatoria, quæ applicabant brachijs, tribus digitis supra carpum, & parte interiore crurum, paulo supra malleolum. Figura autem vesicatorij erat rotunda, magnitudo circiter latitudinis trium digitorum. Sic Galenus, 1. *de humoribus* (ut etiam narrat Rabbi Moses *in aphorismis*) scribit: ubi humor ad caput aut ventrem fertur, medicinas mordicatiuas manibus & pedibus appositas, magnopere conferre. Oribasius quoque, 8. *Collect. cap. 19.* inter remedia quæ maximè reuellunt venenum & praues humores a partibus nobilioribus, enumerat medicamenta acria artubus apposita. Hos aliosque veteres hac in parte secuti sunt plurimi neoterici. Martilius Ficinus ante eruptionem anthracum vel bubonum, adhibet vesicatorium paulo supra carpum dextri brachij ab interiore parte, & supra talum interiorem dextri pedis. Iacobus de Partibus, *in com. supra primam quarti Auicennæ, cap. de febr. pest.* inter alia remedia conuenientia enumerat vesicatoria, brachijs & cruribus applica, facta ex lacte vel ficuum, vel tithymali, vel cantharidibus cum fermento. Hercules Saxonia maximi quoque facit revulsionem quæ fit per vesicatoria, qua de re latè disputat *lib. de phœnig.* Credibile est vesicatoria hoc modo applicata multum prodesse posse: nos tamen illum modum secuti non fuimus, sed ipsis emunctorijs illa potius applicauimus: rationes infra petantur, *cap. 12. annot. 4. & 6.*

CAPVT IV.

DE PVRGANTIBVS ET VOMITORIIS.

AD curationem pestis è Pharmacia duo remediorum genera peti solent, nempe purgantia, & antidota sudorifera: de his sequenti, de illis verò hoc capite sermonem habebimus. Purgantia (1.) & vomitoria maximè fugienda esse, præter rationem,

tionem, in hac peste etiam docuit usus. Quapropter nos ante diem septimum nullis, ne quidem cacochymis (2.) aut cathartica, aut lenientia (3.) aut clysteres, aut aliud quippiam quod alvum citare posset, dedimus; & quamvis totis septem diebus alvum non deponerent ægri, nihil tamen mouere ausi fumus: paucissimis enim, qui id tentaverant, feliciter cessit: at fere in omnibus (veneno a peripheria ad centrum reuocato) diarrhœa insecuta fuit incurabilis & brevi occidens. Quo autem magis cacochyma erant corpora, eo citior fluxus, & maius erat periculum. Ac proinde nos illud opus usque ad septimum morbi diem naturæ totaliter commisimus. Post diem autem septimum, tantummodo unam alteramve pilulam, ex nostris antipestilentialibus, aut Ruffi, exhibuimus. Aliis autem purgantibus vix ante diem vigesimum usi sumus, cum etiam in morbi declinatione illa non sine periculo dari animadverteremus, imò non paucis iam à morbo conualescentibus, illa valde noxia fuisse, viriumque recuperationem plurimum impediviſſe. Neque etiam alvi constipationem (4.) magnopere metuimus, utpote quam nullis nocuisse animadvertimus. Vomitoria qualiacunque, etiam stibiata (5.) à multis insigniter decantata, minimè probavimus, utpote quorum violentia semper corpora nimis vehementer conturbata & exagitata fuisse, atque ægros post illa se multo peius habuisse, citiusque extinctos esse, obseruauimus.

INter veteres, Auerrhoës, Aëtius, Auenzoar, Oribasius, Auicenna, Ægineta, aliique plures, curationem pestis à purgatione auspicantur: quorum vestigiis, inter neotericos, insistunt, Mercurialis, Donatus ab Altomari, Rodericus à Castro, Monardus, Hercules Saxonia, Vallesius, Augenius, Septalius, Iohannes Bravus, Conciliator, Paschalius, Zacutus Lusitanus, aliique plurimi doctissimi viri, qui omnes purgantia in curatione pestis conuenire, his rationibus confirmant:

1. Quia Hippocrates, 4. *aphorif.* 10. inquit: *Medicamento purgante utendum in valde acutis, si materia turget, eadem die; tardare enim in talibus, malum.* Atqui pestis est morbus acutus, in quo materia turget, ergo, &c.

2. Quia venenum pestilens cum nullam coctionem recipiat, citissimè est exturbandum, sicut docet Galenus, 4. *de sanitat. tuend. cap.* 3. inquiens: *Quod omnino alienum est, nulla ratione fieri potest, ut id naturæ suæ gratiam recipiat, sed educere id, quamprimum est tentandũ.*

3. Quia vomitus biliosi, capitis dolores, cardialgiæ, inquietudines, aliaque multa symptomata, purgationem necessariam esse demonstrant.

4. Quia compertum est purgantia multis ægrotis peste correptis plurimum profuisse.

Verum non obstantibus his validissimis ac verisimilibus rationibus, præclarissimorum veterum & neotericorum Medicorum auctoritate munitis, nos tamen purgantia in pestis curatione plane non conuenire dicimus, & sequentibus rationibus probamus.

1. Quia venenum pestilens, cum nullam coctionem recipiat, statim quidem (secundum Hippocratis dogma) exturbandum est; sed illa exturbatio (docente eodem Hippocrate) fieri debet per vias lege naturæ commodas, ad quas natura feliciter vergere animaduertitur: atqui ab omni æuo obseruatum fuit, ipsam naturam semper feliciter moliri veneni pestilentis expulsionem à centro ad peripheriam, per sudores, tumores & anthraces, & ex hoc motu salutaria signa desumi, sicut lethalia ex omni contrario naturæ motu, qui fit à peripheria ad centrum: ergo cum purgantia peruerso motu moueant, per vias lege naturæ incommodas, planè non conueniunt.

2. Quia purgantia cacochymiam quidem corrigunt, & corruptos putridosque humores (à quibus pestilentiæ causa non dependet) expellunt, sed ipsum venenum pestilens cordi ac spiritibus inhærens, educere nequeunt, quia nullum purgans medicamentum (inquit Crato) pestilens seminarium eiicit; quod tamen primò & citissimè extirpare necesse est, antequam ipsius vitalitatis fontem extinguat.

3. Quia cathartica humores & spiritus imminuunt, exagitant, confundunt, & corporis vires dissolvunt; quas hic conseruare maximè necessarium est.

4. Quia plurima cathartica, præterquam quod venenis non resistant, venenata ac maleſica qualitate prædita sunt.

5. Quia maligni & putridi humores ipsimet per se naturam maximè stimulant; qui si aliquo modo agitentur, & ad intestina trahantur, cum furore eò decumbunt, & validissimas ac perniciosas euacuationes faciunt.

6. Quia experientia hactenus docuit, fere omnes ægros peste laborantes, qui purgantia sumpserunt, subsequente ut plurimum lethali diarrhœa, vel exitiali virium prostratione, fuisse extinctos; quod etiam Paræus & Ioannes Morellus in praxi se obseruasse testentur. Ipse Hippocrates, 3. *epidem. text.* 3. de grauissima pestilenti constitutione agens, inquit: *Purgationes multos offendebant, quorum qui sic habebant, subitò multi periebant; multis malum producebatur.* Sic etiam referunt Annalium scriptores, anno 1510, pestem in Gallos sæuisse, & in huius curatione obseruatum fuisse, à purgantibus, etiã leuioribus, exhibitis, ægros multo citius interisse. Forestus scribit, anno 1557, in peste Delphensi, omnes qui statim ante tertium vel quartum diem purgabantur, periisse; & quocunque fere tempore purgans medicamentum sumerent, paucos pristinæ sanitati restitutos fuisse. Io. Anton. Saracenus testatur in peste Genuensi, fere omnes eos quibus, siue mox ab initio, siue postea essent humores catarctico medicamento agitati vehementius, vel esset corpus sanguinis missione inanitum, aut non multo post obiisse, aut in deterius lapsos esse. Palmarius refert in peste anni 1565, omnes fere pestilanatos fuisse, qui neglectis vacuantibus sola antidota sumpserunt. Idem, *lib. de febr. pest. cap.* 7. hæc vicit. *Vix centesimus quisque euadit ex iis quibus bubones aut carbunculi intro remeantes citra suppurationem subito disparent: vel qui incipiente morbo cathartico utuntur, vel spontaneo alui profluuio corripiuntur, vel exacto triduo quatriduoque, secta vena spiritu & sanguine spoliantur.* His notis stationibus fauent multorum clarissimorum Medicorum scripta. Rhazes purgationes valde suspectas habet. Galenus, 9. *Simpl.* solam bolum Armenam, non autem purgationes profuisse, scribit. Cornelius Celsus, *lib. 3. cap.* 7. dicit, in peste minimè ducendam esse alvum. Fernelius, 2. *abdit. cap.* 12. scribit, in peste abstinendum esse à venæsectione & purgatione, propterea quod causa pestis à venenata qualitate scaturiat, quæ antidotis expugnanda, & per sudores eliciendæ est. Christophorus à Vega, *lib.* 3. *prognost. in comment. sent.* 15, & 1. *aphoris.* 23. hæc ait: *In febre pestilenti naturæ motus universus est ad cutem, hunc Medicus per ea quæ sudorem eliciunt, iuuabit: unicè autem cauebit ne per alvum euacuet, quod is motus naturæ instituto è diametro oppugnet.* Inter reliquos neotericos, purgantia, tanquam damnosissima, quoque reijciunt doctissimi viri, Hieronymus Cardanus, *lib.* 2. *contrad.* 4. Crato, *lib. de peste*: Gregorius Horstius, *decad.* 10. *probl.* 1. Mundella, *epist.* 16. Pereda, *lib.* 2. *in meth.* Palchal. *in schol. cap.* 9. Ioannes Bokelius *regim. part.* 2. *cap.* 9. Aquapendens, *lib.* 1. *tumor. præternat. cap.* 17. Vallerio la, *in append. loc. com. cap.* 2. Leonardus Fuchsius, aliique plures. Hercules Saxonia tamen *Prax. lib.* 8. *cap.* 37. hac in re tali distinctione utitur, nempe, si pestis originem duxerit à causa externa, & inuaserit corpus probis humoribus refertum, tunc in curatione probari posse purgationes, nec illas alui fluxum inducturas, mittendum esse: sin minus, non probari purgationes. Hanc distinctionem ratio non minus quam experientia euertit. *Illa*: quæ docet nulla dari purgantia quæ venenum pestilens extrahant: præterea in corporibus cachymis purgantia, defectu cacochymiæ, non posse non educere humores bonos & laudabiles, atque ita per cõsequens vires (quarum in peste maxima ratio habenda est) grauiter deijcere, nec minus salutari operationi naturæ obesse, eamque contrario motu interturbare. *Hæc*: quæ in ægris innumeris cachymis lethales alui fluxus purgantium usu inductos fuisse, & nobis & plurimis aliis videndum exhibuit.

11. Quæri posset, si in corpore cacochymo magnam humorum putredinem pesti adiunctã esse animaduerteretur, an tunc non liceret in principio curationis per cathartica humorum putredo-

putridorum copiam, sicque ipsam putredinem, imminuere? Minimè, quia in corporibus cacochymis peste infectis longè grauior & periculosior metuendus est alui fluxus, quam in euchymis. Præterea, quia curatio incipiendi est ab eo quod magis urget & maius periculum minatur, nempe à veneno, (neglectâ tantisper humorum putredine, quæ interim per alexipharmaca, ratione veneni adhibita, simul egregiè coërcetur) eique citissimè resistendum, antequam radices agens vitæ fundamenta subuertat. Illo autem expugnato hoste, reliqua minoris periculi mala (qualia sunt cacochymia, calor in sanguine & spiritibus accensus, humorum putredo, &c.) si naturæ solius vi non euanescant, artis subsidio commodius euincentur.

III. Ad euacuationem corporum peste infectorum alii alia commendant; alii clementioribus, alii fortissimis catharticis utendum censent. Hercules Saxonia pilulas Ruffi, & serum caprinum cum syrupo rosato solutiuo, laudat: quo syrupo solo mauult uti Fracastorius: alii syrupum fumi terræ, alii pomorum solutivum commendant: alii rhabarbarum, senam, agaricum, diacatholicum, & similia, magni faciunt. Multi etiam in peste alvum, si sponte non deiiciat, lenire iubent clystere emolliente, sanpositorio, decocto prunorum cum manna, infusione foliorum sennæ & rhabarbari: aliisque similibus. Verum licet omnia hæc leuia tantum esse videantur, attamen in hac nostra peste ante diem septimum exhibita, præsens periculum inferebant; atque ita, proh dolor! Nouiomagenses multi, qui huius illiusve consilio talia assumpserant, infeliciter perierunt. Sic non semel solum syrupum rosatum solutivum, aut de cichoreo cum rheo, nonnunquam solum prunorum decoctum, ut & ipsam quoque mannam, ac clysmata emollientia, diarrhœas lethales excitasse, summasque virium prostrationes citò induxisse, visum fuit: de rhabarbaro quoque & foliis sennæ plurima tristia extiterunt exempla. Quapropter non possumus non mirari, quod multi celeberrimi Medici, his lenioribus, & tamen periculosis, nondum satis contenti, adhuc ad longe fortiora cathartica confugiant, idque, ut aiunt, secundum regulam: *Ad extremos morbos extrema sunt adhibenda remedia*. Haud secus ac si conueniret in extremis morbis causam morbificam violentis medicamentis agitare per vias lege naturæ incommodas, per quas expelli nequit. Sic legimus Fallopium gloriari se fortibus purgantibus in ægris peste correptis feliciter usum fuisse, & inter cætera, cum Auenzoare, maximè extollere calidissimum illud medicamentum euphorbium: dicere etiam, Iacobum Carpensem, maximi nominis Chirurgum, innumeros tali modo sanasse. Gentilis, 4. *can. fen.* 1. refert suo tempore Medicos scammonea & validissima purgantia ægrotis pestiferis exhibuisse. Paræus etiam extollit diagridium. Mercurialis in principio curationis, cũ Auerrhoë, laudat pilulas cochias, ut & euphorbiũ. Marsilius Ficinus confectionem hamech: Heurnius trypheram Persicam tanquam specificum: alii diaturbith cum rhabarbaro, alii benedictam laxatiuam commendant. Hollerius hellebori drach. j. pomo includit, quod stuppis aqua rosacea madefactis inuolutum, sub cineribus assat, idque pomum comedendum offert: sed albumne an nigrum sumat helleborum, nõ addit. Etiam Capiuaccius ad helleborum, nec non euphorbium, scammonium, colocynthidem, trochiscos alhandal confugit. Paracelsistæ exhibent suum turbith minerale, quod ex mercurio præcipitato præparatur; quem mercuriũ exhibere audet Guilhelmus Magistrius, eoque medicamento pestilens venenum per alvum & vomitum optimè expelli ait: quod tamen Antonius Valetius (*in Schol. ad Hollerij lib. de peste*) dicit nefas esse imitari. Nos verò experientiâ plus satis edocti, existimamus nefas esse ullum violentum catharticum, qualecunque fuerit, peste correptis exhibere; imò ipsa quoque lenientia non, nisi maxima aliqua necessitate urgente, exhibenda esse, idque summa cum prudentia: nam in hac peste fere omnes periisse vidimus, quibus, ante diem septimum alvus, vel sponte, vel arte commota fuit. Quantum ad prædictorum virorum auctoritates, dicimus illa fortia purgantia in febribus malignis, petechialibus, aliisque morbis pestilentialibus (qui à prædictis viris fortè sub nomine pestis describuntur) interdum fortassis prodesse posse, minimè autem in vera peste; & si forte aliquibus

quibus robustissimis naturis nō infeliciter cessserit catharticorum operatio, tamen inde, tanquam ab experientia, concludi non posse, cathartica (vel etiam venæsectiones) ad curationem pestis semper maximè conducere & necessaria esse; qualem regulam generalem, à pauciſſimis ægris sibi quondam Nardeni visis, Medicis Practicis libenter inculcaret Clarissimus Regius.

IV. Alui adstrictionem non modo non nocere, sed primis diebus prodesse, sæpius observauimus. Ratio erat, quia hoc pacto unitæ nec aliorsum distractæ Naturæ vires, validiores erant, & in pestilens venenum alacrius insurgebant. Huic nostræ experientiæ etiam fauet Iulius Palmarius, qui, *lib. de febr pest. cap.* 23, sic ait: *Quamdiu xenodochio curandis ægrotantibus præfui, eos quibus per initia alvus adstricta esset, etiamsi nullo alio remedio uterentur, præterquam Mithridatio, magna ex parte convaluisse deprehendi: contra verò quibus sponte vel arte proflueret, omnes fere occubuisse.*

V. Droëtus, *de pest. cap.* 11. Quercetanus, *in alexic. lib.* 2. *cap.* 7. Matthiolus, *in comment. ad cap.* 59. *lib.* 5. *Dioscoridis*, & cum illis multi alii Chymici ac Empirici, stibium præparatum in pestis curatione summis laudibus extollunt, atque illud, si in morbi principio, viribus adhuc constantibus, exhibeatur, mirabili & occulta quadam proprietate venenatam pernicieni una cum noxiis humoribus furtim deorsumque expellere, dictitant. Ex hoc etiam Angelus Sala, *lib. de peste*, tale oxysaccharum vomitivum componit, quod singulari proprietate pesti resistere scribit:

Rec. *Vitri antimonij hyacinthini subtilissimè pulverisati, unc.* j.
cinnamomi electi,
zedoariæ,
ligni aloes,
seminis angelicæ, ana drach. ij.
croci orient. drach. ij.
o citri rosacei unc. xviii.
Omnia misceantur in vitreum fubure bene clausum, & digerantur in B. M. horis 24. *postea liquor frigefactus filtretur per chartam emporeticam: deinde cum aqua rosarum tantum sacchari solvatur quantum est pondus liquoris prædicti, quod coquatur ad consistentiam tabellati, & ita calidam cum prædicto liquore pedetentim misceatur, & servetur usui. Dosis drach* ij. *ad unc.* j.

A vomitoriis ex antimonio curationem pestiferorum incipiendam, & post vomitum ad alexiteria sudoritera progrediendum esse, etiam censet, Th. Willis, *lib. de febr. cap.* 13. eaque methodo etiam usum fuisse scribit Henricum Sayer, medicum Londinensem eruditum, qui peste laborantes passim curabat. Verum cum ipsum stibium venenata qualitate præditum sit, cum in hoc morbo motu naturæ contrario moueat, cum vires ægrorum maximè deiciat, cum pestilentem labem cordi spiritibusque impressam exagitet, & non educat. cùm innumeris Medicorum obseruationibus constet eiusdem usu plurimos peste laborantes occisos fuisse, ac paucissimos euasisse; quis, quæso, stibium ad curationem pestis tano consilio, salvaque conscientia adhiberi posse iudicabit? Quis non magis adhuc abominandum censebit consilium Arnoldi Weickardi, qui *prax. lib.* 3. *cap.* 1. præter stibium, etiam hoc sequens laudat.

Rec. *turpethi mineralis, vel Mercurij præcipitati, gr.* vi.
misce cum pauxillo theriacæ, & exhibe cum syrupo appropriato.

Hoc dicit non modo alvum subducere, sed & vomitum simul que sudorem excitare. Profecto, qui pertinacem luem Veneream isto remedio aliquoties curarunt, illi horrendas istius Mercurii vires, quantas anxietates, & quantas salivationes inducat, satis nouerunt, quales operationes pestiferorum debiles vires omnino sufferre nequeunt. Adde quod euacuationes per alvum, vomitum, & salivationes maximè damnosas in pestis curatione fuisse, semper docuerit experientia: & quod Mercurius, præterquam quod sit violentissimum remedium, etiã in se nihil speciale habeat, quo venenum pestilens impugnare possit.

CAP.

CAPVT V.

DE ANTIDOTIS ET SVDORIFERIS.

CVm pestilens venenum primariò vitæ huius asylum, cor, impugnare soleat, in pestis curatione ante omnia regii visceris rationem habere, eique citissimè suppetias ferre oportet, vt hostis truculentissimi iniuriis fortius resistere queat. Huic primariæ intentioni seu indicationi vt satisfiat, statim ab ipso principio ad antidota (1.) & sudorifera confugiendum est: nam præsentissimum subsidium, quod cordi in his angustiis constituto adferri potest, inest medicamentis alexicacis, præcipuè talibus quæ sudores mouent: hæc enim specifica vi cor à venenis tuentur, ac simul etiam pestilentis labis vires infringunt, obtundunt, atque foras expellunt. Sunt autem hæc alexipharmaca multa & varia, è quibus modò hæc, modo illa magis conueniunt, & variis quoque modis miscentur, pro vario malignitatis & auctæ putredinis gradu (2.) pro varia febris adiunctæ intensione vel remissione, pro vario ægrotantium temperamento, sexu, & ætate, pro regionum & anni temporis varietate, aliisque circumstantiis; quarum decisio ex Medici iudicio atque prudentia omnino dependet, neque certis regulis determinari potest. Horum alexipharmacorum plurima nobis in vsu fuerunt in curatione huius pestis, inprimis verò hæc (3.) sequentia. Radices: carlinæ, petasitidis, aristolochiæ, helenii, dictamni, valerianæ, oistrutii, bistortæ, zedoariæ, gentianæ, angelicæ, eryngii, vincetoxici, calami aromatici, tormentillæ, bulbi caparum. Herbæ: scordium, rutha, carduus benedictus, veronica, tanacetum, pimpinella, scorzonera, absinthium, plantago, abrotanum, rosmarinum, melissa, scabiosa, morsus diaboli, verbena, marubium album, centaurium minus, acetosa, borago, buglossa, betonica, artemisia, hedera terrestris. Flores: stœchados, rosarum, balaustiorum, croci, (4.) nymphææ, calendulæ, sambuci. Fructus: berberis, ribesii rubri, poma cydonia, citrea, aurantia, granata, eorumque cortices & succi. Semina: citri, cardui benedicti, acetosæ, coriandri, quatuor frigida maiora: Omphacium, vinum, spiritus vini, acetum vini simplex, vel sambucinum, calendulatum, aut rosaceum. Aquæ distillatæ: cardui benedicti, acetosæ, boraginis, scabiosæ, rosarum, cinnamomi. Nux moscata, macis, gariophylli, cinnamomum, santala omnia, lignum sassafras. Myrrha, camphora, (5.) succinum, margaritæ, lapis bezoar, (6.) coralium rubrum, cornu cervi crudum & præparatum, (7.) ebur vstum, oculi cancri, flores sulphuris, (8.) terra sigillata, bolus armena, (9.) Salia: cardui benedicti (10.) absinthii, scordii, ruthæ prunellæ. Extracta: cardui benedicti, petasitidis, ruthæ, angelicæ. Syrupi granatorum acidorum, cydoniorum, scordii, de succo citri, conseruationis radicum, helenii condit. Olea: succini, citri, iuniperi, nucis moscatæ, cinnamomi, vitrioli, (11.) sulphuris, baccarum lauri, scorpionum. Conseruæ: anthos, melissæ, absinthii, rosarum, florum calendulæ, boraginis. Condita: cortices citri, limonum, aurantiorum, rad. helenii, eryngii, calami aromatici, cydonia condita, myra cydoniorum, rob ribesii rubri, berberis, acaciæ, saccharum perlatum. Pulueres: liberantis (12.) Bezoarticus Renodei, aromatici rosati, diamargariti frigidi, diatrium santalorum, diarrhodonis Abbatis. Trochisci: de viperis, (13.) de camphora, de terra sigillata. Electuarium ianuense, confectio alkermes, & de hyacintho (14.) sine moscho, (15.) Theriaca

Andro-

Andromachi (16.) Mithridatium Damocratis, diatcordium Fracastorii. (17.) His aliisq; que similibus, interdum solis, sed ut plurimum hac aliave forma mistis, utebamur. In principio huius pestilentis constitutionis hanc aquam theriacalem seu sudoriferam, nobis initas magni secreti communicatam, in usu habuimus:

℞. *Rutha viridis, melissæ, ana lib. i. absinthij sicci confecti ac nonnihil contusi, cardui benedicti sicci, ana lib. ij. aquæ communis q. s.*

Macerentur & stent in infusione prope ignem per decem vel duodecim dies, quotidie baculo ligneo bis terve agitando: postea distillentur. Ex fœcibus autem combustis, una cum menstruo residuo prius exsiccatis, extrahatur sal: cuius salis defectu potest simile sal compositum fieri, ex sale absinthij, melissæ, cardui, rutha, ana part. æq. simul mistis.

Vsus illius aquæ talis erat:

℞. *Aquæ predictæ unc. ij.*
salis dicti drach. i.
olei vitrioli gut. 12. aut 15.
misce, fiat haustus.

Haud contemnendas quidem huius aquæ virtutes in principio comperti sumus, sed interim morbo magis magisque ingraviscente, cum illa nimis debilis nobis videretur, aliam fortiorem ad nostros usus parari curauimus, qua deinde semper cum felicissimo & admirabili successu usi sumus: compositionis (18.) hæc erat forma:

℞. *Radicum; ostruthij, petasitidis, angelicæ,*
cardui, valerianæ, ana unc. ij. i. enulæ campanæ,
corticum aurantiorum sicc. ana unc. iij.
Herbarum; scordij, absinthij, ana unc. ij.
cardui benedicti, unc. iij.
Florum; rosarum rubrarum unc. s.
stœchados, drach. iij.
baccarum iuniperi, unc. ij. s.
granorum cardamomi minoris, drach. v.
cinnamomi electi, unc. j.

Hæc omnia fumantur sicca, conscindantur simul, & grosso modo contundantur, ijsque affundantur in cantharo lapideo,

Vini albi Rhenani, vel Gallici tenuis lib. xxij.
aquæ rosarum lib. ij.

Vase bene obturato, stent in infusione decem diebus: tunc addantur herbæ virides & recentes, conscissæ & aliquantum conquassatæ:

Foliorum rutha, M. vj. sanacesi M. iiij.
rosmarini, pimpinellæ, ana M. j. s.

Maneant simul in infusione adhuc per octo vel decem dies, quotidie baculo commouendo, postea affunde.

succi citri lib. ij.

Stent adhuc per tres quatuorve dies, postea super ignem leniter ebulliant, & colentur. ac in torculari fortissimè exprimantur. Colatura expressa distilletur in B.M. aut arena, per alembicum vitreum.

Illud quod post distillationem in fundo cucurbitæ remanet, adiecta aqua cardui bened. filtretur

remanebit

tenuandum, & per chartam emporeticam ruram colandum est, quæ colatura lento igne exsiccanda est ad extracti (19.) consistentiam, quod usui seruandum. Hoc extractum Magistrale vocauimus. Ex fœcibus & herbis combustis interdum quoque sal extrahi curauimus. Hac nostra aqua theriacali interdum solâ, sed ut plurimum aliis medicamentis admistâ utebamur. In usu quoque habuimus acetum bezoarticum (20.) nostrum, *lib. 2. cap. 10. descriptum.* Ex his autem, pro necessitatis diversitate, variis formis medicamenta concinnauimus. Vt autem quibus circiter modis antidotalia sudorifera à nobis præscripta fuerint, sciri possit, hic aliquot formulas subjicimus:

℞. *Extracti magistralis, salis absinthii, ana scrup. j.*
diascordii Fracastorei drach. j.
aquæ nostræ theriacalis unc. ij.
olei vitrioli gut. x. aut xij.
misce, fiat haustus.

℞. *Salis ruthæ, scrup. j. ſ. extracti angelicæ scrup. j.*
aquæ theriacalis unc. ij. succi citri unc. ſ.
misce, fiat haustus.

℞. *Extracti cardui ben. ruthæ.*
salis cardui, ana scrup. ſ. salis scordii scrup. j. ſ.
theriacæ Androm. diascordii Fracast. ana scrup. j. ſ.
aquæ theriacalis, aceti bezoartici, ana unc. j.
misce, fiat haustus.

℞. *Theriacæ Androm. scrup. iiij.*
aquæ theriacalis unc. j. ſ. aceti bezoartici, unc. j.
misce, fiat haustus.

℞. *Terræ sigillatæ scrup. ij.*
trochiscorum de viperis scrup. j. ſ.
aceti bezoartici, aquæ theriacalis, ana unc. j.
misceantur pro haustu.

℞. *Boli Armenæ veræ, coralli rubri præparati,*
cornu cervi usti, ana scrup. j.
diascordii Fracast. drach. j. aquæ theriacalis unc. ij.
misce, pro haustu.

℞. *Salis cardui ben. scrup. j. ſ. aquæ theriacalis unc. ij.*
succi citri unc. ſ.
misce, fiat haustus.

℞. *Theriacæ, mithridatii, ana scrup. ij.*
salis scordii, scrup. j. aquæ theriacalis unc. j. ſ.
aceti bezoartici unc. ſ.
fiat haustus.

℞. *Oculorum cancri præparatorum scrup. ij.*
salis absinthii scrup. j. theriacæ,
diascordii, ana scrup. ij. aquæ theriacalis,
aceti calenaulati, fortis, ana unc. j.
misce, fiat haustus.

℞. Ruthæ viridis recentis, M. j.
contundantur in mortario, affundendo
aceti bezoartici, vel calendulati unc. ij.
fiat fortis expressio, colaturæ addantur
salis absinthii scrup. j. vel scrup. j. ſ.
theriacæ, aut diascordii drach. j. vel scrup. iv.
misceantur pro hausto.

℞. Rad. petasitidis, angelicæ, helenii, ana drach. j.
herb. ruthæ, cardui bened. scordii, ana M. ſ.
vini albi q. ſ. coquantur ſ. art.

℞. Istius colaturæ unc. ij. vel iij.
salis scordii, vel cardui scrup. j.
theriacæ scrup. ij.
fiat haustus.

℞. Rad. dictamni, petasitidis, ostrutii,
angelicæ, ana drach. ij. herbar. scordii,
cardui ben. ruthæ, ana M. ſ.
coquantur aliquandiu in aceti & vini, part. æq.
colatura expressa detur pro hausto.

℞. stercoris ouilli recentis, drach. iii.
rasuræ rad. raphani syluestris drach. i. sem.
aquæ theriacalis unc. ii.
aceti calendulati unc. i.
misceantur, & sic mixta stent per aliquot horas: postea fiat per linteum colatura cum expressione, atque expressus ille liquor detur pro hausto, admiscendo theriacæ drach. i.

℞. Salis communis drach. i.
aceti (21.) vini fortis unc. ii. vel iii.
fiat haustus, pro pauperibus.

℞. Capam aliquantum excauatam, cui impone theriacæ Androm. scrup. iv. & cooperculo suo tectam, ac chartæ bibulæ aceto madida inuolutam, sub cineribus calidis assato. Postea succus in prælo fortiter exprimatur, cui adde aceti simplicis, vel bezoartici unc. i.
detur pro hausto.

℞. Theriacæ drach. i. aceti vini fortis, vel bezoartici unc. ii.
olei iuniperi scrup. ſ. vel scrup. i.
misce, fiat haustus.

Illis qui potiones assumere non poterant, bolos vel pulueres dedimus:

℞. Theriacæ, diascordii, ana scrup. i. ſ.
salis scordii scrup. ſ.
olei vitrioli gut. v.
misce, fiat bolus. Cui interdum addebantur aliquot grana lapidis bezoartici orientalis, interdum scrup. i. confectionis de hyacintho sine moscho: interdum aliud quid simile.

℞. Pul.

℞. *Pulueris liberantis scrup. i. vel scrup. i. ſ.*
lapidis bezoartici or. scrup. ſ. camphoræ, gr. ii. vel iii.
fiat pulus.

℞. *Florum ſulphuris, terræ ſigillatæ, coralli rubri præparati, pulueris liberantis ana*
lapidis bezoartici or. ana ſcrup. ſ. croci gr. iiii. fiat puluis.

Apozemata quæ ad curationem præſcribebamus, huius fere formæ erant:

℞. *Rad. petaſitidis, eryngii, vincetoxici, helenii, carlinæ, corticum aurantiorum ana*
ſicc. ana unc. ſ. rad. tormentillæ, angelicæ, ana drach. ii. herb. cardui ben.
ſcordii, ana M. i. ſ. boraginis, rutha, ſcabioſæ, ana M. ſ. pomum citri in fruſta
diſſectum n. i. ſem. 4. frigid. maior. ana drach. i. ſ. cicerum rubr. unc. i. Aquæ
commun. q. ſ.
coquantur ſ. art. ad lib. ii. Addantur colaturæ, ſyrupi limonum, de ſcordio, ana
unc. i. ſ.
miſce, fiat apozema.
Doſis unc. ii. unc. iii. unc. iiii. bis, ter, quaterve de die. (22.)

Condita & electuaria quoque variis formis parauimus:

℞. *Pulueris liberantis, drach. i. ſ. margaritarum præparat. oculorum cancri, lapi-*
dis bezoar orient. ana ſcrup. i. confect. de hyacintho ſcrup. ii. ſ. conſeruæ roſa-
rum rubr. boraginis, calendulæ, ana unc. ſ. olei cort. citri, gut. vii. ſyrupi li-
monum q. ſ.
miſce, fiat electuarium.

Pulueris bezoartici Renodei drach. i. diaſcordii Fracaſt. drach. ii.
rad. helenii condit. electuarii iuniperini, ana unc. ſ.
olei iuniperi ſcrup. i. ſyrupi de ſcordio q. ſ.
miſce fiat electuarium.

℞. *Theriacæ Androm. drach. ii. diaſcordii Fracaſtorii, cortic. aurantiorum cond.*
rad. helenii condit. ana drach. iii. olei iuniperini drach. ſ. ſyrupi aceteſitatis
citri q. ſ.
fiat conditum.

℞. *Mithridatii Damoc. diaſcordii Fracaſt. ana drach. ii. electuarii de nucibus, iu-*
niperini, ana drach. iii. pulueris bezoartici, drach. i. ſyrupi helenii q. ſ.
fiat electuarium.

Hic (23.) ſunt præſcriptionum noſtrarum ſtylus, ex quo de reliquis facile iudicabit peritus Medicus; nam ſingulatim omnia deſcribere, & impoſſibile, & nimis longum foret. Qui maiorem copiam medicamentorum antipeſtilentialium ſcire deſiderat, pluribuſq; uti mauult, is alios quoque conſulat Medicos, qui hoc ex profeſſo agunt, ut ſi non optima, ſaltem multa huiuſmodi remedia præſcribant.

I. PRimarius ſcopus, in curatione peſtis, à veneno deſumi debet, quod ab ipſo initio totam curationem ad ſe trahit. Huic ſcopo ſeu indicationi inprimis ſatisfit per antidota ſudorifera, quibus venenum peſtilens ab ipſo morbi principio impugnandum, refrenandum, infringendum, & foras expellendum eſt. Venæſectiones autem, purgationes, aliaque huiuſmodi præſidia poſtponenda ſunt, quia putredini, obſtructioni, humorumque vitiis potius medentur, quam peſti, quæ non niſi in deleteria qualitate conſiſtit, ita ut talibus remediis locus eſſe non poſſit, niſi poſt euictum venenum.

I. Sic etiam Platerus, *prax. lib. 3.* unicè cõmendat ut curatio incipiatur ab antidotis sudoriferis. *Horum remediorum usus* inquit, *statim à prima invasione esse debet, ut, si fieri possit (antequam qualitas illa venenata cor pessundet, quod statim facit, nisi propellatur, vel sponte naturæ, vel adiuta exhibitis hisce expulsivis) una cum spiritu & calore, ad exteriora propellatur, illiusque malignitas antidotis his infringatur. Itaque quo citius hæc exhibentur, eo rectius, hoc fiet, cum in ipso præcipuus curationis cardo versetur: & nisi intra viginti quatuor horarum spatium, vel citius (cum etiam sæpe hoc breui tempore pestis iugulet) exhibeantur, quæ postea fiunt ad veram curationem parui sint momenti, negletaque hac occasione, nisi natura sponte id faciat frustra postea laboramus. Sed & altero die eadem repetuntur remedia: quin & in progressu morbi, viribus constantibus, si natura versum eo vergat, repeti possunt.* Cum Platero etiam contentit Eustachius Rudius, *lib. 3. art. med. cap. 30.*

II. In medicamentis semper est habenda ratio morbi, sexus, ætatis, virium, regionis, & temporum. *Morbi*: ut alexipharmacis certioribus & potentioribus citrissimum subsidium cordi feratur: nempe calidioribus in subiectis pituitosis, frigidioribus verò in biliosis, & iis quibus febris atrox morbo coniuncta est: vel saltem frigidioribus cum calidis mistis. *Sexus*: ut non eadem dentur mulieri quæ viro, inprimis quæ moschum, ambram, vel zibethum redolent. *Ætatis*: ut infantibus & pueris debiliora, minusque calida & ingrata, quam adultis exhibeantur. *Virium*: ut nimis sudoribus ægrorum vires non totaliter prosternantur; atque ægris debilibus talia alexipharmaca dentur, quæ simul vires corroborare possint. *Regionis*: ut longè calidiora & fortiora antidota & sudorifera præscribantur in frigidis, quam in calidis, regionibus, & sic de cæteris. *Temporum*: ut in fetuore ætatis & quocunque tempore æstuoso, minus calida; hyeme verò ac frigidis tempestatibus, minus frigida offerantur.

III. Maximè insignes ad pestilentis veneni expulsionem & extinctionem sunt omnes radices, herbæ, fructus, semina, aliaque tam simplicia, quam composita medicamenta in textu à nobis descripta, quorum alia tamen sunt fortiora, alia debiliora, nonnulla his, alia aliis conuenientiora; quas differentias peritus Medicus ratione facile percipiet, & leuissimo usu addiscet. Horum autem omnium eximias virtutes singulatim recensere, non est nostri instituti, pauca tantum scitu necessaria leuiter attingemus, ne fortè liber noster, quem breuem volumus, in magnum volumen excrescat. Qui curiosius reliqua scire desiderat, ille legat Dioscoridem, Galenum, Matthiolum, Tragum, Alfonsum, Marescottum, Tarquintum Ocyorum, Snellenbergum, Castorem Durandum, Dodonæum, Lobelium, aliosque Rei Herbariæ Scriptores; ut nonnullos Medicos, qui de Peste latius scribere volentes, in multitudine verborum gloriam quæsiuerunt, inter quos Matthias Untzerus, magno labore, omnium heroarum, radicum aliorumque simplicium & compositorum medicamentorum antipestilentialium vires à variis auctoribus descriptas, collegit, *antidotar. pestil. lib. 2.*

IV. Nos in hac peste croco rarius usi sumus, neque magnopere laudabilem effectum aduersus contagiosam hanc malignitatem in eo animaduertere habuimus. Adde, quod eius vires vix satis tutò in peste experiri liceat, cum in hoc morbo exigua duntaxat quantitate exhiberi debeat, propterea quod cerebrum petit; & si maiore quantitate detur, vel nimia somnolentia, vel delyria inducantur, quæ utraque extimescenda sunt in peste.

V. Io. Crato, *lib. de pest. & Epist. Med. ad Scholæ collect.* 103. & 234. nec non Goclenius, *in Lomographia*, & Martinus Pansa, *3. Consil. antipest. quæst.* 21. camphoram in curatione pestis super omnia remedia extollunt: cuius encomium describit Mindererus, *lib. de pest. cap.* 15. his verbis: *Nostris laudibus insigniter meritò celebranda venit camphora, non mirabile modo, sed & forte, & efficax pestis alexiterium: siquidem hæc assumpta, interno nostro calore mox ignita, & in corporis quasi meditullio flagrans, coinquinatos spiritus, eosque tetro miasmate pollutos ac inspiratos, & circum præcordia hærentes, exurit, & pecco planè ignisque calore permadens, partim dissipat ac expellit, partim combustione absumit, partim verò corrigit & emen-*

emendat: proinde camphoram inter fortissima pestis alexiteria merito reposuerim. Idem Mindererus sequentem puluerem camphoratum (quem etiam *Praxeos tract.* 2. describit Platerus) summis laudibus extollit:

Rec. *Sacchari candi, drach.* iij.
zingiberis albi, drach. ij.
camphoræ, drach. j.
fiat puluis. Dosis drach. j. *cum liquore conueniente.*

Hunc maximè commendat in morbis pestilentibus, si modò magni capitis & ventriculi dolores non adsint, eumque plus prodesse asserit, quã pretiosissima quæuis medicamenta bezoartica. Eundem puluerem etiam extollit Follinus, *in amuleto, lib.* 2. *cap.* 9.

Mindereri pulverem, propter zingiberis caliditatem, sequenti modo immutat Riuerius, eoque se feliciter usum fuisse refert:

Rec. *Bezoartici mineralis, drach.* iij.
salis prunellæ, drach. ij.
camphoræ drach. j.
fiat puluis.
Dosis drach. j. *cum aqua cardui, aliaue conueniente.*

Crato legitur usus fuisse electuario camphorato, quod tanquam valde præclarum commendarunt posteri. Descriptio hæc est:

Rec. *Scordii, drach.* iij.
tormentillæ,
dictamni albi,
zedoariæ,
gentianæ,
angelicæ,
cariophyllatæ, ana drach. j.
croci,
camphoræ, ana scrup. ij.
subtilissimè puluerisata conspergantur aquæ cardui benedicti, in qua dissolutæ fuerint theriacæ drach. ij *& cum syrupo de succo cardui, fiat electuarium.*

Idem hunc puluerem, à pluribus laudatum, componit:

Rec. *Rad. tormentillæ, drach.* iij.
dictamni albi, drach. ij.
ossis de corde cervi,
santali rubri, ana drach. j.
camphoræ, scrup. ij.
misce, fiat puluis. Dosis drach. j. *cum liquore conueniente.*

Gemma etiam conficit electuarium camphoratum, quod experientia patris, ac sua ipsius se efficacissimum vidisse asserit:

Rec. *Camphoræ, part.* j.
zingiberis albi, part. ij.
sacchari rosacei, part. iiij.
vini q. s. permisceantur sedulo, & fiat electuarium. Dosis drach. j. *& coopertus æger componatur ad sudorem.*

Paulo generosius est quod sequitur:

Rec. *Camphoræ,*
dictamni Cretensis,
scordij,
rad. angelicæ,
zedoariæ,
cinnamomi,
zingiberis, ana drach. j.
nucis myristicæ, drach. ij.
boli arm. drach. ß.
seminis rutæ,
macis,
croci, ana scrup. j.
moschi, gr. vij.
sacchari albi,
vini odorati, ana q. s.
fiat instar opiatæ.

Ioannes Poppius camphoram in aceto dissoluit, & huius cochleare unum exhibet contra æstum à pestilenti veneno excitatum. Io. Hartmannus hanc aquam pestilentialem camphoratam in peste anni 1611, plurimis insigniter refert.

Rec. *Spiritus vini opt. lib.* j.
camphoræ selectæ,
tempore æstiuo drach. vij. *& scrup.* j.
hyberno verò, drach. x. *& scr.* ij.
misceantur, incisa prius camphora, & statim soluetur sine igne: appende in nodulo,
croci orient. scr. ß.
hinc spiritus vini fiet aurei coloris. Aqua seruetur in vitro capaci, nec pleno, sed quintæ vel sextæ parte vacuo.

Matthias Vntzerus hunc spiritum theriacalem camphoratum conficit:

Rec. *Theriacæ antiquæ, unc.* v.
myrrhæ rubræ, unc. ij. ß.

croci

croci orient. unc. ſ.

ſpiritus vini opt. unc. x.

Inditis omnibus cucurbitæ vitreæ, impoſitoque alembico cæco, in cuius roſtro prius ſint poſitæ camphoræ, drach. ij. ſtent in infuſione per octiduum in loco calido, deinde fiat in B. M. diſtillatio, igne lentiſſimo, & ſic habebis ſpiritum theriacalem ſubtiliſſimum.

Hunc ſpiritum dicit ſolum drach. i. ſ. vel drach. ij. pondere, cum cochleari aquæ cardui benedicti exhibitum, ſudorem ad miraculum prolicere, idque ſe anno 1610, in peſte Hallenſi, non uno experimento compertum habere. Præterea maximopere commendat Vnizerus ſequentem miſturam, eamque ſcribit ſuperare, & longo ſtadio poſt ſe relinquere omnes alias aquas theriacales ſeu peſtilentiales, cæteraque quæuis antidota, quocunque etiam nomine appellanda veniant, utpote in qua credit latere omnia requiſita ad perfectam abſolutamque morborum peſtilentium curationem propriè ſpectantia.

Rec. *Præfecti ſpiritus theriacalis camphorati, drac. v. ſpiritus tartari optimè rectificati ſuper coleothar vitrioli, drach. iij.*

ſpiritus vitrioli opt. drach. j. ſ.

Confuſa inuicem miſceantur. Doſis in adultioribus, drach. j. ad ſcrup. iij. cum aqua ſcordij vel cardui: in iunioribus drach. ſ. ad ſcrup. j. plus minuſue pro ætatis ratione.

Sennertus. *lib. 4. de febr. cap. 6.* monet in camphora ac camphoratis exhibendis, naturarum conſtitutionem eſſe conſiderandam: iis enim qui infirmo ſunt ventriculo aut capite, vel qui alias camphoram auerſantur, non conuenire, ſed alia potius medicamenta eſſe præſcribenda, cum in maxima pharmacorum copia uni medicamento non aſtringamur; imo ſæpe utile ſit mutare medicamenta. Audo ego, camphorata medicamenta aut odoramenta etiam non admodum conuenire viris ſanis ad præſeruationem, cum hoc in variis expertus ſim, quod camphora Venerem potenter extinguat, ab eoque incommodo, per camphoratorum medicamentorum uſum contracto, varii mihi liberandi fuerint. Verum in ægris, in quibus ad periculoſiſſimi morbi depulſionem quidvis molliendum eſt, illa indicatio omnino conſideranda non eſt, ſed ea præterulla, mouere ad camphorata medicamenta procedendum.

VI. Lapidem bezoarticum aduerſus peſtem plurimum valere, prædicant, Rhazes, Serapio, Matthiolus, Leonardus Rhauvolfius, Martinus Rulandus, Lonicerus, Nicolaus Monardes, Iordanus, Sanctius Ardonius, aliique plurimi, qui magnum illius encomium tanta grauitate deſcribunt, ut illum theriacæ, omnibuſque aliis antidotis præferre videantur. Contra verò plurimi alii doctiſſimi viri ab experientia edocti ſcribunt, hunc lapidem ad peſtis curationem, aut parum, aut nihil conferre. Quorum omnium diſcrepantes opiniones collegit Caſparus Bauhinus, *lib. de lap. bezoar. c. 34. & 37.* Nos arbitramur priores in eo deceptos eſſe, quod, cum viderent verum lapidem bezoarticum aduerſus multa venena prodeſſe, inde concluſerint, illum neceſſario non minorem alexipharmacam vim aduerſus omnia venena, nec non aduerſus peſtilens venenum, habere. Quam concluſionem magnopere vacillare docet experientia: nam aduerſus arſenicum, mercurium ſublimatum & præcipitatum, hunc lapidem nihil conducere, experti ſumus: Venenũ rabidum in iis, qui à cane rabido ſcommoſi ſunt, per hũc lapidẽ extinctu & ſuperatũ fuiſſe, hactenus inauditum eſt. Credimus illum fortè prodeſſe poſſe aduerſus venena ſcorpionum, butonum, arancorum, viperarum, & multa alia ſimilia: ut & aduerſus illa venena quæ ex interna humorum corruptione in corporibus noſtris generantur; nam aliquoties compertũ ſumus illum prodeſſe in febribus malignis & peſtilentialibus ſine peſte, variolis, morbillis, aliiſque ſimilibus morbis, quorum venenata malignitas reſultat ex interna humorum corruptione. Sed aduerſus venenum peſtilens, quod aërium eſt, nec intus genitum, ſed forinſecus corpus ingreditur, hunc lapidem aut parum, aut nihil profuiſſe, in praxi ſemper obſeruauimus: neque etiam in hac noſtra peſte ex lapidis bezoartici orientalis, optimi & electiſſimi, uſu, uſum notabile commodum unquam percipere potuimus: utque de eius viribus certius nobis conſtaret, aliquoties ægrotis dictorũ lapidis puluerisati ſcrupulum dimidium, nonnunquam etiam integram drachmam tandem exhibuimus; ſed abſque ullo fructu; mouebat

aliquo

aliquo modo exiguum duntaxat sudorem, at nunquam subsequebatur exspectatum leuamẽ. Quapropter nos eo postea rarius usi sumus, idque solummodò, aut in iis qui sibi non satisfieri putabant, si aliis medicamentis hic lapis non adiungeretur; aut in iis qui alia medicamenta assumere non poterant. Nam etsi veneni pestilentis virulentiam infringere ac coercere nõ possit, tamen aliquo modo prodesse compertum sumus, ratione malignæ corruptionis humorũ à veneno pestilenti inductæ. Pessimè autem illos sibi consuluisse obseruauimus, qui in principio morbi, antequam humores multum corrumperentur, salutem suam huic soli lapidi concrediderunt; nam ipsa experientia sæpissimè edoctus dico, illum in tali casu nihil prodesse; & cum iactura temporis in peste, magnum periculum minetur, sæpe factum fuisse vidimus, ut dum ab exhibito hoc lapide leuamen frustra expectaretur, morbum interea radices egisse; nec postea expelli potuisse. Huic nostræ, experientiæ etiam respondet Crato, qui, *in epistola ad Thomam Iordanum*, scribit se in praxi animaduertisse, lapidem bezoarticum in peste parum conferre. Sic quoque Hercules Saxonia, *Prax. lib. 8. c. 3.* de hoc lapide loquitur: *Ego*: ait, *ut ingenuè dicam, cum Venetiis practicarer, maximam huius lapidis copiam consumpsi, nec egregiam operam sensi. Scio plurimos, quibus exhibui, fuisse sanatos; sed non retuli in lapidem; causa, quia reperio apud Scriptores, quod eo sumpto sudor copiosius excitetur, post quem statim sublevantur ægri: ego tamen non vidi sudorem prorumpentem, vel si apparebat, erat sudor imperfectus. Itaque quantum ad me, abieci omnem spem huius lapidis in peste.* Cum Saxonia consentiens Minderus. *lib. de peste, c. 15.* sic inquit. *De lapide bezoar quod scribam non habeo; vix enim eum unquam in aliis morbis benignioribus, nedum in peste eos effectus præstitisse vidi, quos insignes quantumuis viri multo testimonio polliceantur, quod quidem nostræ forsan rusticitati ad scribendum nonnulli arbitrabuntur, quorum nos cæcitatem non immerito admirabundi suspiciemus, quem in pestilentia sæpe datum, nihil profuisse, Crato quoque agnouit. Vnde si optio esset inter terram sigillatam & lapidem bezoar, mallet Iordanus bezoar lapidem dictum omittere, quam terras medicatas è pestilentium medicamentorum catalogo expungere.* Idem paulo post: incertitudinem huius lapidis demonstrare volens dicit omnino similes lapides in equis nonnunquam, generari, & meminit equi generosi cuiusdam Baronis, in eadem cum ipso ciuitate habitantis, qui quotannis similes politos lapides per ventrem excernebat; similesque etiã lapides in aliis quibusdam equis post mortem dissectis inuentos fuisse tradit. Idem cum illis innumeri alii quoque testantur. Ita ut tandem concludendum sit, huic lapidi in peste non multũ esse confidendum, propter iam dictam experientiam. Cui & illud accedit, quod maxima sit de vero lapide incertitudo, utpote quem mercatores auari, & ipsi quoque Indi tam insigniter adulterare nouerunt, ut etiam perspicacissimi Lyncei oculi in eius cognitione fallantur: cuius adulterationis hoc certum indicium est, quod maximi Indiæ Orientalis mercatores mihi testati sint, quod hic lapis in nostris regionibus multo viliore pretio vendatur, quam in ipsa India, è qua alioquin cum magnis sumptibus huc aduehi deberet, imò multo maiore copia hic venalis exhibeatur, quam ibi inueniatur. Quondam ego ipsemet Pictauii in Gallia mercatorem vidi, qui me præsente multos huiusmodi lapides ex terra quadam (quæ illic in erupta cuiusdam montis prope urbem inuenitebatur copiosa, & terræ sigillatæ non absimilis erat) tam artificiosè cõficiebat & adulterabat, ut nemo non pharmacopœorum (qui postea me adstante illos frangebant & quocunque modo probant) illos genuinos & veros bezoarticos lapides esse iudicaret, atq; hinc etiã eos pro veris emeret. Cõstabant enim quasi ex squamis sibi mutuo impositis, in medietate exilem paleam continebant, & colore ac læuitate externa nihil omnino à vero lapide differebant. Etiam hac de re legi poterunt, Franciscus Vallesius, *lib. 4. Method. c. 2.* Andreas Baccius, *de gem. c. 34.* Hildanus, *cent. 4. obs. 24.* Iacobus Primerosius, *lib. 4. Error. Med. cap. 36.* Garcias ab Horto, aliique auctores.

De unicornu eadem, imò, maior adhuc incertitudo est, ut apud prædictos auctores etiã inuenietur; ac propterea nos huius vsum è pra

xi penitus eiiciendum arbitramur; cum hoc ipsum animal, quod cornu illud in fronte habere tradunt, nulli unquam mortalium visum aut notum fuerit, nec quibus in terris vivat, ulli constet: & tamen passim in Christianismo, unicornu, tanquam pretiosissimum quid, vendatur, ac præcipuè apud credulos Magnates, aliosque diuites, inter thesauros asseruetur. Quatuor enim dicuntur esse animalia uno cornu donata, Monocerotem, Rinocerotem, Asinum Indicum, & Orygem. Sed quam dubia atque incerta sint illa omnia quæ de Monocerote traduntur, liquet ex eius varia descriptione, quam exhibent Philostratus Lemnius, *lib. 3. cap. 1.* Ælianus, *lib. 4. animal. cap. 52. & lib. 16. c. 20.* Plinius, *hist. nat. lib. 8. c. 21.* Iulius Solinus, *polyhistor. c. 55.* Isidorus *ethymol. lib. lib. 12. c. 2.* Marcus Paulus Venetus, *lib. 3. c. 15.* Ludouicus Vertomannus, *lib. 1. nauig. c. 19.* Garcias ab Horto, *lib. 1. arom c. 14.* aliique varii. Hac de re etiam legendum censeo Mercurialem, *tom. 1. consult. 94. & tom. 2. consult. 63.* quibus locis huius cornu incertitudinem & inefficaciam antidotalem latè describit. Item Ambrosium Paræum, *lib. 20. c. 39.* nec non Henricum Sonetium, *miscel. medic. lib. 8. epist. 1.* Nos incertitudinem huius cornu ante aliquot annos egregiè compertì sumus Vltraiecti, ubi in templo S. Mariæ duo vera, ut ab omnibus putata sunt, monocerotis cornua, tres quatuorve pedes longa, à multis annis instar magni thesauri, asseruata fuerunt. Casu hujusmodi simile pulchrum, ponderosum, & longum cornu venale oblatum, & à mihi notissimo haud infimæ sortis ciue satis magno pretio emptum fuit. Aliquamdiu post accessit, me adstante, nauta mercator marinus, qui illud cornu videns nobis pro certissimo affirmavit, in freto Dauidis ingentes quotidiè pisces esse tali cornu in fronte armatos, imò ex iis unum, cum ipsemet per illud fretum nauigaret, in nauem suam maxima vi impegisse, & cornu suũ per omnes nauis tabulas traiecisse, atque sic illud à capite piscis distractum iis firmissime inhæsisse, & sequenti anno, cum eadem nauis expurgaretur, & ad aliud iter præpararetur, illud cornu ibi inuentum & à fabris extractum fuisse. Cornu autem à ciue emptum dicebat illi adeo simile esse ut ouum ouo, atque etiam ne minimum quidem differre ab iis quæ in templo Mariæ seruabantur. Eodem circiter tempore alius nauta Enchusanus ex eodem freto veniens, mihi ipsi quoque tale cornu venale obtulit. Huius aliquantum rasuræ abrasi, & tribus catellis prius venena diuersa deinde hãc raturam exhibui, sed nihil valuit aduersus venena. Sequenti anno sex huiusmodi cornua, ex eodem freto Dauidis allata, simul venalia exiterunt, & paruo pretio coempta sunt, erantque sicut etiam priora, omnino talis figuræ, quales à pictoribus depinguntur. Et quibus omnibus manifestissime liquet, incertissima esse omnia quæ de monocerote animali quadrupede, eiusque cornu & viribus traduntur, atque omnino verosimile existere, illa cornua, quæ pro monocerotis cornibus venduntur, esse cornua talium piscium, neque ullam vim alexipharmacam aduersus venena, aut pestem, vel morbos malignos habere.

VII. Cornu cerui, præcipuè ustò, utebamur, inprimis in talibus ægris, quibus intestinorum dolores & murmura, aliaue indicia alui fluxum minari videbantur, vel quibus alui fluxus iam aderat; nam præterquam quod malignitati aliquantulum resistat, etiam secando & modicè astringendo, in tali casu multum proderat: aculeatas enim acrium humorum particulas, aluinumina & fluxus facientes, obtundit, inflectit & infringit (hoc ipsum etiam faciunt oculi cancri, margaritæ, corallum rubrum) ut ex eo liquet, quod ustum aceto admixtum eius acidam acrimoniam tollat. Sic quoque Galenus, *simpl. med. fac. lib. 11.* cornu cerui ustum dysentericis, hæmoptoicis, cœliacis, aliisque huiusmodi conuenire scribit. Quantum ad antidotalem eius vim, illam certum est longè maiorem ei adscribi (siue crudo, siue ustò) quam in se habet: eam aliqualem quidem in eo lubens concedo, sed non certè tam excellentem, quam ei tribuitur. Haud ignoro multos non parui nominis Medicos, illius magnum aduersus pestem encomium describere: quales sunt Rulandus, *lib. de febr. Vng. c. 7. Hist. 1.* Crato, *lib. de peste.* Mercurialis, *tom. 2. consult. 63.* Hercules Saxonia, *lib de plica, c. 59.* Gregorius Horstius, *problem. accad.*

1. qu.

1. *quæst.* 4. Samuel Clossæus, *epist. ad Horstium*, aliique, inprimis illi qui è Chymica schola prodierunt. Verum si quis rem ipsam penitius inspicere velit, & cornu cervi, sive crudi, sive usti, qualitates curiosius inquirere desideret, satis percipiet, fassosum illud cornu cervi encomium nullis solidis rationibus firmari, nulla certa experientia probari posse. Horstius, *citato loco*, scribit, quod insigniter visciditatem humorum incidat, internas viscerum obstructiones aperiat, & vi sua penetrandi putrescentibus humoribus resistat, earumque malignitatem corrigat, &c. Verum hæc omnia præter rationem, præter experientiam proponit. Vel cæcus enim videat cornu cervi crudum visciditate sua, ustum verò siccitate sua humores incrassare, eorumque fluxum inhibere, & obstructiones potius inducere, quam tollere: docet illud gustus, docet tactus, docet visus, omnis denique ratio illud docet, & experientia comprobat, in fluxibus dysentericis, menstruorum, &c. Si doctus vir tam malè differat de eius qualitatibus manifestis, quam difficulter probabit eius occultam antidotalem qualitatem? Hanc tamen qualitatem a sale volatili & fixo (quod ei multum inesse tradunt) procedere, communiter volunt. Verum ego hactenus nullum reperi Chymicum, qui mihi huius cornu sal volatile demonstrare potuerit, ac ne quidem fixum, nisi fortè cornu cervi usto ad perfectiorem dissolutionem addiderint, vel aceti, vel succum citri, vel vinum citri aliaque similia, quæ in se ipsis multum salis continent, quod post excoctionem relictum credulos illos decipit, qui illud sal à cornu cervi relinqui putant, cum sit à menstruo in quo illud dissoluerunt. Nam si cornu illud copiosa quantitate in aqua simplici distillata dissoluerint, nihil salis inde extrahent, vel fortè adeo parum & insulsum, ut pene visum subterfugiat, & potius pollen ipsius cornu usti, quam sal esse videatur. Verum ut de viribus melius constet, examinemus, quæso, breuiter Chymicas præparationes huius cornu. Sennertus *institut. lib. 5. part. 3. sect. 3. c. 15.* magisterium cornu cervi concoc, dissoluendo cornu cervi crudum in spiritu nitri, quam post colationem, euaporatione separat. Alii illud cum oleo tartari, alii cum aqua regia conficiunt. Quis non videt, si quid virium huic magisterio adsit, illud non tam à cornu cervi, quam a sale fixo ipsius menstrui esse? Spiritum cornu cervi parant, cornu cervi distillando cum dimidia parte vitrioli Vngarici: quis non statim animaduertat, hunc esse spiritum vitrioli, & non cornu cervi? Idem sentiendum de eius extracto, quod cum aqua vitriolata conficitur, ut & de essentia cornu cervi, quam cum spiritu salis conficiunt; nec non de cornu cervi vitriolato, cum spiritus vitrioli cornu cervi usto paulatim affunditur, usque dum inde trochisci confici queant; aliisque similibus chymicis præparationibus, in quibus omnibus talia huic cornu adduntur, quæ sua salsedine & aciditate putredini resistunt, obstructiones aperiunt, & sudores mouent; quorum saltibus illam vim adscribendam puto, cum in ipso cornu solo illam nunquam percipere potuerim, ac proinde huic cornu tantam tamque excellentem antidotalem vim in peste, ut alii fecere, non adscripserim, sed illud in fluxibus, tanquam manifesta qualitate conueniens, adhibuerim, ut modo dictum. Gregorius Horstius sequentem aquam ex cornubus ceruorum, tanquam pretiosissimam, & usu sibi compertam, commendat: cuius tamen compositionem si accuratius examinemus, nullam ab ipso cornu cervi, sed totam vim ab iis quæ cum eo distillantur, huic aquæ tribui comperiemus:

Rec. *Cornuum cervi recenter limat. lib.* ij.
rosarum rubr. lib. ß.
Florum bugloss., boraginis,
rosmarini, tiliæ,
herb., marrubii,
matrisylvæ, ana manip. iiij.
galangæ, nuc. ß.
nucis moscatæ, macis,
garyophillorum, ana drach. ij.
croci drach. ß.
camphoræ scrup. j.
incisis & contusis adde
aquæ rosarum,
boraginis,
bugloss.,
flor. tiliæ,
melissæ hortensis & sylvestris,
matrisylvæ,
betonicæ, ana lib. j.

vini Malvatici lib. ij.

per dies aliquot digerantur, postea distillentur in B. Et distillato admisceatur aliquid margaritarum præparatarum, coralli rubri præparati, unionum raspati, ossis de corde cervi, ligni aloes, moschi, ambræ, visci quercini, auri, & argenti foliati, ana q. v.

Dosis cochleare j vel ij.

Hæc aliaque similia antidotalem eorum cerui vim non confirmant. Quam cùm experientia etiam non edoceat, pessimè sibi consulere nobis videntur, qui in magno morbo, qualis est pestis, tali medicamento nimium confidunt; cuius antidotalem virtutem nec Dioscorides descripsit, nec Galenus (curiosissimus facultatum medicamentorum perscrutator) obseruauit, nec alii Veteres agnouèrunt, sed quod, nulla duntaxat comite ratione vel experientia, laudatur ab iis, qui cuilibet transeunti facilè aurem præbent atque hinc etiam facilè decipiuntur.

VIII. Sulphur ad veneni pestilentis extinctionem plurimum facere, diximus *lib. 2. cap. 5. annot. 12.* Ac proinde eius flores maximè commendant, Seuerinus, *in Idea cap. 15.* Balduinus Ronsæus, *Epist. Med. 28.* & Ioannes Rhenanus, *in Antid. pest.* Crollius autem, *in basil. Chym.* his verbis utitur: *Flores sulphuris summum sunt curativum & præseruativum in peste, resistunt enim impressioni, & præseruant à putredine: cum extracto enulæ campanæ ad miraculum operantur tempore infectionis.* Idem auctor ex floribus sulphuris conficit suum elixir pestilentiale, à plurimis Medicis miro encomio celebratum, cuius hæc est compositio:

Rec. *Florum sulphuris spagyricè præparatorum, unc. ij affunde olei iuniperini è baccis, in balneo rectificati, ad eminentiam trium vel quatuor digitorum. Olei succini, in balneo ter rectificati, quartam partem ad oleum iuniperi, fiant simul in igne cinerum vel arenæ, sæpius mouendo, ut flores sine adustione soluantur & liquefiant. Postea.*

Rec. *Theriacæ Venetæ lib j è qua cum spiritu vini optimo tincturam extrahes, quam à spiritu vini separatam seorsim seruato. Extrahe eodem spiritu radicum heleny, angelicæ, baccarum iuniperi contusarum, aa unc. ij & tincturam à spiritu vini in balneo separatam, misce cum tinctura theriacæ, & affunde olenm iuniperi ac succini, floribus sulphuris essentificatum, ac per chartam bibulam prius filtratum, omniaque circula lentissimo ignem ca-*

lore per dies quatuordecim. Dosis ad præseruationem una vel duæ guttæ in vino vel aceto, quotidie mane: vel singulis septimanis semel cibo aut decem guttæ; ieiuno ventriculo, exp ctando sudorem. postea verò correptus statim ab initio assumat à scrup i. ad scrup ij. in vino, aceto rutaceo, aliove conuenienti liquore, & sudet.

Hoc elixir, dicit Crollius, esse secretum, quod in peste & morbis epidemicis, ex Dei benignitate, ad miraculum operari solet. Sic etiam Matthias Untzerus scribit se in magna peste ab experientia comperisse, hoc elixir esse singularissimum & miraculosum aduersus hunc morbum. Sennertus *lib. 4. de peste, c. 5.* describit flores sulphuris compositos aduersus pestem efficacissimos. Paracelsus, *de pestil. tract. 1.* dicit sulphur & sal curationem pestis reficere, nec aliis medicamentis opus esse. Ioannes ab Helmont, *in Tumulo Pestis*, scribit Hippocratem olim ad curationem pestis vinum dedisse ægris, quod sequenti modo sulphurabat: *Poculum*, inquit, *stricti colli lychnio ardentis sulphuris sufficiebat, vinum ad tertiam partem assumebat, ac poculum arctè occlusum agitabat, dudum conquassando sursum ac deorsum donec vinum omnem spiritum sulphuris in se combibisset.*

IX. Bolus Armena ut singulare antidotum describitur à Galeno, *lib. 9. de simpl. med. facult. c. de Terra Samia. In magna hac peste*, inquit, *cuius eadem facies fuit atque eius quæ Thucydidis memoria grassabatur, quotquot hoc medicamen bibere, celeriter curati sunt. At quibus non profuit, omnes interiere, scilicet cum nec alio quouis medicamento iuuarentur. Vnde colligitur, quod ijs duntaxat non fuerit auxilio, qui planè erant incurabiles. Cæterum bibitur ex vino albo consistentia tenui, modicè diluto, si aut plane febre careat æger, aut leuiter ea teneatur: sin grauius febriat, admodum aqueo.* Sic etiam Cornelius, *lib. 2. abdit. c. 12.* dicit bolum Armenam, ut & terram Lemniam, non exiccando, sed totius substantiæ proprietate in venenum pestilens vires habere; quin etiam bolum hac in re peculiari quasi priuilegio donatam esse. Galenum magno assensu sequuntur omnes Medici, propterea quod hanc rem videant ab experientia passim confirmari.

X. Nos promiscuè usi fuimus salibus, cardui benedicti, scordii, absinthii, & ruthæ, nec

viribus

viribus multum à se inuicem differre comperti sumus; quamuis alii hunc, alii illum salem magis laudent. Ita salem ruthæ maximi facit Iulius Palmarius: salem artemisiæ Paræus, Conradus, & Svvenckfeldius: salem fraxini, Droëtus, Goclenius, Michaël Neander, & Lubbertus Esthius. Omnes autem Medici unanimiter extollunt salem cardui benedicti. Salis absinthii mirum encomium scribunt, Daniel Mylius, Codronchius, Io. Matthæus, Io. VVittichius, & Petrus Sibyllenus. Droëtus, *de pest. c.* 12. salem absinthii & scabiosæ in curatione primas partes tenere, scribit, ut qui non solum minima quantitate exhibitus, copiosissimum sudorem concitet, verum etiam huic malignitati potentissimè resistat. Refert idem, Hieronymum Flandrum, Chirurgum, ægris pestiferis solere dare decem vel duodecim grana salis fraxini, cum aqua cardui benedicti, vel scabiosæ, atque ita copiosissimo sudore prouocato plurimos curasse. Cum muria carnis porcinæ cocta & despumata multos curatos fuisse, refert Hildanus, *Cent.* 2. *obseruat.* 34. Paræus extollit muriam encraticnolorum (quos nostrates *anchioues* appellant) quam probatissimam, & putredini domandæ ac corrigendæ accommodatissimam esse, prædicat.

XI. Inueniuntur nonnulli, inter quos primarius est Ioannes Syluaticus, *lib. Controuers. Med.* 48. qui oleum (proprie aqua est) vitrioli in curatione pestis, tanquam fumine damnosum, omnino reiiciendum esse existimant. 1. Quia gustum acriter afficit, & acerrimum est, quod adurentem facultatem indicat. 2. Quia Dioscorides & Galenus, vitriolum, erodentem & septicam facultatem habere, vomitum mouere, ac molestum medicamentum esse scribunt. Verum sciendum, dictos viros loqui de ipso vitriolo, non verò de illius oleo, ipsis ne nomine quidem cognito, quod differt à vitriolo ut candidum à nigro; nam refrigerat, malignitati resistit, exsiccat, putredines tollit, & sudores mouet: quæ omnia in pestis curatione maximè necessaria & profutura esse, nemo non nouit. Hos effectus non nostra solummodo, sed plurimorum quoque doctissimorum Medicorum experientia iam a longo tempore probauit, eosque attestantur Herculus Saxonia, Euangelista Quatramnus, Mercurialis, Heurnius, VVirzungus Euonymus, Penotus, Mollerus, Lescbius, Fumanellus, Dornæus, Matthiolus, Ioannes Neander, Augenius, Vntzerus, aliique plures. Quantum ad acrimoniam huius olei, sciendum, Medicus illud nunquam solum exhibere, sed tulebis, syrupis, conditis, aliisque medicamentis admiscere, quibus acrimonia illa satis castigatur, eiusque erodens vis infringitur, adeo ut nihil prorsus nocere queat quam acrimoniam qui in adurente qualitate consistere tradunt, non longè aberrant à via. modò bene distinguant inter hanc qualitatem, quæ ab acribus & acidis salis particulis procedit, & aliam manifestiorem magisque sensibilem adurentem qualitatem à sulphure procedentem, qualis est in febribus ardentibus. Magna enim inter has est differentia & contrarietas: nam si salinarum particularum acida qualitas præualeat supra sulphuream, tunc hanc extinguit; atque hinc illa medicamenta, in quibus salinarum acidarum particularum prædominium præualet, dicuntur refrigerare, ut, oleum vitrioli & sulphuris, acetum, succus citri, &c. non quod calore prædita non sint, sed quod calem specificum habeant calorem, qui manifestum & acrè sensibilem calorem sulphureum extinguere valet. Taceat igitur Syluaticus cum suis affectis; & de vitrioli ac sulphuris olei viribus audiatur Mindererus, qui *lib. de pest. c.* 15. in hæc verba prorumpit: *Nulla est putredo cuius vires non frangant, nulla infectio, quam non superent, nulla humorum deprauatio, quæ per ista non superetur: sane, ut liberrime loquar, si mihi vitriolatorum medicamentorum vsus, vel interdiceretur, vel inhiberetur, ego ad pestis curationem nunquam, vel saltem inermis accederem.* Similia etiam de oleo vitrioli scribit, sequente *c.* 17. Notandum tamen in olei vitrioli vsu, illud non conuenire hypochondriacis, phthisicis, tussiculosis, asthmaticis, aliove thoracis vitio infestatis, ut neque iis quorum vesica vel renes laborant.

XII. Innumeri pulueres à Medicis describuntur, & singuli suo modo à nobis componuntur. Inter cæteros maximi nominis est pulvis Forestii, de quo *lib.* 6. *in scholio obseruat.* 15. ita scribit: *Nos hoc puluere felicissimè vsi sumus in hac*

peſte, tam ad præcautionem, quam ad curationẽ, in multorum ſalutem: & quamquam hunc puluerem pro maximo ſecreto habeamus, nefas tamen eſſe duximus eiuſdem deſcriptionem nobis ſolis retinere, quin potius volumus omnibus communẽ facere, ut quiuis iunior Medicus, tum alij omnes, ad mortalium utilitatem eo recte ut poſſint. Eſt hæc deſcriptio:

Rec. Rad. dictamni,
tormentillæ,
boli Arm. in aqu. ſcabioſæ lotæ,
terræ ſigillatæ, ana drach. vj.
rad gentianæ,
petaſitidis,
betonicæ, ana drach. ij.
ſantali rubri, drach. j.
raſuræ eboris,
cortic. citri,
coralli rubri,
oſſis de corde cerui,
rad. zedoariæ, ana drach. ſ.
margaritarum puriſſimarum, bene utriuſque, ana ſcrup. ij. fragmentorum quinque lapidum pretioſorum, ana ſcrup. j.
Succini,
ramentorum unicornu veri, ana ſcr. ſ.
folior. auri,
argenti, ana n. iij.
fiat puluis tenuiſſimus. Doſis ad præſervationem, à ſcrup. ij. ad drach j.
ad curationem, à drach. j. ad ſcrup. iiij. vel v. cum liquore idoneo.

Idem Foreſtus alios duos huic nõ multum abſimiles pulueres deſcribit eodem libro, in Scholio Obſeruat. 27. Ioannes Molbanus, Crato, Geſnerus, aliique celebrant hunc puluerem, quem Saxoniæ Elector à ruſtico acceperat:

Rec. Rad. valerianæ,
birundinariæ,
urticarum minorum, ana unc. ſ.
polypody querciny,
angelicæ ſatiuæ,
ſylueſtris, ana unc. ij.
althææ, unc. j.
cort. rad. laureolæ, unc. j. ſ.
Radices hæ effodiendæ ſunt inter Auguſti diem 14. & Septembris 8. Incijs imponantur olla vitrea, affundendo aceti tantum ut duobus digitis excedat: bulliant ad lentum ignem: deinde radicibus ſiccatis ac pulueriſatis, adde acinos herbæ paridis n. 16. fiat puluis.

Platerus ſcribit ſe anno 1593, in peſte hoc puluere vſum fuiſſe:

Rec. Boli Arm. præparatæ, unc. ſ.
coralli rubri drach. ij.
ſuccini drach. j. ſ.
raſuræ eboris, &
cornu cerui, ana drach ſ.
rad. tormentillæ drach. j. ſ.
dictamni,
carlinæ,
pimpinellæ,
angelicæ,
imperatoriæ,
myrrhidis, ana drach. j.
corticum l. mornm,
gariophyllorum,
zedoariæ, ana drach. ſ.
cinnamomi, drach. ij. ſ.
ſem. aceroſæ, drach. j. ſ.
ſem. cardui bened.
angelicæ,
ocymi,
coriandri, ana drach. ſ.
medullæ ſem. citri, ſcrup. j.
croci, ſcrup. ſ.
roſarum rubr.
fol. verbenæ,
fol. rutæ,
cardui ben.
ſcordij, ana drach. ſ.
galangæ drach j.
ſpecier. diamargariti drach. j.
fiat puluis.
Si camphoræ ſcrup. i. vel drach. ſ. vel drach. i. addatur, tunc vis eius erit efficacior, ſed minus conueniet pueris & grauidis.

Sennertus hunc puluerem bezoarticum componit, eiuſque ſcrup. ij. ad drach. j. exhibet:

Rec. Cornu cerui uſti drach. j. ſ.
oculorum cancri præparat.
terræ ſigillatæ,
ſuccini,
margaritarum præparat.
coralli rubri, ana ſcrup. j.
oſſis de corde cerui,
ſmaragdi,
rubini,
hyacinthi præparat. ana ſcrup. ſ.
lap. bezoartici orient. ſcrup. j.
foliæ auri n. iij.
fiat puluis.

Cornelius Gemma hunc puluerem pro ſummo ſecreto à Rege Hiſpaniæ haberi ſcribit:

Rec. Myrrhæ electæ,
maſtiches,
boli Armo
terræ ſigillatæ,

ligni

ligni aloes,
gariophyllorum,
macis,
croci, *ana part. aq.*
fiat pulvis.

Matthias Untzerus hos duos pulueres admodum extollit.

Rec. *Rad. angelicæ*,
pimpinellæ,
gentianæ,
zedoariæ, *ana drach. ß*.
enulæ,
petasitidis,
carlinæ,
aristolochiæ rot. ana drach. ij
herb cardui ben.
veronicæ,
verbenæ,
scordij,
melissæ, *ana p. j*.
rutæ,
myrrhæ, *ana drach. ß*.
sem. citri,
cardui ben.
aurantiorum,
nucis moscatæ,
cinnamomi,
gariophyllorum, *ana scrup. j*.
fiat pulvis sub tilis.

Rec. *bac. iuniperi, unc. ß*.
lauri,
rad. angelicæ, *ana drach. ij*.
serpentariæ,
gentianæ,
tormentillæ, *ana scrup. j*.
fol. scordij,
rutæ ana drach. i.
sem. aceto sæ,
cardui ben.
citri,
rutæ, *ana drach ß*
rasuræ eboris,
coralli rubr. præpar.
terræ sigillatæ,
ejus de corde cerui
succini præparati ana scrup. ß.
myrrhæ opt.
flor. sulphuris ana drach. ß.
fiat omnium pulvis subtilis.

XIII. Medici Monspelienses & multi Itali in peste, tanquam utilissimo alexipharmaco, utuntur trochiscis viperinis, qui ad confectionem theriacæ concinnari solent, eosque exhibent a drach. ß. ad drach. j. cum aquis cordialibus. Nos in hac nostra peste iisdem aliquoties usi sumus, sed absque magno fructu, fortasse quia eosdem non satis recentes habuimus, vel quia non tantopere valent aduersus venenum pestilens, quantum aduersus alia venena: saltem ego in peste nullum commodum ex iis percipere potui, atque hinc omnem apud me fidem perdiderunt. Loco horum trochiscorum apud Germanos primo excogitatus, in usum venit pulvis serpentum, ex colubrorum carne lota & exsiccata confectus, quem aduersus venenum pestilens plurimum valere prædicant, Cunradus Cunradi, 2. *part. medul. distil. tract.* 27. Angelus Baldus, *lib. de vip.* Crollius. *in Basil. Chym.* Quercetanus, *lib.* 2. *alex. c.* 5. nec non *in Pharmac.* aliqui plures, inprimis qui è Schola Paracelsica prodierunt, mirabilium mysteriorum iactatores, qui fastoso huius pulueris serpentum encomio, iam plurimis annis Magnatum non minus quam ciuium infimæque plebeculæ mentes miris modis effascinarunt. Rationes quibus serpentini pulueris fundamentum innititur, hæ sunt: 1. Quod Galenus, 6. *epidem. sect.* 6. *text.* 5. dicat vinum viperinum multum valere aduersus venena: quod ipsum quoque docent Rabbi Moyses, & Nicolaus Florentinus, *lib. de venen.* 2. Quod Galenus, *lib.* 11. *simpl.* & *lib. de antid.* referat, duos leprosos vino viperino fuisse sanatos. 3. Quod trochisci de viperis aduersus omnia venena valere, iam ab Andromachi tempore, vel diutius, creditum, & ab omnibus pro indubitato habitum fuerit, qui ea propter theriacæ compositionem ingrediuntur. Hæ rationes & auctoritates tantum valuerũt apud multos, ut solas serpentum ac viperarum carnes ad venenum pestilens fugandum, retundendum, & extinguendum sufficere existimauerint; ita ut inter cæteros Ernestus Burggrauius, *in Lampad. vitæ & mort.* Stentorea voce exclamet: *Puluere serpentino si quis utatur, extra omnium venenorum, qualiacunque illa sint, ac pestilentiæ aleam ac periculum tutus eris*. Ex altera parte multi celeberrimi Medici carnes serpentinas & viperinas aduersus venena nihil prodesse, credunt, eas que tanquã inutiles & fallaces, ab agyrtis aliisque burlarum captatoribus primo in usum productas, reiiciunt, aliosque Medicos, qui illas laudant,

laudant, temeritatis & inscitiæ arguunt. Si meâ opinionem quispiam roget, ego utrosque errare dicam: *illos*, quod prædictas rationes & Galenicas auctoritates nimis longè extendant: *hos*, quod easdem nimis temere in totum reiiciant. Nam carnes viperinas & serpentinas aduersus aliqua venena eximiam antidotalem vim obtinere, adeo notum est, ut absolutè negari non possit; idque non tantum liquet ex prædictis Galeni testimoniis, verum etiam ex quotidiana experientia. Sic Hartmannus scribit se propriis oculis vidisse, à quodam experto Medico tribus diebus continuis grauissima quædam venena assumpta, eademque paulo post sine ulla noxa, ab exhibito puluere, cum admirantium admiratione iterum expulsa fuisse. Ita etiam refert Vntzerus, se vidisse quoidam qui araneos viuos deuorarunt, vel arsenicum aut simile toxicum potarunt, corpore eorum salutari hoc alexiterio præmunito. Idem in adolescente quodam se vidisse testatur Gunrauus: qui insuper narrat historiam cuiusdam rei Pragæ morti damnati, in quo huius pulueris experimentum factum est, & compertum eundem arsenici sublimati virulentiam edomasse. His adde, quod carnes viperinæ lepram etiam hodie interdum sanent. Verum qui hanc antidotalem vim ad omnia venena extendere volet, longissimè errabit, nam multa inueniuntur aduersus quæ carnes viperinæ vel serpentinæ non magis proderunt, quam saccharum aduersus arsenicum. Venena enim quadruplicia fere sunt. 1. *Vegetabilia*, quæ nonnullis herbis, radicibus, fructibus, &c. insunt. 2. *Mineralia*, omnibus satis nota. 3. *Humoralia*, quæ insunt animalibus viuentibus, vel sanis, vel ægrotis, & in *illis* ex certa quadam naturali humorum dispositione resultant, qualia sunt venena scorpionum, buforum, aranearum, &c. in *his* verò ex certa quadam humorum in corpore corruptione præternaturali generantur, ut sunt venenum rabiosum, venereum, epilepticum, & illud a quo variola, multæque malignæ febres generantur. 4. *Mixta*, e quibus generatur pestis, quorum essentiam & naturam nemo hactenus bene cognouit. Aduersus multa ex tribus prioribus venenis carnes serpentum multum valere, certum est, sed non tamen aduersus omnia: nam rabidum, venereum, aut epilepticum venenum per illas extinctum & expulsum, dictosve morbos sanatos fuisse, nondum (quod sciò) compertum est. Verum aduersus quartum venenum, nempe æreum, illas specificè prodesse, nulla certa experientia hactenus demonstrauit: imò contra multoties compertum est, illas aduersus pestilens venenum nihil omnino profuisse. Sic testatur Vntzerus, anno 1610, quo grauissima pestis grassabatur, maximam eorum partem, qui hoc puluere usi fuerant, interisse. Ita quoque Libauius, *tom.* 2. *Syntag. Alch. Pharm. c.* 14. inquit: *Falsum est, non interire pestis omnem eum qui puluere serpentino est præcinctus; imò tam fortiter experientia refutant illud mendacium, ut magnum pondus detractum sit isti omni.* Illud ipsum ab experientia edocti tetigit Caesparus Bauhinus, *in append. ad lib. de lap. bezoar*, & Rulandus, *in præfatione Latina Loimogog. sui Germanici*. His adde, quod nec diuinus Senex, nec Galenus, diligentissimus facultatum medicamentorum indagator, cui carnium viperinarum vires satis notæ erant; nec Auicenna, nec ullus veterum Medicorum, siue Arabum siue Græcorum, viperinas vel serpentinas carnes, tanquam specificum aduersus pestem, exhibuisse legatur; quibus tamen sagacissimis viris non potuisset non cognita esse talis antipestilentialis vis, in medicamento ipsis multo magis, quam nobis, vsuali & cognito. Quidquid sit, saltem nos in hac peste ex trochiscis viperinis nullum laudabilem effectum comperire potuimus: unde illos pessimè sibi consuluere existimamus, qui tempore pestis in carnibus vel trochiscis viperinis aut serpentinis solis multum confidunt.

XIV. Ex fragmentis pretiosorum lapidũ, præter confectionem de hyacintho, varia alia antidota concinnantur, quorum tamen vires multi irrident, alii eadem suspiciunt. Inter alios lapides. Auenzoar, 2. *theor. tract.* 1. *c.* 5. magnam & excellentem vim tribuit Smaragdo, aduersus morbos venenatos, & refert, ipsum ex veneno laborantem, hoc solo remedio fuisse curatum. Sic etiam Mindererus, *lib. de pest. cap.* 15. narrat se mulieri febre pestilenti correptæ quæ omnia remedia auersabatur, puluerem sequentem exhibuisse, quem hanc odo-

re

re vel sapore transglutire poterat, eoque assumpto, abactis sævorum symptomatum seditionibus, & in salutem protinus conversio morbo, evasisse.

Rec. *Smaragdi præparati,*
lapid. bezoar Orient. ana gr. vij.
hyacinthi, gr. iij.
fiat pulvis.

Eandem Smaragdi vim refert se expertum fuisse Zacutus Lusitanus, *Prax. Admir. lib. 3. obs. 87.* in Nobili Lusitano, alvi diuturno fluxu ex veneno assumpto laborante, à quo nulla medicamentorum ope liberari potuerat, quod malum tandem solo smaragdi usu curatum fuit. Crato, *tract. de pest.* inquit. *Omnes pene Medici, post theriacam & Mithridatium, Smaragdum laudant; datur ad gr. vj. cum mithridatio.* Smaragdum ad gr. 10. exhibitum cum aliquo liquore appropriato, magnopere laudant, Eustachius Rudius, *lib. 3. Pract. c. 30.* Fumanellus, *de peste, c. 6.* Quatramnus, *de pest. c. 4.* Sapphirum potum aut exhibitum commendat Augenius, *lib. 3. de pest. cap. 8.* Hyacinthum extollunt Crato, *tract. de pest.* & Io. Fragosus. Succinum exhibet Georgius Agricola, *de pest. lib. 2.* Conradus Conradi, *part. 1 medul distil. tract. 9.* Lioaurus, *part. 3 singular. de succino, c. 28.* Ex his aliisque pretiosis lapidibus Chymici multa præparant magisteria, essentias, liquores, olea, & nescio quæ non chymica Extracta, quorum nonnulla quidem insignia sunt, sed nimis saltem encomio semper comitata. Erastus, *disput. 4. contra Paracelsum*, multis argumentis probat lapides pretiosos nullam cardiacam vim exerere, inter quæ illud primarium est, quod medicamenta quæ debent agere in corpus, debeant actuari & dissolvi; lapides autem illi non dissolvantur, sed eodem pondere, & tales quales assumti sunt rursus excernantur. Quo argumento in eandem quoque opinionem pertractus fuit Hercules Saxonia, *Prax lib. 8 c. 37.* Verum Erasti argumentationem nullius momenti esse, præter plurimorum grauissimorum Medicorum experientiam, etiã multorum lapidum, non occultæ modò, sed manifestissimæ operationes docent. Nam lapis aëtites femori alligatus partum promouet, ut testantur Arabes, Eroles, Nicolaus Rocheus, aliique innumeri, & ipsa quoque experientia: magnes trahit ferrum: & sic plurimi alii lapides varias edunt operationes oculis conspicuas, qui tamen lapides, nec dissolvuntur, nec in pondere aut forma quippiam immutantur: sic etiam vitri antimonii frustũ in vino depositum, quivis eiusdem formæ, qualitatis, ac ponderis, absque substantiæ dissolutione inde rursus extrahatur, tamen isti vino maximam vomitiua vim impressit. Si magnes, lapis aëtites, lapis hæmatites, aliique, si vitrum antimonii, absque substantiæ, ponderis, virtumque imminutione, vires suas exerere possint; quare non etiam nonnulli alii lapides pretiosi, in corpore humano macerati ac cocti, cardiacam & alexipharmicam suam vim absque substantiæ ponderisque immutatione cordi communicare possent? Scio quidem magnos hac in parte errores apud multos committi, qui dum quælibet sua effata ex Apollinis tripode deprompta putant, speculationibus suis absque fundamento abrepti, ex variis lapidibus tales volunt extorquere vires, quibus nunquam prædili fuerunt, nec sunt, nec erunt. Verum hæc interim talium hominum vanitas non debet derogare fidem & auctoritatem iis lapidibus, quos experientia à longo tẽpore demonstrauit antidotalibus facultatibus esse prædilos.

XV. Moschum hoc tempore ægrotos omnes, viros æque atque mulieres, ægerrimè tulisse, & post eius usum se multo melius habuisse, obseruauimus, ac propterea confectionem de hyacintho, ut & alchermes, sine moscho parari iussimus. Etiam Valescus de Taranta, *Philonpharmac. lib. 7 c. 16*, moschum in peste fugiendum esse tradit. De moscho aliisque fragrantibus remedijs videantur adhuc quædam *lib. 2. c. 5. in text & annot. 9.*

XVI. Theriaca & Mithridatium duo nobilissima & antiquissima sunt antidota, quorum aduersus venena & pestilentem luem excellentissimas virtutes, iam à multis seculis experientia probauit, eaque in peste aliisque malignis ac contagiosis morbis plus profuisse semper compertum est, quam innumera alia magnis titulis decantata alexipharmaca. Hinc est quod ubique in Rebuspublicis bene constitutis eximia curiositate confecta, & in celeberrimo usu per

totum

to um terrarum orbem, absque ulla compositionis immutatione, semper habita fuerint. Neque id tuto ratione, nam calorem nativum suscitant, facultatem vitalem recreant, cor adversus venena & omnis generis malignitates firmant ac defendunt, eaque procul à vitæ fonte per poros cutis expellunt. Inprimis autem theriaca, non neotericis solum cognita, sed ab ipsis quoque veteribus summopere laudata existit: ut ab Aetio, *Tetrab. 4. serm. 1. c. 96.* Paulo Æginetæ, *lib. 2. c. 36.* Nicolao Myrepso, aliisque: imò Galenus (vel alius quicumque auctor) *lib. de Theriaca ad Pison. c. 16.* in hæc verba prorumpit: *Deprehensa est mihi sola theriaca in pestilenti constitutione languentibus posse succurrere, cum nullum aliud præsidium tam magno malo, ac ipsa resistere valeat, &c.* Paulo post addit: *Theriacam tanquam ignem purificantem esse comperi: illos quidem qui adhuc sani illam præbiberunt, non permittere ut pestilentia prorsus capiantur: illos autem qui iam ægrotassent, sanare posse, tum aeris inspirati malignitatem immutando, tum corporis temperaturam corrumpi non finendo.* Cum Galeno contentit Alexander Massaria, *lib. 2. de peste*: *Inter antidota*, inquit, *plerique omnes primas facile tribuunt theriacæ Andromachi et Mithridatio, quæ duo medicamenta usque adeo præstant, & alia superant, ut sola præsenti usui satisfacere posse videantur, cum præter hæc nullum forte aliud remedium inueniri liceat quod vehementissimo huic malo absistere possit, quandoquidem illa, si quid aliud, pestilentem omnem fomitem & dispositionem, instar ignis mirandum in modum absumunt & extinguunt.* Post Galenum & Massariam, fere omnes maximi nominis Medici theriacam Andromachi, tam ad præseruationem, quam ad curationem pestilentiæ, summis laudibus extulerunt. Taceant hic Capuaccius, Trincauellius, Iulius Alexandrinus, aliique varii, qui celeberrimi ac diuini huius medicamenti usum frivolis & dictorius quibusdam argumentis è praxi Medica exterminare nituntur, inculantes nescio quæ non incommoda, & inprimis magnum eius calorem, qui in febribus extimescendus est; quasi vero ille admixtis frigidis non posset attemperari, & sic totius non foret calido medicamento malignitatem extinguere, quam solo frigido calorem edomando, malignitatem relinquere, eiusque continuo ac citissimo, maximeque damnoso incremento nullis mediis obuiam ire. Procul dubio hi de theriaca malè loquuntur, non ut humano generi melius consulant, sed ut alio nouo quodam ab ipsis excogitato antidoto magnum sibi nomen conquirant, atque se plus, quam antiquos, sapere monstrent; cum tamen præstaret bene inuentis ac probatis uti, quam nouarum compositionum vires cum plurimorum periculo inquirere, idque in hoc perniciosissimo morbo, in quo medicamenti periculum sine periculo facere non licet: *quia exitiales morbi* (inquit Galenus) *ne leuissimum quidem errorem ferunt*: addo ego, quod neque temporis iacturam patiantur. Ea propter etiam nos in hac peste nullis nouis theriacis (quales sunt, theriaca Londinensis, Arnoldi de Villa noua, Tabernamontani, Germanorum Monauri, Antidotus Matthioli, ut & Guidonis de Chauliaco, electuarium de ouo Imperatoris, aliæque similes compositiones, ab Andrea Gallo, Langio, Augento, Platero, aliisque pluribus Medicis collectæ) uti sumus; cum theriaca Andromachi & Mithridatium Damocratis alias neotericorum theriacas, & in compositionis forma, & in simplicium exquisito selectu, & in singulari effectu, longis parasangis antecellere nobis videretur. Non quod aliorum Medicorum præclara inuenta contemptui haberemus, sed quod illa antiquorum sapientissimè compositis antidotis minimè præferenda esse iudicaremus. Præterea, quod theriaca Andromachi & Mithridatium Damocratis aliquot annorum, semper ad usum parata haberemus, cum aliæ theriacæ non nisi de nouo, & proinde nimis recenter, & minus aptè compositæ haberi possent. Adde, quod in nostris Belgii inferioris regionibus, ad quas omnium rerum, atque etiam medicamentorum abundans copia ex totius mundi partibus undequaque aduehitur, selectissima simplicia ad theriacæ Andromachi confectionem necessaria haberi possint, (quæ selecta copia in multis aliis regionibus desideratur) ac proinde theriaca Andr. curiosissimè conficiatur, & non sine pretio accuratissimo doctissimorum Medicorum examine confici debeat; (si forte per mercato-

rum

rum quorundam auaram fraudulentiam hic illic non satis exacta præparetur, hoc maximè per incuriam aut insciitiam quorundam Pharmacopœorum contingit, iis in locis ubi isti cõfectioni nulli eximii Medici præsides examinatores à Magistratu sunt constituti;) cum aliorum theriacæ ex variis simplicibus, sæpe non debito tempore collectis, nec satis conuenienter siccatis, aut bene seruatis (quorum interdum nonnulla quoque deficiunt) confici debeant.

Verum antequam de theriaca Andromachi discedam, operæ pretium censeo, ut lectoribus ostendam, quanto cum vituperio nonnulli docti viri de hac theriaca loquantur, & quam facile à me aliisque veriora sentientibus talium dicteria retundi queant. Quippe inter primarios theriacæ contemptores comperi esse Guidonem Patinum, magnæ eruditionis & experientiæ Medicum Parisiensem, ac in Sorbonnensi academia Medicinæ Professorem regium. Hic (etsi non nisi de nomine & fama mihi notus) anno 1657 mense Decembri, a me petiit, ut ipsi mitterem libellum disputationum mearum medicarum in academia nostra habitarũ: quem illi lubens transmisi: pro quo munusculo per epistolam mihi gratias egit in principio mensis Martii anni 1658. Sed in eadem illa epistola me admodum acriter perstrinxit, quod in hoc meo tractatu de peste, theriacam Andromachi tantopere extollam & commendem. Prolixam eius epistolam hic inserere nimis longum foret, sed meum responsum (quod etiam prolixum esse debuit) hic duntaxat subiiciam, cum ex eo satis intelligi possit, qualia hic tela, & mihi, & theriacæ intorserit, & quomodo ego illa retorserim. Responsum meum, quod 23. Martii anni 1658. rescripsi hoc fuit.

„ Clarissime doctissimeque Vir, litteræ tuæ „ ante octiduum mihi traditæ sunt, quibus ni„ mias certe pro exili munusculo gratiarum „ actiones profundis faxit summus Deus ut „ posthodum aliquando maius quid mittere „ possim, quod meritus talem gratiarum actio„ nem mereatur. Porrò, quandoquidem ex „ litteris tuis percipio, te antehac librum meũ „ de peste perlegisse, id unice laudo, quod „ omni postposita adulatione sententiam meã „ de Theriaca tam animosè rejicias, propterea, „ sine dubio, quod ipsum pharmacum, & simi„ meum ipsi adscriptum encomium tibi planè „ non arrideat. Verum nimis præcipitanter „ tam antiquum maximique nominis medica„ mentum atro calculo à te depingi seu deni„ grari videtur. Quippe illam dicis esse mo„ rum, solummodo officinæ pharmaceuticæ re„ crementum, in ægrorum perniciem olim ex„ cogitatum, & exinde ab imperitis solum Me„ dicis & empiricis in usum vocatum, etsi boni „ medicamenti nomine prorsus sit indignum. „ Quod his probas rationibus. 1. Quia est cõ„ geries multorum simplicium contrariis qua„ litatibus pugnantium. 2. Quia plerique Me„ dicorum in Gallia illi sine ulla ratione pa„ trocinantur. 3. Quia Belgæ, qui aucupes „ sunt commerciorum per totum orbem, illam, „ ut & plurima alia medicamenta, summo artis „ nostræ dedecore & damno publico, ubique „ diuendunt. 4. Quia est nimis calida. 5. Quia, „ propter multorum simplicium defectum & „ mercatorum fraudes, illa non potest hodie „ fideliter & exactè componi, seu parari. At„ que ex his tandem concludis, eos qui theria„ cam magni faciunt, non ex methodo, sed ex „ sola traditione & aliena fide medicinam fa„ cere. Certè hæc argumenta (quod pace tua „ dixerim) non videntur tam efficacia & ner„ uosa, ut eorum ratione quispiam tam impo„ tenter in medicamentum tot seculis proba„ tum & laudatum inueharur. Tranquillo ani„ mo omnia ponderanda sunt, & clementer si„ ne præiudicio de rebus iudicandum. Theria„ ca congeries quidem est multorum & diuer„ sorum simplicium, sed hoc nihil detrahit eius „ dignitati; nam si singula illa seorsim consider„ rentur, in eo pleraque conueniunt, quod in„ ignem, vel antidotalem, vel corroborantem „ vim habeant. Pulueribus, præter mel & vi„ num Creticum, admiscentur varia gummata, „ haud contemnendis quoque viribus prædita, „ ut compositum iis mediantibus melius cohæ„ reat, &, ob aliqualem tenacitatem, diutius „ sine virium suarum iactura conseruari possit. „ Adduntur denique quæ fermentationem in„ ducunt, ut ea mediante omnium simplicium „ vires resolutæ simus coëant & iungantur in „ unam antidotalem ac corroborantem quali-

„ tatem Simplicium alia incidunt, alia incraſ-
„ ſant, alia calefaciunt, alia refrigerant, &c.
„ ſed ex omnibus his reſolutis & exacte ſimul
„ mixtis exſurgit medicamentum antidotale,
„ cuius præclaras qualitates multis ſeculis pluri
„ morum experientiſſimorum Medicorum, &
„ quotidiano etiam uſu, probatas, licet mirari
„ poſſimus, tamen, fateor, verbis explicare
„ commode non poſſumus. Quemadmodum
„ enim nemo hactenus plurimorum venenо-
„ rum, ut ſcorpionis, tarantulæ, bufonis, ara-
„ neæ, torpedinis, canis rabidi, &c. ita etiam
„ nemo plurimorum antidotorum, & inter cæ-
„ tera theriacæ, alexipharmacam qualitatem ex-
„ plicare potuit; quæ antidotalis vis non conſi-
„ ſtit in calore, frigore, apertione, aut conſtri-
„ ctione, &c. ſed abdita eſt, nec per ullas mani-
„ feſtas qualitates magis explicari poteſt, quam
„ ipſæ multorum venenorum qualitates. Ita ut
„ magna multorum ſimplicium congeries nihil
„ detrahat nobilitati tantæ compoſitionis: ſæpe
„ contingit ut ex multis ſimul mixtis præcla-
„ rum quid educatur, quod ex ſingulis ſimpli-
„ cibus haberi nequit, ſicut illud in multorum
„ medicamentorum mixtione, & valde frequē-
„ ter in chymia patet. Quod quia in Medicina
„ paſſim compertum eſt hinc cum ab antiquis,
„ tum à recentioribus practicis multa præclara
„ compoſita inuenta ſunt, quorum laudandas
„ vires quotidianus uſus probat: hæc tamen
„ omnia tunc ſimili ratione etiam reprobanda
„ viderentur, quia ſcilicet ex multorum con-
„ gerie conſtant. Sic reiicienda forent electua-
„ ria diaprunum, hiera picra, ſpecies diambræ,
„ pilulæ cochiæ, Ruffi, pleraque unguenta &
„ emplaſtra, aliaque innumera: ſi forte dicas,
„ illa ad certum effectum ſeu finem eſſe deſti-
„ nata, ego idem etiã dicam de theriaca; quip-
„ pe ſicut hiera picra purgat vitioſos humores
„ & cacochymiam tollit, ita theriaca ſudores
„ mouet, ac malignitati reſiſtit. Hæc ſi eodem
„ modo fortaſſe conſiderauerint plurimi veſtrę
„ Galliæ Medici, non miror quod theriacæ pa-
„ trocinentur, eamque in variis morbis mali-
„ gnis hactenus valde laudauerint, etſi illud ci-
„ bi diſpliceat, & ſine ulla ratione fieri videa-
„ tur. Quod autem Belgæ ſint, ut dicis, aucu-
„ pes commerciorum per totum orbem, atque
„ etiam plurima medicamenta, ubique diuen-
„ dant, hoc certe nihil arti noſtræ detrahere,
„ nullumque reipublicæ medicæ damnum in-
„ ferre, nec ullam minimam infamiæ notam
„ theriacæ inurere poteſt; atque hinc neque il-
„ la, neque ullum aliud medicamentum eo no-
„ mine male audire debet. Commerciorum au-
„ cupium mercatores tangit, non vero Medi-
„ cinam, quæ interim illud commodi ex tali au-
„ cupio recipit, quod plurima præſtantiſſima &
„ antehac penitus nobis incognita medicamē-
„ ta ex Indiis, aliiſque longiſſimis & ignotis
„ regionibus adferantur: ſic ante hac rhabar-
„ barum: ſena, agaricus lignum guaiacum &
„ ſaſſafras, ſalſaparilla, aromata plurima, &c.
„ ac nouiſſime gummi caranna, tacamahaca,
„ lignum ſerpentinum, balſamum Peruvianũ,
„ aliaque innumera medicamenta nobis allata
„ fuere, quorum præclaras virtutes quotidie ex-
„ perimur, idque non cum ullo damno aut de-
„ decore, ſed cum totius Medicæ artis honore.
„ Ad quid igitur illud aucupium, tanquam
„ magnum opprobrium, noſtris Belgis ſpecia-
„ tim exprobras? Si mercatores merces ſuas
„ nonnunquam adulterent, ſicut ab omni ſecu-
„ lo auaritia per fas & nefas, per dolum & frau-
„ des proprium quærit commodum, illud non
„ lædit Medicinam, multoque minus theriacã,
„ ſed lædit inprimis famam & honorem impe-
„ ritorum Medicorum, atque inprimis pharma-
„ copœorum, qui multotics, proh dolor, per
„ inſcitiam & imperitiam non cognoſcunt ſim-
„ plicia, atque hinc ſæpe quid pro quo, mala
„ pro bonis coẽmunt, ex iiſque compoſita me-
„ dicamenta conficiunt, qui certe error magis
„ eorum ſtoliditati & ignorantiæ, quam mer-
„ catorum fraudi imputandus eſt: quippe ſi illi
„ bona medicamenta ſatis cognoſcere didiciſ-
„ ſent nunquam iis mala pro bonis, nec adulte-
„ rata pro veris obtruderentur. Quantum ad
„ theriacæ caliditatem, quæ forte in febribus
„ peſtilentibus minus conuenientis videri poſſet:
„ dico ulum theriacæ pendere à prudentis Me-
„ dici iudicio, qui ſi videat magnum eſſe febris
„ ardoris prudenter abſtinet à tam calido reme-
„ dio, & utitur alio frigidiore: ſi verò febrilis
„ calor parvus, aut tantum mediocris ſit (qua-
„ lis in multis malignis reperitur) malignitas

verò

„ verò magna existat, ut in pestilentibus solet „ esse, tunc, quia magno opus est antidotali re- „ medio, exhibet theriacam cum aceto, succo „ citri, aliove simili alexipharmaco liquore, „ qui calorem eius infringere valet. Tali mo- „ do possum gloriari me innumeros ægros ex „ ipsa Charontis cymba retraxisse; nam ubi „ multa alia non proderant, tandem admixta „ theriaca requisitam vim medicamentis adii- „ cere seu conferre videbatur, si modo nimius „ febrilis ardor eam non prohiberet. Præterea, „ cum pestis sine febre est, quid tunc, quæso, „ vetat usum theriacæ ob caliditatem? multos „ vidi pestiferos non febricitantes, & ego ipse „ met tempore crudelissimæ nostræ pestis, ma- „ gnum carbunculum pestilentem habui sine „ ulla febri, & sine ullo alio magno incommo- „ do, in qualibus casibus theriaca semper feli- „ cissime usus sum, idque etiam æstiuo calido- „ que tempore. Expertus hæc scribo, non „ verò ex traditione veterum, aut aliena fide, „ ut tu arbitraris. Magnus mihi apertus fuit „ campus annis 1635 & 1636, nec non his an- „ nis 1654, & 55. quælibet in peste mysteria „ perscrutandi & inquirendi, quæ alii maximi „ nominis, & simul maximi timoris Medici ne „ quidem de longe videre ausi fuerunt, qui in- „ terea sæpe nimis faciles sunt in culpandis iis „ rebus, quæ cum inexpertis eorum speculatio- „ nibus non conueniunt, cum tamen nemo eo- „ rum (qui aliis in hac praxi versatis longe do- „ ctiores videri & haberi volunt) per suas spe- „ culationes abstrusam & abditam, cum pesti- „ lentis veneni, tum alexipharmacorum vim ex- „ plicare potuerit, quæ non in calore, frigore, „ aliave manifesta, sed in occulta atque inco- „ gnita qualitate consistit. Quod denique scri- „ bis, theriacam hodie non posse fideliter & „ exactè compositam ac præparatam haberi, an „ hoc in Gallia verum fiet, nescio (olim cum „ illic versarer me maximas pharmacopœo- „ rum fraudes in multis aliis comperisse memi- „ ni) sed hic in Belgio, & præcipue in nostra „ patria urbe Vltraiecto, illam exactissime cō- „ poni scio, ex simplicibus omnibus tam exi- „ mijs & selectis, ut nullus Medicus meliora „ exoptare possit, idque non sine prævio Medi- „ corum primariorum curioso examine, in „ quorum etiam præsentia omnia ponderantur „ & miscentur, ita ut nulla prorsus fraus subes- „ se queat: solummodo pro opobalsamo (quod „ haberi nequit) oleum nucis moscatæ expres- „ sum, & pro carpobalsamo baccas iuniperi „ succulentas, ac pro malabathro folia lauri, „ vel corticis citri exteriorem flavedinem, sub- „ stituimus, reliqua omnia habemus hic sele- „ ctissima. Haud equidem inficias eo, sub hac „ compositione passim, per pharmacopœorum „ auaritiam, in toto Christianismo magnas ir- „ repsisse fraudes, sed hoc duntaxat probatum „ volo, illam satis sinceram posse parari, si mo- „ do Medici, quorum interest, diligentem cō- „ positionis rationem habere velint, sicut nos „ hic Vltraiecti facimus, ubi nulli pharmaco- „ pœo hodie licet aliquod alicuius momenti „ compositum medicamentum pro communi „ usu seruandum præparare, sine prævio Medi- „ corum ad id munus deputatorum examine. „ Ex his denique omnibus concludo, theriacæ „ in peste usum inprimis male audire & parui „ fieri apud eos qui parum aut nihil in pestis „ curatione fecerunt, qui si mihi explicauerint „ naturam pestilentis veneni, tunc ego statim „ theriacæ antidotalem vim explicabo; vel si „ aliud præstantius & certius remediū protule- „ rint, ego statim hoc tanquā incertius reiciā. „ Rideo etiam multorum, inprimis Germano- „ rum, vanas iactationes, qui theriacam An- „ dromachi contemnentes, tanquam quid me- „ lius prolaturi, multa alia excogitauere, con- „ scripsere, & ad cœlum usque extulere com- „ posita medicamenta & antidota, quorum „ omnium splendor, propter minorem effica- „ ciam, maioremque incertitudinem tempore „ periit: qualia sunt electuarium de ovo, the- „ riaca Germanorum Monachii, ut & illa Ma- „ thioli, nec non innumera alia fastolo enco- „ mio à suis auctoribus decantata. Si quis forte „ putet, sine huiusmodi antidotis posse cura- „ tionem pestis commodius absolui per venæ- „ sectiones & purgationes, ille non minus in- „ felix erit in curatione pestis, quam si luem „ Veneream sine ligno guaiaco, salsa parilla, „ Mercurio, aliisve propriis antidotis velit cu- „ rare. Licet ardor febrilis & sordida, vel quo- „ cunque abstruiore nomine nominanda, pu-

„ credo, phlebotomiam & catharsin exposcere „ videantur, experientia tamen isti medendi „ methodo refragatur: nam sanctè affirmo, me „ in crudelissima illa peste, de qua librum meũ „ conscripsi, semper observasse, ex quinqua„ ginta, imò ex centum ægris pestiteris, in qui„ bus hæc remedia tentata fuerant, vix unum „ evasisse; ex iis verò qui antidotis utebantur „ innumeros sanatos fuisse; quod ipsum etiam „ ante quadriennium in nupera nostra peste „ rursus comperi. Ita ut in peste nemo specu„ lationibus propriis, nullo praxeos usu tutful„ tis, nimis pertinaciter insistere possit, sed eas „ in occulto hoc morbo experientiæ subiicere „ necessario debeat, idque adhuc multo magis „ quam in lue Venerea, in qua tamen passim ad „ appropriata antidota, quæ maxime prodesse „ experientia docuit, feliciter concurritur. In„ terim illi, qui tam in peste, quam in lue Vene„ rea, appropriatis & experientia probatis an„ tidotis seu alexipharmacis secundum metho„ dum utuntur, eaque conueniente modo, for„ ma, ac tempore ægris præscribunt, eo nomi„ ne declamandi non videntur, tanquam si em„ piricorum instar, non ex methodo, sed ex so„ la traditione & aliena fide medicinam face„ rent: certe experta & longo usu probata reme„ dia nisi cum bona methodo adhibeantur, pa„ rum utilitatis ex iis redundabit; atque ita „ ipsis etiam optimis maximeque expertis re„ mediis necessario cum bona methodo uten„ dum est. Quantum ad Galeni librum de the„ riaca ad Pisonem, quem scribis spurium esse, „ & te mirari quod illum citem tanquam libri„ alicuius auctoritatis: illum ego tanquam Ga„ leni autenticum non assumpsi defendere, nam „ eodem mihi redit quisnam eius auctor fuerit, „ ego textum illius duntaxat citaui, quatenus „ de theriaca bene iudicare mihi videtur; quo „ nomine etiam quoslibet præclaros scripto„ res, imò & anonymos citare auderem. Sed „ hæc super his: quæso ut accibus ferre nolis, „ quod in modo dictis ab optimene tua dissen„ tiam; illud Philosophica libertati concedendum: ego etiam meorum opinionum tam„ pertinax defensor esse nolim, ut ab iis dissen„ tientium sententias ægre ferre velim, sentiat „ quilibet quod iuuet, duumodo mihi mea„ „ sentiendi libertas relinquatur, coram cuius „ tribunali mihi facile licentia concederetur etiã „ a meis propriis opinionibus discedendi, eas„ que immutandi, quando meliora aut veriora „ videro: interim tamen hoc à me longe abe„ rit, ut de aliis à me dissentientibus male lo„ quar, vel eos contemptui habeam.

„ Sed quandoquidem video parvum, quod „ scribere decreveram, epistolium in longam „ epistolam excreuisse, tempus erit ut vela cõ„ traham, ac proinde te tuosque Deo opt. max. „ meq; tuæ beneuolentiæ unicè commendans, „ semper ero.

Tuus,

I. DE DIEMERBROECK.

Post hanc meam epistolam, per parenthesin hic interiectam, nunc tandem ad rem redeundum, & ad alias quasdam neotericorum theriacas accedendum.

Inter recentiorum antidota, tria sunt maximi nominis: nempe, electuarium de ouo Maximiliani Imperatoris, theriaca Germanorum Monauii, & antidotus Matthioli, quorum descriptiones, omissis innumeris aliis, tanquam nobiliores, hic subiungemus:

Electuarium de ovo hoc modo describit Quercetanus, *de peste c.* 5.

Rec. *Ouum gallina recens, à quo albumen è foramine in acumine facto extrahatur. tunc croco orientali, quicquid in eo vacuum erit, repleatur, & foramen sedulo occludatur, ne quid exhalet: deinde ad ignem lentum, vel in furno affetur, donec superficies nigredinem concipiat, cauendo tamen ne crocus cõburatur: postea abiecta testa ouum totum exsiccetur & pulueriscatur, atque hæc sequentia addantur:*

Rec. *Pulu. rad. tormentillæ,*
dictamni, ana drach. ij.
cornu cerui,
myrrhæ,
nucis vomicæ, ana drach. j.
rad angelicæ,
pimpinellæ,
zedoariæ,
granorum iuniperi,
camphoræ, ana vnc. ß.

Omnia in mortario simul misceantur, addendo theriacæ ad pondus omnium, fiat ſ. ar. electuarium.

Platerus, ne crocus aduratur, illud electuariũ tali modo componit:

Rec.

Rec. Vitellum oui cocti ad duritiem, cui adde croci contriti æquale pondus, agitenturque probè simul, addendo deinde
Pulv. rad. tormentillæ,
dictamni, ana unc. ß
angelicæ, unc. j.
vincetoxici,
succisæ,
zedoariæ, ana drach. ij.
sem. cruc. drach. j.
myrrhæ, scrup. j.
theriacæ,
mithridatij ana q. s. ad formandam massam satis duram.
Dosi drach. j cum aquis distillatis, vino vel aceto.

Monauius de sua theriaca ad Cratonem ita scribit: Composui hic, dum proxima contagio nobis metum inijceret, theriacam quandam, quam Germanorum nuncupaui, cuius libras iam multas Pharmacopæus meus divendidit. Constat ex ijs potissimum quæ apud nos pura & syncera reperiri possunt, nec minorem vim in venenis extinguendis possident, quam exotica ab extremis Indijs huc importata.

Rec. Rad. angelicæ,
gentianæ,
zedoariæ,
tormentillæ,
dictamni,
pimpinellæ,
valerianæ,
ostrutij,
morsus diaboli,
aristolochiæ rotundæ,
asari,
serpentariæ,
tenuiscij,
cardui pat.
petroselini, ana drach. iij.
herbar. scordij,
chamædryos,
betonicæ,
rutæ,
cardui benedicti,
centaurij, ana unc. ß
florum calendulæ,
lauendulæ,
anthos,
Seminum citri,
acetosæ,
napi,
anisi,
baccarum lauri, ana drach. iij.
Fiat arcanum, præparat.
terræ sigillatæ,
cornu cerui vsti, ana unc. j.
croci,
macis,
macropiperis,
mastiches,
thuris,
santalorum omnium, ana drach. ij. ß
myrrhæ electæ
florum sulphuris,
camphoræ, ana drach. vj.
opij Thebaici, scrup. iiij.
castorij,
euphorbij, ana drach. j.
rhapontici veri, unc. j.
cinnamomi electi,
corticum citri,
aurantiorum ana unc. ß
mucum ingland. excortic.
ficuum per cribrum transuisi, ana unc. iij.
succi cardui benedicti,
scordij,
scabiosæ,
veronicæ,
rutæ,
salviæ,
acetosæ,
botryos,
melissæ, ana unc. ij.
olei vitrioli, unc. j.
species. diamargariti frigidi, calidi,
è gemmis frig. & calidi ana drach. j. ß
cordialium temperat. drach. ij.
diambræ,
diamoschi, ana drach. j.
theriacæ Andromachi unc. iiij.
mithridatij,
electr. de ouo, ana unc. ij.
diascordij, unc. j. ß
extracti angelicæ, unc. ß
salis absinthij, drach. ij.
vini odoriferi, lib. ij ß
mellis despumati, lib. xij.
Exquisitè commisceantur omnia ad formam opiatæ.

Matthiolus in præfatione lib. 6. in Dioscoridem, de sua theriaca ita scribit: Licet hac ætate rari admodum habeantur Medici, qui sua arcana pandere velint, si quod nacti sint pulchrum & singulare auxilium; tamen cum mihi consilium ab initio fuerit, mea opera, quantulacunque sit, omnibus generatim prodesse; alienum quidem inhumanumque foret, si modo vel inuidia, vel auaritiæ commodus, aliquid silentio involverem, quod in ar e

Medica

Medica uſui futurum putem. Igitur antidotum, cuius admirandas in venena vires ſæpius experitus ſum, hoc modo conficitur:

Rec. *Rhabarbari,*
rhapontici ex Ponto aduecti,
rad. phu, acori (quem falſo calamum aromaticum vocant)
cyperi,
quinquefolii,
tormentillæ,
ariſtolochiæ rotundæ,
paeoniæ,
helenij,
coſti,
iridis Illyricæ,
chamalaeontis albi, ana drach. iij.
galangæ,
imperatoriæ,
dictamni albi,
angelicæ,
millefolij,
filipendulæ,
doronici,
zedoariæ,
zingiberis, ana drach. ij.
agarici, drach. iij.
libanotidis maris,
morſus diabolj,
gentianæ, ana drach. ij. ſ.
Seminum mali citrij,
viticis,
cocci infectorij,
exalidis,
fraxini.
paſtinacæ ſylueſtris,
napi,
nigellæ,
paeoniæ,
ocymi,
irionis,
thlaſpios,
funiculi,
ammi, ana drach. ij.
baccarum lauri,
iuniperi,
hederæ,
ſmilacis aſperæ,
cubebarum, ana drach. j. ſ.
folionum ſcordij,
chamedryos,
chamapytheos,
centaurij minoris,
ſtoechados,
nardi celticæ,
calamenthæ,
rutæ,
menthæ,
betonicæ,
verbenæ,
ſcabioſæ,
cardui benedicti,
melliſſophylli, ana drach. j. ſ.
dictamni Cretenſis, drach. iij.
ſamoſuchi,
hyperici,
iuncj odorati,
marrubij,
galegæ,
ſabinæ,
pimpinellæ, ana drach. ij.
caricarum,
uuarum inglandium,
piſtaciorum, ana unc. iij.
myrobalanorum embelic. drach. iiij.
florum utriuſque bugloſſi,
roſarum,
ſalviæ lauendulæ,
roſmarini coronarij, ana ſcrup. iiij.
croci, drach. ij.
caſſiæ odoratæ, ſeu cinnamomi, drach. x.
cariophyllorum,
nucis, myriſticæ,
macis, ana drach. ij. ſ.
piperis longi, ac nigri,
ſantalorum omnium,
agallochi, ana drach. j. ſ.
cornu cervi crudi, drach. iiij.
unicornu, drach. j.
oſſis cordis cerui,
ramentorum eboris,
virgæ ceruinæ,
caſtorij, ana ſcrup. iiij.
terræ Lemniæ, drach. iij.
opij, drach. j. ſ.
margaritarum orientalium,
ramentorum ſmaragdi,
hyacinthi,
coralli rubri, ana drach. j. ſ.
camphoræ, drach. ij.
maſtiches,
thuris,
ſtyracis,
myrrhæ,
gummi Arabici,
reſinæ terebinthinæ,
ſagapeni,
opoponacis,
laſerpitij, ana drach. ij ſ.
muſchi odorati,

ambræ,

ambræ, ana drach. j.
olei vitrioli, unc. ſ.
pulueris cordialis temperati,
diamargaritj,
diamoſchi,
diambræ,
electi. de gemmis,
paſtillorum caphuræ,
ſcyllæ, ana drach. ij. ſ.
paſtillorum viperæ, unc. ij.
ſuccioxalidis,
ſonchi,
ſcordij,
echij,
meliſſophyli,
bugloſſæ, ana lib. ſ.
hypociſtidis, drach. ij.
theriacæ,
mithridatij opt. ana unc. vj.
vini vetris albi odorati lib. iij.
ſacchari è Medera inſula vel
mellis optimi lib. viij. & unc. vj.

Ex his ſumma diligentia inquiſitis fiat electuarium eo modo quo theriaca, & mithridatis antidotus conficiuntur.

Matthiolus exhibet huius electuarij drach. j. ad drach. ij. pro ætate & conſtitutione patientis, idque tanquam præſentiſſimum antidotum aduerſus peſtem & omnia venena commendat.

Hæc eſt famoſa illa antidotus, magna illa congeries plurimorum ſimplicium ſine ordine, ſine methodo, ſine ulla ratione ſimul congeſtorum ac coniunctorum in unam compoſitionem, quam, tanquam è deorum ſeminis prolatum remedium, admirantur Itali, extollunt Germani, laudant imperiti & nouarum rerum potius, quam meliorum ſtudioſi; cuius deſcriptionem huic noſtro libro inſerere volui, partim ut ſatisfacerem iis, qui nouitatis & longitudinis amantes, eam ambabus ulnis amplectũtur: partim ut illam doctiorum & ſanioru quorumcunque iudicio exponerem.

Præter hæc iam dicta maximi nominis antidota, innumera alia ab auctoribus deſcribuntur. Ioannes VVierus refert Canonicum quendam Lotharingium, hoc ſequenti electuario tanquam ſummo ſecreto, apud Principes quæſtum non vulgarem feciſſe:

Rec. *Specierum lætitiæ Galeni,*
terræ ſigillatæ, ana drach. j.
boli Arm. præparatæ. unc. ſ.
theriacæ Androm. unc. iij.
conſeruæ roſarum,
boraginis,
bugloſſæ, ana unc. j.
ſyrupi violacei, q. ſ.
fiat electuarium.

Platerus, *Prax. tract. 2.* deſcribit ſuum electuarium, quo anno 1582 feliciter uſus fuit.

Ioannes Kentmanus olim pro republica Torgenſi præſcripſit hoc electuarium curatiuum.

Rec. *Raſuræ cornu cerui,*
oſſis de corde cerui, ana unc. ſ.
camphoræ unc. j [forte drach. j.]
dictamni cretici,
rad. tormentillæ, ana drach. j. ſ.
ſacchari candi, unc. j. ſ.
theriacæ Androm. unc. vj.
ſyr. de acetoſitate citri, q. ſ.
miſce, fit electuarium.

Plures huiuſmodi compoſitiones paſſim inueniuntur apud auctores qui de Peſte agunt.

XVII. Diaſcordio uſi ſumus ſecundum ipſius Fracaſtorii deſcriptionem, nobis ab eo relictam *lib. 3. de morb. contagioſ. c. 7.* quæ, inter alia, recipit opii drach. j. ſ. Video ab aliis malè augeri opii quantitatem ad drach. ij. vel drach. iij. imò à nonnullis ad drach. iiij. vel drach. v. atque ita bonum medicamentum per additum opium, fieri nimis ſoporiferum & noxium, imò maximè periculoſum. Fracaſtorius illud quibuslibet ſummopere commendat, atque etiam fere iam deſperatis hoc modo exhibet:

Rec. *Succi acetoſellæ, unc. ij.*
ſuccicitri, unc. j.
diaſcordij, drach. j.
ſpecierum cordial. è gemmis, ſcrup. ij.
aceti, unc. j.
miſceantur, & fiat hauſtus.

Huius diaſcordii Fracaſtorii laudes decantat Mindererus, *lib. de peſte, cap. 15. Magna*, inquit, *hæc veterum remedia ac auxilia* (ſcilicet theriacam & Mithridatium) *conſequitur electuarium illud Fracaſtorij diaſcordium appellatum, quo confidenter me ſemper vſum fuiſſe profiteor:*

fiteor: etenim præter insignem quam in hoc malo pellendo vim obtinet, corpus nullo vehementi calore, ut theriaca vel Mithridatium, perurit, unde & pueruli, grauidis, ac puerperis tutum, securum, ac salutare medicamentum existit, putredinem corrigens, venenum pessundans, sudores absque magna humorum agitatione prouiciens, grauia symptomata, cephalæas præsertim ingentes, sedans, & multo nobis usu compertum, cui plurimum tribuendum esse censemus non immerito. Nos in hac nostra peste eodem diascordio Fracastorii feliciter semper usi sumus.

Sunt qui loco diascordii Fracastorii, summopere commendant diascordium Gemmæ, cuius hæc est descriptio:

Rec. *Scordij recens collecti & in umbra siccati, drach. x.*
dictamni Cretici,
summitat. absinthij Pontici,
epithymi Cret. ana unc. ſ.
florum rosarum Damaſ.
calendulæ,
buglossæ, ana drach. ij.
sem. plantaginis scrup. ij.
melonum,
cucumeris,
cucurbitæ excortis ana drach. j. ſ.
cornu cerui nſi, drach. iij.
rad. gentianæ,
angelicæ,
zedoariæ,
dictamni albi, ana scrup. v.
uncis moſcatæ,
macis,
eroci orient.
piperis albi,
boli Arm.
maſtichis, ana scrup. iij.
camphoræ, scrup. ij. ſ.
cinnamomi,
corallinæ,
rhabarbari,
ligni aloes,
ligni rhodij,
asæ dulcis, ana drach. j.
cardamomi,
spicæ Indicæ,
santali albi,
corticum citri,
rasuræ eboris, ana scrup. iij.
ossis de corde cerui,
moschi, ana scrup. j.

Subtilissimè læuigata cum saccharo albissimo aquis rosarum ac vino Cretico despumati q. ſ. fiat electuarium, cui sub finem adde,

extracti tormentillæ
veronicæ,
salsæparillæ, ana drach. j.
iuniperini, drach. ij.
olei calcanthi rectificati, drach. j. ſ.
olei citri scrup. j.
fiat opiata.

XVIII. Maximarum virtutum est illa nostra aqua theriacalis, quæ non tantum veneno pestilenti potenter resistit, cor à malignitate defendit, & sudores mouet, verum etiam in debilibus iam labascentes vires miro modo corroborat. Mirum dictu quam insignes eiusdem effectus in hac peste aliisque febribus malignis comperti fuerimus.

Sunt qui aquam chelidoniæ maioris tanto encomio extollunt, ut putent aliud melius antipestilens remedium dari non posse. Hanc autem ita conficiunt. Chelidoniam maiorem recentem ac viridem in mortario contundunt, contusam in cantharum lapideum angustioris orificij conijciunt, addendo aliquantulum aquæ aut vini: hunc cantharum exactissimè obstructum per duas treue septimanas sepeliunt in fimo equino, postea totum quod ei inest extrahunt, & tunc in alembico distillant. Cum aqua illa forte ad manum non est, sumunt nonnulli decoctum eiusdem chelidoniæ, eoque feliciter cum successu utuntur. Nouit virum nobilem literatum, qui ad pestem, & quascunque febres, ac viscerum debilitates, tanti facit antedictam aquam chelidoniæ, ut eam semper in promptu domi suæ paratam seruet, eamque supra omnia alia medicamenta plurimum extollat.

Innumeræ conficiuntur aquæ theriacales, & quilibet fere Medicus nouam quandam ad suos usus excogitat. Inter cæteras autem maximè celebratæ sunt Aqua bezoartica. Langij, & aqua theriacalis Bauderoni. Langij hæc est descriptio:

Rec. *Chelidoniæ mai. cum radicibus M. iij. ſ.*
rubæ,

ruthæ, M. j.
scordij, M. j.
dictamni Cretici,
cardui benedicti, ana M. j. ſ.
zedoariæ,
angelicæ, ana drach. iij.
corticum citri,
limonum, ana drach. ij. ſ.
florum tunicæ,
boraginis, ana drach. ij.
cinnamomi opt. drach. ij. ſ.
gariophyllorum, drach. iij.
Inciſis incidendis, & contuſis contundendis, fiat infuſio in Vini ſublimati ter diſtillati lib. viij.
vini maluatici,
aceti ſcordij, ana lib. j.
Macerentur per biduum, poſtea lento igne in organis vitreis diſtillentur. Huic diſtillato liquori adde,
Theriacæ, unc. iij.
mithridatii, unc. j. ſ.
camphoræ, ſcrup. ij.
macis drach. i. ſ.
cinnamomi, drach. iii.
ligni aloes ſcrup. ii.
ſantali citrini,
gariophyllorum, ana drach. ii. ſ.
conſeruæ florum tunicæ, unc. ii.
cardui benedicti, unc. i.
cornu cerui præparati, drach. i. ſ.
ſpecierum liberantium, ſcrup. v.
Macerentur in priore diſtillatione, & ita ſeruentur ad uſum.

Deſcriptio aquæ Bauderoni hæc eſt.
Rec. *Theriacæ opt. mediæ ætatis, unc.* iii.
Rad. tormentillæ,
angelicæ,
ſcorzoneræ,
dictamni Cretici,
ligni ſaſſafras, ana unc. ii.
boli orientalis, unc. i.
granorum iuniperi,
ſem. citri mundat.
cardui bened.
acetoſæ,
portulacæ, ana unc. ſ.
herb. betonicæ,
calendulæ,
meliſſophylli,
ſcordii,
boraginis, ana M. i.
cinnamomi,
macis, ana drach. ii.
Inciſis & contuſis affunde, acetivini roſacei, ſucci citri, omphatij, ana lib. ſ. *ſeu unc.* vi.
Fiat in vaſe vitreo tepida maceratio per biduum: deinde diſtillentur. Doſis ad præcautionem, unc. i. *ad curationem, unc.* ii.

Hanc deſcriptionem poſteritati reliquit Bauderonus, in appendice ad ſuam Pharmacopœam. In qua mihi omnino diſplicet liquoris affuſi nimis parua quantitas: nam reſpectu tot ſimplicium aliorumque ingredientium, ad minimũ affuſus liquor adiectione duarum triumve librarum vini, aceti, alteriuſve liquidi augeri deberet, ut commoda infuſio & diſtillatio fieri poſſit.

Sequenti aqua uſus fuit Sennertus, deſcripta *Paralipom. ad lib. de feb.* 5.
Rec. *Radicum tormentillæ*,
bardanæ, ſeu lappæ maioris,
pimpinellæ,
ſucciſcæ,
valerianæ, ana unc. iiij.
imperatoriæ,
angelicæ,
gentianæ,
ſerpentariæ, ana unc. i.
nucum recentium nondum planè maturarum, lib. i.
foliorum ruthæ cum floribus,
acetoſæ,
calendulæ,
cardui benedicti,
ſcordij,
verbenæ, ana M. ii.
camphoræ in ſpiritu vini diſſolutæ, drach. i.
theriacæ,
mithridatii, ana unc. i. ſ.
diaſcordij Fracaſt. unc. i.
aceti roſacei,
vini albi præſtantiſſimi, ana part. æq.
diſtillentur.

Chriſtophorus de Cock van Kerckvvijck, *lib. de Peſte*, admodum magni facit hanc ſuam

aquam corroborantem & sudoriferam cuius exhibet adultis unc. iij. vel unc. iiij, iunioribus verò minus, pro ratione ætatis.

Rec. *Radic. angelicæ*, unc. iiii.
contrayervæ, unc. ii.
flauedinis citri,
aurantiorum, *ana* unc. i.
grosso modo contusis, superfunde
succi nucum iuglandium
immaturarum unc. xii.
succi fol. ruthæ, melissæ, & salviæ, cum vino rhenano irrigator. & simul expressor. unc. viii.
succi citri cum spiritu sulphuris per campanam ad libitum acrefacti, lib. iii.

Digerantur calide per triduum, & igne lento ex cucurbita vitrea ad siccitatem distillentur. Liquori distillato admisce.

aquæ cinnamomi acutissimi unc. vi.
syrupi aurantiorum, unc. ii.
cerasorum, unc. iiii.
misce, & usui serua.

Antehac Leydæ usualis esse solet hæc aqua theriacalis:

Rec. *Rad. angelicæ*,
zedoariæ, *ana unc.* i.
galangæ,
zingiberis,
gentianæ, *ana drach.* iii.
corticum aurantiorum,
citri, *ana unc.* ſ.
gariophyllorum,
cinnamomi,
nucis moscatæ.
cubebarum,
piperis albi & nigri, *ana drach.* ii.
baccar. iuniperi, *unc.* vi.
lauri, *unc.* iiii.
herbarum melissæ,
rutæ,
scordy,
salviæ,
cardui benedicti,
menthæ, *ana unc.* i. ſ.
rosmarini,
pulegy,
sabinæ, *ana unc.* i.
maiorane,
artemisiæ,
calamenthæ, *ana unc.* ſ.
seminum dauci,
anisi, *ana unc.* ii.
carui,
fœniculi, *ana unc.* i.
florum chamomillæ,
meliloti, *ana unc.* ſ.
myrrhæ, *unc.* ii.
theriacæ veteris, *unc.* vi.
spiritus vini opt. lib. xv.

Macerentur per duodecim dies, postea distillentur in B. M.

Crollius suum spiritum theriacalem camphoratum egregiè sudorem ciere, ac pestilenti veneno fortiter resistere scribit:

Rec. *Theriacæ Andr. unc.* v.
myrrhæ rubræ, *unc.* ii. ſ.
croci orient. unc. ſ.
camphoræ, *drach.* ii.
mixtis superfunde spiritus vini rectificati, unc. x. *sient loco tepido, vase beneclauso, per dies* 24. *postea lento calore distilla in B. M.*
Dosis, drach. i.

Hercules Saxonia, *l.* 8. *de fabr. cap.* 37, describit, multumque laudat suam aquam cordialem distillatam. Platerus, *Prax. tract.* 2. describit tres quatuorve insigniores aquas theriacales distillatas, quibus ipse in peste feliciter usus fuit.

Post quarum descriptiones hoc addit. *Si camphoram*, inquit, *prædictis compositionibus, quas distillare volumus, addamus, aquas illas odorem illius spirantes, admodum efficaces reddemus: quod & fieri poterit, si camphoræ portionem in ijs maceremus, vel dissolutam prius cum aqua vitæ illi permisceamus.*

Sunt qui aquas illas theriacales per infusionem potius conficiunt quam per distillationem, atque ita illas efficaciores esse iudicant, propterea quod multorum simplicium virtutes in distillatione non transcendant, quæ in infusionibus integræ haberi possunt. Talis est aqua Iohannis Cratonis, quam, tanquam utilissimam, commendat:

Rec. *Carlinæ*,
zedoariæ,
gentianæ,
angelicæ,

fortiter-

tormentillæ,
boli Arm. ana unc. ij.
trium santalorum, unc. j.
camphoræ, scrup. ij.
moschi, scrup. j.
theriacæ,
mithridatij, ana unc. iij.
spiritus vini, lib. iij.

Fiat insolatio, vel tepida maceratio per mensem: postea colentur per triplicem pannum lineum.

Alii hanc intusionem laudant:

Rec. *Boli Arm.*
terræ sigillatæ, ana unc. vj
rad. tormentillæ,
dictamni albi,
pimpinellæ,
valerianæ,
zedoariæ,
gentianæ, ana unc. ij.
angelicæ, unc. iiij.
florum veronicæ,
herb. scabiosæ,
cardui benedicti ana M. ij.
Infundãtur in vini distillati & aceti, ana lib. vj.
Huic infusioni per chartam bibulam colatæ adde, theriacæ lib. j.
Dosis, unc. j. ℥ ad unc. ij.

Nonnulli hanc sequentem pluris faciunt:

Rec. *Aceti vini fortissimi decocti cum seminibus rutæ,*
vini Rhenani albi,
malvatici, ana lib. ij.
theriacæ Androm.
mithridatij Damoc. ana lib. j.

Misceantur, & stent per aliquot dies, quotidie bis terve agitando, postea colentur primò per manicam, deinde per chartam bibulam.

Matthiolus summis laudibus extollit suã quintam essentiam per infusionem paratam, quam *in præfatione lib. 6. Dioscoridis* ita describit:

Rec. *Antidoti nostri (vide descriptionem paulo ante, annotat. 16.)*
syrupi è cortice citri, ana lib. i.
aquæ vitæ ad quintam essentiam distillatæ lib. v.

Omnia in vas vitreum injiciantur duplæ à reliquis indutis capacitatis, postea vasis ore ita obturato ut nullus spirandi meatus relinquatur; magna cum dexteritate aqua in vase cum electuario tam diu agitetur, donec totum dissolvatur; atque tunc vasis ore cera vel pice obducto, per mensem integrum reponatur, & bis in hebdomada bene agitetur. Post mensem clara aureoque colore nitens aqua quæ supernatat, in aliud vitrum paulatim effundatur, quod bene obturetur.

Istam aquam dicit Matthiolus se millies expertum fuisse tanta virtute pollere ut quatuor drachmarum pondere pota, vel per se, vel cum pari quantitate vini odoriferi, alterius ve stillatitii cordialis liquoris, illos qui à quocunque venenato animali demorsi sunt, & iam vocem, visum, & reliquos sensus amiserunt, instar miraculi, quasi à longo somno excitet.

Paracelsus, *lib. de peste ad Sterz.* sequentem infusionem valde celebrat:

Rec. *Vini sublimati rectificati mensuram unã,*
theriacæ opt. unc. vi.
myrrhæ, unc. ii.
radic. tussilaginis, unc. iii.
sperm. ceti,
terræ sigillatæ, ana unc. ℔.
rad. asclepiadis, unc. i.
dictamni albi,
pimpinellæ,
valerianæ, ana drach. ii.
camphoræ, drach. i.

Mista omnia in purum vitrum conjiciantur, ac in ipso bene obturato ad Solem stent per octiduum.

Hanc aquam iubet exhibere quantitate dimidii vel integri cochlearis, pro ratione ægri, & sudorem expectare. Illius etiam virtutes augeri dicit, si tartarum bonum purumque subtiliter tritum, per alembicum vitreum bis distilletur, & huius aquæ dimidia quantitas priori aquæ affundatur, simulque probe misceantur.

Nonnulli hoc decoctum magni faciunt, cuius etiam nos felices aliquot successus in peste vidimus:

Rec. *Radicum calendulæ,*
helenii,
fol. rutæ,
nepetæ,

naſturtij aquatici, ana unc. i. ſ.
rad. ariſtolochiæ fabaceæ, unc. i.
oculorum cancri unc. i. ſ.
aceti vini lib. viii.

Coquantur ad mediæ partis conſumptionem: adde colaturæ, theriacæ unc. i. ſ. miſceantur. Detur bonus hauſtus, & ſudet æger ante ſomnum.

XIX. Similia extracta variis modis confici, & aliis additis efficaciora reddi poſſunt: aut,

Rec. *Rad. petaſitidis,*
dictamni,
zedoariæ,
angelicæ,
carlinæ, ana unc. i.
helenii, drach. x.
cortic. citri, unc. i.
aurantiorum, unc. ſ.
herb. ruthæ,
ſcordij,
dictamni,
cardui bened. ana M. ſ.
baccarum lauri, drach. iii.
iuniperi, unc. i. ſ.
ſem. cardui ben.
citri, ana drach. ii.
ſpiritus vini opt. q. ſ.
fiat ſ. art. extractio in B. M. Liquor abſtrahatur ad conſiſtentiam mellis, cui admiſceantur pulueres cardiaci & antidotales, ut,

Rec. *Huius extracti unc. iii.*
magiſterij perlarum, corallorum, ana dr. i. ſ.
eſſentiæ camphoræ, & croci, ana ſcrup. i. ſ.
florum ſulphuris, ſcrup. iiii.
miſceantur.

XX. Aceta bezoartica quilibet fere Medicus ſuo modo componit, prout alius hæc, alius illa ei admiſta magis conuenire arbitratur. Multi laudant illud Matthioli:

Rec. *Granorum iuniperi, unc. i.*
ruthæ,
ſcordij, ana unc. ſ.
ſantali citrini,
rad. angelicæ,
valerianæ,
ariſtolochiæ,
zedoariæ, ana drach. i. ſ.
myrrhæ, drach. i. ſ.

Pulueriſentur groſſo modo, & infundantur in aceti vini lib. iii. ſ.

Schroderus in ſua pharmacopœa, tanquam maximarum virium, extollit hoc acetum bezoarticum D. D. de Spina:

Rec. *Radic. enulæ camp. unc. ii.*
angelicæ,
Rad. oſtrutij,
valerianæ,
vincetoxici,
chelidoniæ,
pimpinellæ, ana drach. vi.
gentianæ,
dictamni albi,
ariſtolochiæ rotundæ,
tormentillæ,
ſcabioſæ,
ſuccisæ,
petaſitidis,
zedoariæ, ana unc. ſ.
baccar. iuniperi, M. iiii.
myrrhæ electæ, unc. ſ.
fol. ruthæ,
chelidoniæ maioris,
ſcordij,
cardui bened.
chamedryos, ana M. ii.

Inciſis & contuſis affunde, aceti vini acerrimi lib. viii.
ſpiritus vini, lib. iii.
theriacæ Androm. unc. ii.
ſpiritus tartari, unc. ſ.
camphoræ, drach. ii.

Digerantur per dies aliquot, deinde exprimantur, filtrenturque per chartam.

Ab hoc aceto non multum differt ſequens acetum prophylacticum Iohannis Ernelti, ab ipſo, *tract. de Oleis*, ſic deſcriptum:

Rec. *Rad. angelicæ,*
imperatoriæ,
pimpinellæ,
vincetoxici,
valerianæ,
dictamni,
petaſitidis,
zedoariæ,
tormentillæ,

gen-

gentianæ, ana unc. i.
baccar. iuniperi, M. ii.
fol. ruthæ, M. iii.
sem. citri,
acetosæ,
cortic. citri, ana drach. vi.
theriacæ Androm. unc. i. s.
florum sulphuris, drach. iii.
ossis de corde cerui, drach. i.
myrrhæ, drach. iii.
spiritus vini opt. lib. ii.
aceti distillati, lib. vi.
spiritus vitrioli, drach. i.

Digerantur loco calido & seruentur ad usum.

Paulus Barbette sequentis aceti descriptionẽ posteris reliquit, quò se feliciter usum fuisse scribit: eandem descriptionem etiam laudant, alii, qui pestiferis inseruierunt.

Rec. *rad. angelicæ, zedoariæ, ana unc. i.*
petasitidis unc. ii.
fol. ruthæ, melissæ,
scabiosæ,
flor. calendulæ, ana unc. ii.
nucum iuglandium immaturarum incisarũ lib. ii.
pomorum citrei recent. concis. lib. i.
contunde omnia simul, tunc affunde, aceti vini optimi ad tres quartas partes,
fiat in cucurbita vitrea in arena digestio per noctem, deinde distillentur igne lento, usque ad siccitatem, sine ustione. Hoc acetum usui seruetur.

Guilhelmus Magistrius refert empiricum quẽdam ipsi familiarem, hoc potu innumeros à peste aliisque febribus liberatle:

Rec. *Micam unius panis triticei, recenter è furno extracti, & aceto acerrimo intinctam, ac omnino madentem alembico ad distillandum impone. Istius liquoris stillatitu exhibebat unc. iiii. & stragulis bene coopertos sudare faciebat, idque tribus mauttinis reiterabat.*

XXI. Acetum in pestis curatione plurimum valere, multoties obseruauimus: imò varios nouimus, qui peste correpti, bonum haustum aceti vini fortissimi, cum pauxillo salis communis, in ipso principio bibentes, illico in copiosissimum sudorem profusi, atque ab imminenti periculo citissimè liberati fuerunt. Forestus, *lib. 6. in schol. obseruat. 19.* scribit, Nosocomii Chirurgum tunc temporis theriacam cum aceto sambucino, pro liberante & sudorifero medicamento, pestiferis omnibus ex æquo statim dedisse. Neque id malè, quia *Acetum*, inquit Leu. Lemnius, 2. *Occult. cap. 36, venenis resistit, ac pestilentis morbi contagia repellit, dissipat vitiosum aerem; &, si quid in corpus haustum est, humores infici ac putrescere prohibet.* De aceto plura diximus *lib. 2, cap. 5, annot. 7. & cap. 10. annot. 17.*

XXII. Platerus, *prax. lib. 3.* pro apozemate antidotali commendat decoctum guaiaci, quod hoc modo componit.

Rec. *ligni guaiaci, unc. ii.*
salsæparillæ, unc. i.
aquæ q. s.
fiat 1. ait. decoctio, in
qua decoque,
granorum iuniperi,
baccarum lauri,
rad. angelicæ,
enulæ, ana drach. ii.
cinnamomi, parum
fiat decoctum.

Verum & si guaiacum & salsaparilla sint specifica aduersus luis Venereæ virus, non sequitur tamen quod æqualiter valeant contra venenum pestilens: nam illa singula venena habent diuersas qualitates specificas, & hinc requirunt singula diuersa specifica remedia, quæ experientia magis quam ratio docet; cum in quonam consistat, & quidnam sit illud specificum, tam in veneno, quam in remedio ei contrario, nobis occultum sit, atque hinc etiam ignotum, quare guaiacum non æque valeat ad pestem, vel hydrophobiam, quam ad luem Venereã. Interim hoc usu didici, quod sicut theriaca prodest in curatione pestis, nihil verò ad curationem luis Venereæ confert; ita è contra guaiacum & salsaparillam conducere ad curationem luis Venereæ, nihil verò, vel valde parum prodesse in curatione pestis, quia licet sudores moueant, tamen post eos tali modo excitatos nunquam vel rato sequitur expectatum leuamen, quale ab aliis antidotis frequentissime sequi solet, quia scilicet guaiacina decocta

cecta veneni pestilentis virulentiam non extinguunt, propterea quod destituantur specifica illa occulta qualitate veneno pestilenti contraria.

XXIII. Non possum non his corollarii loco subiungere Guilhelmi Magistrii secretum, quod *in Isagoge Therapeut. sect. 2.* his verbis describit: *Neque etiam praterire volui, quod certo scio omnibus adhuc intactum, nescio an incognitum fuisse, experientiam quam de bufone habeo, qui si è collo hominis in sacculo lineo vivus suspendatur, hominem peste contaminatum paucis horis liberat.* Paracelsus, *de pestil. tract. 1* non de solo bufone, sed etiam de plurimis aliis idē asserit. *Rana*, inquit, *bufo, tinca, anguilla, murena, passer, gallus, pauo, cornix, corvus, pestiferum venenum ex homine extrahunt & eliciunt. Quæ enim conditio ac natura digestionis in animalis est, quod venena digerit in materiam non venenatam: per eandem naturam eandem quoque materiam idem animal, seu vivum, seu mortuum sit, per integram hominis cutem exsugit & extrahit. Videtis enim merulam aranèas & venenosos vermes digerere, velut & gallinam gallumque; & in aquis lucium & ciconiam, cum alys animalibus pluribus: & cur hac vobis non exemplo & documento sunt, quod hac animalia conceptum venenum ab homine proiecient & extrahant?*

Quantum in peste valeat bufo, videndum supra, *lib. 2. cap. 11. annot. 1.* ubi liquet quam suo veneno damnosi sint, butones atque hinc, quod illud consilium de bufone vivo ex collo agri suspendendo, non modo vanum, verum etiam maxime periculosum & damnosum existat. Ibidem etiam latius docemus, quam exitiosa sint, qualibet remedia venenata ad pestis praeruationem aut curationem adhibita. Atque hinc nescio certè, quo fundamento doctissimus Th. VVillis, *in suo lib. de febr. cap. 13*, dicat, quod inter medicamenta etiam præ cæteris commendentur illa, quæ parantur ex Mercurio, antimonio, arsenico, aliisque similibus; *quæ cum à calore*, inquit, *nostro minime subigantur, aut superentur, contra virus luis pestilentialis optima euadunt remedia: hæc enim non modo superflua potenter euacuant, sed cum particulas valde fortes & indomitas exserant, & quaquaversus in corpore explicent, veneni fermenta hinc inde gliscentia, dissipant, & a maturatione impediunt.* Miror certè magni viri imprudentiam, qui ut cor à veneno pestilenti liberetur, illud insuper adhuc alio veneno, seu venenato medicamento impugnandum, sicque duorum fortissimorum hostium tyrannidi eodem tempore exponendum censet, cum tamen ne Hercules quidem contra duos, ut habet prouerbium. [an ut tanto facilius succumbat, sicque ager tanto citius à morbo simul & à vita liberetur?] Quis hoc unquam vidit aut expertus est, vel ulla perceptibili ratione sufficienter explicare aut probare potuit, quod dicta illa venenata medicamenta veneni pestilentis fermenta dissipent, & à maturatione impediant, vel ea extinguant? quare non potius illius pestilentis veneni vires augent, & ad maiorem efficaciam exaltant? Experientia pro VVillisij opinione adduci non potest, cum illa è contrario doceat, agros, venenatis illis medicamentis adhibitis, longe citius interire, imò dico iis occidi; quemadmodum illud per temerarium & stupidam variorum chymicorum aliorumque empiricorum praxim non semel contigisse ipsemet vidi. Illud igitur consilium, de venenatis medicamentis ad pestis curationem adhibendis, tanquam damnosum, penitus reijciendum est, utpote quod nō ex Medicorum in peste curanda exercitatorum pharetra depromitur, sed ex tota inani tumidorum quorundam medicorum speculatione producitur, qui etiã pestilentes agros vix eminus adspicere auderent, huiusmodi tamen inania ac damnosa somnia effingere, & tanquã mysteria ex Apollinis tremito depromta proponere, non extimescunt.

CAPVT

CAPVT VI.

DE CVRATIONIS METHODO.

CVrationem peste laborantium sequenti modo instituimus: Cubicula, in quibus decumbebant ægroti, nitida seruari, & primis tribus quatuorve diebus diligenter (1.) clausa teneri (ne ab aeris frigidioris introitu obstiparentur corporis pori) iussimus; nisi forte enormis vomitus vel diarrhœa morbo coniungeretur, tunc enim ægro bene contecto, ad maximi fœtoris dissipationem, fenestram aliquam, Septentrionem vel Orientem versus spectantem, per horæ quadrantem semel aut bis de die aperire necesse erat. Præterea tempore hyberno & frigidiore ignem continuum luculentum in cubiculis illis accendi curauimus: tempore minus frigido non tam magnum; æstate verò & aere feruido existente, nullum; tuncque potius rosas, folia nymphææ, pimpinellæ, salicis, pampinos, aliasque herbas refrigerantes, aceto vel oxycrato gelido immersas, per cubicula sparsimus. Ad hæc, ter quaterve de die aerem suffumigiis alterauimus, de quibus sat dictum *lib. 2. cap. 5.* Interea dum hæc fiebant, statim (2.) ægris (quocunque tempore aduocati essemus, siue in ipso morbi principio, siue secunda tertiave die) potiunculam sudoriferam (3.) exhibuimus, illique bene stragulis contectis, sudores copiosos per duas, tres, pluresve horas (habita semper virium (4.) ratione) promouimus; qui si difficilius prodirent, arenam calefactam siccam lineis laceis infusam (5.) pedibus, axillis, & inguinibus appositimus, dum sudabant, iussimus ut adstantes continuo alloquio ægros à somno detinerent, nec dormire permitterent ante peractum secundum sudorem. Si primum medicamentum vomitu reiicerent ægri, idem statim secundo, & urgente necessitate, etiam tertio repetitum fuit. Peracto sudore, sub ipso quidem tegmine cum mappa calefacta ipsis ægris sudores aliquantum detergere, sed indusia (6.) reliquaque linteamina vix ante diem septimum renouari permisimus. Si verò fœtorem sudoris (quem nulli ægro nocuisse vidimus, ut dictum *lib. 3. cap. 3. annot. 6.*) molestè ferrent, indusia sordida, quæ ab aliis quibusdam, à tanis, vel ab ipsis ægris ante morbum, gestata fuerant, induebantur; idemque etiam fiebat de reliquis linteaminibus: unicè cauendo ne recenter lota, aut quæ diu in arcis vel cistis conclusa fuerant, darentur. Si à primo sudore non leuarentur ægri, sed febris reliquaque symptomata increscerent, post paucas horas exhibito rursus (7.) alexipharmaco hydrotico, sudor de nouo repetebatur. Interea gratæ aliquæ antidotales misturæ, ad virium corroborationem, & subinde resistentes malignitati, pro sedanda siti, porrigebantur. Si post secundum sudorem febris cum aliis symptomatibus adhuc increscceret, nec quidquam leuarentur ægri, pessimum erat indicium; sicut è contra post primum vel secundum sudorem alleuari ægros & imminui symptomata, magnam salutis spem dabat. Post decem vel duodecim horas, & sequentibus diebus adhuc quater vel quinquies (pro ut necessitas exigere videbatur) sudorifera reiteraumus. Intermediis autem horis varia antidota ad veneni violentiam extinguendam, ut & condita corroborantia ac putredini resistentia, vel apozemata conuenientia, aliaque quæ malignitatem a centro ad peripheriam quoque pellerent, nec non cibos quosdam liquidos facilis digestionis, & antidotali condimentorum qualitate alteratos, exhibuimus. Symptomatum quoque morbo coniunctorum diligentem rationem habuimus, de quibus in sequentibus dicemus. (8.)

I. MVlti præclari Medici tempore pestis cubiculum lucidum & bene perflatũ requirunt, cuius fenestræ Septentrionem vel Orientem spectent, quas paulo post Solis exortum, & ante eiusdem occasum aperiri iubent, vt perflatione aëris liberioris ac purioris, cubiculi nidores expurgentur. Verum, sicut hujusmodi cubiculum maximè laudandum est in præseruatione sanorum, ita minimè probandũ est in curatione ægrotorum, (his exceptis, quorum pessimi halitus & plurimorum excrementorum fœtores, aeris perflationem necessariò exigunt) utpote in qua, præcipuè duobus vel tribus primis diebus, cubicula clausa & tepida seruare præstat: nam hac ratione corporis ipsacula laxa & patentia seruantur, atque ita malignæ perniciei, per sudores & insensibilem transpirationem commodior exitus datur.

II. Dico, me statim exhibuisse sudoriferũ, id est, quam citissimè fieri potuit: nam in hoc morbo curationis occasionem amittit, qui remediorum usum differt. occasio enim præceps, & hic cunctari, est ægrum in graue periculum, aut mortem, præcipitare. Hinc etiam Celsus, *lib. 3. cap. 7.* inquit: *Quo celerius eiusmodi tempestates corripunt, eò maturius auxilia, etiam cum quadam temeritate, rapienda sunt.* Ratio est, citissimè augetur hic morbus, & nisi in ipso principio suppetiæ ferantur, sæpe fit ut propter luminam virium delectionem postea magnis & præcipuis remediis locus non sit.

III. Sudores in pernicioſissimo hoc morbo alexiteriis prouocatos, citissimum & omnium præstantissimum auxilium adferre, multorum seculorum experientia plus satis edocuit. Huic tamen Thomas Minadous, aliique nonnulli se opponere non erubescunt, dum sudorifera in principio non conuenire docent, præcipuè si febris adsit. 1. Quia Hippocrates, Galenus, aliique veteres, studiosissimè monent ne quidquam moueatur ante coctionem. 2. Quia sudores, in febrium principio medicamentis excitati, corpus nimis exiccant, spiritus dissipant, vires dejiciunt, ardores aliaque symptomata exasperant. 3. Quia materia morbifica ante coctionem excludi nequit. 4. Quia plerasque sudorifera nimis calida existunt. Ad has *Horras* rationes breuiter respondendum, cruda non esse mouenda in febribus putridis, aliisque morbis ex putredine vel corruptione humorum, aut viarum obstructione ortis, nisi (ut 1. *aphoris.* 23. addit Hippocrates) materia turgeat, tunc enim in ipso principio cruda mouere licet: eos verò qui in talibus morbis, non turgente materia, in principio cruda mouent, inprimis per sudores aut purgationes, symptomata omnia exasperare, nec ipsam materiam morbificam expellere posse, concedimus. Verum hæ rationes locum non habent in morbis qui à venenis inducuntur, ut nec in vera peste, cuius causa non consistit in obstructione, vel humorum putredine, sed in venenata ac pernicioſa labe cordi & spiritibus maximè impressa: quæ labes cruda dici nequit, quia nullam unquam coctionem admittit: crudum enim dicitur de iis tantum, quæ coctionem recipere apta sunt. Si verò pesti humorum putredo fortè adiungatur, illa tantum est secundaria, non autem primaria morbi causa; quod ex eo liquet, quia multos pestis citissimè inuadit absque humorum putredine, & quæ putredo etiam in nonnullis ægris vix ulla toto morbi decursu apparet, ut indicio sunt urinæ coctæ sanorum urinis similes, & calor minimè mordax. Cum itaque neque obstructio, neque humorum putredo, sed maligna venenata labes pestis causa existat, eiusdem curationem non protrahendam, frustra expectando coctionem, sed ut naturæ, dum vires habet, citissimæ suppetiæ ferantur, hico incipiendam esse, ipsa ratio docet. Nam illud venenum cum nullam admittat coctionem, quo citius, eò melius expellitur, dummodo illa expulsio fiat per vias lege naturæ commodas: atqui natura in tumoribus, anthracibus, & spontaneis sudoribus, monstrat materiam morbificam à centro ad peripheriam esse pellendam; ergo cum hæc illac saluberrimè vergat, ipsam ducem sequi, & per talia sudorifera quæ venenatæ malignitati resistunt, damnosissimam labem quam citissimè foras expellere oportet: nam talia sudorifera aduersus venena & venenatos morbos, inprimis autem aduersus pestilentem luem, nec non malignam humorum putredinem, summopere cõducere, non nostra duntaxat, verum etiam tot seculorum experientia hactenus comprobauit;

ut hac de re nullum dubium superesse possit. Non est etiam quod sudoriferorum calor multum metuatur, nam præterquam quod multa sint quæ nullo calore eximio excellunt, etiam ipsa calidiora frigidis admistis temperari possunt. Verum hic aliquis obiciat, propterea non conuenire sudorifera, quia experientia cōstat omnes pestiferos per illa non sanari. Respondeo: primò, morbum hunc in ipsissimo principio curationem requirere, antequam arcis vitalis fundamenta eruantur; sæpe autem Medicos non satis tempestiue aduocari, vel medicamenta sat citò præparari, haberi, aut exhiberi non posse. 2. Imaginationem peste iam correptorum & mortis metum, sæpissimè tantam spirituum & humorum perturbationem inducere, ut nulla naturalia subsidia prodesse queant. 3. Latere in hoc morbo aliquid diuini, quod Deo sic volente, sæpe omnium medicamentorum naturalium vim illudit, atq; propterea non esse in Medico semper releuetur ut æger: nam,

Ni Deus adfuerit, viresque infuderit herbis,
Quid, rogo, dictamnus, quid panacæa invent?

4. Sudorifera alexicaca & antidota aliis medicamentis tamen esse præferenda; quia certum, & longa experientia infinitisq; exemplis comprobatum est, cum aliis paucissimos, aut fere nullos, cum illis plurimos felicissimè curatos & sanatos fuisse.

Quo autem modo antidota prosint, describit Th. Willis, *l. b. de febr. cap.* 13. *Pharmaca alexiteria, inquit, intus sumpta, cruorem & succos in vasis & visceribus cōfluos, corpusculis suis, velut novo fermento inspirant, eosdem leniter mouendo, & in æquabili mixtione seruando, a coagulatione & putredine vindicant: veneni particulas agglomerari ceptas eadem blanda agitatione ab invicem dissipant, & a maturitate impediunt: denique sanguinem & spiritus præoccupādo, eos a characteris pestilentis impressione tuentur.*

IV. Hoc unice cauendum, ne per sudores omnino prosternantur ægri vires: fortius quidem & sæpius in hoc morbo promouendi sunt sudores, sed tamen habita semper virium ratione. Hunc in finem, & inter sudandum, & tempore quietis, ægri sæpius reficiendi sunt ca diacis non ingratis, corroborandi, & simul malignitati resistendi vim habentibus, ut:

Rec. *Aquæ melissæ,*
cardui ben.
vini Rhenani, ana unc. iiij.
confectionis alchermes sine moscho,
de hyacintho, ana scrup. ij. ſ.
aquæ cinnamomi drach. vj.
syrupi morellorum. unc. j. ſ.
olei vitrioli q. ſ.
misce, fiat iuleb.

Rec. *Corticum aurantiorum condit.*
myrobalanorum cydoniorum,
rob de ribesiis rubr. ana drach. v.
pulueris liberantis drach. j.
magistery perlarum,
confect. de hyacintho, ana scrup. ij.
syrupi limonum q. ſ.
fiat conditum.

Mindererus, *lib. de peste, cap.* 16. hoc sequens valde commendat, quo scribit se in nosocomio pestilente creberrimè usum fuisse magno ægrorum commodo, qui hoc post sudorem hauſtō, mirum in modum reficiebantur, atque hinc fere omnibus ibidem decumbentibus post peractum sudorem porrigebatur.

Rec. *aquæ rosarum odoratissimæ,*
acetosæ ana unc. viij.
aceti de rubo Idæo,
rosati, ana unc. vi.
vini albi odoriferi lib. j.
Syrupi de limonibus
iulapij rosati, ana unc. ij,
corticum citri recentium & extimorum minutim incisorum, unc. j. ſ.
Omnia simul mixta stent in vitro, ut odorem corticum citri in se proliciant, & de hac mixtura rubella, subacida, ac odorata, dentur ægris post sudorem unc. v.
vel vi. *per quam vires ingenue redintegrantur, ut non immerito à nobis Potus refectorius dici meruerit, quod hoc ipso ægrotantes commodè reficerentur, ac vires a sudore nonnihil languidas resumerent.*

Idem Mindererus, *paulo post*, hoc sequens, tanquam singulare & egregium quid, apponit. *Egregie vires fulcit, inquit, aqua è corticibus extimis*

timis ac recentibus mali citrij distillata. Aspergantur cortices succo pomorum, aqua rosata, & vino Cretico, indeque postmodum liquor arte elicitur, veneno & pesti resistens, nauseam auferens, putres ventriculi humores dissipans, melancholiã fugans, ac cordis vires eximie insurgere faciens, odore, potu, & appositu salutaris.

Idem *sequente cap.* 17. in eundem finem præscribit hunc syrupum.

Rec. *vini granatorum acidorum unc.* iiij.
syrupi de succo acetosæ unc. iij.
de limonibus unc. ij.
de succo cicborei,
agrestæ, ana unc. j.
inlebi rosati unc. j. ſ.
olei vitrioli q.ſ. pro iucundo acore, misce.

Huius mixturæ singulis binis horis exhibet unc. j. ſ, vel paulo plus, aut eius quandam portionem miscet cum aliqua aqua cocta, & sic componit iulebum, ad sitim læpius exhibendũ. Alia quædam similia præscribuntur *sequenti cap.* 9.

V. Cum ægri ad sudorem componuntur, iubet Petrus Paschalis, ut panis recens è furno extractus, & adhuc calens, aliquantum excauetur, & drachmis duabus theriacæ impositis umbilico imponatur: hoc ait venenum elicere, & sudores mouere. Illud ipsum etiam laudat Ioannes Morellus. Alii, ut ægri melius & commodius sudare queant, summopere laudant præmissas corporis frictiones cum linteis asperis, & præcipue si in toto corpore fiant cũ hoc linimento Actii.

Rec. *Olei sabinæ,*
aquæ fontis, ana unc. iij.
salis nitri, drach. ij.
bulliant ad aquæ consumptionem.

Manibus hoc oleo inunctis totum corpus calidè perfricetur. Hoc linimentum cutis poros aperire prædicant, ut natura venenatos vapores commodius per illos exipirare queat. Baptista Montanus & Hercules Saxonia, loco olei sabinæ, quod calidius est, substituunt oleum amygdalarum dulcium vel chamemelinum. Nobis tamen hic apparatus in vehementissimi incrementi morbo nimis longus & periculosus videtur; & Georgius Melichius, *comm. de Medic. componend. rat.* scribit, tales frictiones in Andrea Marinõ, febre pestilenti correpto, infeliciſſimè & cum morte ægri factas fuisse. Alii, ut sudores melius profluant, saniore consilio, pedes, inguina, axillas, & latera, cum spongiis sequenti decocto intinctis, fouent:

Rec. *Radic. angelicæ,*
gentianæ, ana unc. ij.
folior. betonicæ,
maioranæ,
folior. scabiosæ,
scordij,
melissæ, ana M. j.
centaurij minoris,
cardui bened. ana M. j. ſ.
florum anethi,
chamomillæ,
meliloti,
stœchados,
calendulæ, ana M. j.
baccarum lauri,
iuniperi,
sem. cardui bened. ana unc. j.
fiat decoctio in aqua communi, addendo sub finem parum vini albi.

Interea dum sudores prima & secunda vice promouentur, somnus admodum noxius est. Scio quidem quod Iulius Palmarius permittit ut assumpto sudorifero ægri per duas horas dormiant, cum sudor ægrè profluat dormientibus atque vigilantibus. Verum ego in praxi hoc millies animadverti, si ægri ante peractum secundum sudorem dormirent, vires per somnum non modo non conseruatas aut refectas fuisse, sed ægros semper adeo debilitatos & torpidos euigilasse, ut collapsæ vires vix unquam ulla arte restitui potuerint, & eorum, qui somno citius indulserant, paucissimi seruati fuerint. Videbatur per facultatis animalis quietem spirituumque animalium minorem motũ, cerebrum una cum corde fatiscere, sicque venenum pestilens minus impugnari ac discuti: quod ea de causa tempore somni virosum halitum magis magisque per corpus dilatans, tantum incrementum sumebat, adeoque reliqua viscera debilitabat, ut ægri euigilantes, viribus omnino prostratis, breui succumberent.

VI. Platerus, multique insignes Medici, volunt ut induvia aliaq; linteamina sæpius per-

muten

mutentur; quam permutationem nos maximè noxiam fuisse obseruauimus: de qua pluribus egimus *lib. 2. cap. 3. annot. 6.*

VII. Si à primo sudore non leuetur æger; propterea statim desistendum non est, neque etiam cunctandum, sed rursus ad antidota confugiendum, eaque sæpius & maiore quantitate exhibenda sunt, usque dum inde levamen percipiatur. Hoc ipsum, de theriaca & mithridacio agens, Galenus, *lib. 1. de antid.* asserit his verbis: *Mithridatica antidotus, itemque theriaca, non eam vim habent post venena accepta, quã ante sumpta habuissent: nam portio antidoti quæ prius semel hausta tutum à morte quempiam præstitisset, ea venenum subsecuta, nisi ad quadruplum quintuplumve aucta, non iuuabit; neque id semel tantũ, sed bis singulis diebus hausta faciet.*

IV. Non possum non his etiam adiungere inauditum quendam & alienissimum medendi modum, quo Sacerdos quidam Sylvæducensis fere omnes peste correptos sanare dicebatur. Primò huiusmodi pulverem componebat sine ullo ordine: Rec. nuces moscatas integras & bonas, num. iiij, radicum angelicæ, galangæ, aristolochiæ fabaceæ, ana duodecim trusta magnitudinis articuli digiti (nullum pondus nominabat) pulueriscentur simul: huic pulueri adde salis communis assati, M. iiij. butyri veteris assati, olei raparum, aceti vini tortissimi, ana lib. ſ. theriacæ unc. ſ. cereuisiæ veteris optimæ lib. iiij. Hæc omnia misceantur & simul calefiant, fiatque potus pro quatuor dosibus, quarum unica unus æger tantum opus habet; (profectò nos ægrotis nostris vix haustum trium unciarum exhibere poteramus nedũ potum adeo ingratum & tantæ quantitatis.) Cum aliquis se peste infectum sentiret, huic talem dosim exhibebat, utq; melius retineretur, scrobiculo gutturis ovum aliquamdiu imponebat. Ægrum autem oportebat hunc haustum stando assumere, & si solus stare non posset, à duobus viris robustis sustinebatur: deinde apponebatur luculento igni, e lignis querceis extructo, atque ibi sudabat, & cum lintea sa corde, deorsum versus, duriter, quantum ferre poterat, fricabatur, quacunque diei vel noctis hora foret, eodem redibat. Cum sudor iam copiosus prorumpere inciperet, offerebatur ægro aquæ frigidæ quantum bibere posset, imò etiam invitus eandem bibere cogebatur, atque ita interdum sex, interdum octo pluresve aquæ cantharos, interdum situlam plenam ægro infundebat, donec rursus evomeret: qui adstabant sibi bene cavere debebant ab eo quod euomebatur, ne illud contingerent, eoque inficerentur. Cum bene euomuisset æger, rursus aqua potrigebatur, ut ante. Post secundum tertiumve aquæ vomitum, cereuisia optima calefacta, cui butyrum assatum immistum erat, dabatur. Atque ita stans sustinebatur æger ante magnum ignẽ, adeo calidum ac fere posset, in continuo sudore, sine ullo somno. Postea sudor linteis calefactis abstergebatur, sed indusium non permutabatur. Prohibebat quoque ægris usum panis albi, ut & sacchari, quod calorem sursum pellere aiebat. Post hunc exhibitum potum, cutem in femore, sub glandula inguinali (sive tumor adesset, sive non) acu acuta perforabat, eandemque nouaculâ super cutem dissecindebat: postea radicem hellebori nigri syluestris (helleboraſtrum vocamus) recenter effossam per medium conscindebat, atque illud quod in medio album erat, inde extrahebat, atque vulneri imponebat, superponendo folium brassicæ rubræ butyro recenti inunctum. Hinc brevi tempore cum acerrimo dolore magnus tumor excitabatur, circumcirca liuidus, cui circulo liuido imponebat medullam iunci, quam dicebat cutem perdere: atque ita carbo excidere, & æger sanari debebat. (Talem curationem per helleborum nigrum etiam Angelus Sala maximi facit, eaque sola pestem curari posse credit: qua de re dicemus infra, *cap. 12. annot. 3.*) Hunc Sacrificulum in magna quadam peste Sylvæducis seu Bulcoduci mirabilia peregisse, plurimorum testimoniis affirmabatur. Idem ille, durante hac nostra peste, Noviomagum venit, atque extra ciuitatem in diuersorio ante portam Gallinaceam (cum propter religionis ecclesiasticum munus urbem intrare ipsi non liceret) per aliquot dies commoratus fuit, ibique variios peste infectos, qui ad ipsum venerunt, persanasse dicitur, idque cum maxima credulî & ignari Vulgi admiratione, nec minus cum mea, propterea quod primo exhiberet ægris potum, quem ne equus quidem assumere potuisset; de-

inde ſiculam plenam, imò nonnullis plus, aquæ frigidæ putealis bibendum daret, eamque etiam inuitis infunderet, & illa reiecta iterum nouã, & tandem adhuc cereuiſiam cum butyro offerret, atque ita vomitum aliquoties irritaret: nec non inſuper crudeliſſimis doloribus per helleborum inductis, ægros mirum in modum excruciaret. Profectò ego in tota hac peſte nunquam habui ægros adeo fortes ac patientes, qui tanto certamini ſe exponere voluiſſent; imò plurimi ob ſummam debilitatem, quæ peſtis comes exiſtit, id ferre non potuiſſent. Illum tamen fere omnes ſanare, & vix centeſimum ſuorum ægrorum mori aiebant. Attamen Medicinæ planè ignarus erat, neque de conſtitutione hominis, neque de viribus ſuorum medicamentorum, neque de ſuo curandi modo; ullam rationem reddere poterat, ut ipſemet confitebatur. Pontificii, quibus facilis eſt ſuperſtitio, hanc ſcientiam ipſi diuinitus datam eſſe aſſerebant, eiuſque operationes valde admirabantur, vitam eius non inſpicientes, quæ ſatis profana, diſſoluta & impia erat. Verum ſolent plerumque ſcioli & rudes huiuſmodi errones maiorem apud multos, inprimis plebeios, fidem mereri, quam alii doctiſſimi Medici; & ſi fortè ſex vel octo ægros caſu ſanent, illud à vulgo tanquam magnum miraculum annotatur & proclamatur: at ſi ducentos alios ſuã ignorantiã occidant, illos errores prætereunt & terra contegunt. Illud etiam huic Sacrificulo contigiſſe comperi; nam paucos tantum robuſtiſſimos viros, à veneno peſtilenti minus grauiter afflictos, ab illo ſanatos eſſe; plurimos autem alios diſceſſiſſe incuratos, & mortuos fuiſſe, nouimus, quorum mortem eo excuſabat, quod nimis ſerò ad ipſum veniſſent. E contrario autem ſe res habere ſolet cum Medicis, qui ſi aliquem ægrum à morbo periculoſo liberent, illud fato adſcribitur, quia (inquiunt vulgò) hora eius nondum venerat: ſi verò aliquis æger fatalem diem attigerit, & mortuus fuerit, illud Medico & adhibito remedio imputatur. Prædictum medicamentum Sacrificulus ille, tanquam magnum, celavit nec ulli patefacere voluit: attamen è monaſterio quodam Buſcoducenſi (cui illud pro magno ſecreto, diuinitus ipſi dato, communicauerat, & ſcripto, tanquã teſtamentum, in perpetuam ſui memoriam dedicauerat) illud nobis à ſingulari amico communicatum fuit. Verum ego omnibus auctor eſſe velim, ut ſibi diligenter caueant ab huiuſmodi ineptiſſimis impoſtoribus, inter quos (proh dolor) multi ſacrificuli, monachi, aliique religioſi appellati, etiam inueniuntur, qui ad tantam auaritiam & ſuperbiam peruenerũt, ut licet Medicinæ maxime ſint ignari, quidvis tamen tentare non erubeſcant, quo nummos & nomen ſibi comparent, atque ita ſæpe in perniciem hominum hoc illudve medicamentum, tanquam diuina inſpiratione datum, maximè commendant, & magno diuendunt, cuius infelices effectus poſtea hoc uno demulcent: *Sic erat infatis.*

CAPVT VII.

De ſymptomatum peſti coniunctorum, & primò de Febris curatione.

QVemadmodum magni Tyranni magno exitioſo famulitio ſtipati proceduntur, ita etiam magnus hic morbus multis diris & horrendis ſymptomatis comitatus, humani corporis penetralia ſubire conſueuit, quorum in curatione ſæpe non minor quam primarii morbi habenda eſt ratio: nam, qui ſymptomatis planè neglectis, ipſam peſtem, horum dominam ac ducem, euincere atque expellere nititur, illud ipſi facile euenit quod ciuibus, qui magnum atque intenſum Tyrannum, neglecto eius comitatu, interimere atque extra urbem eiicere conantur, quem antequam euincere poſſint, à famulitio

tio eius tota urbs undique flagranti incendio comburitur. Quapropter in curatione peſtis non minus particularibus remediis aduerſus principalia & vehementiora ſymptomata, quam contra cauſam malignam pugnandum eſt. Inter ſymptomata autem quæ peſtem comitantur, communiſſimum eſt febris maligna peſtilens, quæ, ut plurimum, grauis & periculoſa exiſtit. Hanc nos, durante hac conſtitutione, eodem fere modo, ſicut ipſam peſtem, tractauimus, & (1.) ſudorifera atque antidota ad illius curationem maximè profuiſſe, obſeruauimus, duminodo abſtineremus à calidioribus, vel, ſi iiſdem uti placeret, alia frigida, ut acetum, ſuccum citri, &c. admiſceremus. Purgationes autem & venæſectiones (2.) ad huius febris curationem maximè noxias fuiſſe animaduertimus; imò paucilſimos, qui vel alterutram: vel utramque adminiſtraſſent, euaſiſſe, ſed fere omnes, ſuperueniente magno alui profluuio & cordis ſumma anxietate, vitiumque extrema deiectione, extinctos fuiſſe notauimus.

1. FEbris hæc, quia malignam humorum putredinem, à veneno peſtilenti inductam ſequebatur, duos curationis ſcopos exigebat. Primum, veneni peſtilentis (à quo maligna illa putredo oriebatur) extinctionem: ſecundum, ipſius putredinis ſublationem. Vtrique autem ſcopo ſatisfiebat per antidota & ſudorifera, utpote quæ veneno peſtilenti ſimul, & omni putredini potenter reſiſtebant.

Præter illa antidota quæ *præcedenti cap. 5.* contra peſtem à nobis ſunt præſcripta, ſpeciatim ad hanc febrem ſcribit Proſper Alpinus, Ægyptius familiariter in uſu eſſe hunc puluerem,

Rec. *ſcordij, chamedryos, ſem. citri, ana drach. i.*
ariſtolochiæ longæ, zedoariæ,
dictamni cretici, cornu cerui uſti,
boli arm. terræ ſigill. roſarum,
ſpicæ, margaritarum præpar. ana ſcrup. ii.
camphoræ drach. i. coralli rubr. ſcrup. i.
ſaccbari candi drach. ii.
fiat puluis. Doſis drach. i. cum theriacæ Androm. ſcrup. ii, in aq. cardui ben. q. ſ. mane,
& ſudor omni conatu prouocandus.

Sennertus, *lib. 4. de febr. cap. 11.* commendat ſuum puluerem bezoarticum ad ſcrup. ii. vel drach. i. exhibitum, cuius hanc reliquit deſcriptionem.

Rec. *cornu cerui uſti, drach. i. ſ.*
oculorum cancri præparat.
terræ ſigillatæ
ſuccini, margaritarum præparat.
coralli rubr. præpar. ana ſcrup. i.
oſſis de corde cerui,
ſmaragdi præpar. hyacinthi præp.
rubini præparat. ana ſcrup. i.
lapidis bezoartici orient. ſcrup. i.
fol. auri, n. iii.
fiat puluis.

Quantum ad corroborantia, quæ vires reficiũt, & ſitim extinguunt, ea propoſuimus *capite præcedente, annot. 4.*

11. Quare medicamenta purgantia & venæſectiones in huius peſtilentis febris curatione non conueniant, docuimus *lib. 2. cap. 8. annot. 1. & cap. 9, annot. 1, 2, 3. & huius lib. cap. 3. annot. 1. & cap. 4. annot. 1, 2, 3, 4, 5.*

CAPVT VIII.

De curatione capitis doloris, delirij, vigiliarum & nimis ſoporis.

AEgri peſte correpti ſæpe de magnis capitis doloribus conquerebantur, ad quorum curationem paucilſima remedia peculiaria adhibuimus, utpote qui exhibitis ſudoriferis & antidotis, ante quartum vel ſeptimum diem paulatim ſponte eua leſcebant.

fecbant. Si tamen necessitas ad aliquid faciendum impelleret, tunc sola topica aliquantum anodyna præscripsimus, ex unguento alabastrino & populeo, cum pauxillo olei nucis moscatæ confecta, quibus interdum croci, interdum camphoræ nonnihil admiscebatur. Interdum tale frontale capiti adhibuimus:

Rec. *Conseruæ rosarum rubr. unguenti alabastrini, populei, ana drach. iij. olei nucis moscatæ expressi scrup. j. ſ. croci scrup. ſ. vel scrup. j. misceantur, & excipiantur stupæ.*

Interdum etiam suppedanea (1.) revulsoria pedibus applicauimus, imprimis si facies insigni rubore excandesceret.

Rec. *Foliorum petasitidis, rutha, ana M. i. contundantur minutim in mortario, addendo stercoris columbini, fermenti panis acidi, ana unc. i. ſ. salis communis, drach. iij. aceti rosacei vel sambucini, q. ſ. Fiat suppedaneum.*

His & similibus etiam in delirijs usi sumus, neque in hoc illove affectu amygdalata exhibuimus, (quæ tamen à Medicis laudari solent) quia experientia nos edocuit, amygdalata pestiferis exhibita, (siue in delirijs, siue in capitis doloribus, vigilijs, diarrhœa, aliaue quacunque occasione,) non tantum non profuisse, sed semper plurimum nocuisse; nam in ventriculis ægrorum statim corrumpebantur, atque ita febris alimentum fiebant, subsequentibus etiam molestissimis vomitionibus, anxietatibus, aliisque grauibus symptomatibus. Neque etiam oxyrrhodina, (2.) aliaque frigida capiti admouimus, quia hæc causam mali tunicis cerebri firmius affigebant, & talium usum plurimis infeliciter cessisse animaduertimus. Si planè dormire non possent ægri, & continuis vigilijs (3.) torquerentur, solummodo tempora inunximus oleo nucis moscatæ expresso, vel unguento alabastrino, populeo, aliove simili: medicamentis autem soporiferis per os exhibitis somnum nunquam prouocauimus. Si in ipso morbi principio ad somnum (4.) nimis prochiues essent ægri, (quod admodum familiare erat) illos prima die à somno studiosissimè prohibuimus, usque dum alexipharmaco assumpto prius bene sudassent. Quapropter ut adstantes ipsos perpetuo alloquerentur, contrectarent, & commouerent, sicque vigiles detinerent, iussimus. Sequentibus autem tribus quatuorve diebus parciorem tantum somnum trium quatuorve horarum permisimus, eumque non nisi præassumpto antidoto capere voluimus.

I. SVppedanea materiam morbificam deorsum reuellendo, aliquantum prodesse, & tutò adhiberi poterant. Quibus etiam Forestus scribit suo tempore usum fuisse nosocomij chirurgum, qui tantummodo simum columbinum cum aceto sambucino subactum, in tolio caulis pedibus supponebat; atque illud remedium plus profuisse refert, quam columbas, aut gallinas nigras dissectas, aliaue quæ pedibus supponi solent. Crato suminopere laudat cataplasma ex raphanis: *Raphanus*, inquit, *quia magnam vim habet attrahendi malignitatem materiæ, utile est scobem eius pedibus, sale & aceto prius mundatis, alligare*. Alij raphanum cum rutha, sale, & aceto contundunt, atque ita pedum plantis supponunt. Mucrius in febre pestilenti magis laudat hoc cataplasma:

Rec. *Rasuræ raphani,*
bryoniæ, ana unc. ij.
sem. nasturty hortensis, unc. j.
granorum paradisi, unc. ſ.
salis marini drach. iij.
Mista, irrorentur aceto fortissimo, & excipiantur sufficiente quantitate saponis liquidi, fiat veluti cataplasma, applicandum plantis pedum cum stupa, calidè, hora somni.

II. Pauculima topica capiti adhibuimus, propterea quod quorumcunque vius in venenato hoc morbo non omnino tutus esset: interdum quæ adhibuimus aliquatum, sæpe nihil proderant, multoties nocebant. Omnino cautiores oxycratum, oxyrrhodinum, aliaque fri-

frigida, utpote quæ venenatos vapores membranis cerebri firmius affigebant: acta calida vel tepida vapores in cerebro suscitabant, sed eos non satis discutiebant: narcotica & soporifera cerebri vires stupefaciendo debilitabant: ita ut qualiacunque topica adhiberentur, vix tamen absque periculo id fieri posset.

Interim videtur aliter hac de re sentisse Christophorus de Cock van Kerckvvijck, *lib. de peste*, utpote qui in doloribus capitis & pervigilio hoc sequens, tanquam maxime conueniens, plurimum commendat.

Rec. *succi sol. papaueris*,
solani,
ruthæ,
verbenæ,
simul express. q. v.
admisce singulis sex unciis
aceti rosacei camphorati unc.

Hoc liquore imbuantur spongiæ planæ & longiusculæ, quæ in umbra exsiccentur, sicque ter quaterve dicto liquore imbutæ & siccatæ, usui seruentur. Vsus tempore talis spongia, aceto rosaceo vel aqua rosacea nonnihil conspersa, fronti alligetur.

III. Vigilias in peste non magnopere metuendas esse, docuit experientia; nam molestæ quidem erant, sed earum ratione neminem se petius habuisse, obseruare potuimus. Ac propterea diligenter cauendum esse arbitrati sumus, ne, secundum præscriptum Rondeletii, Platteri, Angeli Salæ, Mindereri, aliorumque, opiatis aliisque per os exhibitis medicamentis soporiferis, quamvis leuioribus, somnus prouocaretur, cum id tutò fieri in hoc morbo non posse, ratio una cum experientia doceret. Vidimus tamen natutum quendam Chirurgum, unicâ experientiâ non contentum, multoties opiatis aliisque soporiferis infelicissimè usum fuisse.

IV. Sopor in principio pestis maximè damnosus & mali ominis erat, inprimis si eidem se committerent ægri ante antidoti sudorifera assumptionem: nam ea ratione pestilens venenum primus cordi infigebatur, & sopore obruti cerebri vires fatiscebant. Contingebant autem, quia cerebrum a malignis vaporibus debilitatum tam paucos generabat spiritus animales, qui non sufficiebant ad actiones animales peragendas, atque hinc abistorum defectu, in organis animalibus actionibus dicatis quies contingebat, qui erat sopor. Ad hæc debilitatum cerebrum se multo debilius mouebat, sicque per consequens etiam spiritus multò minus agitabat & propellebat, hincque dictorum organorum actiones etiam lentè & graviter procedebant. Quapropter nos, ut spiritus animales melius agitarentur ac mouerentur, sopores omni modo impediuimus, ne per admissam quietem tandem omnino immobiles sisterentur spiritus. Ad soporem impediendum multi varia præscribunt topica. Alii acetum solum: alii acetum camphoratum naribus odorandum obiiciunt: alii in eodem angelicam, zedoariam, baccas lauri, betonicam, rosmarinum, rutham, castoreum, & similia coquunt, tunecque illud naribus admouent, eodemque etiam tempora fricant. Paracelsus, *lib. de pest. ad Stertz.* hoc sequenti commendat:

Rec. *Betonicæ*,
maioranæ,
saluiæ,
rosarum syluestrium,
florum sambuci, ana M. j.
vini,
aceti rosacei, ana part. æq.

Coquantur aliquantum, postea herba exprimantur, & calidè capiti imponantur.

Hoc remedio dicit Paracelsus somnum lethiferum mitescere & naturalem fieri, dummodo sæpius reiteretur, & herbæ frigefactæ eidem liquori calido immersæ, identidem rursus calefiant. Alii brachia & crura panno laneo fortiter fricare, & aceto rosaceo camphorato humectare: item sternutatoria, cum pauxillo castorii, naribus inflare iubent. Alii linimenta quædam ex oleis stillatitiis, succini, ruthæ, maioranæ, rosmarini, & similibus conficiunt. Verum totus hic labor non admodum necessarius, saltem ad curationem soporis non primarius videtur; nam sublata causa soporis, nempe vaporibus malignis ad cerebrum ascendentibus, tollitur effectus: illa autem per sola topica auferri nequit. Vno modo optimè auferetur, nempe per antidota sudorifera exhibita, quæ malignitatem non tantum coercent, sed noxios vapores etiam à nobilioribus viscerib⁹ optimè

mè diuertunt, atque per cutis spiracula expellunt & discutiunt. Quapropter his præcipuè toties & tam diu utendum est, quousque hunc adiecnium malignorum vaporum ad cerebrum cessare, effectus demonstrabit. Si interim prædicta quoque topica adhibere quis velit, non malè id fiet, dummodo ab iis solis sanatio non expectetur.

CAPVT IX.

De curatione anxietatis, debilitatis, vomitus, linguæ siccitatis, & singultus.

IN hac peste summa debilitas & anxietas sudoriferorum medicamentorum assumptionem, & enormis vomitus (1.) eorumdem retentionem sæpe omnino impediebat, ita ut vix cochleare unum medicamenti necessarii paulo ingratioris exhiberi & retineri posset. His malis præcipuè duobus tribusve remediis obuiam iuimus, quæ ad anxietatem, virium debilitatem, (2.) & vomitum (3.) miraculosè profuerunt. Primum erat hæc mixtura, de qua sæpius de die cochleare unum exhibuimus,

Rec. *Conserua rosarum rubrarum, unc. i. ſ. diascordij Fracastorij, drach. iii. vel iiii. aquæ nostræ theriacalis, unc. iiii. succi limonum recentis, aquæ cinnamomi, ana unc. i. ſ. misceantur simul, & fiant per horam unam aut alteram: deinde per linteum colentur. Adde colaturæ, confectionis de hyacintho sine moscо drach. i. misce.*

Secundum erat hoc linimentum:

Rec. *Olei nucis moscatæ expressi, olei scorpionum vel laurini, theriacæ Androm. ana drach. i. olei iuniperini scrup. ſ. succini scrup. i. gariophyllorum vel cinnamomi, gut. iii. Misce, fiat linimentum.*

Huius linimenti parum in cochleari tepefactum scrobiculo cordis seu stomachi regioni, locisque circumuicinis ad latitudinem palmæ manus inungebatur, idque bis terve de die, superponendo hanc pastam ad ignem calefactam:

Rec. *Radic. calami aromatici, nucis moscatæ, ana drach. i. garyophyllorum, benzoini, ana drach. ſ. fol. menthæ, drach. ii. Subtiliter pulnerisatis adde, micæ panis secalini unc. iii. vel iiii. aceti rosacei q. ſ. Fiat pasta molliuscula, quæ in linteo extendatur, atque ita ad ignem calefiat, & ventriculi regioni imponatur.*

Interdum etiam talem noduium naribus odorandum obiecimus,

Rec. *Corticum citri drach. iii. cinnamomi, gariophyllorum, granorum cardamomi minoris, ana drach. i. macis scrup. ii. Contundantur aliquantum, & fiat nodulus, sequenti liquori immergendus:*

Rec. *Aquæ rosarum, vini Rhenani generosi, aceti Jambucini, vel aquæ cinnamomi, ana unc. i. misceantur.*

Talis nodulus deficientes spiritus insigniter recreabat. Præter hæc, nullo alio topico (4.) in hoc casu usi sumus, cum his solis vomitum & anxietatem ut plurimum breuissimo tempore sedari animaduerteremus. His autem paucis medicamentis, licet non videantur esse magni momenti, multis multum profuimus, magnamque laudem nobis conciliauimus. Sedato vomitu sudoriferum dedimus. Si verò morbus inciperet prolongari, & magna debilitas sine vomitu adesset, ad virium restaurationem varia præscripsimus, & præter medicamenta, etiam alimenta multum corroborantia obtulimus, de quibus supra dictum cap. 2.

Sæpe

Sæpe quoque apozèmata antidotalia malignitati resistentia, interdum condita, aliaque, pro morbi & ægri conditione, præscripsimus. Nonnunquam in magnis ardoribus etiam suppedanea (de quibus dictum præcedente capite) pedum plantis suppositimus. Si ardor internus magnam linguæ siccitatem & nigredinem induceret, in principio huius pestis os variis collutionibus ablui curauimus; sed temporis progressu animaduertimus, solam aquæ simplicem in hoc casu plus profuisse, quam omnes alias collutiones, cui nonnulli acetum adiiciebant; quod etsi linguæ gratius esse videretur, illud tamen incommodi ab eo sequebatur, quod statim post ablutionem longè maior sitis ac linguæ siccitas succederet. Si lingua obduceretur nigra crusta, quæ sæpe loquelam & deglutitionem impediebat, tunc multoties de die butyri (5.) recentis mulsi, in aqua simplici vel rosacea loti, frustulum magnitudinis fabæ vel paruæ auellanæ, solum, aut saccharo inuolutum, in ore dedimus, quo plerumque breui tempore separata crusta a lingua decidebat, & loquela citissimè restituebatur. Si singultus morbo adiungeretur, multa huic remedia adhibere necesse non erat, nam tales ægri omnes citò moriebantur; neque ullum singultientem, medicamentis, etiam plurimis diligentissimè adhibitis, seruari potuisse vidimus: ratio erat, quia causa eius tolli non poterat, de qua vide *lib.* 2. *cap.* 13.

I. COrnelius Celsus, Rondeletius, multique alii Medici, vomitum in pestè iudicant non esse supprimendum & sistendum, sed potius vomitoriis exhibitis continuandum, & naturam hoc modo adiuvandam esse, ut noxiam malignitatem citius & facilius excludat, secundum 1. *aphorif.* 21. *Quo natura vergit, eo ducere oportet*. Verum hic aphorismus non conuenit huic loco, nisi altera eius pars addatur, nempe: *Si vergat per vias lege naturæ commodas*. Atque euacuatio quæ fit in pestè per vomitum, non fit per vias lege naturæ commodas, ergo per illas non est ducendum. Probatur minor, quia euacuationes per commodas vias fiunt cum leuamine, sed vomitus in pestè fit sine leuamine, imò ut plurimum in ægrotorum perniciem. Ad hæc natura ipsa docet alio ducendum esse, nempe a centro ad peripheriam, cumque motum fieri cum leuamine, docet experientia; exemplo sunt sudores, bubones, & antbraces. Dicendum ergo, vomitum vomitoriis optime leuari & curari posse, cum producitur ab humorum putredine, vel acrimonia, vel copia: in pestè autem vomitoria non prodesse, sed noxia esse, quia ille vomitus non oritur a talibus causis, sed potius a venenata pernicie naturæ robur dissoluente, & non in ventriculi cauitate contenta, sed cordi firmissimè affixa, quod cor ob vicinam ventriculum eam in consensum trahens & inficiens, vomitum inducit. Cum verò per hunc vomitum, quantumvis euacuatis excrementitiis humoribus, illa maligna pernicies à corde detrahi nequeat, ex tali vomitu non modo nullum leuamen, sed maxima virium dejectio sequi, & quo magis ille urget, tanto maius periculum impendere necessario debet. Quapropter citissimè medicamentis supprimendus est, antequam prostratis viribus una cum excrementis ipsa quoque anima euomatur. Naturæ enim, non morbi minister debet esse Medicus: atqui cum illæ vomitiones sint symptomaticæ, fiantque non naturæ, sed morbi vi, ergo illas non magis promouere, sed in sistendo naturæ opem ferre debet. Hac de re plura videantur infra, *cap.* 11. *annot.* 2.

II. Vnzerus, *lib.* 3. *de lue pest. cap.* 10. ad syncopē & deoilitatem laudat oleum seu quintam essentiam perlarum cuius descriptionem etiam addit, & dicit, post aurum potabile, ad naturam humani corporis confortandam, nullum hactenus repertum esse elegantius ac præstantius medicamentum. Antelmus Bootius, *lib.* 2. *de gemmis, cap.* 154, scribit se, cum febre pestilenti extremè laborasset, cum crebris animi deliquiis, ac de tua salute omnes desperassent, tincturæ veræ coralliorum gutt. vi. assumptis, extemplo & quasi miraculosè fuisse liberatum, cordis spiritibus ita recreatis, ut illico qua-

si luce depulsis tenebris, morbi vim medicaminis efficacia abigi perceperit. Mindererus, *de pest. cap. 16.* ad vires post promotos sudores reficiendas, magno encomio extollit suum iulebum *paulo ante, cap. 6. annot. 4.* descriptum, qui reuera admodum conuenientes est.

Cristophorus de Cock van Kerckvvijck, ad ægrorum pestiferorum corroborationem super omnia extollit vinum, præcipue rhenanum, modica quantitate datum, quod vires ilico reficere, idque se in seipso (qui quater febribus ardentibus, & ter peste laborauerat) expertum scribit: miscebat autem vinum rhenanum cum aqua acidula (nobis *born aut bronvvaeter* appellata) & succo citri. De vino plura videantur supra, *lib. 2. cap. 6 annot. 14.* & *huius lib. cap. 2. annot. 6.*

III. Riuerius, *tract. 3. de febr. cap. 1.* de vomitu in peste agens, sequens remedium ab experientia commendat: *Huic*, inquit, *symptomati grauissimo statim medetur, quasi miraculo, sal absinthij ad drach. j. in succi limonum recentis cochleari uno exhibitum, ut experientia didici.* Mindererus, *de pest. cap. 17.* ad cohibendum vomitum præscribit hunc fotum:

Rec. *Rosarum rubrarum,*
absinthij, ana M. ij.
menthæ,
origani,
anethi,
balaustiorum, ana M. ß.
nardi Celticæ, p. j.
granorum iuniperi,
rad. gariophyllatæ,
pistolochiæ,
acori, ana drach. ij.
cyperi,
zedoariæ, ana drach. j.

Incisa grosso modo, indantur duobus sacculis, qui coquantur in vini, aceti, & aquæ chalybeatæ æquis partibus, & alternatim expressi ventriculo imponantur, cauendo ne unquã refrigerentur. Vel madefiat ex horum decocto spongia, qua ventriculus fouetur.

Post hunc fotum aliquamdiu adhibitum, applicat hanc pulticulam:

Rec. *Micæ panis siligineæ tostæ, unc. iij.*
mastichis, drach. ß.
nucis moscatæ,
santali citrini,
labdani,
coriandri præparati,
calami aromatici, ana scrup. j.
macis, scrup ß.

Contundantur simul fortiter in mortario; addendo,
olei cydoniorum,
vini rubelli,
aceti rosacei, ana part. æq.

Redigantur in pulticulam, quæ calefacta extendatur super pannum, & ventriculi regioni applicetur.

Iulius Palmarius, *lib. de peste cap. 24.* ad vomitum compescendum præscribit hos sacculos.

Rec. *foliorum siccorum menthæ,*
samsuchi,
absinthij vulgaris,
origani,
calamentæ,
thymi,
pulegij,
melissæ,
artemisiæ,
summitatum anethi,
ana p. j.
sem. anis.
fœniculi,
carui,
rad. calami aromatici,
cyperi, ana unc. ß.
nucis moscatæ,
gariophyllorum,
macis, ana drach. ß.

Conficito duos sacculos intersutos, qui ferueant in aqua, addendo sub finem vini odorati fere tertiã partem, aceti, aquæ rosaceæ, ana, unc. ij. ß. mithridatij unc. j. ß. Illi vicissim expressi calide ventriculo applicentur. Mox a fotu reiectatus locus illinatur oleo salutis & rosmarini, arte chymica extracto, cui aceti & mithridatij, ana drach. j. accesserit.

IV. Ad virium lapsum multi commendant epithemata cordialia, ex herbis aliisque simplicibus cordialibus in vino coctis confecta: quorum tamen usus nobis displicet, quia liquida & humida facillime refrigerantur, eaque-

ratione

ratione plus damni quam utilitatis adferunt. Eustachius Rudius summopere commendat oleum de scorpionibus compositum, a Matthiolo, *comm. ad lib. 6. Dioscor.* descriptum: & eius defectu, oleum scorpionum simplex, aut oleum magni Ducis Florentiæ; iubetque ut his oleis aliquantulum theriacæ admisceatur. Mindererus, *de peste, cap. 16.* ad virium refectionem etiam magnopere laudat odoramenta. *Inter refectiones*, inquit, *connumerandi sunt odores, iucunda exhalatione spiritus plurimum reficientes: proinde linteа aceto rosato calendulato, vel rutaceo, aut sambucino, addita modica camphora, parietibus extendenda, aut flabello consimili aceto tincto ventus coram ægri facie concutiendus ac flabellandus, & acetum de rubo Idæo spongia exceptum, vel vinum perquam odorum aquæ rosatæ admixtum, intincta medulla panis triticei recentis, naribus sæpe admovendum. Mirum quantum hæc reficiant. Camphora aquæ rosarum immergitur, & ex hac aqua linteum madefit, quo frons, nares, tempora, labia, & cordis regio abstergitur.*

V. Mindererus loco butyri simplicis, sumit butyri recentis aqua rosacea loti unc. ij. talis prunellæ drach. ſ. eaque mista in aqua frigida seruari iubet. Alii ad eundem usum lac dulce calens gargarizare iubent, quod dolorem lenit, inflammationem temperat, linguam & fauces humectat, & venenum attrahere putatur. Alii præferunt usum seri lactis: alii lac ebutyratum acidum, alii eiusdem serum commendant.

CAPVT X.

De curatione hæmorrhagiæ narium & menstruorum; nec non sputi cruenti.

HÆmorrhagiæ qualescunque in hac nostra peste admodum periculosæ, & necessariò quam citissimè sistendæ (1.) erant. In narium hæmorrhagia statim topica refrigerantia & astringentia fronti & ceruici applicauimus: petias crassas pulueribus & aquis astringentibus imbutas in nares immisimus: ægros, quantum fieri poterat, erectos posuimus, extremas partes tricauimus & ligauimus; scapulis, dorso, & pedibus cucurbitulas siccas sine scarificatione imposuimus. His tamen omnibus non obstantibus, sæpe sanguinis fluxus sisti (2.) non poterat, atque tunc in desperata re ad desperatum auxilium interdum concurrebatur, nempe ad venæsectionem, per quam tamen neminem seruatum vidimus. In nimiis & intempestiuis menstruorum profluuiis, statim ad antidota astringentia, bolum Armenam, terram sigillatam, corallum rubrum, cornu cerui ustum, & similia concurrendum erat, quibus fluxus ille sæpe sistebatur, imprimis si ab ipso fluxus principio talia adhiberentur. Ad sputa cruenta (3.) medicamentis opus non erat, nam hæc ægros breui occidebant, nec ulla remedia huic malo inueniri poterant, cum quo unum solum in tota hac peste seruatum nouimus.

1. MVlti præclari Medici existimant hæmorrhagias pesti superuenientes, esse criticas, ac propterea eadem non esse cohibendas, sed potius promouendas. Sed errant: nam bona crisis fit vi naturæ, & in salutem ægri, hæ autem hæmorrhagiæ non naturæ, sed morbi vi producuntur, & hunc in perniciem ægri; atque in hac peste adeo perniciosas fuisse obseruauimus, ut si in principio non satis tempestiuè sisterentur, postea nullis mediis sisti possent. Ratio erat, quia dum natura debilis per hanc peruersam viam venenum pestilens, cordi & spiritibus vitalibus maximè inhærens, frustraneo conatu deponere annitebatur, boni & laudabilis sanguinis tamen quantitatem expellebat, ut simul virium, vitæ, & morbi finem faceret.

Huic noſtræ obſeruationi contrariari videtur illud, quod Medici Galli ſcribunt anno 1568 febres peſtilentes, fluente è naribus ſanguine copioſiſſimo, eoque fere florido, magna ex parte fuiſſe iudicatas: & ex iis quibus ad lipothymiam uſque ſanguis profluebat, paucos euaſiſſe: quibus ad revulſionem vena in brachio ſecta fuit; eos verò, qui totum negotium naturæ committebant, & alimentis ac medicamentis cardiacis proſtratas vires reſarciebant, omnes fere ſanatos fuiſſe, quamvis vehementes & graues viderentur animi defectiones. Dicimus hanc obſeruationem non eſſe noſtræ contrariam: nam hæ febres peſtilentes, procul dubio, ortæ fuerunt à venenata qualitate ex humorum inſigni putredine vel corruptione reſultante, non autem à veneno aereo formicans corpus intrante, à quo vera peſtis inducitur, quod venenū nulla ſanguinis euacuatione expelli poſſe, ſupra *cap.* 3. *annot.* 1. ſatis probauimus. Illam autem venenatam qualitatem, quæ ex graui humorum corruptione reſultat, tam arte per venæſectiones, quam naturæ vi per criticas hæmorrhagias expelli, imminui, detrahi, & extingui poſſe, præter rationem, etiam docet experientia. Nam venæſectiones in febribus petechialibus primarium remedium & verum alexipharmacum eſſe, ſcribunt Medici: idque etiam multo uſu edoctus teſtatur Ioannes Morellus. Nos anno 1635, in vehementiſſima peſtilenti epidemia febre, (quæ primo Nouiomagum & Geldriæ Prouinciam crudeliſſimè infeſtauit, atque hinc toti fere Belgio communicata eſt) illud ipſum quoque manifeſtiſſimè comperti ſumus: nam in his venæſectiones ter quaterve, imo quinquies ſexieſve repetitæ, ut & hæmorrhagiæ ſponte næ criticæ morbum optimè ſolebant, qui alioqui vix ullis medicamentis edomari poterat. Non euenit etiam noſtrum propoſitum hiſtoria Parat, *lib.* 21. *cap.* 26. deſcripta, de Domino Fontano, Equite Torquato, qui ſanguine è naribus per biduum continuum ſponte copioſè effluente, peſte liberatus fuit. Nam unica hirundo non facit ver, & plures contingit ut ab acutiſſimis morbis cum lethalibus ſymptomatibus unus aut alter mirabiliter euadat: præterea etiam dubitari poſſet, vtrum ille D. Fontanus vera peſte, an vero febri peſtilentiali abſque peſte laborauerit.

II. Ad hæmorrhagias ſiue narium, ſiue menſtruorum ſiſtendas, maximè commendari ſolet lapis hæmatitis, quem in manibus detentum, donec incaleſcat, lapiſſimè periculoſiſſimas hæmorrhagias, nullis aliis remediis curabiles, ſiſtiſſe referunt. Alii eundem lapidem ex collo ſuſpendunt, ut nudam cutem attingat. Retulit nobis quondam Domina de VValta, mulier fide dignißima, ſe habuiſſe lapidem hæmatitem rubrum, politum, coloris corallii rubri, magnitudinis unguis pollicis, exiguo aureo annulo circumdatum, cum quo lapide ex collo ſuſpenſo dicebat ſe miſſies deſperatiſſimas nēſtruorum & narium hæmorrhagias intra ſemihoram miraculi inſtar ſiſtiſſe, neque unquam fefelliſſe euentum. Nos lapidem hæmatitem in pharmacopoliis venalem eodem modo etiam multis ex collo ſuſpendimus, ſed nunquam optatum effectum inde videre potuimus, fortè propterea quod verum lapidem non habuerimus. Anſelmus Booth, *lib.* 2. *de gemm. & lap. cap.* 102. dicit iaſpidem (credo lapidem Dominæ de VValta fuiſſe iaſpidem ruori coloris) de collo ſuſpentam, ut nudam cutem contingat, arcana quadam virtute hæmorrhagias deſperatiſſimas ſiſtere; idque memorabilibus aliquot hiſtoriis & exemplis demonſtrat. Eiuſdem lapidis hac in parte virtutes magno encomio celebrat & decantat Hildanus, *cent.* 3. *obſeruat.* 2. Si nobis hoc tempore huius lapidis copia fuiſſet, etiam mirabiles eius effectus experiri potuiſſemus. Nonnulli quoque dicunt buſonem exſiccatum, & ſyndone inuolutum, ſi manibus detineatur donec incaleſcat, quemlibet ſanguinis fluxum, incantamenti inſtar, ſupprimere & reſtringere.

Chriſtophorus de Cock van Kerckvvijck, *lib. de Peſte*, Buſone aliter utitur, quippe dicit, nullum dari excellentius remedium, quod hæmorrhagiam citius compeſcat & ſiſtat, quā pulvis Buſonis exſiccati naribus traditus, aut eiuſdem prunis impoſiti fumus attractus.

III. Sputa cruenta, quamuis in multis viſa fuerint, tamen valde communia non erant, ſicut illa tempore Mart. anno 1348, maximè communia fuiſſe, ac diris furiis totis quinque annis peragrantia, ingentem mortalium ſtra-

gem

gem dediſſe, refert Fracaſtorius, *in Syphilide lib.* 1. his verſibus:

Bis centum fluxere anni, cum flammea Marte
Lumina Saturno triſti immiſcente, per omnes
Aurorę populos, per quæ rigat æquora Gāges,
Inſolita exarſit febris, quæ pectore anhelo,
Sanguineum ſputum exagitans (miſerabile viſu!)
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo.
Illa eadem Aſſyriæ gentes, & perfidus, & quæ
Euphratem Tigrimque bibunt, mollemque Canopem;
Inde Phrygas, inde & miſerum trans æquora vecta,
Infecit Latium, atque Europa ſæviit omni.

Hæc peſtilens ſputatio tunc temporis non minus incurabilis fuit, quam in hac noſtra peſte, ut liquet ex eo quod Andreas Gallus, *lib.* 4. *faſcic. de peſt.* ita dicat: *Tanta fuit huius miſerabilis bellue immanitas, ut ab Oriente uſque ad Occaſum mortalium decimam partem vix ſuperſtitem reliquerit; quotquot rapiebat, tot necabat.*

CAPVT XI.

De curatione alui fluxus, & lumbricorum.

ALui fluxus ægris peſte correptis ſuperueniens, (1.) ſemper ingens periculum minabatur. Ac proinde non expectandum, (quod tamen multi opinantur) neque ſolis amygdalatis (quæ in hoc caſu ſemper maximè noxia fuiſſe obſeruauimus) quoties ſedandos, ſed ſtatim, ſi ægri ullo modo quidquam aſſumere poſſent, fluxum medicamentis ſedandum eſſe, præter rationem, etiam docuit uſus. Quem in finem uſi ſumus ſudoriferis aſtringentibus (2.) aliquoties repetitis, nec non pulueribus antidotalibus, & conditis quoque aſtringentibus ac malignitati reſiſtentibus, quorum omnium copiam deſcripſimus ſupra, *cap.* 5. Atque talibus Medicamentis interdum in principio ſiſtebatur ille fluxus, cum aliquin tranſgreſſo principio nullis remediis (3.) ſiſti poſſet, ſed ægros ſecundo flumine ad æternitatis habitacula deferret. Natura enim totam malignitatem qua data porta expellere nitebatur, hinc bonis æque atque putridis humoribus fermentatione efferuescentibus, ſicque effluentibus, maligna interim labe cordi aliiſque viſceribus firmius infixa manente, vires ad extremam debilitatem breui concidebant; unde tandem ipſa quoque retentrix facultas adeo ſui impotens euadebat, ut naturæ impellenti reſiſtere nequiens, nihil amplius timeret, imo laxatis valorum interiorum extremis oſculis, etiam ſanguinem per alvum & urinam effluere ineret, quem fluxum mors breui ſequebatur, neque ullus in tota hac peſte euaſit, cui ſanguis per has vias effluxit. Quantum ad alui lumbricos, qui in multis peſtiferis etiam apparebant, maximæque putredinis adiunctæ indicium erant, illorum curationi particulatim incumbere neceſſum non erat, nam pleraque omnia antidota, aliaque medicamenta diaphoretica & putredini reſiſtentia, quibus ratione veneni peſtilentis utebamur, etiam lumbricos ſatis enecabant & expellebant, eorumque generationem impediebant. Interdum tamen ſpeciatim puluerem aliquem ad vermes exhibui (4.) imprimis ſi animaduerterem lumbricos copioſos in inteſtinis adeſſe.

1. QVæ de vomitu mota fuit quæſtio, eadem etiam hic mouetur, nempe: *Quo natura vergit, eo ducere oportet, per loca lege naturæ commoda.* Ergo euacuatio quæ fit per inteſtina, cum hac per loca commoda, & natura eo vergat, non erit inſtenda aut impedienda, ſed potius adiuvanda & magis promouenda. Præterſolutionem ſuper hoc dubio data tam ſupra *cap.* 9. *annot.* 1. dicimus nos prædicto aphorismo opponere *ſect.* 4. *aphoriſmum* 2. *Talia educenda e corpore, qualia ſponte prodeunt utilia: quæ vero contrario modo prodeunt, cohibenda.*

hibenda. Nam in curatione ægrorum, præter cætera, semper habenda est ratio morbi & causa morbi, ex qua obseruatione facile liquebit, non omnem spontaneam euacuationem per intestina omnibus morbis esse conuenientem, nec per eam semper talia euacuari qualia decet euacuari, (nempe primariam morbi causam;) istâ quoque viam in multis morbis (variolis, morbillis, peste, &c.) lege naturæ non esse commodam, sed ipsam naturam, vel nimis debilitatam, vel à materiæ morbificæ copia nimis grauatam, vel à materiæ venenositate, aliaue praua qualitate, acriter stimulatam, interdum ad peruersum motum impelli, & per inconuenientes vias euacuare humores quos non conuenit euacuari, idque magis in ægri exitium, quam morbi exilium. Vt autem certo cognosci possit, anne in morbis excernantur qualia decet, per vias lege naturæ commodas, iubet Hippocrates, 1. *aphoris.* 2. non à copia & numero metiri excretiones, sed pro ut conferunt, & ægri ferunt ex facili. In peste autem excretiones per alvum difficulter ferunt ægri, cum summa, citissima, & periculosissima virium detectione, ergo non euacuantur qualia decet, neque fit ista euacuatio per loca lege naturæ commoda. Quod ipsum Hippocrates, 4. *aphoris.* 47. agens de alui & urinarum excretionibus, apertissimè explicat, inquiens: *Si verò nihil quod alleuationem adfert, per ea loca excludatur, calamitosum.* Contra quæ per sudores, anthraces, & bubones contingunt euacuationes, illæ fiunt cum salute ægrorum, & facile feruntur, ergo euacuantur qualia decet per vias commodas. Concludimus igitur, in peste non esse indulgendum alui fluxui, (quicquid hic obgannant nonnulli, qui lupum in stabulo concludendum non esse clamitant) sed eidem quam citissimè resistendum, & naturam impellendam esse ad debitas excretiones per vias in tali morbo conuenientes, quales viæ sunt illæ quæ ducunt à centro ad peripheriam. Neque credendum est tali modo lupum in stabulo concludi, sed eundem, qui antea peruersa via exitum quærens, stabuli parietes pertodiebat, hoc modo per rectam portam citissimè expelli.

11. In peste alui fluxus per sudorifera & antidota astringentia est cohibendus: non enim quælibet sudorifera & astringentia hic conueniunt, sed talia quæ speciatim pestilenti venenositati resistunt, eamque aliorsum per commodas vias à centro ad peripheriam educunt. Sic etiam Riuerius scribit se obseruasse in febribus pestilentibus alui fluxus perniciosos, cum quibus ægri ad interitum ruere videbantur, potentioribus diaphoreticis magna dosi exhibitis, quasi in momento cohibitos fuisse, fugato scilicet veneno, quod intestina aliaque viscera vellicando fluxum illum syntecticum efficiebat. Paræus *lib.* 21. *cap.* 40. ad hos fluxus unicè commêdat sequens remedium, quod dicit se habere ex Capellano, Regis Medico primario, qui id à patre acceptum magni secreti loco habebat, & ægris felici admodum successu præscribere solebat:

Rec. *Boli Arm.*
terræ sigillatæ,
lapidis hæmatitis, ana drach. i.
picis naualis, drach. i. ſ.
coralli rubri,
margaritarum præparatarum, cornu cerui usti & loti in aqua plantag. ana scrup. i.
sacchari rosacei unc. i.
Fiat pulvis.

Huius pulueris exhibet ægro cochleare unum ante cibum, vel cum vitello oui. Eustachius Rudius, *art. med. lib.* 3. *cap.* 30. in huius fluxus curatione plurimum extollit scordium, una cum saccharo rosato, aut conserua acetosæ exhibitum, quod dicit insigniter putredinem restringere, & succorum venenatæ qualitati potenter resistere. Hoc igitur ut commodius in usum vocetur, poterit exhiberi cum præcedente pulvere Parei, aut cum pauxillo theriacæ Androm. vel diascordii Fracast. aut, si febrilis ardor ingens adsit, cum conserua rosarum rubrarum, vel cum rob cornorum aut acaciæ. Angelus Sala, *lib. de peste*, reliquis non iuuantibus, tale enema parare iubet:

Rec. *Caput ouillum recens & crudum, secetur in duas partes, & abscissa lingua, coquatur una cum cerebro in aquæ q. ſ. donec caro ab ossibus separetur: postea colatur brodium, cui mox infunde summitatum hyperici manipulos duos vel tres, radicum tormentillæ grossò modo contusar. unc.* j. *ponantur ad*

cine-

cineres calidos per tres aut quatuor horas, postea fiat colatura, quæ sine rebus additis in forma clysteris ægro inyciatur manè vesperique.

Huius clysteris, inquit, *effectum inuenies mirabilem, quia liquor iste superat alia omnia, quo ad fluxiones desperatas.*

III. Illud sapissimè obseruauimus, si alui pestilens fluxus in ipso principio non sisteretur, postea planè incurabilem in omnibus fuisse; & quibus principium fine contrariorum medicamentorum assumptione transierat, illos omnes citò obiisse.

IV. Est rarius, tamen interdum ad ventris specialia remedia, vi aliqua antidotali prædita, adhibere necesse est, cum eorum redundat copia. In quem finem huius pulueris scrup. ii. vel drach. i. cum aqua aliqua conueniente exhibetur.

Rec. *cornu cerui usti,*
corallinæ præpar.
sem. zedoariæ,
flauedinis corticum citri ana drach. i.
fiat pulvis.

CAPVT XII.

De curatione bubonum pestilentialium.

BVbonum pestilentium curatio peragitur medicamentis (1.) partim internis (de quibus in præcedentibus sat dictum) partim externis siue topicis: per quæ tribus modis curari possunt; nempe per discussionem, (2.) diuersionem, (3.) vel suppurationem. Nos in hac peste, reiectis duobus prioribus modis, tanquam incertis & magis periculosis, per solum suppurationis modum bubones omnes curare tentauimus. Quamprimum igitur ægri, siue in ipso morbi principio, siue in progressu (4.) duritiem aliquam cum dolore sentirent pone aures, in collo, sub axillis, vel in inguinibus, huic plerumque ad citiorem tumoris prouocationem & maligni ichoris extractionem, vesicatorium (5.) in inferiore eiusdem parte applicauimus, ita ut vesicatorium ipsam duritiem (6.) attingeret: eoque per octo vel decem horas inhærente vesicam mediocrem excitauimus, qua, unica vice, tota ablata, folium brassicæ rubræ vel betæ, butyro veteri vel oleo raparum inunctum, imposuimus, ut hoc modo locus apertus teneri, & damnosi ichores melius effluere possent. Formula vesicatorii (7.) hæc erat:

Rec. *Radic. pyrethri sem. sinapi albi, ana drach. ß. cantharidum scrup. j. l. vel scrup. ij. mellis drach. j. fermenti panis acidi drach. j. l. vel drach. ii. aceti rosacei, q. s. Fiat pasta vesicatoria.*

Vel talis erat:

Rec. *Sem. sinapi albi, euphorbij, ana drach. ß*
rad. pyrethri drach. ß. cantharidum drach. ii.
resinæ pini, ceræ ana q. s.
Fiat ceratum.

Cucurbitulas (8.) nec infra bubones, nec ipsis bubonibus apposuimus, earumque usum in multis, qui id tentauerant, damnosissimum fuisse obseruauimus. Secunda die, ut noxia materia ad bubones attrahi, ibique digeri ac suppurari posset, toti tumori cataplasmata attrahentia, & emollientia, ac suppurantia imposuimus, quibus præter alia etiam cæpe, stercus columbinum, (9.) fermentum panis acidum, & similia (10.) admixta erant: hac fere forma:

Rec.

Rec. *Rad. liliorum albor. unc. ij. herb. ruthæ,*
malvæ, althææ, ana M. j. scabiosæ (11.) M. j. ſ.
flor. chamomil. M. ſ. ficus (12.) ping. n. ix.
aquæ comun. q. ſ.

Coquantur ſ. art. & in mortario minutiſſimè piſtentur, addendo tres quatuorve bulbos capparum, prius charta bibula aceto madida inuolutos, ac ſub cineribus aliquantum aſſatos,
pulu. rad. althææ, unc. ſ. ſtercoris columbini unc. ij. ſ.
fermenti panis acidi, unc. j. ſ. farinæ tritici drach. iij.

His affunde colaturam prædictorum, & omnia ſimul miſta coquantur ad formam cataplaſmatis, cui poſtea admiſceantur,
mellis unc. j. unguenti baſilici unc. ſ. axungiæ anatis, vel olei ſcorpionum (13.) vel butyri unc. j. ſ. Pro ditioribus interdum etiam theriacæ Andromachi; pro pauperioribus theriacæ ruſticorum nonnihil admiſcebatur.

Nonnullis etiam ſolas cæpas (14.) ſub cineribus aliquantum aſſatas, & deinde contuſas, pauco theriacæ (15.) & butyri inſulſi admixto, cataplaſmatis forma primo biduo vel triduo impoſuimus (16.) Horum cataplaſmatum uſu aliquot diebus continuato, cum tumorem iam ſatis magnum eſſe, atque ad maturationem tendere videremus, tunc attrahentia (ſtercus columbinum, fermentum, &c.) amplius non addidimus, ſed ſolis maturantibus uſi ſumus, ut tumores citius ad ſuppurationem perduci poſſent. Sæpe ab ipſo principio uſque ad perfectam ſuppurationem, hoc ſolum emplaſtrum (17.) impoſuimus, quod omnibus intentionibus ſatisfaciebat, eoque ſolo tumores non rarò ad integram ſanationem perueniebant:

Rec. *Gummi galbani aceto diſſoluti, emplaſtri oxycrocei, diachyli cum gummis, ana unc. i.*
miſceantur.

Notandum tamen nos quibuslibet tumoribus non impoſuiſſe fortiora attrahentia, ſed tantummodo iis qui ſub axillis & in inguinibus oriebantur. Tumoribus autem qui prope aures vel in collo prodibant, talia non conueniebant; nam talium uſu eoſdem, cum maximo ſuffocationis periculo, imò cum multorum exitio, ſæpe paucis horis enormiter accreuiſſe obſeruauimus: quapropter ſola emollientia, vel leuiter tantum attrahentia, his imponebantur. Tumores maturefacti, propter cutis duritiem & firmitatem plerumque longas moras trahebant antequam ſponte aperirentur; quapropter, ne tetri vapores inde ſurſum elati cor affligerent, Chirurgi ope citiorem puri exitum parauimus, utque pus liberius effluere poſſet, tumores in declini parte ſcalpello pertundi curauimus. Cauterio autem potentiali (quamvis id venenatam materiam contumere credatur) propter longiorem eicaræ moram, nunquam uſi ſumus. (18.) Hanc autem tumorum apertionem non moliebamur, niſi cum iam fere ad perfectam maturationem peruenirent; quibus enim citius aperiebantur, iis id malè cedebat, nam plerumque immenſi doloris ſequebantur, inflammatio accedebat, febris augebatur, & ſæpe etiam ulcus malignum ac difficilis curationis reddebatur. Tumoribus apertis & pure expurgato, ad ulceris emundationem hoc digeſtivum (quod inſignitèr hic proderat) primis diebus imponebatur:

Rec. *Scordy ſubtiliſſimè pulueriſati drach. ij. vitellum unius oui, terebinthinæ Venetæ, mellis,*
unguenti apoſtolorum, ana unc. ſ.
miſceantur.

Poſtea ulcera aliorum ulcerum modo curabantur, cauendo ne nimis citò occluderentur.

I. Verum

I. VTrum in curatione bubonis pestilentis conueniant venæsectiones & purgationes, satis exactè à nobis examinatum est supra cap. 3. annot. 1. cap. 4. annot. 1.

II. Curationem tumorum pestilentialium omnium tutissimè & iucundissimè per discutientia peragi posse, nonnulli haud parui nominis Medici iudicant, quam discussionem sequenti modo instituunt: Deorsum versus recta linea sub ipsis tumoribus duas trelvè cucurbitulas, unam infra aliam, cum multa flamma affigunt, easque ter quaterve reiterant. Deinde inferioris cucurbitulæ loco vesicatorium confestim applicant, atque ita vesicam excitant, qua disrupta noxiam saniem extrahunt. Interim ipsis tumoribus fomentationes digerentes & discutientes calidè admouent cum spongia aut pannis laneis vel lineis: vel stupam cannabinam in puluinar iustæ magnitudinis consuunt, hocque immergunt decocto betonicæ, hyssopi, maluæ, melilotι, anethi, chamemeli, & seminum cumini ac fœniculi, & expressum tumori calidè applicant, idque singulis horis vel semihoris immutant. Præterea subinde quoque cataplasmata digerentia & discutientia imponunt, ut his modis venenatos humores in tumoribus contentos discutiant. In quem finem etiam Angelus Sala, *Tract. de Peste*, hoc oleo singulis horis quinque tumorem inungere iubet.

Rec. *olei resinæ elemi per vesicam distillati,*
baccarum iuniperi, ana unc. iiij.
succini rectificati, unc. ij.
rosmarini,
styracis liquidæ, ana unc. j.
misceantur.

Tali modo ad septimum usque diem procedunt, quo temporis interuallo si non planè discutiantur tumores, sed maiores, & magis dolorosi fiant, concurrente aliqua inflammatione, tunc primum ad suppurantia deueniunt, quæ citius adhibere vetant, metuentes ne per illa obstructis poris impediretur venenatorũ halituum ac vaporum exspiratio, qui vapor non sine periculo ad cor regurgitare posset. Hanc medendi formam (quia venenati humoris multum dissipat, nec febrem auget, nec accessos dolores induit) multi, tanquam valde insignem, summis laudibus ad cœlum usque extollunt. Verum etsi ratio dictet tumores pestilentiales hoc modo etiam compendiosè curari posse, nobis tamen tutior ac certior videtur illa curatio quæ fit per suppurationem, quam tot secula, tanquam meliorem, & ipsa experientia magis probatam, hactenus receperunt, cuius etiam in hac nostra peste optimos effectus & euentus experti sumus. Quantum ad pericula quæ illi metuunt ex suppurantium usu, illa admistione medicamentorum attrahentium & usu vesicatoriorum facile præcauentur.

III. Nonnulli scribunt per diuersionem, pestem & bubones non tantum optimè, citissimè, & tutissimè curari, sed tumorum quoque proventum præueniri, & prodeuntium materiam statim aliorsum diuerti posse. Hunc modum describit Guilhelmus Magistrius, *Ysag. Therap. sect. 3.* In partibus extremis longeque à corde remotis, ac minimè periculosis, præcipuè in medio femore, exiguam faciunt incisionem cutis, quam implent exiguo frusto radicis pseudohellebori, aut veratri nigri, cortice abraso: postea emplastrum tenax superponunt, & viginti quatuor horis ægrum manibus pedibusque deuinctum (nam præ summo dolore propemodum insaniunt ægri) custodiunt: illo finito tempore, totum pestilens virus helleborι viaὰ illum locum attractum, & ægrum ab omni periculo liberatum esse tradunt. Eundem curationis modum miris modis celebrat Angelus Sala, *lib. de Peste*, & dicit experientia se edoctũ illud laudis tribuere helleboro nigro, quod inter omnia simplicia & composita nullum nouerit, quod huiusmodi magnetica & attractiua qua itate præditum sit, pro faciendarevulsione peccantis alicuius humoris, atque se cum illa radice miracula præstitisse, omnes curas ordinarias aliaque medicamenta superando. Hac radice utebatur etiam Sacrificulus, ille Buscoducensis, cuius meminimus supra *cap. 6. annot. 8.* Hollerius verò hac radice nõ utitur ad diuersionem faciendam, sed aliud habet experimentum longe facilius. *Ostrea viva*, inquit, *pestiferos bubones loco transferunt, & virus omne ad se trahunt. Sunt autem agglutinanda*

nanda brachio, qua axillaris decurrit, si quidem bubo in alis fuerit: si verò inguen obsidetur, lineamentis femoris, quæ vena cruris describit. Idem cum Hollerio etiam sentit Paracelsus, *lib. de pestil. tract.* 1. quo loco omnibus cochleis pluribusque animalibus illam vim adscribit: *Pestis*, inquit, *remedia sunt ranæ, & testudines, & cochleæ omnes alligatæ: etiam bufo, tinca, anguilla, muræna, passer, gallus, pauo, cornix, corvus, pestiferum venenum ex homine extrahunt.*

IV. Sunt qui attractiua medicamenta in ipso morbi principio, nullis tumorum signis uspiam adhuc apparentibus, inguinum emunctoriis applicanda, atque hac ratione pestilens venenum eo protrahendum esse, iudicant. Verum ille curandi modus nobis valde incertus esse videtur, propterea quod sciri nequeat an natura eò vergat, & venenum pestilens versus illam partem expulsura sit. Nam attractiuo remedio isti loco impositio, si natura materiam morbificam fortè aliorsum, ad capitis vel axillarum glandulas deponere velit, per illud medicamentum impedietur, & turbabitur in sua operatione. Propterea nos magis tutum esse arbitramur, exspectare donec aliquo modo animaduertatur quorsum natura vergat, atque tunc illam omnibus modis in operatione tua adiuvare, & illis locis, ad quæ materia morbifica vergere percipitur, medicamenta attrahentia applicare.

V. Vesicatoria in hac peste plurimum profuisse, millies obseruauimus; non tantum enim malignos ichores attrahebant & extrahebant, verum etiam impediebant ne facile retrogrado gradu ad cor, vitæ fontem, remearent. Sæpe etiam virus pestilens per illa tam insigniter euacuatum fuisse nouimus, ut cum salute ægrorum tumores postea plane euanuerint. Sunt qui vesicatoriorum usum reiiciunt, dicentes, quod impediant naturæ motum & coctionem, præterea quod calorem feruidum augeant, &c. Quas obiectiones ab Hercule Saxonia tutissimè refutatas, hic retellere, inutile & nimis longum arbitramur.

VI. Multi Medici iubent vesicatoria longè à tumoribus applicare; ut, si post aures vel in collo tumores fuerint, humero vel scapulæ ciusdem lateris; si sub axillis, medio brachio; si in inguinibus, medio femori. Qui modus etiam Ægyptiis communis esse videtur, nam illos solere peste infectorum cruribus & brachiis vesicatoria applicare, testis est Prosper Alpinus, *de Medic. Ægypt. lib. 4. cap. 15.* Verum cùm hac ratione natura in suo opere interturbetur, & noxia illa materia quam ad emunctoria transmittebat, ad alias partes carnosas, firmiores, & sensibiliores, cum ægri malo trahatur, non videtur approbandus hic curandi modus. Nostra opinione præstat applicare vesicatoria infernæ bubonum parti, ut recta ac decliui via fluxio promoueatur ad talia loca, ad quæ ipsa natura ducendum esse docet; quæ loca cum sint glandulæ, vulgò emunctoria appellatæ, partes verè ignobiles, excrementitiis humoribus tempore necessitatis excipiendis dicatæ, fas est, natura duce, pestilentem malignitatem ad illas protrahere.

VII. Mercurialis tali vesicatorio utitur:

Rec. *Cantharidum præparat. drach. iij.*
fermenti unc. ſ.
aceti acerrimi parum, misceantur.

Paræus *lib. 12. cap. 31.* hoc sequens tanquam vinum commendat:

Rec. *Cantharidum,*
piperis,
euphorbii,
pyrethri, ana drach. ſ.
fermenti acris, drach. ij.
sem. sinapi, drach. j.
aceti parum, misceantur.

Chirurgus quidam taponem nigrum cum sale torrefacto subigebat, cui aliquantum puluerис cantharidum adiiciebat, coque vesicatorio utebatur: quod vesicatorium etiam laudat Iulius Palmarius. Hieronymus Fabr. ab Aquapendente omnium maximè laudat flammulam, quia admodum attrahit & vesicas excitat, per quas venenum expurgatur. Vulgares in hac peste multoties ranunculum herbam in mortario cuntusam tumoribus imponebant, atque ita magna vesica excitabatur, qua postea detracta, folium brassicæ rubræ vel betæ, oleo raparum inunctum, imponebant.

VIII. Galenus, Aëtius, Paulus, aliique grauissimi Medici, in bubonum curatione cucurbi-

cucurbitularum usum commendant, à quibus ille ad neotericos dimanauit. Ghalmeteus partibus buboni vicinis cucurbitulas imponere suadet: quod etiam laudat Zacutus Lusitanus, *lib. 3. Prax. Admir. obs. 3.* Plurimi tamen alii ipsis bubonibus in principio cucurbitulas cum multa flamma aliquoties imponũt, ut hoc modo venenum pestilens à corde citius & melius detrahatur. Verum etsi ipsa ratio hoc remedii genus approbare videatur, nulli tamen in hac peste, in qua id pluries tentatum fuit, illud feliciter cessisse obseruauimus: semper enim post adhibitas cucurbitulas, cruciatus immanes, febres acerbiores, inquietudines & anxietates maiores sequebantur, nec ullum leuamen inde consecutum fuisse, unquam vidimus, ita ut tandem earumdem usum in hac peste omnino relinquere necesse fuerit. Fortasse propterea non profuerunt cucurbitulæ, vel quod vicinos humores indifferenter attraherent, non autem venenum: vel quod vicinos humores in cumulum durum contrahendo, viam ad glandulas obstruerent vel occluderent, atque ita impedirent ne venenata materia cò peruenire posset: vel quod dolores, & per hoc febres acutiores reddendo, plus noxæ quam utilitatis inferrent. Alexander Massaria, *lib. 2. de peste*, cucurbitularum usum reiicit, tanquam remedium nimis durum. *Sententiæ nostræ summa est*, inquit, *hos tumores non admodum grauiter & aspere tractandos esse, tam incipientes, quam declinantes, cum perpetuo nos oporteat operam dare, ut naturam iuuemus ac foueamus; at nullo pacto ut eam magis vexemus & labefaciamus; illa namque sola & vera est morborum omnium medicatrix.*

IX. Rulandus, *cap. 8. de febr. Vng. quæst. 78.* & Burggrauius, *in Achille*, tradunt buboni exsiccato magneticam quandam virtutem inesse, qua buboni vel anthraci pestilenti impositus, venenum pestilens mirabiliter ad se trahat, eumque adeo fortiter illud venenum attrahere asserunt, ut inde totus intumescat, atque tunc illo abiecto alium siccum de nouo imponere iubent. Quod remedii genus etiam magnis laudibus extollunt, Libauius, *part. 4. singular. lib. 2. batrach. cap. 20.* Michael Papa, *in alexic. venen.* Gabelchouerus, *in Iatrio part. 3.* Caspar Kegleus, *in regim. pest.* Mizaldus, *cent. 6. distinct. 34.* Crollius, Daniel Mylius, Io. Hartmannus, aliique plures. Monent autem ut in exsiccatione bubonis caueatur, ne vẽter eius lædatur, tunc enim venenum non attrahere aiunt. Illam autem bubonis aridi à veneni pestilenti attractione intumescentiam, se experientia falsam comperisse, refert Ioannes Baptista ab Helmont: attamen dicit se illos aqua tepida aliquantum maceratos apposuisse bubonibus & anthracibus, tam in pectore, capite, mammillis, quam alibi, tam in viris, quam in mulieribus, non sine prompto leuamine & doloris mitigatione. VVekerus, *in Secret.* pulueremi rubeæ aridæ buboni inspergit. Alii oleum bufonum inunctum ad veneni extractionem mirabiliter extollunt, quod sic paratur:

> Rec. *Olei oliuarum lib. i. ebulliat in sartagine, postea fume bufones ligno per caput trãsfossos, & aliquamdiu suspensos, donec exsiccati fuerint, n. viij. vel ix. proyce in oleum bulliens, atque ita aliquamdiu relinque; postea refrigeratum cola & serua.*

Bufonibus magnam vim inesse ad pestilens venenum extrahendum, testatur etiam Paracelsus, *lib. de pest. ad Sterzing.* Verum statuere videtur illos non in omni peste æque efficaces esse; nam ut est in aliis nouorum dogmatum introductor illustrissimus, sic etiam in hoc morbo aliquid noui scribere volens, docet, *lib. de pestil. tract. 1.* quatuor esse pestis differentias: scilicet, aliam esse igneam, aliam aeream, aliam aqueam, aliam terream: & pro hac varietate dicit variandа esse topica, cum unaquæque pestis habeat sua appropriata. *Quæ pestis*, inquit, *cum ingenti ardore & inflammatione corripit, & post aures glandulas tumefacit, in qua ægri tamen non sitiunt, ea pestis ignis censenda est: in hac extrahendi veneni (quod recta ad cor penetrat, & mortem inuehit) cura est terentabin, manna, saccharum, allium, porrum, cæpe. In qua autem peste sitis vehemens, breuis aut nullus somnus, utriusque inguinis bubones apparent, ea aquæ est: huic adhibe pisces, ranas, bufones, & quæcunque in aquis degunt, & præcipuè ciconiæ & anatis carnes impositas. In qua bubones sub alis sunt, & difficilis anhelitus urget, & compressio vel angustia pectoris incumbit, & dolor capitis cum de-*

virio infestat, ista est pestis aeris: applica passeres, merulas, carnes gallinarum, perdicum, pauonum, anserum allorum. In qua tandem somnus profundus seu narcoticus est, tumores ac bubones nulli certi in corpore, licet istorum aegrorum cutis plerumque varia & humida sit, tumoribusque sanguine infusis conferta, ea pestis terra est: huic adhibe aspidem viperinum, melinum, carnes talpae, vulpis, lupi, cati. Nam haec omnia conferre, usus & experientia dictitat. Verum scire oportet, Paracelsum multa sibi somnia finxisse, eaque plerumque tanquam Apollinis oracula descripsisse, & magno titulo lectoribus obtrusisse. Sicut de bufone multi mirabilia scribunt, ita etiam nonnulli ranas simili encomio extollunt. Forestus, *lib. 19. obs.* 35. refert ex Grado, historiam rustici, qui suo tempore, dum pestis grassaretur, ranas viuentes scissas & non scissas, venenosis apostematibus applicabat, felici successu. Similiter etiam Crato, Gesnerus, Fumanellus, Vlstadius, Mizaldus, Io. Dan. Mylius, & Libauius, magnam vim ranis adscribūt in attrahendo veneno pestilenti, eaque viuas bubonibus imponunt, & cum una moritur, mox aliam viuam admouent, idque toties, donec una viua maneat, atque tunc venenum penitus extractum esse, idq; à multis experientiis constare, tradunt. Nonnulli, ut venenum magis foras trahatur, cum Hollerio, tumoribus à principio imponunt ostrea viua: & cum tumores iam mediocriter intumuerint, tunc capas sub cineribus assatas cum theriaca adhibent.

X. Vt venenata materia verius tumores melius attrahatur, suadent nonnulli Medici calide iis imponere gallinas vel columbas viuas dissectas. Verum cum haec dolores quidem sedare, minimè verò pestilens venenum attrahere queant, videntur prodesse non posse: si enim vis attractiua illis inesset, qua materiam morbificam attraherent, tunc cum maximo damno in phreneticis capiti imponerentur, materiamque morbificam verius caput magis attraherēt, in quibus tamen tanquam laudatissimum & ab experientia probatum remedium, à clarissimis quibusque Medicis commendantur. Ad extractionem venenati humoris verius exteriora, varia topica praescribuntur. Nonnulli hoc imponunt:

Rec. *ruthae viridis,*
raphani in taleolos dissecti, ana m. sem. sinapi, cochleare vnum, singula seorsim contundantur, & sic misceantur, ex eoque aliquid buboni imponatur.

Alii stercus gallinarum, cum albumine oui ad formam cataplasmatis mixtum applicant. Alii sumunt, *medu corticis sambuci unc. j. farinae auenaceae unc. ij. haeque in lacte dulci coquunt in formam cataplasmatis, quod apostema cuissime maturare tradunt.* Alii hoc utuntur cataplasmate Ioannis Nauli, electoris Saxonici Medici,

Rec. *fermenti unc. ſ.*
raphani unc. j. ſ.
farinae sem. sinapi drach. j.
capae assae, drach. ij. ſ.
alij assi, drach. j. ſ.
theriacae, drach. iij.

misceantur omnia in mortario & fiat cataplasma, apostemati ter de die imponendum.

Alii hoc laudant:

Rec. *caricarum ping. drach. iij.*
pulpae passularum maiorum
gummi ammoniaci, ana unc. ſ.
bdellij,
serapini, ana drach. ij. ſ.
succi apij unc. ij. ſ.

gummata in aceto dissolvantur, postea in mortario omnia bene misceantur, fiat ſ. art. emplastrum imponendum, & singulis sex horis renouandum.

Guilhelmus Magistrius, *tract. de peste*, alium praescribit modum deducendi venenum à centro ad peripheriam: quippe vtpote, ex attrahentium genere esse balneum tepidum ex aqua fōtana, aut potius lacte vaccino, in quo ęger duabus horis à cibo stare debet spatio trium vel quatuor horarum, ad medias usque coxas, eoque modo venenum, non tantum ad exteriora allici, sed etiam ut plurimum integre reuolui, tradit. Verum nonnihil suspectum videtur hoc remedii genus, cum in huius virulenti morbi curationem magnum periculum sit in mora, & statim per alexipharmaca sudorifera sudores sint promouendi, idque ægro stante in balneo vix conuenienter fieri, & aeris frigidi accessus à superioribus corporis partibus extra balneū con-

constitutis omnino arceri non possit: cum præterea per antidota sudorifera venenum pestilens ad corporis peripheriam satis propelli imò & dispelli ac discuti, multorum seculorum experientia docuerit, à tali remedio seu balneo, minus probato, & propter prædictas rationes suspecto, curationem non incipere, præstabilius duco.

Pro conclusione hic subiũgam rarum quid, quod de bubone scribit Franciscus Idel. *tom. 5. lib. 1. sect. 3. Pro naturæ*, inquit, *miraculo haberi debet, si quis bubonem terrestrem (venenatum animal) ligneo cuspide transfixum sub dio exsiccaverit, siccumque tempore pestis, per noctem in aceto macerauerit, tumorique aperto, vel carbunculo imposuerit, illum omne contagii venenum ad se trahere, & hominem certo præsidio, à peste liberare*, Paulo post in carbunculi curatione, simile quid repetit: *Bufo exsiccatus*, inquit, *& in aceto maceratus, carbunculo impositus, in veneno eliciendo reliqua omnia superat*. Hæc ille: verum ego buboni tantas in peste vires non adscribo, ut patet ex iis quæ de eo supra scripsimus, *lib. 2. cap. 11. annot. 1.*

XI. Scabiosam Germani sua lingua appellant *Apostemen kraut*, propterea quod plurimis tumoribus curandis conueniat, & in pestiferis bubonibus etiam singularis existat. De scabiosæ facultatibus in peste mirabilia narrant, Arnoldus Villanouanus, Guainerius, Manardus, Hollerius, Sauonarola, Matthiolus, Gerardus Bergensis, Mattaria, Quatrammus, Tabernamontanus, aliique multi Medici. Dioëtus admodum probat radicem cynogloſſæ, cuius singularem suppurandi bubones vim, dicit sibi à multa experientia constare.

XII. Nonnulli hoc tempore solas ficus coctas & pistatas, cum pauxillo butyri veteris & theriacæ mistas, tumoribus imponebant; idque multis feliciter cessit. Sic propheta Iesaias, ex Dei præcepto, Ezechiæ Regi emplastrum de ficubus imposuit, quo ille sanatus fuit, ut videre est, *4. Regum cap. 20. & Iesaiæ cap. 38.*

XIII. Palmarius, *cap. 11*, scribit, oleum scorpionum arteriis illitum, & vicino buboni loco inunctum, præsentem opem adferre. Alii huius olei vires etiam ad præseruationem & curationem pestis, admodum extollunt. Petrus Salius, *lib. de Pestil. cap. 23*, sic inquit, *Oleum scorpionum, & in veneno assumpto, & in pestilentialibus affectibus mirabiles edit effectus, semimortuos patientes reviuiscere faciens, si eo oleo cordis regio & arteriarum loci inungantur.* Alexander Mattaria, *lib. 2. de Peste*, dicit, oleum ex scorpionibus, pulsantibus temporum, manuum, ac pedum arteriis, cordisque regioni inunctum, non modo peste affectos iuvare, sed & tanos præseruare. Illud ipsum etiam asserunt Manardus, Rulandus, Croneburgius, Rudius, Dioëtus, Gloclenius, Hollerius, aliique multi. Nos tamen in hac peste oleo isto rarius usi sumus, quia cum propter defectum scorpionũ illud oleum apud nos confici non posset, & de eo quod aliunde è longinquis regionibus adferri dicebatur, admodum incerti essemus, anne esset verum oleum scorpionum ritè paratum, huic remedio non multum confidere potuimus.

XIV. In hac peste vulgares communiter tumoribus & anthracibus imposuerunt solas folia brassicæ rubræ oleo raparum inuncta, atque in eorum usu continuabant usque ad abscessũ maturationem: eoque modo innumeri feliciter curati fuerunt. Multi bulbum cæpe crudum per medium dissectum tumoribus imponebãt, & cum nigresceret, renovabant, idque toties reiterabant, donec amplius non nigresceret, atque tunc totam malignitatem extractam esse credebant. Alii tamen consilio cæpas magnas aliquantum excauatas theriaca implebant, & sub cineribus calidis assabant, deinde in cataplasmatis formam contundebant, & admiscendo axungiam suillam, tumoribus imponebant, cum felici successu: quod ipsum etiam nos non semel pro pauperibus felicissimè tentauimus, sed theriacam non admiscebamus nisi post assationem cæparum, quia illius virtutes assatione multum immutari necesse est. Notandum etiam, cæpas non esse diu assandas, nam si ad perfectam mollitiem assando perueniant, optima earum vis calore ignis dispellitur. Forestus, *lib. 6. in Scholio obs. 19.* scribit, Chirurgum, qui tunc nosocomio præerat, bubonibus præcipue applicasse cæpas coctas contritas cũ sinapi albo recenter molito; quod si sinapi non deesset, eius loco sumebat theriacam, cum quæ

cum

cum cæpis contundebat ac miscebat, nec alio attractiuo medicamento utebatur; quo remedio sæpe intra tres dies bubo & abscessus maturabantur, aut ad summum quarto die.

XV. Sunt qui solam theriacam bubonibus imponunt, cuius tamen usus multis valde suspectus est, ac propterea Valescus de Taranta, *lib. 7. Philon. pharmac. cap. 16.* iubet applicare theriacam inter regionem cordis & abscessum: *Quoniam*, inquit, *venenum ante se expellit, ideo errant qui illam illinunt abscessui.* Multi tamen aliter sentiunt. Hanc quæstionem fusè tractat Nicolaus Florentinus, *lib. de venen.* nec non Gentilis, & alii.

XVI. Nonnulli Chirurgi tumorum pestilentialium curationem cum mercurio viuo aggredi non extimescunt: in quem errorem etiam quondam Simonium, doctum Lutetiæ Medicum, protractum fuisse scribunt, qui hoc remedio in se ipso usus ad dirigendum pestilentem inguinis bubonem ilico vires prostratas sensit, breuique delitescente bubone, occubuit. Huic damnosissimo errori etiam grauiter intricatus fuisse videtur Paræus, qui *lib. 21. cap. 29.* inunctiones mercuriatas ad pestis curationem magnopere extollit, haud secus ac si aque necesse foret venenum pestilens, quod æreum & subtilissimum est, eodem modo & remedio attenuare, fundere, ac resoluere, quo venereum crassum ac tenacissimum attenuatur & resoluitur. Quare autem mercurius ad pestis & pestilentis bubonis curationem non conueniat, notum esse potest ex eo quod Palmarius, *lib. de peste, cap. 24.* scribit: *Sunt* inquit, *qui unguento ex hydrargyro corpus inungunt, ignari frigidum & humidum hydrargyrum calamitosam veneni labem cum humore intro regerere, mortemque inferre, contaminatis visceribus; quod multis usu venisse, animaduerti.*

XVII. Ad buboris pestilentis curationem mirificè laudatur hoc emplastrum Paracelsi:

Rec. *Gummi opoponacis, unc. ij.*
Serapini, unc. iiij.
bdellij, drach. iij.
galbani, unc. j.
olibani, drach. ij.
dissoluantur in aceto, & colentur, addendo pulueres unus bufonis, ac etiam ranæ exsiccatæ,
sulphuris viui, unc. j.
camphoræ, drach. j.

Fiat emplastrum, imponendum tumori, & singulis sex horis renouandum.

Idem Paracelsus etiam solo opoponaco aceto dissoluto emplastri forma utitur. Ad citam verò maturationem opoponacem cum oleo laterino miscet, atque ita expeditè maturare & malum tollere dicit. Gregorius Horstius *de morb. contagios.* magni facit hoc sequens emplastrum pestilentiale Angeli Salæ, quod magno encomio describit:

Rec. *Gummi Sagapeni,*
ammoniaci,
galbani, ana unc. iij.
terebinthinæ coctæ,
ceræ virgineæ, ana unc. iiij. ſ.
magnetis arsenicalis subtiliter pulueriſati, unc. ij.
terræ vitriolatæ, unc. j.
olei succini, unc. ij.
radic. aronis pulv. unc. j.

Gummi depurentur cum aceto squillitico, & ad consistentiam emplastri decoquantur, deinde cum rebus alys fiat emplastrum lege artis, quod excellentissimum atque specificum est ad extrahendum virus pestiferum ex profunditate ad extra, præcauendo ne vicissim ad interiora regurgitet, & cor ipsum suffocet, ut credam inter omnia topica simile remedium non inueniri. Hoc emplastro si carbunculus obducatur, paucis horis venenum extrahet. Præparatio magnetis arsenicalis antedicti, hæc est:

Rec. *Arsenici crystallini,*
sulphuris viui,
antimonij crudi, ana part. æq.

Hæc tria in mortario ferreo pulueriſentur, in vase fortissimo vitreo ponantur ad ignem arenæ, donec vitrum optimè incalescat, & prædicta soluantur atque liquentur instar picis: tunc rupto vitro, extrahenda materia, & in unam massam cogenda, quæ erit dictus magnes; cuius maximum encomium videndum apud Angelum Salam, anatom. vitriol. tract. 2. cap. 10.

Ad bubonum & carbunculorum curationem

ab

ab aliis magnopere commendatur hæc mixtura de fuligine:

Rec. *Fuliginis camini, drach. x.*
fermenti,
terebinthinæ,
butyri, ana unc. j.
saponis Veneti, unc. j. ſ.
mellis roſacei, drach. vj.
ſalis communis, unc. ſ.
vitella ouorum n. ij.
theriacæ,
mithridatij, ana drach. ij.
Miſceantur.

Cùm anno 1655 peſtis Vltraiecti nonnihil graſſaretur, pro noſocomii aliiſque pauperibus ægris in Collegio Medico præſcriptum fuit hoc cataplaſma bubonibus applicandum:

Rec. *Radic. liliorum alb.*
cæparum ſub cineribus aſſat. ana unc. j.
fol. malvæ,
altheæ,
ſcabioſæ,
flor. chamomill.
melilotti, ana M. j.
ficuum, paria x.
Cotiis & contuſis adde,
farinæ ſem. lini,
fœnugræci, ana unc. i.
ſtercoris columbini, unc. ii.
olei chamemelini,
ung. altheæ, ana unc. i. ſ.
fiat ſ. art. cataplaſma.

Experientiſſimus Paulus Barbette, præclarus Amſterodami Practicus, in ſuo libello Belgico quem de peſte edidit, ad curationem bubonis peſtilentis admodum extollit Emplaſtrũ magneticum arſenicale, cum eoque bubones non ad ſuppurationem deduct, ſed eorum venenoſitatem, felicitſſimo ſucceſſu, foras euocari, ſemouit. Quia autem in pernicioſiſſimo hoc morbo imprimis foret quippiam celare quod communi commodo interuire poſſet, ille ſatis liberaliter hanc ſuam medendi methodum adſcribit, & publici iuris facit: quæ quia imprimis notatu digna eſt, ipſius Auctoris verba Latinitate donata hic adſcribi merentur: *Bubonis*, inquit, *curationem hoc modo inſtituere conſueui: Cataplaſma primum impono veſicatorium, etſi vix quid quam intumuerit, non præmittendo cucurbitulas, quoniam illæ mihi non placent, quia dolores & febres excitant, bonos prauoſque humores æqualiter attrahunt, totumque ſanguinem magis turbant. Poſt ſeptem, octo, pluresve horas, veſicam excitatam incidi curo, & impono emplaſtrum magneticum arſenicale, quod inter omnia alia quæ unquam vidi, aut nominari audiui, præclariſſimos maximoſque effectus edit, quemadmodum quilibet, qui eo utitur, comperiet. Eius deſcriptio inuenitur apud Hartmannum & Agricolam, eſtque hæc:*

Rec. *Antimonij crudi,*
ſulphuris flaui,
arſenici albi, ana unc. ij.

Subtiliſſimè pulueriſata ſepeliantur in phialæ in arena, ſubminiſtretur ignis donec colliqueſcant, & colorem rubeum ſubobſcurum induant. Vaſe refrigerato eximè materiam, quæ Magnes, arſenicalis vocatur, & venenata amplius non eſt, ut in canibus cuilibet id experiri licet. Poſtea,

Rec. *Gummi ſerapini,*
ammoniaci,
galbani,
magnetis arſenicalis, ana drach. iij.
terebinthinæ Laricæ,
ceræ, ana unc. ſ.
olei ſuccini, drach. ij.
terræ vitrioli dulcificatæ, drach. i.

Gummata diſſoluantur in aceto vini forti, & per pannum linteum expreſſa, bulliendo iterum inſpiſſentur ad priorem conſiſtentiam. Deinde ſeorſim eliqua ceram & terebinthinam, & extra ignem agita, donec in ſpiſſitudinem unguenti redigantur. Adde porro ſupradicta gummata, & magnetem arſenicalem, cum terra vitrioli & oleo ſuccini, & habebis emplaſtrum ad extrahenda omnis generis venena efficaciſſimum.

Hoc emplaſtrum, inquit, *eius naturæ eſſe comperi, quod ſi cuti craſſæ duræque imponatur, tunc ne minimam quidem cruſtam faciat, & nihilominus malignos humores tam potenter extrahat, ut magnitudinis nucis tumor interdum quatuor aut ſex dierum ſpatio penitus euaneſcat: ſed hoc non ſemper tam citò facit, atque hinc ſæpe urget ne-*

ceſſitas

ceſſuas ſubitæ euacuationis, ut primò vefica veſicatorio excitetur: & tamen in nonnullis validis corporibus cruſtam non facit, niſi impoſitum veſicatorium non ſolum cuticulam, verum etiam cutem ipſam nonnihil corroſerit. Sed in iunioribus ac tenellis corporibus, etiam ſine præmiſſo veſicatorio, cruſtam ſatis commode inducere poteſt. In hac cruſta propriè ſubſiſtit ſeu continetur foras extractum venenum, & propterea mediocrem habet craſſitiem, cum interim ſubiecta cutis vix ſit exeſa; quod notatu dignum eſt: nam hanc cauſam eſſe arbitor, quod longe facilius, quam aliæ arte factæ cruſtæ, diſſolui poſſit: quippe 24 aut 36 horarum ſpatio, ſine præmiſſa ſcarificatione, illa radicitus ſpatula eximi poteſt, cum minimo aut nullo patientis dolore; ſi modo aliquantum unguenti baſilici cum theriaca mixtum, ſub communi emplaſtro aliquo peſtilentiali impoſueris. Alioqui ad cruſtæ ſeparationem & caſum, hoc ſequens valde conuenit;

Rec. *Mellis virginei,*
axungiæ anatis, ana unc. j.
fuliginis camini, drach. vj.
terebinthinæ Argentinenſis, unc. j.
vitell. ouor. N. ij.
theriacæ, drach. iij.
olei ſcorpionum, q. ſ.
miſce, fiat unguentum.

Si tumor, poſt primam ablatam cruſtam, non ſatis euanuerit, excitabis aliam ſecundam, aut tertiam per antedictum emplaſtrum arſenicale magneticum, & tractabis ut ante. Denique ulcus remanens iterum ſanabitur cum emplaſtro de minio, albo cocto, diapompholygos, aliiſve ſiccantibus & cicatrizantibus medicamentis. Sed non nimium feſtinandum in ſanatione & occluſione ulceris, ne forte mali aliqua reliquiæ intus ſuperſtites manentes, morbi recidiuam & mortem inducant.

XVIII. Nonnulli Medici bubones antequam ad perfectam maturationē peruenerunt, cultello per inciſionem aperire iubent. De hac apertione ita ſcribit Valeſcus de Taranta, *lib. 7. cap. 16. Auicennas, cui ego ſuffragor, ſuadet illos aperiri, priuſquam fuſcum acquirant colorem: quamobrem quidam aperiunt phlebotomo, vel nouaculis quarto die. Ego vero quandoque iuſſi aperiri huiuſmodi abſceſſus, & nihil exibat niſi modicum ſanguinis: deinde in ſecunda viſitatione fluebat virus & ſanies. Non ergo expectetur perfecta maturatio.* Verum hoc conſilium nobis plane diſplicet, propterea quod talem immaturi tumoris apertionem magnus ſequetur dolor, & ab hoc febris magna exacerbatio, cum virium proſtratione. Ad hæc, etiam ipſa natura in opere maturationis à tali præpropera ac dolorosa apertione admodum interturbabitur, & loco ulterioris maturationis facile bubon magnam inflammationem & gangrænam inducet.

CAPVT XIII.

De curatione Carbunculorum, & exanthematum.

IN hac peſte carbunculorum curationem (1.) præter (2.) ſudorifera antidota, aliaque interna medicamenta, etiam topicis ſequenti modo inſtituimus: Sæpe prima & ſecunda die impoſuimus folium braſſicæ rubræ oleo raparum munctum, quod in frequentiſſimo uſu erat apud vulgares. (3.) Poſtea ſtatim, imò ut plurimum ab ipſo principio, per ſuppurantia dolores mitigauimus, & ſuppurando carbunculum à vicinia carne ſeparare annixi ſumus. Illum in finem huiuſmodi medicamentum topicum, carbunculis applicandum, parauimus:

Rec. *Radicum conſolidæ maioris ſicc.*
berb. ſcordij ſic. ana drach. ij.
rad. altheæ ſicc. farinæ ſem.
lini cribratæ, pollinis farinæ tritici, ana unc. ſ.

Fiat

Fiat pulvis subtilis, cui affunde.
aquæ communis, q. s.
Coquantur aliquantum, ut mucilagines soluantur, & compositio ad pulticulæ crassioris formam deueniat, cui adde,
mellis, terebinthinæ,
unguenti apostolorum, ana drach. iij.
picis liquidæ, ung. basilici, ana drach. ij.
vitellum unius ouí, croci scrup. j.
misceantur.

Interdum etiam addebantur theriacæ drach. ij.

Hanc pulticulam (4.) ob eximium commodum quod inde percepimus, in frequenti usu habuimus, & ex multis (5.) tentatis, nihil inuenimus cum quo carbunculorum separatio & curatio citius ac melius perageretur. Illius aliquantum in linteo pinguius extensum anthraci imponebatur, idque bis terve de die renouabatur. Emplastra minus proderant, atque hinc rarius à nobis fuerunt imposita; & si iisdem uti cogeremur, ubi alia topica ad manum non essent, solum emplastrum diachylum cum gummis, vel basilicum, vel emplastrum ex galbano, diachylo & oxycroceo mistum; vel etiam in vulgaribus picem naualem liquefactam, ac tunc cum picis liquidæ æquali parte mistam, emplastri forma applicauimus: qua sola pice sæpius vidimus anthraces citatissimè separatos, & dolores optimè sedatos fuisse. Acria (6.) & attrahentia topica plus damni quam commodi attulisse, & sic altas ac dolorosas scarificationes (7.) plurimum nocuisse, & carbunculos, quo mitius tractarentur, eo melius & citius curatos fuisse, millies obseruauimus. Carbone separato & extracto, primò ulcus mundabatur digestiuo, præcedente capite descripto, ac postea instar aliorum ulcerum percurabatur. Quantum ad curationem exanthematum, illam instituere necessum non fuit, quia hæc mortis instantis prælagia erant, neque curationi tempus dabant, quam si admisissent, per sudorifera & alexipharmaca curari debuissent.

I. GAlenus, *lib. 14. method. med. cap. 10.* in carbunculi curatione venæsectionem ad lipothymiam conuenire docet, ut sanguis ebulliens, à quo dicit generari carbunculum, magna copia educatur. Eiusdem sententiæ quoque sunt Paulus Ægineta, *lib. 4. cap. 25.* Oribasius, *de curat. morb. lib. 3. c. 27.* & Actuarius, *lib. 4. method. med. cap. 16.* Hoc veteres sequuntur Leonardus Fuchsius, Ioannes Cornarius, Zacutus Lusitanus, aliique multi neoterici. De huius opinionis veritate hic multum differere necesse non est, cum illam satis examinauerimus supra, *cap. 3. annot. 1.* Illud unum tantum addemus, experientiam in hac peste adeo repugnasse huic curationis modo, ut ex omnibus illis, quibus ratione carbunculi venæsecta fuit, nullum euasisse viderimus: in omnibus enim illis statim post venæsectionem, veneno ad centrum retracto, & cordis viribus prostratis, exaruerunt carbunculi, & mors breui subsecuta fuit. Nos cum Galeno & aliis etiã probaremus venæsectionem, si verum foret illud quod tanquam verissimum præsupponitur, nempe carbunculos fieri à sanguinis ebullitione? sed quantum illa hypothesis absit à vero, docuimus *lib. 1. cap. 14. in textu, & annot. 1, 4, 5, 6.*

II. De purgatione, anne conueniat, alii aliter sentiunt. Auerrhoes, *lib. 3. collect. cap. 31.* in febre pestilente cum carbunculo, dicit, non sufficere medicinam unum tantum humorem purgantem, sed omnes, sicut sunt pilulæ cochiæ. Galenus in malignis exanthematibus etiam probat purgationem, *lib. 6. epid. sect. 2. c. 29.* In apostemate pestilenti purgantia exhibet Auenzoar, *lib. 3 theisir. tract. 3. cap. 1.* Purgationes quoque in hoc casu præscribunt Monardus, Ficinus, Zacutus, & alii. Contra verò

experientia, & plurimorum aliorum illustrium Medicorum dogmata & auctoritates demonstrant, purgationes hîc cane peius & angue fugiendas esse. Hanc quæstionem latius agitauimus supra, *cap. 4. annot. 1.*

III. Ioannes Tagaultius, *chirur. 5. lib. 1. cap. 7.* scribit, quod consolida maior inter duos lapides contrita, diuino quodam miraculo, anthraces sanet, & ex toto intra diem unum interimat. Hoc ipsum de scabiosa viridi, in mortario lapideo tusa, & instar cataplasmatis imposita, testatur Bauderonus, *prax. tract. 2. cap. 2.* Iacobus Horstius, *consil. de pest.* dicit, anthraces tritico à sanis masticato, & impositio, egregie mitigari. Nicolaus Myrepsus, *sect. 38. cap. 162.* inquit: *Carnem bubulam diligenter contusam, carbunculis imponito. Solue post tres dies, & cum radice ascendit carbo: est probatum.*

Ioannes Hartmannus iubet ut carbunculus in principio circumrotetur Sapphiro eleganti, donec circûferentia aliquoties à Sapphiro ducta liuere videatur. Hartmannus illud habet ex Paracelso, qui præcipit, ut spatio quadrantis horæ illa Sapphiri circumductio fiat, donec circulus appareat niger. Quam circumductionem cum Sapphiro plurimum prodesse, & carbunculi separationem citius promouere, testes quoque sunt Crollius, Villanouanus, Albertus Magnus, Franciscus Rueus, Sennertus, Iacobus Horstius, alique. Imò V Volffangus Gabelchouerus, *in schol. cap. 7. lib. de gem. Andr. Bacy*, de hoc lapide ita scribit: *Sapphirus anthraces tempore pestis nasci vetat, & quod maius est, super anthracem posita, non aliter eum ac aqua ignem extinguit, ut sæpius se expertum fuisse Antonius Guainerius testatur: nam eius malitiam ac venenositatem reprimit, & ne venenatus eius fumus ad cor ascendat, ac spiritus inficiat, impedit.* Nobis in hac pestе Sapphiri copia nunquam fuit, ac proinde de virtutibus illius experimentum facere non licuit. Huius tamen defectu iubet Paracelsus sumere crystallum instar Solis radiantem, eumque circumductum, eundem, quem de Sapphiro diximus, effectum edere tradit.

IV. Ioannes Tagaultius, *Chirurgiæ lib. 1. cap. 7.* in eundem finem simile medicamentum facit, ex melle, lacte, farina triticea, & ouorum luteis, cui ad efficiorem carbunculi casum, interdum addit butyrum & axungiam suillam. Auicenna & Paulus Ægineta ad carbunculum radicitus euellendum, commendant, ut malum punicum acidum in aceto coquatur, & ubi intabuerit, in lauorem conteratur, linteoque illitum imponatur, siccatum verò rursus aceto humectetur. Verum hoc nobis ad separationē nihil prodesse posse videtur, sed conferre duntaxat ad malignitatem ita inhibendam, ut carbunculus ulterius proserpere nequeat. Melius Ioel, *tom. 5. lib. 1. sect. 3.* pro pauperibus hanc mixturam imponendam præscribit,

Rec. *terebinthinæ in aqua*
scordy lotæ,
mellis rosacei, ana unc. ſ.
misceantur.

Huic mixturæ ego tertiam partem picis liquidæ, cum pauxillo saponis hispanici admiscere suaderem, ut, sic efficacius euaderet medicamentum. Alii hoc cataplasma laudant:

Rec. *ficuum pinguium*
passularum mund.
nucleorum nucis iuglandis, ana unc. ij.
coquantur aliquamdiu in vini albi
q. ſ. deinde optime pistentur in
cataplasmatis formam, cui
admisce vitellas duorum ouorum.

Iulius Palmarius, *lib. de pest. cap. 27.* isti cataplasmati adiicit aliquantillum salis: & postea hæc addit: *Idem præstat oui luteum cum sale, in tenellis corporis. Vel*

Rec. *ouorum recentium lutea sex,*
salis communis torrefacti, unc. j.
olei liliorum unc. ſ.
theriacæ, drach. j.
farinæ hordei, q. ſ.
fingito cataplasma, quod stupis
excipiatur: duris corporibus conuenit.
Hoc validius, inquit, fiet, si
saponis,
calcis nuper extinctæ,
& fermenti nonnihil addatur,
cum porci vetusta & salsa axungia.

Angelus Sala, *tract. de peste*, imponit hoc emplastrum.

Rec. *picis nauallis,*
resinæ pini,

gummi

gummi ammoniaci depurati,
ceræ virgineæ, ana unc. j. ſ.
aſpalthi, unc. j.
mellis ad nigredinem cocti unc. ſ.
camphoræ in oleo ſuccini
diſſolutæ, drach. j.
fiat. ſ. art. emplaſtrum.

Marcellus magni facit emplaſtrum dictamnos vocatum, quod deſcribit *operis cap.* 7.

V. Paræus, *lib.* 21. *cap.* 34. ſcribit ſe tali remedio ſæpe feliciter uſum fuiſſe ad carbunculorum ardores doloreſque ſedandos, & promouendam ſuppurationem:

Rec. *Fuliginis camini, unc. iiij.*
ſalis communis, unc. ij.
redigantur in pollinem, adiectiſque duorum ouorum vitellis, agitentur ſimul, quoad pultis conſiſtentiam adeptum fuerit medicamentum, quod tepidum imponatur.

Franciſcus Ioel, *loco citato*, hoc ſequens ex fuligine emplaſtrum mirifice & venenum elicere, & maturare, putridaſque partes à puris ſeparare, & cruſtum auferre dicit.

Rec. *Theriacæ Androm.*
mithridatij, ana drach. ij.
terebinthinæ, in aqua ſcordij lotæ,
butyri ſine ſale, ana unc. ſ.
mellis roſacei, drach. iij.
ſalis torrefacti drach. ij.
fuliginis camini drach. v.
ſaponis nigri, drach. vj.
vitellum oui unum
contundantur & ſubigantur ſ. art. & fiat emplaſtrum.

VI. Varij ſunt qui veſicatoria etiam ipſis anthracibus imponunt, atque ita eorum ſeparationem citius promoueri aſſerunt. Verum, quamuis in hac peſte illud non ſemel à Chirurgis tentatum fuerit, nunquam tamen laudabilem effectum inde videre potuimus. Nonnulli alij carbunculos à principio aqua forti illinũt, alij ferro candenti eoſdem aliquantum inurũt, ut venent magnam partem abſumant, eiuſque malignitatem coerceant. Verum cum ab inducta cruſta venenati humoris exhalatio ſeu tranſpiratio impeditur, hanc curationem plus damni, quam commodi inferre, veriſimile eſt. Ita ut hæ iuſmodi acria remedia in peſte Nouiomagenſi non modò nihil, aut parum profuiſſe, ſed multoties nocuiſſe à nobis obſeruatum ſit. Verum anno 1655, cum peſtis Vltraiectum multaſque alias urbes inuaſiſſet, inuentum eſt aliud, acerrimum quidem, ſed aureum certè remedium, quo carbunculi mox cohibentur, ut ulterius non proſerpant, & in vicinas partes limites non extendant, ſed quam citiſſimè à ſanis ſeparentur & excidant. Illud eſt oleum ſeu butyrum antimonij, quod, cum carbunculus iam ſedem fixit, cum pluma circumferentiæ eius leuiter illinitur: mirum profectò quam citò emortuæ partis à ſana circumſtante ſeparationem faciat, ita ut poſtea curatio emplaſtris facile peragatur. Huius butyri compoſitionem deſcribit Schroderus, in ſua Pharmacopœa Medicochymica, *lib.* 3. *cap.* 15:

Rec. *Antimonij puriſſimi,*
mercurij ſublimati, ana. part. æq.
miſceantur exactè in mortario lapideo, hinc vitreæ retortæ indantur, & in cella vinaria per triduum deponantur, ut liqueſcant, tunc per retortam iſtam diſtillentur in arena igne mediocri, vel igne aperto ſenſim & ſucceſſivè auctо: ſic liquor ſeu butyrum antimonij inſtar glaciei egreditur; qui ſi concreſcat in collo, ne id obſtruat, admove cautè ignitum carbonem, ut liqueſcat. Liquorem egreſſum rectifica per retortam vitream. Vel hoc oleum cinnabari ſua ante rectificationem imprægnetur. Nimirum cinnabarim tritam adde dicto oleo, ſtentque in digeſtione horis 24. vitro clauſo, in cinere, ſic fiet unctio, hinc rectifica per retortam.

Hoc oleum ſeu butyrum in carbunculis, & quibuslibet ſphacelatis ac emortuis partibus à ſanis ſeparandis, mirabilia præſtat.

VII. Rhazes, Oribaſius, Paulus Ægineta, Hollerius, Platerus, aliique plurimi magni nominis Medici, anthraces alibi ſcarificare, vel eoſdem cum maximis ægrorum doloribus, nouacula uſque ad radices concindere iubent. Verum hæc curatio duabus de cauſis reiicienda videtur: Primò, quia ob ingentes cruciatus venenatorum humorum magnus impetus fit in partem affectam, a quibus partes ſanæ, carbunculo proxime adſtantes, nouacula inciſæ ac valde iam dolentes, inficiuntur, & pars carbunculi fiunt: ad hæc febres exacerbantur, &

vigiliæ inducuntur. Secundò, quia in hac nostra peste millies docuit experientia, huiusmodi altas scarificationes & excisiones infeliciss. nè successisse, & semper carbunculos, quo mitius tractabantur, eo citius curatos fuisse.

DE PESTE, LIBER QVARTVS.

PROOEMIVM.

QVamvis illa, quæ præcedentibus libris de Pestiferæ Luis diagnosi, præcautione & curatione ex nostris aliorumque obseruationibus curiosissime conscripsimus, ad historiæ Pestis totalem cognitionem abundè sufficere posse viderentur, tamen ad maiorem rei elucidationem, utile nobis visum fuit prædictorum confirmationem practicis exemplis stabilire, atque in eum finem ex innumeris in hac Nouiomagensi peste à nobis annotatis ægrorum historiis, pauciores quasdam simul in unum librum congerere, eumque prioribus tribus adjungere, ut hoc pacto simul & diri morbi mores, & nostræ curationis methodus, multaque quæ in utrisque obseruanda occurrerunt, lectori Medico melius & clarius innotescere possent. Non tamen hic, alicuius ostentationis gratia, innumerabilium ægrorum, à nobis curatorum & sanatorum, historias simul colligere, (illud enim nimis longum, imò etiam inutile fuisset cum mea curandi methodus ex paucis abundè satis innotescere possit) sed tales duntaxat exhibere volui, in quibus plerumque aliquid singulare, vel ad curationem, vel ad diagnosin, vel ad prognosin, considerandum occurrit; aut insolitum quid in excretionibus aliisve symptomatibus, item in contagio & morbi tempore, vel more, obseruatum fuit.

HISTORIA I.

ANcilla Antonij Ves, Mercatoris vini, anno 1635. 6. Nouembris ægrotare cœpit; circa vesperam ad illam vocatus fui. Inueni ipsam magna cordis anxietate pressam, & febricitantem, cum capitis grauatiuo dolore, ac pulsu paruo, crebro & aliquantum inæquali: vires tamen non multum delectæ erant. Duas paruas pustulas magnitudinis seminis amisi, rubicundas & dolentes, alteram in mamma dextra, alteram in medio ossis sterni habebat, quæ anthraces erant incipientes, certa pestis indicia. Præcipui hunc habuit in sudorificum, a quo bene, & tota fere nocte sudauit, cum magno leuamine:

Nec. Ex-

Rec. *Extracti cardui benedicti, salis absinthij, ana scrup. j. salis cardui scrup. ſ. theriacæ ad drom. drach. j. aquæ theriacalis, & cardui bened. ana unc. j. olei vitrioli gut. xv.*
Misce, fiat hauſtus.

Postridie vidimus prædictas pustulas ad unguis pollicis latitudinem increuisse, & iam perfectos esse carbunculos nigricantes, in superficie vesiculam habentes, qua pertusa & ablata effluxit ichor niger ac venenatus, & sub illa vesicula latens carbunculus denudatus, est cui imposuimus unguentum ex apostolorum & basilici ana part. æq. superiniecto emplastro diachylo cum gummis. Ad sitim hoc iulabium præscripsi:

Rec. *Aquæ cardui benedicti, lib. j. scabiosæ, & acetosæ, ana lib. ſ.*
syrupi de succo citri, unc. ij. olei vitrioli q. ſ. ad gratum acorem,
Misce, fiat iuleb.

Statim post meridiem reiteratus fuit prior hauſtus sudoriferus, à quo cum rursus optimè sudasset, anthrax qui in medio ossis sterni erat, se extendit ad latitudinem semi daleri imperialis. Tunc pulticulam nostram ad carbunculos (lib. 3. cap. 13. descriptam) quam interea præparari curaueram, anthracibus imponere, & ter de die renouare iussi. 8. Nouembris, hoc conditum præscripsi, de quo ter quaterve de die ab apice cultri particulam magnitudinis auellanæ comedit:

Rec. *Specierum liberantium drach. j. radicum helenij condit.*
cortic. aur antiorum cond. ana unc. ſ. diascordij Fracastorij, drach. ij.
syrupi acetositatis citri q. ſ.
Misce, fiat conditum.

Reiteratum quoque fuit antedictum iulabium: 12. Nouembris anthraces à vicinis partibus separati sunt; quibus extractis, unguentum mundificativum de apio cum unguento apostolorum mistum, ter quaterve impositum fuit, deinde cum unguento aureo cauitatibus carne repletis, & emplastris ad cicatrizationem perductis, ægra conualuit. Toto morbi tempore alvus satis respondit, & præter anxietatem (quæ post secundum sudorem una cum febre cessauit) alia valde grauia symptomata non superuenerunt.

ANNOTATIO.

ANno 1635, æstas erat calidissima & siccissima, eo nomine clara, quod tunc temporis duo potentissimi (nempe Regis Galliarum & Hollandorum) exercitus simul coniuncti in Brabantia Louanium obtenderant. Hac æstate circiter Iunio mense febris quædam maligna & pestilens Noviomagi passim grassari cœpit, quæ postea aduentu utriusq; dicti exercitus plurimum adaucta, maximam stragem edidit. Huius febris curatio in principio propter mali nouitatem difficilior visa fuit; sed non diu post compertum est, venæsectiones ter quaterve, & interdum pluries reiteratas, ad huius morbi curationem primarium subsidium attulisse, aliorumque lenientium, refrigerantium, sudoriferorum & alexicacorum medicamentorum usu accedente, à maximi illius hostis iniuriis plurimos tuisse liberatos. Circa finem Septembris febris hæc valde imminuta est, ita ut multo pauciores ægrotarent; sed in multis eorum quos tunc morbus tenebat, maculæ exiguæ rubræ & purpureæ in corporibus apparuerunt, certa indicia febris illius pestilentis quam purpuream, petechialem, peticularem, vel lenticularem appellant Medici. Circa medium Octobris varii absque his maculis febri cum summa anxietate correpti, subito intra biduum vel triduum interierunt, & venæsectiones antea valde utiles, tunc inutiles, imo noxias euasisse, compertum est. In principio Nouembris certissima pestis signa in ægrotis apparere cœperunt, atque exinde dira labes paulatim per urbem dispersa fuit. Hi-

HISTORIA II.

PEtrus Vervoort, cuius ædibus Regina Angliæ pro insigni erat, vir robustus, 24 Ianuarij, anno 1636, peste correptus fuit. In ipso principio meum consilium implorauit. Vomebat, valde anxius erat, cum pulsu celeri & inæquali, capite dolebat, & durum in altero inguine sentiebat tumorem. Tale sudoriferum statim præscripsi, quod circa vesperam assumpsit:

Rec. *Confectionis de hyacintho, salis scordij, ana scrup. j.*
salis cardui bened. scrup. ſ. theriacæ Androm.
diascordii Fracast. ana scr. ij. aquæ theriac. & cardui bened. ana unc. j.
olei vitrioli gut. xij.
Misce, fiat hausſus.

Tota nocte vehementer sudauit, idque vigil, nam primi octo horis à somno abstinere iusseram. Omnia prædicta symptomata hoc unico sudore cessarunt; ipse quoque tumor in inguine euanuit, atque æger sequenti die mediocriter valuit. Deinde per aliquot dies quotidie bis terve particulam huius conditi sumpsit:

Rec. *Pulueris bezoartici drach. j. radic. helenij condit.*
cortic. aurantiorum cond. ana drach. iij. theriacæ drach. i.
diascordij drach. ii. syrupi de scordio q. ſ.
Fiat conditum.

2. Februarii, cum se iam plane sanatum esse sentiret, & alvum tamen per aliquot dies non deposuisset, exhibui pilularum nostrarum antipestilentialium drach. ſ. unde bis terue alvum deiecit, nec pluribus medicamentis opus habuit.

IN velocissimo hoc morbo semper periculum est in mora, & sæpe animaduertimus illos, qui in ipso principio citissime medicamenta assumebant, cito & facile curatos fuisse; principio autem neglecto summum periculum ægris impendisse. Quod ipsum in sua Praxi obseruauit quoque Sennertus, nam lib. 4. de febr. cap. 6, hæc ait: *Existimo tot homines peste interire, quod plerique tardius alexipharmacis usurpant; multosque posse seruari, si ea citius, & antequam venenum humores corrumpere incipit, assumerent. Aliquoties enim obseruaui in pestilentibus constitutionibus, quosdam cum se infectos sensissent, statim sumptis alexipharmacis ad sudorem se cōposuisse, & postea nihil mali amplius passos esse, sed postridie ad consueta negotia reduxe. Contra si curatio protrahatur, & horæ octo vel duodecim iam elapsæ sint antequam medicamentum aliquod propinatur, centesimus vix euadit.*

HISTORIA III.

GErardus Lucas, cereuſiarius in platea Hesia habitans, peste cum grauissima febre affectus fuit: adfuerunt summa anxietas, capitis dolor, ardor internus, linguæ aridas, sitis, & dolor sub axilla absque tumore. Duo assumpsit alexipharmaca, à quibus copiose sudauit; sed post secundum sudorem loco tumoris sub axilla magnus carbunculus visus fuit, è quo signo mortem prædixi, quæ tertia morbi die præsagium nostrum verificauit.

PAucissimis loco tumorum in emunctoriis carbunculi nascebantur; sed quibus id contingebat, illi moriebantur omnes.

HI-

HISTORIA IV.

IAcobus vander Mijl, eques robustus & plethoricus, se peste correptus sentiens cum dolore sub axilla absque tumore, statim suo ipsius consilio Chirurgum adiit, & lateris affecti venam in brachio sibi pertundi curauit. Extractis aliquot sanguinis unciis domum recessit: ilico magno horrore correptus est; accessit vomitus enormis, cum summa cordis anxietate & virium prostratione. Tunc ad me concursum est. Exhibui statim haustum sudoriferum, quem cum euomuisset, statim alterum alexipharmacum dedi, quod quidem retinuit, verum sudare non potuit. Sequenti nocte febris multum adaucta est, valde sitiit æger, omnemque assumptum potum reuomuit: detrauit usque ad horam septimam matutinam: tunc iterum mentis compos factus, de maxima debilitate, ac dolore sub axilla conquestus est: circa meridiem obiit.

FOrestus in Peste Delphensi ad ægros in ipso morbi principio vocatus, iis statim venam incidit: & addit, omnes illos quibus post duodecim horas, vel diem naturalem, vena aperta fuisset, mortuos esse, vel admodum paucos exijs euasisse. Nos in hac Peste Noviomagensi ne in ipso quidem principio venæsectiones unquam feliciter administratas fuisse obseruauimus, sed omnibus quibus sanguis quocunque morbi tempore detractus esset, mortem multo celerius aduenisse.

HISTORIA V.

IOannes Dubbert magna angustia cum febre correptus, intra biduum mortuus est, nullo externo pestis indicio ulpiam apparente, ita ut illum non peste, sed alio quodam morbo extinctum esse crederent domestici. Verum cum corpus iam duodecim horis e mortuum esset feralí imponeretur, viderunt in cadauere post mortem multa exanthemata nigra erupisse, vera pestis indicia.

INterdum à fortiore pestilenti veneno citius extinguebantur ægri, quam natura malignitatis aliquod signum foras propellere posset, atque tunc interdum etiam post mortē aliquod occulti veneni indicium foras prodibat. Quod etiam annotauit Forestus lib. 6. in scholio observationis 12: *His* (inquit) *ob virtutem debilem neque petechiæ ab Italis dictæ, neque maculæ, neque bubones vel anthraces apparent, sed multis post mortem magna quidem macula nigra circa deorsum spectatur, ut si quis fustibus casus esset, ab alio cecidisset; quod præter Montanum etiam nos aliquando obseruauimus.* Propterea bene monent Medici, ut tempore grassantis pestilentiæ, absentibus externis pestis indicijs, statim non temere iudicetur morbum non esse pestilentem, nam sæpe aut obruitur natura priusquam illa signa prodeant; aut propter virtutis debilitatem, aliave aliqua de causa impeditur, ut illa expellere non possit. Sicut variis in hac peste contigit, inter quos etiam fuit hospitis mei filiolus, qui absque vllo externo pestis signo quarta morbi die obijt: nec etiam post mortem vlla signa prodierunt; & tamen ipsum peste laborasse & mortuum esse, inde satis constare poterat, quod eodem circiter tempore adhuc alij duo eiusdem hospitis liberi una cum aui peste morerentur. Tale exemplum se quoque vidisse refert Alexander Benedictus lib. de Peste, cap. 12, in quodam Patricio Veneto, qui peste absque vllo externo signo mortuus est. Cui non absimile quoque describit Benivenius *lib. Abditor.* 54. Videantur hac de re quædam supra, *lib.* 1. *cap.* 7. *annot.* 1.

HI-

HISTORIA VI.

MVlier quædam lotrix nomine Belia (quæ in noſtris aliorumque multorum ædibus linteamina lauabat) inſeruiebat Gertrudæ, ancillæ Dimmeri de Raet, quæ peſte laborabat, & in horto decumbebat. Cum huic ancillæ varia exhibuiſſem medicamenta, & carbunculo ſeparato illa tam propemodum ſanitati reſtituta foret, atque hinc domeſtici Dimmeri de Raet valde lætarentur, vidi tamen mulierem hanc valde triſtem ſæpius alta ſuſpiria ducere, ſæpius lachrymare. Quodam tempore ab ipſa ſeorſim inquiſiui triſtitiæ huius cauſam. Primo quidem nihil ab ipſa ſcire potui, ſed tandem bonis verbis magna importunitate ipſam eo detorſi, ut promitteret ſe triſtitiæ ſuæ cauſam ſecretam mihi indicaturam, ſi iuramento aſſerere vellem me nulli de ea quippiam dicturum ante rei euentum. Promiſi quod petiit. Tunc illa cum fletu dicebat, ſciebam ſatis hanc ancillam non morituram, ſed morietur uxor Dimmeri de Raet, quæ me valde amat, ac propterea adeo triſtis ſum. Quærebam unde illud ſciret, cum illa tunc peregre verſaretur? vidi, inquiebat, ſuper tabulatum in domo illius ad portam magni cubiculi anterioris ſpiritum eius ſine capite, optimis veſtibus indutum, & clauem portæ haud aliter manu tenentem, quam ſi ianuam aperire voluiſſet; quæ ſpirituum viſio mihi familiaris & moleſtiſſima eſt; quorumque vero ſpiritus ſine capite video, illi omnes intra paucos menſes moriuntur, cuius rei certum euentum videbis in hac fœmina. Gaudebam occaſionem mihi datam eſſe videndi, anne hæc ſpirituum viſio, de qua multi multa nugantur, aliquid certi contineret. Dimmerus de Raet una cum uxore tunc temporis Vltraiecti degebat, quò propter peſtis metum diu ante confugerat. Iniunxi ſororibus illius ut ipſi ſcriberent, ne domum reuerteretur ante hyemem. Quid ſi? poſt aliquot ſeptimanas uxor Dimmeri de Raet in urbe illa, in qua fere nulla peſtis vigebat, & in domo nulla labe infecta, peſte corripitur, & intra paucos dies moritur.

SOcrates quondam de ſe ipſo teſtatus eſt, ſe dæmonium habere, non ſemel vitum? ſed toto vitæ ſuæ tempore ipſi familiarem, qui ſemper eum dehortaretur, hortaretur nunquam. Hoc fundamento innixus Plato, qui Socratem virum veraciſſimum eſſe, & pro vita ſeruanda nec mentiri, nec turpe quid committere velle ſciebat, docuit ab experientia illa dari dæmones, eamque doctrinam multis veriſimilibus rationibus confirmauit. Poſtea ſuper hac re à multis multum nugatum eſt: alii dæmones immortales, alii mortales, alii tantum malos, alii etiam bonos, alii debiles, alii potentes, alii ſentientes, alii inſenſiles eſſe, alii illos etiam coire & generare, alii illos ex duobus vel tribus elementis conflatos, alii meras tantum ſpecies ab obiectis ſeparatas & in aere hærentes, alii intelligentias eſſe, & multo plura huiuſmodi ſomnia tradiderunt, quibus etiam magni Philoſophi multas chartas ſatis inutiliter commaculârunt: qua de re in Cardani *de Rerum varietate lib. 16. cap. 95*, legi poteſt. Pſelli mirabilis & ſatis ieiuna opinio, cui non ſine ratione ipſius quoque Cardani de dæmonis opinio, *loco citato, & lib. 18. de Subtilitate* deſcripta, atque à Scaligero *Subtil. Exercit. 355.* cuxtonius examinata, adiungi poteſt. Profecto omnes falli nobis videntur, quotquot ſpirituum non naturalium naturam naturali ingenio comprehendere volunt. Præſtat ſane hac in parte Literis Sacris ſimpliciter fidem adhibere, quam talium ſpirituum ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, formam, actiones, aliaque ſimilia, terreſtri cerebro comprehendere, metiri & indagare velle. Sacra pagina docet Sanctis viris ſæpius Angelos aliaſque ſpiritus apparuiſſe; Prophetas etiam modo has, modo illas viſiones vidiſſe, eaque omnia diuinitus facta fuiſſe credi-

credimus: nonne ergo impium & Christiano homini indecens foret, inquirere velle ex qua materia illi spiritus confecti fuerint? quam longitudinem vel grauitatem habuerint? quomodo ad suas actiones impulsi, & visibiles facti sint? quibus mediis, & per quam viam ab æthere descenderint? Sic rursus diabolicas illusiones sæpissime quoque factas fuisse, eadem Sacra Pagina testatur. Ita diabolus in forma serpentis locutus fuit cum totius humani generis prima matre Eua, eamque miserabili totius posteritatis lapsu decepit. Sic etiam Satan in forma Samuelis Prophetæ apparuit regi Saul, eique infortunium suum prædixit. Sic Magi Ægyptii plurimis diabolicis artibus Pharaonis omniumque Ægyptiorum oculos mirè effascinarunt. Præter Sacrarum Litterarum testimonia quoque sunt historiæ quę de incubis & succubis, ut & illæ quæ de plurimis spiritibus, qui multis apparuerunt, & cum illis locuti sunt, passim leguntur. Notissimum quoque est Sagas etiam hodiernas, hominibus quaslibet spirituum formas in speculis & vitris aqua plenis videndas exhibere; ut, si furem, vel habituram amasiam, vel futurum maritum, vel alium videre quispiam desideret, in speculo eiusdem imaginem integramque formam per apparitionem spiritus spectandam offerant; idque testimoniis plurimorum fide dignissimorum, qui illa spectra viderunt, magis constat, quam ut de eo dubitari possit. Quis horum spirituum non naturalium naturam naturali ingenio cõprehendat? qui illud tentare volet, facilius intra naturalium terminos manens, ventorum grauitatem ponderare, ignis calorem ulna metiri, aquarum guttulas montiumque arenulas dinumerare poterit. Diabolum plurimis illusionibus, spectris, vocibus, multorum hominum mentes seducere, exterrere, perturbare, atque à vero Diuino cultu diuertere, certum est; utque magis irretiantur ipsius retibus, solet sæpe vel verbis, vel spectris res præteritas ad hominum petitionem cum magna omnium admiratione demonstrare. Sic quondam narrauit nobis strenuissimus vir D. Morgant, legionis Præfectus, se militem habuisse, qui per dæmonem sibi familiarem cuiuslibet formæ spiritus videndos exhiberet; cumque D. Morgant, his diabolicis apparitionibus nullam fidem adhiberet, aliquod experimentum sumere placuit in præsentia plurium Nobilium: petiit igitur à milite ut videndos exhiberet hos quatuor Heroës, Hectorem, Achillem, Alexandrum Magnum, & Iulium Cæsarem: miles rursus petiit ne durante visione quispiam verbum mutiret; cumque facto cum creta in pauimento, circulo rotundo, variis characteribus abstrusis inscripto, se in medio eius stitisset, & obscuro futurro quippiam secum mussitasset, statim magna vi aperta fuit cœnaculi (in quo erant) porta, & cum omnium horrore intrarunt quatuor dicti Heroës, unus post alium, tali forma & magnitudine quali vixisse dicuntur; cumque ad alterum cœnaculi finem peruenissent, eadem via lento gradu reuersi per portam denuo exierunt, & ianua post ipsos magna violentia sponte rursus occlusa est. Hæc nobis narrauit D. Morgant, qui propter has diabolicas artes illũ militem è cohorte sua abegit. Multoties etiam diaboli per spirituum apparitiones futura prænunciant, ut hoc modo nonnullos præsciendi & prædicendi cupidine captos alliciant & irretiant: atque tales sunt illæ spirituum visiones, cuius exemplum in prædicta historia recensuimus. Verum latius esse arbitramur, ardentibus precibus Deum orare ne nos inducat in tentationem, & omnia talia spectra pro diabolicis illusionibus simpliciter habere, quem talium spirituum formam, substantiam, generationẽ, & causam naturalem cum multis Philosophis frustra inquirere. Sufficiat nobis certum esse, huiusmodi spectra à quibusdam videri.

HISTORIA VII.

PEtrus de VVildt, qui in platea ceruina habitabat, uxorem suam peste iam correptam, & bubonem habentem in inguine (quod tamen malum ipsa celabat) iniuit, atque ab ipsa statim pestem contraxit. Aduocatus fuit chirurgus Egmundus Anglus, qui utri-

que vomitorium ex vino ſtibiato exhibuit; a quo enormiter vomuerunt, & multos etiam ſecceſſus habuerunt. Circa veſperam ad me concurſum eſt. Inueni ægros adeo delaſſatos & debilitatos ut ſe vix commouere, imo vix loqui poſſent; pulſus erat citubans, & adeo exilis ut vix ſentiretur. Vomendi irriti conatus adhuc grauiter ipſos torquebant: alvus etiam ſubinde adhuc aquoſa quædam excernebat. Præmiſſo mortis præſagio, utriquo talem hauſtum calide exhibui:

Rec. *Theriacæ androm. ſcrup. ij. aquæ theriacalis, unc. j.*
aquæ cinnamomi, unc. ſ.
Miſce, fiat hauſtus.

Hinc vomitus quidem ceſſauit, verum ſuperuenientibus crebris animi deliquiis, ſequenti nocte ambo extincti ſunt.

FOreſtus *lib. 6. obſeruat. 20.* refert hiſtoriam mulieris, quæ peſte cum bubone correpta, cum marito huius rei ignoro concubuit, qui ab illa ſtatim peſtem furioſam contraxit, illa verò à peſte in totum liberata fuit, & bubo ſtatim euanuit, ita ut maritus, quaſi cum ſpongia, venenum uxoris deterſiſſe, & ſibi ſeruaſſe videretur. Credo illam felicitatem pauciſſimis mulieribus à Veneris uſu contingere ut vitæ ſuæ periculum in maritum tranſmittant: ſaltem prædicta noſtra ægra, præterquam quod per Venerem à morbo liberata non fuerit, illud etiam infortunium incurrit, quod unà cum marito per naſuti Chirurgi ſtoliditatem peruerſo modo curata fuerit vomitoriis ſtibiatis; quæ quidem à Matthiolo, Quercetano, multiſque Chymicis ad peſtis curationem tanquam ſingulare præſidium commendantur, ſed quorum tamen felices effectus in hac peſte videre non potuimus; nam ſi forte uni aut alteri robuſtiſſimo homini non nocuerint, rurſus alios quinquaginta certiſſimam mortem induxerunt. Neque id ſine ratione, nam venenatâ qualitate pradita ſunt, & humores, non venenum aëreũ, educunt: præterea corpus grauiter perturbant, & vires, quibus ad veneni reſiſtentiam hic maxime opus eſt, citiſſime proſternunt, ac naturã intestino hoſti reſiſtere impotentem reddunt.

HISTORIA VIII.

VIce Capitaneus Biſcot, 26 Aprilis poſt meridiem cœpit male habere: circa veſperam ſumma anxietate preſſus eſt; totam noctem cum maxima inquietudine tranſegit. Sequenti mane, cum ipſum inuiſerem, vires adhuc mediocriter conſtabant: æger autem de nullo alio malo, quam de cordis maxima anxietate conquerebatur, præter quam neque ardor, neque capitis dolor, neque vomitus, aliudve malum ſymptoma aderat; imo nec pulſus (qui creber & parvus erat) ullam inæqualitatem percipere potui: æger dicebat ſibi cor tanquam in torculari comprimi & diſrumpi. Exhibui hoc alexipharmacum:

Rec. *Theriacæ androm. diaſcordij Fracaſtorii, confectionis de hyacintho, ſalis ſcordii, ana drach. ſ. aquæ theriacalis, unc. ij. olei vitrioli gut. xj.*
Miſceantur pro hauſtu.

Hinc fortiter quidem ſudauit, ſed abſque ulla morbi immutatione. Tota die ſæpius cochleare huius miſturæ ſumpſit:

Rec. *Conſeruæ roſarum rubr. unc. ſ. theriacæ androm. drach. j. ſ.*
diaſcordii Fracaſt. drach. ij. aquæ theriacalis, unc. iij. ſucci citri,
aquæ cinnamomi, ana unc. ſ.

Miſcean-

Misceantur, & post horam unam colentur, adde colaturæ confectionis de hyacintho, drach. i. s.

Misce.

Circa vesperam tale alexipharmacum dedi:

Rec. *Rad. petasitidis, & carlinæ, ana drach. ii. rad. dictamni, drach. i. s. foliorum cardui bened. scordii, & ruthæ, ana M. s. cortic. citri, drach. iii. sem. cardui; & citri, ana drach. i. aquæ communis, q. s. coquantur, s. art. ad unc. iv.*

Rec. *Colaturæ unc. iii. theriacæ, scrup. ii. extracti angelicæ, scrup. i. s. salis absinthii, scrup. i.*

Misce, fiat haustus.

Illa nocte aliquantum sudauit, sed absque leuamine. Tertia morbi die reiterata fuit mistura pridie præscripta, & mane sumpsit hunc puluerem cum pauco illius misturæ dissolutum:

Rec. *Lapidis bezoar orient. gr. xv. pulu. Liberantis, scrup. i. croci or. gr. iii.*

Fiat puluis.

Vesperi prodierunt pauca exanthemata purpurea. Sequenti nocte obiit.

TOto morbi decursu nullum febrile symptoma in hoc ægro animaduersum fuit, nec sitis, nec linguæ ariditas, nec urinæ mala dispositio, aliudve simile: cor tamen grauissime affligebatur, non quidem ab humorum putredine, sed à maligna veneni pestilentis qualitate, quod se solius cordis substantiæ firmissime insinuasse videbatur. Sic in pluribus aliis etiam obseruauimus, maximas illas & fixas cordis anxietates, à principio morbi incipientes plerumque mali ominis fuisse, imprimis si à primo vel secundo alexipharmaco nihil imminuerentur.

HISTORIA IX.

ANcillæ Christophori de Four (cuius ædibus Amsterodamum pro insigni erat) 7 Aprilis tumor pestilentialis durus, magnitudinis oui gallinacei, sub axilla sinistra protuberauit. Ipsa tamen nec febricitauit, nec præter hunc tumorem ullum incommodum in toto corpore sensit: omnia solita munia obiuit satis alacriter, excepto quod præ dolore brachium sinistrum ad lubitum mouere non posset. Nulla voluit assumere medicamenta. Tumori imposuit emplastrum diachylum simplex, quo post paucos dies maturatio facta, & apostema disruptum fuit, multumque puris effluxit, atque ita hoc malum absque ullo incommodo sanatum est.

MVlti statuunt pestem esse febrem pernicioſam, & febrem ita esse de essentia pestis, ut sine febre pestis nunquam sit, nec esse possit. Verum ex definitionis huius reciprocatione cum definito, sequeretur, omnem febrem pernicioſam esse pestem, quod absurdum esse, præter rationem docet experientia. Quandoquidem in humano corpore nascitur multoties pernicioſa febris sine peste, & non raro etiam pestis febre incomitata inuadit, quod manifestissime liquet ex iis, qui citissime, quasi in momento, peste correpti exspirant. Interdum etiã cor adeo robustum est, ut pernicioſam malignitatem statim excutiat ad emunctoria, idque sine ulla febre, quemadmodum illud apparet ex prædicta historia, cuiusmodi exempla, durante hac peste, plura vidimus. Sic etiam Mercurialis, *lib. de Peste, cap. 6*, refert in peste Veneta multis inguina atque alas subtus intumuisse, nec non varia tubercula sponte prorupisse, sine ullo insigni detrimento. Hac de re plura videantur *lib. 1, cap. 12, annotat.*

HISTORIA X.

VXor Iacobi Baersvelt, mulier fortis circiter triginta annorum, peste correpta, carbunculum habuit in latere dextro supra costas spurias: aderat etiam febris cum maxima anxietate & inquietudine. Sumpsit varia sudorifera & antidota, quibus non obstantibus morbus in eodem statu continuauit usque ad diem quartum, tuncque mensiruorum fluxus copiosior accessit extra ordinarium periodi tempus. Quod cum mihi indicasset, statim tale sudoriferum exhibui;

Rec. *Coralli rubri præparati, terræ sigillatæ, cornu cerui usti, ana scrup. i.*
diascordii Fracastorii, drach. i. aquæ theriacalis,
aceti vini rubri, ana unc. i.
Misceantur pro hausto.

Iussi etiam ut sæpius de die comederet particulam huius conditi:

Rec. *Specierum diatrium santalorum, scrup. ii.*
trochiscorum de terra sigillata, scrup. i. l. florum sulphuris, scrup. i.
conseruæ anthos, drach. iii. & rosarum rubr. drach. vii.
diascordii Fracast. drach. ii. s. syrupi granatorum acid. q. s.
Fiat electuarium.

His duobus medicamentis fluxus ille paulatim rursus imminutus est, sed tamen ante diem quintum non omnino subtitit. Carbunculus impositione pulticulæ ad anthraces breui separatus, & ægra pristinæ sanitati restituta est.

IN hac peste menstruorum fluxus criticus (qui alioqui salutaris esse solet,) periculosus erat; nam multoties obseruauimus, si in ipso principio antidotis astringentibus paulatim non cohiberetur, quod postea ut plurimũ nullis remediis coerceri posset, sed ægras deiectis viribus citissime occideret. Ea propter in casu non videtur sequendum consilium eorum, qui hunc fluxum critica die apparentem, non cohibere, sed aperientibus medicamentis adiuvare suadent. Vide hac de re *lib. 3. cap. 10, annot. 1.*

HISTORIA XI.

CHirurgus quidam castrensis, ante Schenkii Munimentum in castris peste correptus, & statim è regione Nouiomagi ad pagum Lent delatus, atque ibidem in exiguo conducto cubiculo à sociis militibus depositus est. Hunc 12 Aprilis post meridiem inuisens, febricitantem & valde debilem atque anxium inueni, cum pulsu inæquali, crebro & duro, ac lingua nigricante crusta obducta. Præscripsi hoc alexipharmacum:

Rec. *Theriacæ androm. scrup. ii. Diascordii Fracast. salis absinthii, ana drach. l.*
aquæ theriacalis, aceti bezoartici, ana unc. i.
Misce, fiat haustus.

Sudauit multum, cum magno leuamine, & bubo in inguine prorupit, cuius aduentum ex dolore antea prædixeram. Postridie multo melius se habuit, & eodem sudorifero reiterato, bubo mediocriter increuit. Tunc æger ille salutus (quales plerique solent esse chirurgi) me nesciente, suo ipsius consilio, unguentum mercuriacum (quod forte ad tophos venereos compositum in pixide habebat) buboni inunxit. Hinc bubo sequenti nocte plane dispa-

disparuit, febris recruduit, maxima anxietas & vomitus enormis accesserunt, atque vires illa una nocte adeo deiectæ sunt, ut æger sequenti die se vix amplius commouere posset. Tunc mihi confessus est se illud unguentum inunxisse, & speraſſe bubonem mercurii vi feliciter curatum iri, sed iam se videre lethalem suum errorem. Adhuc unum alexipharmacum exhibitum est, quod cum ilico euomuisset, apparuerunt statim exanthemata purpurea; cum quibus post tres horas mortuus est.

MErcurii viui usum ad curationem bubonis pestilentis minime conuenire, & Paræum, qui *lib.* 21, *cap.* 29, inunctiones mercuriales in hoc morbo summopere extollit, grauissime errare, præter huius historiæ experientiam ipsa quoque ratio demonstrat, quæ mercurium sua frigiditate & humiditate pestilens venenum cum humore intus repellere docet, ut latius demonstrauimus *lib.* 3, *cap.* 12, *annot.* 16.

HISTORIA XII.

RVdolphus de Svvart, eques Capitanei VVilmouth, vir animosus & mediocriter fortis, se peste correptum sentiens, statim ad me venit, consilium petens. Dicebat hanc labem cum paruo horrore ipsum inuasisse, & se iam magna cordis anxietate ac quasi compressione quadam, cum nausea torqueri, simulque dolorem in inguigume, sed absque tumore, sentire. Iussi ut hoc alexipharmaco calide assumpto statim cubitum discederet, & stragulis bene coopertus fortiter sudaret:

Rec. *Theriacæ, scrup.* iv. *diascordii, salis absinthii, ana drach.* ß.
aquæ theriacalis, aceti vini fortis, ana unc. i. ß.
Misce, fiat haustus.

Postridie bene sanus ad me rediens, dicebat se per sex septemve horas copiosissime sudasse, eoque sudore omnia prædicta mala in totum euanuisse, nec quicquam incommodi se amplius sentire.

SI in vllo morbo, certe in peste verus & valde considerabilis est ille versiculus:

Principijs obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Nam cum morbus hic mora citissimè inualescat, solet in principio unicum alexipharmacum sæpe plus prodesse, quam in morbi incremento multa.

HISTORIA XIII.

DOminus Colberry, Nobilis Anglus, qui voluntarius exercitum comitabatur, cum è nostris castris, quibus Schenckii Munimentum tunc temporis obsidebatur, 14. Aprilis Nouiomagum venisset, simul ac urbem ingrederetur, insolitum quendam fœtorem percepit, a quo ipsi nausea facta fuit, & caput doluit. Postridie manè è somno expergefactus, valde nauseabundus fuit, & dolorem cum dura tensione in parotide post autem sensit. Ipse pestem metuens, summo mane ex massa pilularum Ruffi, quam semper secum portabat, quatuor pilulas confecit, easque deglutiuit: à quibus post sex horas alvus ter quaterve deiecit, & simul etiam cessauit dolor post aurem. Meridie tamen prandere non potuit. Circa vesperam rursus tres quatuorve spontaneos recessus habuit, quos magna cordis anxietas cum debilitate insecuta est. Sequenti nocte magnus alui fluxus una

cum

cum febre superuenit. 16. Aprilis mane consilium meum expetiit. Vidi excreta esse turbida, oleosa, colliquatiua, maxime fœtentia: adiuncta tamen febris non videbatur valde magna. Exhibui hoc sudoriferum hora sexta matutina:

Rec. *Terræ sigillatæ, boli Armenæ, coralli rubri præparati,*
cornu cerui usti, ana scrup. i. extracti ruthæ. scrup. i. ſ.
salis scordii, scrup. i. theriacæ, diascordii, ana scrup. ii.
aquæ theriacalis, unc. ii.
Misce, fiat hausſtus.

Hinc per tres quatuorve horas fortiter sudauit cum leuamine, & alui fluxus usque ad meridiem subſtitit. Statim post meridiem alvus rursus emota est. Tunc eundem hausſtum rursus assumpsit, & multoties illa die ac sequenti nocte particulam huius conditi comedit:

Rec. *Trochiscorum de terra sigillata, florum sulphuris,*
cornu cerui usti, ana scrup. j. specier. diatrium santalorum, scrup. ij.
diascordij Fracastorii, conserua rosarum rubr.
Myua cydoniorum, ana drach. iv. syrupi granatorum acid. q. ſ.
Misce, fiat conditum.

Ad sitim usus est hoc iulabio:

Rec. *Aquæ cardui bened. lib. j. & scabiosæ, lib. ſ.*
conserua rosarum rubr. unc. i. ſ. rob. acaciæ, drach. ij.
olei vitrioli q. ſ. ad gratum acorem.
Miscentur, & post horam colentur per linteum, sit iulebus.

Verum his nihil imminutus est alui fluxus. 17. Aprilis sudoriferum tali modo præparatum est:

Rec. *Radicum tormentillæ, unc. ſ. rasuræ santali rubri, drach. j. ſ.*
corticum granatorum, drach. j. herb. pimpinellæ viridis, M. i. & ruthæ,
herb. cardui bened. & scordii sicc. ana ʒ. j. sem. cardui,
& plantaginis, ana drach. j. florum balaustiorum,
& rosarum rub. ana drach. j. ſ. aquæ communis q. ſ.
Fiat ſ. art. decoctio ad lib. j.

Rec. *Huius decocti unc. iij. trochiscorum de terra sigillata, scrup. ſ.*
cornu cerui usti, scrup. j. theriacæ, drach. j. diascordii, drach. ſ.
Misce, fiat hausſtus.

Hoc assumpto iterum fortiter sudauit, dolorem etiam in parotide rursus sensit, & alui fluxus aliquantum imminui visus est, qui tamen statim post sudorem æque magnus rediit; atque tunc primò sanguinolentæ dejectiones; postea sanguis purus absque dolore defluxit, hinc viribus totaliter prostratis, ipsius animæ effluvium insecutum est.

HIeronymus Mercurialis, Ioannes Manardus, aliique magni Medici, ex decreto Auicennæ 1. 4. tract. 4. cap. 4. pestis curationem à purgatione incipiendam esse statuunt, eamque opinionem acriter plurimis innixus auctoritatibus defendere nititur Zacutus Lusitanus, *Prax. Admir. lib. 3. obseruat. 119.* Verum minime recipiendum est illud consiliū, neque soli magnorum Medicorum auctoritati hac in parte insistendum est, imprimis cum & ratio, & experientia contrarium doceant. *Ratio*, quæ salutarem naturæ motum hoc pacto interturbari, ac vires maxime dejici: *experientia*, quæ purgationes nullis pestiferis prodesse, de-

demonstrat: qua de re pluribus egimus *lib. 3, cap. 4. annot. 1, 2, 3.* Si parua pilularum Rufi quantitas in prædicto ægro naturę motum adeo interturbauerit, ut ad venent expulsionem per commodas vias reduci non potuerit, quæ non mala à purgationibus fortioribus metuenda sunt?

HISTORIA XIV.

ANcilla Domini Schayck Capitanei, per aliquot septimanas male valuerat, & de siti ac cordis aliqua anxietate conquesta fuerat. Tandem summis debilitatibus correpta, sæpius animo linquebatur: ultimò succesſit vomitus adeo violentus, ut deiectis viribus instar moribundæ, quasi iam iam exspiratura iaceret. Cum ad ipsam vocatus essem, eamque adeo debilem cum pulsu exili & crebro inuenirem, tale sudoriferum exhibui:

Rec. *Cornu cerui usti. scrup. j. salis absinthii, scrup. j. s. theriacæ, drach. j.*
aquæ theriacalis, unc. j. s. olei vitrioli, gut. ix.
Misce, fiat haustus.

Hoc assumpto maximum dolorem in stomacho sensit, atque post horæ quadrantem magno ac violento vomitu eiecit medicamentum, una cum lumbrico valde longo, rotundo, crasso & albicante. Quo facto à dictis symptomatis liberata fuit, & assumpta drachma una theriaces cum haustu vini calefacti, obdormiuit, expergefacta rursus optime valuit.

DEcepti fuimus in hac ægra, quam peste laborare iudicauimus, cum tamen grauia illa symptomata ab isto lumbrico ventriculo innatante excitata fuerint: qui lumbricus ejectus admodum viuax erat, & sesquipedalem longitudinem aliquantum excedebat, ac casu assumptione antidoti lumbricis quoque contrarii expulsus fuit. Fortasse maligna aeris constitutio huius lumbrici generationem etiã induxit, nempe quod venenum pestilens, propter dispositionis occultam contrarietatem, aliter hanc ægram afficere non potuerit, quam inductione alicuius putredinis in humoribus excrementitiis ventriculo aut intestinis inhærentibus.

HISTORIA XV.

ADmilitem quendam peste laborantem una cum Adolpho Fildar chirurgo vocatus fui, hunc qui carbunculos quatuor habentem, & grauissimis symptomatis infestatum inuenimus, nempe summa anxietate & inquietudine, magna virium deiectione cum crebris deliquiis, & vomitu violento, qui iam per aliquot horas durauerat. Prælagio mortis facto, tamen antidotum exhibuimus, quod cum reuomuisset, paulo post animam Creatori reddidit. Inter me & Chirurgum incidit sermo de causa vomitus pestilentis, cumque ego inter cætera statuerem illum plerumque induci à veneno pestifero ventriculi tunicis, & imprimis ipsius orificio superiori firmius infixo, eique magis quam aliis partibus communicato propter cordis vicinitatem, &c. Dixit ille, hunc vomitum plerumque induci à carbunculis in ventriculi tunicis enatis, idque se ab experientia scire: nam ut illius vomitus causam certius cognosceret, se aliquando cadauer peste cum vomitu emortuum ac iam refrigeratum dissecuisse, & in ventriculo à latere orificij superioris inuenisse locum quendam longiusculum, circiter magnitudinis articuli pollicis, qui nigricabat instar carbunculi,

bunculi, quæ nigredo tunicas ventriculi transiens, æque foris quam intus conspiciebatur. Etiam si vellem, se quoque in prædicto mortuo milite illud demonstraturum promisit. Verum nobis non placuit irritare crabrones, & aperta abdominis cauitate contagii periculis nos exponere: illud credere, quam videre maluimus.

VEriſimile eſt carbunculos interdum ventriculi tunicis non minus quam aliis viſceribus innaſci, ac multoties lethalem vomitum inducere: verum ab hac tamen cauſa vomitum peſtilentem ſemper non dependere, vel inde liquet, quod multi cum vomitu euadant, quod fieri non poſſet ſi à carbunculis ſemper induceretur. Quicquid ſit, neminem Medicorum hactenus tales carbunculos annotaſſe ſcio; ſolus inter nouiſſimos Ioannes ab Helmont in Tumulo Peſtis, ſcribit ſe illud ipſum quoque obſeruaſſe, & in cadauere peſte cum violentiſſimo vomitu emortuo ac diſſecto, ſtomachum triplici eſcarâ tam perfectâ pertuſum inueniſſe. Quod illud ab alijs obſeruatum non fuerit, metum contagii in cauſa fuiſſe reor: nam pauciſſimi Rondeletio credunt, qui cadauera peſtiferorum contagioſa non eſſe, aſſerit. Hac de re plura videantur *lib. 1. cap. 13. annot. 5.*

HISTORIA XVI.

EDuardus Grien Anglus, & Melchior Rouvvert Germanus (ambo equites ſtrenuiſſimi Capitanei Thomæ Lucas) fortes & bene valentes, menſe Maio præſeruationis gratia ſibi venam in brachio pertundi, & ſanguinis circiter libram extrahi curarunt. Paruo tempore poſt venæſectionem inſolito quodam horrore & graui ſomnolentia correpti peſtem metuerunt, utque hanc imaginationem animis ſuis melius excuterent, alter vini abſinthitis libras duas, alter verò ſpiritus vini iuniperini uncias duas ebibit, quo facto ſimul ambulatum prodierunt. Circa meridiem domum venientes prandere non potuerunt, ſed non aliter quam media hyeme frigeſcentes, ad lectum ſe contulerunt, ubi ſtragulis bene cooperti, per aliquot horas alto ſomno obdormiuerunt: tandem euigilantes ſe peſſime habuerunt, uterque ſummis anxietatibus preſſus fuit, alter enormiter vomuit, de vertigine, & intenſiſſimis capitis doloribus conquerebatur alter. Petitum à me fuit ut illos inuiſerem. Percepi in utroque febrem fortem, cum pulſu paruo, crebro & inæquali: maxima ſitis aderat, tantaque virium dejectio, ac ſi longo tempore ægrotaſſent. Ipſimet ante meum aduentum aſſumpſerant theriacæ drach. j. cum aceti vini fortis unc. ij. & olei iuniperini ſcrup. ſ. à quo medicamento aliquantum ſudauerunt, ſed abſque ullo leuamine. Eduardo duo exiles carbunculi in pectore, alteri unus in manu apparuit. Circa veſperam adeo debiles fuerunt, ut amplius ullum medicamentum ſumere nec poſſent, nec vellent. Ad immenſam ſitim ſola aqua ſimplici utebantur, omnem aliam potum renuebant. Die tertia poſt meridiem exſpirauit Eduardus: Melchior vero uſque ad diem quintum in tali ſtatu permanſit, atque tunc media nocte etiam ipſe è viuis exceſſit.

MAgnus hoc tempore à Chirurgis in eo commiſſus fuit error, quod propter exiguum lucrum cuilibet tempore Veris venæſectionem tanquam optimum præſeruatiuum commendarent; hocque modo multis morbi & mortis cauſa fuerunt. Vix ullum noui cui non venæſectio præſeruationis gratia inſtituta maximum damnum intulerit: & qui poſt tales venæſectiones peſte corripiebantur, multo magis periclitabantur, quam alij, in quibus tales occaſio præmiſſa non fuerat.

HISTO-

HISTORIA XVII.

CVm N. Straeten, Notarius publicus in angiporto prope Scholam tripudiariam habitans, peste cum alui fluxu laboraret, ad ipsum inuisendum vocatus fui. Simulac cubiculum eius intrarem, statim pessimum excrementorum fœtorem naribus percepi, à quo grauiter affectus fui. Post breuissimam visitationem domo rursus egressus, illico me vertigine, nausea, & cordis anxietate affectum sensi, ita ut pestilens contagium me concepisse non dubitarem. Quapropter positis omnibus negotiis (erat namque circiter hora decima antemeridiana) statim me domum contuli, atque tabaci optimi quinque sexve fistulas fumifactione exhausi; cuius usu omnia prædicta symptomata ita penitus euanuerunt; ut ne minimum quidem mali amplius sentirem. Tunc rursus foras prodire & reliquos ægros inuisere volens, theriacæ Andromachi drachmam præsumpsi, atque ita deinceps optime valui.

ILlud ipsum durante hac pestilenti constitutione mihi ter quaterve accidit, ut statim, simulac me aliquam contagionis labem concepisse arbitrarer, eodem modo ad copiosiorem tabaci usum confugiens, liberatus fuerim. Excepta unica vice, cum hora nona matutina pistorem quendam in platea Nonnea decumbentem, ac pestilenti diarrhœa unà cum uxore laborantem inuisissem, atque ab eiusdem fœtore grauiter alteratus essem, tunc ob longiorem moram quam trahebam, antequam ad tabaci usum me conferrem, tam cito liberatus non fui, sed post assum pias aliquot tabaci fistulas, tanto sopore tantaque anxietate obrutus fui, ut vo ens nolens ad lectum me conferre cogerer, ubi præsumpto antidoto per tres horas dormiui. Deinde a famulo expergefactus, & ad visitationem plurimorum ægrorum (qui meum aduentum auidissime expectabant) adhortatus, propter vertig nolam capitis grauitatem me vix sustentare potui: multum quoque cum summa molestia vomui. Tandem tamen surrexi, & famuli humero aliquantum innixus ad focum peruenì, ubi rursus tabaci usum arripui; cumque duas tresve fistulas hausissem, capitis grauitas, vertigo & nausea euanuerunt, manente adhuc aliqua cordis anxietate. Tunc mihi ipsi rursus animum addens, omnemque metum excutiens, theriacæ iterum drachmam assumpsi, & bonum haustum vini calefacti cum pauxillo cinnamomi & nucis moschatæ superbibi, atque ita me rursus aeri commisi, & inter ambulandum fortissime sudaui; in quo ambulatorio sudore continuaui usque ad horam decimam vespertinam, qua hora absque ulla cordis anxietate aliove incommodo bene sanus domum redii, & satis famelicus ad cœnam accessi, cui pro clausula tabacum rursus adiunxi. Tabacum pro insigni præseruatiuo remedio semper habui, eiusque fumum in ipso conceptus principio mihi aliquoties insigniter profuisse compert: qui felix effectus cui omnibus non contingat, in multis tamen militibus peste iam correptis eundem quoque non semel obseruatum fuisse, à Capitaneis fide dignis nobis narratum est. Referunt etiam quondam Londini in Anglia ab horribili peste illic sæuiente immunes fuisse omnes illas domus in quibus tabacum vendebatur. Verum Noviomagi illa felicitas omnibus tabaci mercatoribus non contigit, nam aliquos ex iis peste correptos fuisse nouimus. In ædibus tamen primarii tabaci mercatoris, Thomæ Pieters Angli, qui numerosam liberorum, famulorum & ancillarum familiam alit, neminem, quod scio, pestis inuasit, præter unam ancillam, & ipsa breui conualuit.

HISTORIA XVIII.

OTto de Linnich, vir robustus, pestilentem carbunculum in brachio, & profundum tumorem in inguine sentiens, cum somnolentia ac capitis grauitate, chirurgi consilio, theriacæ drach. j. cum aceti vini, unc. i. & olei iuniperi gut. xii. assumpsit, atque ita stragulis coopertus statim dormiuit, & mediocriter sudauit. Post aliquot horas expergefactus, de intolerabili capitis dolore conquestus est. Tunc ego secunda morbi die aduocatus, rursus alexipharmacum exhibui, à quo quidem multum sudauit, sed capitis dolor nihil imminutus est. Tertia die cœpit æger sine magna intermissione crebro sternutare, quam sternutationem nec lacte tepido in nares attracto, nec aliis mediis impedire potuimus, atque ita æger, postquã plus quam trecenties sternutasset, deficientibus viribus obiit.

HIuiusmodi lethales sternutationes adhuc in duobus tribusve aliis pestiferis obseruauimus. Quamuis sternutamenta in aliis morbis cerebri & naturæ robur denotent, in peste tamen exitialia plerumque sunt, & pestiferum venenum membranis cerebri firmissime infixum esse, easque aliqua parte mortificant; unde illud venenum non magis sternutatione, quam ventriculi carbunculus vomitu vel singultu ejici potest. Cardanus quoque meminit pestis, in qua ægri multum sternutantes statim mortui sunt.

HISTORIA XIX.

COgnatus Ioannes de Goldt, post nosocomium habitans, iuvenis robustus, bubonem pestilentem in inguine sentiens, morbum celauit, cumque magno capitis dolore torqueretur, pilulas capitales a Gerardo Buys Pharmacopœo parari curauit, qui ex massæ pilularum cochiarum drach. i. pilulas nouem concinnauit. His assumptis alvus primo cum leuamine deturbari visa fuit, sed paulo post magnum ventris profluvium insecutum est. Euanuit bubo, & vires spatio viginti horarum ad extremum prostratæ sunt. Cum ego aduocatus nullis sudoriferis nec antidotis astringentibus fluxum sistere, hunc que peruersum naturæ motum inuertere possem, tertia morbi die occubuit.

AD pestis curationem medicamenta purgantia maxime perniciosa esse, non huius tantum, sed plurimorum aliorum ægrorum experientia docuit. Quapropter mirari licet, quod Auerrhoës, *lib. 3. collect. 31*, scribat, in curatione pestis non sufficere medicinam unũ tantum humorem purgantem, sed omnes, ficuti sunt pilulæ cochiæ. Quæ pilulæ quam utiles in peste sint, ex prædicta historia satis liquet. Nos neque harum pilularum, neque aliorum purgantium usum in tota hac peste unquam ægrotis feliciter ante diem septimum administratum fuisse, certò nouimus. Sic quoque Palmarius *de febr. cap. 7.* inquit: *Vix centesimus quisque euadit ex vs, qui incipiente morbo cathartico utuntur, vel spontaneo alui profluvio corripiuntur.*

HISTORIA XX.

STephanus à Seuener, qui post templum D. Ioannis habitabat, nescio qua de re cum aliis quibusdam contendens, magna ira incanduit. Domum veniens inhorruit, ac statim ardenti febre correptus fuit, cum maxima siti, anxietate & inquietudine, paulo post etiam

etiam accessit linguæ nigredo. In pectore duo carbunculi prodierunt. Antidota varia exhibita sunt, sed propter vomitum pauca retinuit, usque nihil proficientibus, & viribus ad extremum delectis, circa finem secundæ diei simul cum vita morbum finiuit.

IRam multorum corpora ad pestem dispositiuisse, notauimus, & qui hac præcedente in morbum incidebant, febribus longe grauioribus, aliisque multo peioribus & periculosioribus symptomatis corripiebantur, quam alii quibus absque illo duce morbus introducebatur.

HISTORIA XXI.

MArgarita de Tienen, quæ in horto Capitanei Haefren decumbebat, se peste correptam sentiens, bis propriam urinam bibit. Secunda die meo consilio sudorifera sumpsit. Post copiosum sudorem retro aurem sinistram magnus & mollis tumor protuberauit, qui intra viginti quatuor horas in tantum molem excreuit, ut affecti lateris collum antrorsum versus totum occuparet. Quarta die apparentibus exanthematibus purpureis, extincta est.

QVibus duri tumores in colli glandulis oriebantur, qui lentius increscerent, eorum multi sanabantur: at cum tumoribus mollibus instar tumoris flaculenti vel aquosi, qui cito multum increscebant, nullum euasisse nouimus.

HISTORIA XXII.

PEtrus Buys, juvenis fortis, 7 Aprilis peste correptus est, cum febre exigua, tumore sub axilla, & maxima cordis anxietate. Neque à primo, neque à secundo alexipharmaco quicquam alleuatus est. Febris per biduum magis magisque increuit, tanta fuit virium delectio & à medicamentis nausea, ut post secundum diem vix quicquam amplius exhiberi potuerit. 10 Aprilis tanta cordis anxietate premebatur, ut illud tanquam in torculari confringi diceret, atque summa illa angustia ipsam animam è corpore expressit.

PEstilens venenum ipsius cordis substantiæ firmius inhæsum, eiusque calorem innatum extinguens, huic ægro vitam eripuit: quod quidem venenum etiam humorum aliquam putredinem, hinc que febrem simul produxit; verum hæc tamen tanta non erat, quæ periculum per se cauere potuisset.

HISTORIA XXIII.

AGneta VVilhelmi, cereuisiarii ancilla, robusta, plethorica, bene valens, mense Maio ex annua consuetudine sex aut octo cucurbitulas cum scarificatione pedibus imponi curauit. Sanguinis sex aut octo uncias extractis horrore quodam correpta est. Post paucas horas tanta accessit somnolentia, ut per duas horas dormire cogeretur. E somno excitata maximam cordis anxietatem sensit, quam non diu post insecutus est grauis vomitus. Inueni ipsam febricitantem, cum pulsu paruo, crebro & inæquali: urina tenuis urinæ similis erat. Exhibui circa meridiem hoc alexipharmacum:

Rec. *Theriacæ Androm. diascordy Fracast. ana scrup. ij. salis scordii, scrup. j. ſ.*

aquæ theriacalis, unc. j. ſ. ſucci citri, unc. ſ.
Miſceantur pro hauſtu.

Hinc egregie ſudauit, & dolorem aliquem in inguine percepit, ſed abſque tumore. Anxietas parum aut nihil imminuta fuit. Statim poſt ſudorem redit horror: quapropter poſt tres horas idem ſudoriferum reiteratum fuit, à quo cum ſequenti nocte bene ſudaſſet, poſtridie paulo melius habere viſa eſt, & tumor durus in inguine dextro apparuit. Illa die nullum medicamentum aſſumere voluit, imò ſe meo conſilio amplius non indigere putauit: comedit aliquantum lactis preſſi cum pane cocti, & conſilio matris familias impoſuit tumori folium braſſicæ rubræ oleo raparum inunctum. Die tertia febris cum magna vehementia recruduit, (quæ tamen ſecunda die non omnino intermiſerat, ſed multo remiſſior fuerat) cum capitis dolore, maxima ſiti, & enormi vomitu: euanuit etiam inguinis tumor. Tunc iterum ad me concurſum eſt. Exhibui duo ſudorifera, quæ utraque ſtatim reuomuit: iulebos cordiales aliaque nonnulla præſcripſi, ſed omnia frultra, propter vomitum. Tandem huius mixturæ ſubinde cochleare unum exhibui:

Rec. *Conſeruæ roſarum rubrarum drach. vi. diaſcordÿ Fracaſt. drach. ij.*
aquæ theriacalis, unc. iij. ſucci limonum, aquæ cinnamomi, ana unc. j.
Miſceantur, & ſient per horam, poſtea colentur per linteum.

Ad hæc Theriacam Andromachi chartæ bibulæ illitam, ac prope ignem calefactam ventriculi regioni impoſui. His duobus ſubſtitit vomitus. Tunc circa noctem tale ſudoriferum dedi:

Rec. *Salis abſintÿ, & ſcordÿ, ana ſcrup. j. extracti angelicæ, drach. j.*
aquæ theriacalis, unc. ij. olei vitrioli gut. xij.
Miſce, fiat hauſtus.

Hinc mediocriter ſudauit, & febris aliquantum imminui viſa fuit, quæ tamen poſtridie iterum recruduit, & magno cum furore uſque ad veſperam continuauit, quo tempore extra debitum periodi tempus menſes fluere cœperunt. Sequenti die febris quidem aliquanto mitior eſſe videbatur, ſed vires maxime proſtratæ erant. Sitim ſedabat cum ceruiſia tenui, cui aliquot olei vitrioli guttulæ immiſtæ erant. Ad menſium ſuppreſſionem hunc bolum exhibui, & ex ſequenti condito ſæpius de die particulam aſſumere iuſſi:

Rec. *Coralli rubri præparati, cornu cerui uſti, terræ ſigillatæ,*
Lapidis bezoar orient. ana ſcrup. ſ. diaſcordii Fracaſtorÿ ſcrup. j.
cum ſyrupi granatorum acidor. q. ſ.
Fiat bolus.

Rec. *Specierum diatrium ſantalorum, ſcrup. ij. coralli rubri, terræ ſigillatæ,*
cornu cerui uſti, ana ſcrup. j. diaſcordÿ Fracaſt. drach. iij.
conſeruæ roſarum rubr. drach. v. rob. acaciæ, drach. j. ſ.
ſyrupi granatorum acid. q. ſ.
Fiat conditum.

Die ſexta menſtruorum fluxu magis adaucto, & viribus deficientibus, circa veſperam expirauit.

DVrante hac peſtilenti conſtitutione, damnoſiſſimas ſemper fuiſſe ſanguinis detractiones, etiam in ſanis, experientia toties docuit, ut venæſectio, quæ antea præſeruationis gratia communiter inſtituebatur à vulgaribus, poſtea adeo horribilis euaſerit, ut vel ſolum

lum venæsectionis nomen cuilibet terrorem incuteret. Nam quocunque tempore, & quantacunque adhibita cautione sanguis extraheretur, etiam in plethoricis & maxime sanis corporibus, fere semper tamen pestis hanc euacuationem insequebatur, ita ut sanguine euacuatæ venæ protinus pestilenti hosti locum facere, eiusque introitum sponte inuitare viderentur.

HISTORIA XXIV.

IOdocus Rutgeri, rusticus fortis, magnam cordis anxietatem cum capitis grauitate & nausea sentiens, petiit à Chirurgo medicamentum fortiter purgans, qui ipsi haustum vini stibiati exhibuit. A quo enormiter vomuit, multosque prauos humores excreuit, ad hæc duodecim per alvum secessus habuit. Hinc adeo debilitatus est, ut ipsum moriturum arbitrarentur, quapropter ut ipsum inuiserem petierunt. Vidi ægrum irritis vomendi conatibus adhuc grauiter delassari, hinc iussi ut domestici statim vini albi lib. j. calefacerent, eique puluerис canellæ & nucis moscatæ aliquantum inicerent, idque calidissime exhiberent, atque bene coopertum ægrum dormire sinerent. Hoc facto cessauit vomitus, & æger fere tota nocte dormiuit. Postridie euigilans optime valuit, & adeo famelicus fuit, ut vix duplici pranio famem sedare posset.

HOc tempore paucissimis bene cesserunt vomitoria; imo vix ex centum uni, quæ huic robustissimo ac temerario homini, contigit felicitas.

HISTORIA XXV.

ANtonius Knuyt, corii mercator in foro habitans, vir mediocriter fortis, 29 Maii circa vesperam male habere cœpit. Postridie dolorem sub axilla sentiens, meum consilium petiit. Pulsus ipsi erat inæqualis, & creber, vires pro morbi principio satis acie & æ, calor corporis non admodum præter naturam excellens, urina sanorum urinis similis: anxius erat, somniculosus & capite grauis, interdum ad vomitum procliuis, sed nihil tamen euomuit. Exhibui statim hoc alexipharmacum:

Rec. *Theriacæ, scrup. ii. diascordii, drach. ſ. salis absinthii, oculorum cancri præparat. ana scrup. j. aquæ theriacalis, unc. j. ſ. succi citri, unc. ſ.*

Misce, fiat haustus.

Hoc assumpto valde sudauit cum leuamine, & sub axilla magnus durus tumor protuberauit, cui hoc cataplasma bis de die impositum fuit:

Rec. *Radicum liliorum albor. unc. ij. & helenii recentium, unc. j. herb. maluæ, althææ, florum chamomillæ, ana M. j. ficum ping. N. ix. aquæ communis, q. ſ. Coquantur ſ. art. & pistentur, addendo. fermenti acidi, farinæ seminis lini, ana unc. j. simi columbini, unc. j. ſ. mellis, axungiæ porci, ana drach. vi.*

Fiat ſ. art. cataplasma.

31. Maii mane & meridie huius apozematis uncias quatuor bibit:

Rec. Ra-

Rec. *Radic. angelicæ, petasitidis, ana drach. vj. & tormentillæ, corticum citri sicc. ana unc. ſ. rad. ostrutii, drach. ij. herb. scabiosæ, taraxici, melissæ, scordii recent. ana M. j. cardui bened. M. j. ſ. pimpinellæ viridis, & ruthæ recent. ana M. ſ. sem. cardui bened. & 4. frigid. maior. ana drach. j. ſ. cicerum rub. unc. j. ſ. aquæ communis, q. ſ.*

Coquantur ſ. art. ad lib. ij. adde colaturæ syrupi de scordio, & de succo citri, ana unc. j.

Misce, fiat apozema.

Circa veſperam hunc hauſtum dedi:

Rec. *Theriacæ androm. diascordii Fracast. salis absinthii, ana drach. ſ. aquæ theriacalis, aceti bezoartici, ana unc. j.*

Misce, fiat hauſtus.

Hinc bene ſudauit cum magno leuamine. 1. Iunii nauſeabundus & ad vomitum proclivis erat, qui ut præueniretur, hanc miſturam præcripſi, de qua ter quaterve de die cochleare plenum ſumpſit:

Rec. *Conſeruæ roſarum rubr. drach. vj. theriacæ and. ſcrup. ij. diascordii, drach. j. ſ. aquæ theriacalis, unc. iij. roſarum, unc. ſ. & cinnamomi, drach. vj. ſucci citri, unc. j.*

Misceantur, & ſtent per duas horas, deinde colentur, adde colaturæ confectionis de hyacintho, ſcrup. ij. & de alkermes, ſcrup. ij.

Misce.

Eadem die etiam duos hauſtus prædicti apozematis bibit. Circa veſperam hunc bolum cum prædicta miſtura diſſolutum exhibui:

Rec. *Mithridatii Damoc. ſcrup. j. ſ. diascordii, ſcrup. j. salis absinthii, confect. de hyacintho, ana ſcrup. ſ. olei vitrioli gut. iv.*

Misce, fiat bolus.

2. Iunii præter iam dictam miſturam, etiam ex hoc condito interdum particulam ſumpſit:

Rec. *Pulueris Liberantis, drach. j. cortic. aurantiorum condis. rad. helenii cond. ana drach. iij. conſeruæ roſarum rubr. diascordii Fracast. ana drach. ij. confectionis de hyacintho, ſcrup. ij. syrupi de limonibus, q. ſ.*

Misce, fiat conditum.

Sequenti die iiſdem modo uſus fuit medicamentis. 4. Iunii, qui erat dies à morbi principio ſeptimus, valde debilis & anxius fuit, nec præter ſequentem bolum cum prædicta miſtura ſolutum, quippiam aſſumere potuit:

Rec. *Confectionis de hyacintho, theriacæ, ana ſcrup. j. lapidis bezoar. or. gr. xv.*

Fiat bolus.

Circa veſperam ſponte vehementer ſudauit, tumor ſub axilla multum increuit, & morbus hoc critico ſudore ſolutus eſt: anxietas, capitis dolor, reliquaque ſympromata ceſſarunt. Poſtea etiam tumor ſub axilla ſine maturatione paulatim diſſipatus euanuit. Omnibus his dictus ager alvum non exonerauerat, quapropter ipſi 6 Iunii maſſæ pilularum antipeſtilentia-

lentia-

lentialium scrup. i. exhibui, unde bis terve alvum deposui: atque ita per summi Dei clementiam integræ sanitati restitutus fuit.

HOc tempore paucissimis morbus critice solutus fuit perfecte, & præter crisim per sudores (quæ & ipsa multoties imperfecta erat) omnes aliæ erant periculosæ. In hoc ægro tumor sub axilla paulatim dissipatus fuit; & sic quoque in multis aliis tumores post febris solutionem salubriter euanuisse vidimus. Quod ipsum quoque obseruauit Palmarius, *de febr. Pest. cap.* 24. ubi inquit: *Quamplurimos per sanatos vidi citra bubonum suppurationem, veneno paulatim antidotis denicto, resolutaque bubonis materia*. Secus autem se res habet cum bubones euanescunt ante morbi solutionem, nam illud maxime periculosum est. Alvum dicto ægro mouere non voluimus ante morbi solutionem, quia nunquam ex diuturniore alui constipatione in ægris pestiferis ullum damnum animaduertere potuimus; verum è contra alui prouocationes per clysteres, lenientia, aliave medicamenta, semper cum maximo periculo ante diem septimum factas fuisse, obseruauimus.

HISTORIA XXVI.

VXor Gerardi de Stolck, puerpera, postquam filium bene sanum peperisset, tertia die peste correpta est, & duo carbunculi in pectore prodierunt: anxietas autem valde grauis non erat, ut nec febris: lochia quoque non substiterunt, quæ omnia magnam sanationis spem dabant. Infans à lacte matris pestem contrahens, cito extinctus est, antequam ipsamet se peste laborare certo sciret. Infante mortuo quæsitæ sunt caniculæ iuniores, quæ mammas copioso lacte abundantes exlugerent: quatuor inuentæ sunt; quarum duæ cum per biduum mammas suxissent, mortuæ sunt; reliquæ duæ usque ad quintum diem vixerunt, atque tunc priores secutæ sunt. Interea varius antidotis uta fuit ægra, quibus non obstantibus paulatim cum anxietate adaucta est febris, & tandem viribus omnino prostratis, sexto morbi die vitam cum morte commutavit: Eamque non diu post maritus una cum altera prole, eiusdem morbi violentia oppressus, insecutus est.

PLeræque puerperæ, propter magnam quam à puerperio subibant alterationem, peste corripiebantur & moriebantur: etiam infantes, nisi tempestive aliis nutricibus committerentur, plerumque cum matre interibant, ueut ex prædicta historia illud non tantum in infante, verum etiam in caniculis liquit, quibus hoc tempore communiter in puerperis peste correptis utebamus, (cum nemo alius propter contagii metum illarum mammas exlugere vellet) nam egregie sugebant; sed illas fere semper post secundum vel tertium diem, interdum primo die mortuas fuisse obseruauimus. Rarissimum est illud quod ex Ioachimo Camerario refert Ioannes Schenckius *Obseruat. Medic. l. 6.* de infante quodam qui duabus nutricibus fuit lactatus, quæ ambæ hac lue sunt extinctæ, infante in vitis & optimæ valetudinis permanente.

HISTORIA XXVII.

VXor generosissimi equitum Capitanei D. Douglas, Scoti, 16 Maii pestilenti febre correpta fuit. Valde debilis erat in ipso morbi principio, summa anxietate premebatur, & capite aliquantum dolebat: urina turbida erat, pulsus creber & inæqualis: calor tamen non multum excellebat, neque ulla extrinsecus in corpore peltis signa appa-

apparebant. Primo statim hoc alexipharmacum exh[illegible] à quo optime sudauit;

Rec. *Theriacæ androm. diascordij Fracast. ana drach. ſ.*
salis absinthij, scrup. j. oculorum cancri præparat. scrup. j. ſ.
aquæ theriacalis, unc. j. succi limonum, aceti calendulæ, ana unc. ſ.
Misce, fiat hauſtus.

Post sudorem, interdum huius mixturæ cochleare assumpsit:

Rec. *Conſeruæ roſarum rubr. unc. ſ. diascordij Fracaſt. drach. ij.*
aquæ cardui bened. & theriacalis, ana unc. ij.
succi limonum recent. unc. j. aquæ cinnamomi, unc. i. ſ.
Misceantur simul & stent per sesquihoram, postea colentur: adde colaturæ
confect. de hyacintho sine moſcho, drach. j.
Misce.

27. Maij, morbo in eodem statu permanente, hesternum sudoriferum mane reiteratum fuit. Circa meridiem præscripsi apozema, de quo ter quaterve de die haustum biberet:

Rec. *Radicum carlinæ, petaſitidis, dictamni, helenij,*
angelicæ, ana unc. i. & oſtrutij, drach. ij.
cortic. aurantiorum ſicc. unc. ſ.
herb. scordij, cardui bened. ana M. j. ſ. cichorei, acetoſæ, ana M. j.
melissæ, pimpinellæ, & ruthæ, ana M. ſ.
sem. 4. frigid. maior ana drach. j. cicerum rubr. unc. j.
Coquantur in aquæ communis q. ſ. ad lib. ij. adde colaturæ
syrupi de succo citri, & de scordio, ana unc. j.
Fiat apozema.

28 Maij reiterata fuit mixtura ante præscripta, ut & sudoriferum, cui addidimus extracti cardui bened. scrup. j. ſ. Interdum etiam comedit particulam huius conditi:

Rec. *Pul. Liberantis, drach. j. diascordii Fracaſt. drach. ij.*
cortic. aurantiorum condit. conſeruæ roſarum rubr. ana drach. iij.
theriacæ, drach. j. confect. de hyacintho sine moſco, scrup. iiij.
syrupi acetoſitatis citri, q. ſ.
Fiat conditum.

Eadem die etiam duos hausitus apozematis bibit, ut & sequenti nocte. 29 Maij ad extremã fere debilitatem deuenerat, ita ut vix quicquam assumere posset: tamen hunc bolum exhibui, à quo licet valde parum sudaret, aliquod tamen leuamen sensit:

Rec. *Theriacæ, confect. de hyacintho, lapidis bezoar orient. ana scrup. j.*
Fiat bolus, involuendus folio auri.

Hactenus nulla externa petitis indicia apparuerunt, & febris (quæ tamen non admodum violenta videbatur) absque ulla intermissione continuauit. 30 Maij cum rursus medicamenta assumere posset, prædictum apozema reiteratum est, quod ita & sequenti die totum ebibit; idemque 22 Maij rursus paratum fuit, addendo foliorum Ruthæ, M. i. 24 Maij, qui erat nonus à principio morbi dies, critis facta est per vehementem sudorem ipontaneum, post quem totum corpus a malignitate foras prodeunte, paruis pustulis rubicundis, magnitudinis, milij semmis, undique obortum fuit, cum magno pruritu: in inguine etiam bubo ouj columbini magnitudine protuberauit, atque sic ægra a graui anxietate aliisque symptomatis simul liberata, & morbus critice solutus fuit. Ne tamen recidiua sequeretur, ultimum apozema adhuc semel reiteraumus, ut & conditum 18 Maij præscriptum. Buboni quoque cataplasma attrahens aliquot diebus, & postea emplastrum impositum est, sed

tamen

tamen absque maturatione paulatim euanuit, atque ægra summi Numinis fauore à periculosissimo morbo feliciter euasit. Primis morbi diebus nihil edere poterat, & postea tantum tenui victu utebatur, ex iusculis carnium, cum acetosa, boragine, pomis citreis, aurantiis, & similibus paratis ac coctis. Potus erat cerusia tenuis, quam amabat, à iulebis abhorrebat. Primis septem diebus alvum tantum semel deposuerat, nec ego ante crisin per has vias moueri volui: biduo post crisin exhibui pilularum Rufi, scrup. i. à quibus bis terve deiecit.

ERat hæc ægra valde obediens ac verè patiens, quæ nihil sine meo consilio agebat, cuiusmodi obedientes ægri rarius inveniuntur. Cum post primum sudorem non leuaretur, ipsam in continuo calore & paruo sudore continui usque ad diem quartum, sperans naturam interea forinsecus per tumores vel anthraces aliquam maligni veneni partem expulsuram. Verum die quarto valde debilis fuit, nec ulla mutatio secuta est: cumque hic dies sine crisi præterisset, eoque se multo peius habuisset, crisin sine dubio die septima futuram existimaui: propterea admonui ægram ut bono ac forti animo esset, & in paruo illo sudore patienter continuaret usque ad diem septimum, tunc enim morbum mutatum iri. Ipsa factis obediens, quamvis in mediis angustiis constituta, exacte tamen ad meum præscriptum vixit, & sudores continuos à primo usque ad septimum morbi diem patienter (de quo ipsemet irritabar) tulit, idque in medio fœtore; nulla enim toto tempore linteamina recentia dabantur: nam sæpius animadverteram huiusmodi mutationem plurimis valde nocuisse, fœtorem verò sudoris nulli damnum intulisse. Cum autem septima die se rursus multo peius haberet, nec una sequeretur critica morbi mutatio, in eodem sudore patienter continuandum fuit usque ad diem nonum, (ad quem usque diem febris eodem fere tenore sine ulla intermissione durauit, sine ullis etiam externis, pestis indicijs) quo morbus critice solutus est, ut dictum.

Si hoc pestilenti tempore febris aliqua quempiam inuaderet, eam publicæ malignitatis participem esse iudicare oportebat, etiamsi nulla peius indicia præ se ferre videretur: nam licet interdum (quod tamen rarissimum erat,) in principio nullius perniciei particeps esset, celerrime tamen intra paucas horas communi aëris vitio pestifera lues ei adiungebatur. Sicut etiam cum Montano testatur Forestus, tempore pestilenti infinitas videri febres continuas, tertianas, vel similes, quæ statim conuertuntur in pestilentes. Nobis igitur præstabilius videbatur, in ipso morbi principio omnes huiusmodi febres, tanquam verè pestilentes, conuenientibus antidotis oppugnare, quam expectare dum viribus delectis & salute deploratâ, certus & indubitatis notis pestilens malignitas se proderet; nam si protraheretur huiusmodi curatio, tandem venenum altioribus radicibus cordi infixum, omnia præsidia a pernebat. Nec etiam ab oppugnatione huius hostis desistendum erat, antequam penitus è cuniculis & latebris suis expulsus, totulq; expugnatus & profligatus foret. Quemadmodum nos illud in prædicta ægra fecimus; in qua illud ratum & notatu dignum occurrit, quod externa pestis signa tam sero, nec ante crisin apparuerint. Ea propter quamvis raro detur pestis, in qua non bubones, exanthemata vel anthraces in principio vel paulo post appareant, attamen iis non apparentibus statim cum vulgo concludendū non est, ægrum peste non laborare: sæpe enim pestilens venenum diutius in corpore latere potest, antequam se prodat, docuimus *lib.* 1. *cap.* 10. *annot.* 8. sæpe etiam à veneni virulentia ægros extingui antequam talia signa prodeant, omnibus notissimum est; in quibus talia indicia sæpe post mortem primo apparent: non raro quoque virtus adeo debilitata & oppressa est, ut nullam veneni expulsionem ad exteriores partes moliri queat.

HISTORIA XXVIII.

GOsuinus Dickvvoldt, vir fortis, 3. Maii de grauatiuo capitis dolore & cordis anxietate conquestus est, atque adeo somniculosus fuit, ut se vix sustentare posset. Circa vesperam ad ipsum vocatus, hoc alexipharmacum exhibui:

Rec. *Extracti magistralis, salis absinthii, ana scrup. i. s. theriacæ, scrup. ii. aquæ theriacalis, unc. i. s. aceti bezoartici, unc. i.*
Misceantur, pro haustu.

Iussi ut astantes ipsum continuo alloquerentur, ac omnibus modis somnum impedirent, usque dum per quatuor vel quinque horas egregie sudasset. Æger ab assumpto medicamento vehementer sudauit; post sudorem etiam plane cessauit anxietas cum somnolentia, ita ut sequenti mane multo melius se haberet: atque tunc duo satis magni carbunculi, alter in brachio, alter in femore apparuerunt. Cum autem propter ægrorum multitudinem illo mane non satis tempestiue hunc ægrum inuiserem, statim nasutus quidam chirurgus aduocatus fuit, qui meum aduentum non expectans, suo consilio venam brachii incidit, & sanguinis circiter uncias decem extraxit; & mihi in via obuiam factus, tanquam re bene gesta, factum narrauit. Post tres à sanguinis missione horas ægrum simul inuisimus, quem ille à sanguinis detractione multum alleuatum fore existimabat: sed longe aliter se res habuit, nam varia desperata signa in ipso animaduertimus: carbunculi non tumidi, nec in circumferentia multum inflammati, sed exiles, depressi & quasi aridi visi sunt; febris vehementissima accesserat cum maxima anxietate, quam tanta comitabatur virium debilitas, qua, intra paucas horas æger deficiens, fatalem diem clausit.

QVamvis cum Galeno multi Medici in pestis, & præcipue in carbunculorum cura tione, venæsectiones instituendas esse doceant, nos tamen in hac peste illas nunquam feliciter administratas fuisse nouimus, nec quemquam euasisse scimus, cui sanguis venæsectione detractus fuit. Sic ipse quoque Hippocrates 6. *epidem. sect.* 7. testatur se in pestilentibus morbis infeliciter usum fuisse venæsectione & purgatione: *His* (inquit) *neque per medicamenta, quæ humores suis sedibus submouent, vllum effatu dignum auxilium allatum est, neque alui perturbatio, neque venæsectio iuuit, quæ ipse tentaui.*

HISTORIA XXIX.

VXor Domini VViliems, nobilis Angli, mulier delicatula, iuvenis, & mediocriter fortis, peste cum magna anxietate correpta fuit, cumque alexipharmaco à nobis assumpto fortiter sudasset, protuberauit in inguine bubo, & anthrax in altero brachio erupit, ac magnum leuamen sensit. Postridie mane ab eodem reiteratio alexipharmaco rursus egregie sudauit, & bubo multum adauctus est, febris quoque plane recessit, ita ut periculum iam euasisse videretur. Cum autem fœtorem sudoris ægrius perferret, rogauit ut lecti lintea mina ipsi mutare liceret; quod omnino prohibui, (sicut in omnibus id curiose prohibere solebam) & adhuc per duos treue dies expectandum esse dixi. Illa tamen post meum discessum fœtoris pertæsa, induſium nitidum prope ignem bene calefactum, abiecto priore madido, calidissime induit. Deinde post horas duas horrore cum magna anxietate correpta est; vehementissima febris, cum maxima siti, nausea & debilitate accessit,

sit, ac caput doluit. Præscripsi duo alexipharmaca, quæ statim reuomuit, nec iulebos etiã, nec alia conuenientia medicamenta retinere potuit: bubo quoque disparuit. Circa mediam noctem alvus sponte turbata est, & exanthemata pauca hic illic in cute apparuerunt. Sequenti mane obiit.

RE nouationem linteaminum ante diem septimum, periculosissimam fuisse, semper obseruauimus; & quantumuis calidissime illa mutatio fieret, nulli tamen feliciter cessit: omnibus enim paulo post febres, anxietates, inquietudines, aliaque symptomata grauiter recruduerunt. Causam fuisse animaduertimus fœtorem saponis, quem recens lota & nitida linteamina plus minusve retinent: qua de re fusius egimus *lib.* 2. *cap.* 3. *annot.* 6.

HISTORIA XXX.

FIlius bipenniferi Capitanei Veer, puellus circiter sex annorum, peste correptus, magnum carbunculum in media mala, supra maxillam superiorem, habuit, qui ab exili pustula initio ducto, intra biduum horribiliter accreuit, & totam genæ substantiam penetrans, mortificationem gingiuarum, & tandem etiam palati induxit, atque octaua die ægrum occidit.

SImilem casum adhuc semel vidi in alio quodam pauperculo puello, cui non tantum gingivæ, sed magna quoque nasi pars à pestilẽtis veneni malignitate ante mortem sphacelata fuit, cum teterrimo fœtore: sed huiusmodi exempla in hac peste rariora fuerunt. Foxeltus *lib.* 6. *obseru.* 12. refert se vidisse puellam anthracem sub labro intus habentem, è quo pestiferus, & ob membri mollitiem putridissimus vapor exhalans totam domum infecit. Ec *obseruat.* 25, narrat historiam pueli, cui carbunculus labia, mentum, genas, maxillas & nasum inuasit.

HISTORIA XXXI.

FIlia Engelberti de Man Procuratoris, iuvenculã circiter viginti annorum, viso aliquo ægroto pestilenti febre cum phrenitide correpto, & horribili aspectu vociferante, adeo exterrita fuit, ut inde pestem statim conceperit. Febris aderat mitior, anxietas vero maxima, cum summa virium debilitate: bubo protuberauit sub axilla, & carbunculus in brachio erupit. Varia sumpsit alexipharmaca: satis fortiter aliquoties sudauit, sed nihil imminuta est anxietas, cum qua die sexta è viuis excessit.

MVltis à terrore pestem inductam fuisse obseruauimus; idemque etiam ab Historicis & Medicis, qui in tractandis ægris pestiferis curiosiores fuerunt, annotatum fuisse legimus) quorum aliquot testimonia citauimus *lib.* 2. *cap.* 7. *annot.* 9.

HISTORIA XXXII.

DIdricus Petterd, miles Anglus, robustus, mense Maio peste correptus, carbunculum in manu habuit. Ad hunc tertia morbi die vocatus est magister Cornelius chirurgus, ut ex charitate ægrum pauperem inuiseret. Ipse in platea Regularia ante ædes in quibus decumbebat æger, mihi casu obuiam factus, rogabat ut una cum ipso intrarem. Inue-

nimus ægrum iam morti propinquum, corpore plurimis exanthematibus purpureis obsito, quapropter ipsum Deo commisimus. Post discessum disputatio inter nos orta est de causis, origine & forma exanthematum. Ego inter alia cum Fernelio statuebam, illa non esse solius cutis maculas, sed etiam partium subiectarum. Alter id negabat, & dissectione unius aut alterius exanthematis se id facile demonstrare posse dicebat. Conuenit inter nos ut in cadauere prædicti militis (qui intra semi horam à nostro discessu moriebatur) refrigerato, postera die leuem incisionem experiundi gratia faceremus. Ipse in femore leuem tantum in cute fecit dissectionem, credens subiectas carnes maculatas non esse; verum se plane deceptum videns, altiore facta incisione istarum macularum progressum inquisiuit, ac Fernelium vera dixisse confessus est: nam inuenimus maculas illas ab ipso periostio initium ducere, & latiore basi pyramidis instar per medios musculos recta sursum usque ad cutem ascendere, atque ibi in conum terminari. Chirurgus hac experientia nondum contentus, in brachio supra cubitum alia facta incisione, idem illud adhuc semel inquisiuit: ubi inuenimus basin duorum exanthematum (quorum progressum quærebamus) adeo profunde sitam non esse, neque ad periostium usque pertingere, sed à duro tendone cuiusdam musculi originem sumere.

TRadunt Iacobum Bontium, Medicum Lugduno Batauum, quondam eiusdem rei periculum fecisse, & inuenisse quod exanthemata ab ipsis ossibus initium ducerent. Procul dubio etiam Fernelius eiusdem rei oculatum experimentum sumpsit, nam, *lib. de febr. cap. 18.* inquit: *Exanthemata ut corporis summa, ita & interiora viscera, musculos nernos cæteraque partes solidas obsident, ex hisque primam ducunt originem.* Sic etiam Ioannes Morellus scribit non tantum exteriorem corporis habitum, sed & interiora viscera atque musculos eiusmodi papulis obsideri, non secus ac per variolas & morbillos. Anne hepar, lien, pulmo, aliaque interna viscera huiusmodi pestilentialibus exanthematibus etiam infestentur, de eo ocularem experientiam non habeo, propterea quod licet contagium à dissectione musculorum praui faciam, illud tamen, ex apertione cauitatum abdominis & pectoris, furiosius in astantes irruere posse credam.

HISTORIA XXXIII.

LAmbertus Stoffels pestilenti febre absque ullo externo pestis signo correptus est, cũ summa anxietate, siti, & capitis dolore. Mox in ipso principio aduocatus fuit Adrianus chirurgus in Magna platea habitans, qui statim venæsectionem suasit, ac brachij vena pertusa, sanguinis aliquot uncias extraxit. Æger inter chirurgi manus animi deliquio correptus est, quod cum diutius perduraret, meum consilium petitum fuit. Inueni ægrum, sudore frigido perfusum, cum pulsu adeo paruo ut vix sentiri posset. Prædixi mortem. Attamen ne quicquam intentatum relinqueretur, aliquantillum aquæ vitæ Matthioli cum aqua cinnamomi ori infudimus, eademque nares & tempora fricauimus, acetum quoque rosaceum naribus obiecimus; verum his non obstantibus intra horæ quadrantem exspirauit.

FCrestus scribit in Peste Delphensi venæsectiones semper noxias fuisse, excepto si administrarentur in ipso morbi principio, antequam duodecim vel viginti horæ expirassent, tunc enim profuisse. Nos verò in hac peste omnes venæsectiones, etiam in ipso morbi prin-

principio factas, valde noxias, fuisse, non tantum in prædicto ægro, sed in pluribus etiam aliis obseruauimus.

HISTORIA XXXIV.

MEnse Maio circa vesperam casu transibam prope portum Nouiomagensem, atque ibi ciuem quendam (non nominandum) fide dignissimum vidi quasi attonitum stare, & intensissimos oculos in certum quendam portus locum fixos habere. Rogaui quidnam ageret? ipse quasi è somno euigilans, respondit se nihil agere, sed maxima alteratione perculsum esse propter visionem quandam quam ibi viderat. Cumque curiosius quidnam vidisset inquirerem, primo quidem nihil dicere voluit, sed tandem sub fide silentij narrauit se in portu nauem vidisse, è qua funus efferebatur ad sepulturam, quod funus plurimi milites inuersis ac terram vertentibus armis præcedebant: iuxta ante funus vexillum (inquit) portabatur, & vir quidam thorace ferreo ac galea indutus nudum gladium manu tenebat, alius arma clypearia portabat: proxime post funus pauci pullati, & post hos varij viri absque palliis & famulis comitati, hosque rursus multi pullati sequebantur. Alias etiam (dicebat) sed rarius talia spectra vidi, eaque semper alicuius mortem præsagierunt. Cum hæc aliaque pauca cum ipso locutus fuissem, discessi. Mense autem Iulio istius spectri effectus visus est, nam cadauer nobilis Capitanei Iodoci ab Haesten (qui tunc temporis supra Longevveerdam mortuus fuerat) naui in portum Nouiomagensem delatum, atque è naui plane eodem modo, quemadmodum ciuis ille diu ante in spectro se vidisse narrauerat, ad sepulturam delatum fuit, ita ut nihil eorum, quæ in visione visa fuerant, deesset.

HOc tempore mulier quædam epileptica, quam vulgò Ioannam cum mammis vocant, dicebat se eorum qui morituri erant spiritus, atque feretra funeralia ante ædes illas è quibus mortui efferendi forent, aliaque multa spectra videre; cuius dicta multoties ab euentu confirmata fuerunt: verum postea cum ipse etiam multa mendacia visionibus suis affingeret, eius verbis parua aut nulla fides adhibita fuit. Attamen nonnunquam huiusmodi spectra cum infelici præsagio videri, ex narratione prædicti fide dignissimi ciuis, vel inde certò constare poterat, quod mihi rem illi ipsi incognitam, & quæ non nisi diu post effectu cognita facta fuit, eo ordine se vidisse narraret, sicut postea peracta est. Sic etiam hospes meus Bartholomæus de Claer nobis narrauit, se quodam tempore serius domum venientem, vidisse in foro è magno illo diuersorio cui Cygnus pro insigni est, elatum funus, cui arma clypearia præferebantur, & quod multi tubicines præcedebant; cuius spectri effectus post aliquot à visione menses manifestatus est in equitum quodam Capitaneo ægro ad illud diuersorium delato, atque ibidem mortuo, & prædicto modo ad sepulturam delato. Memini etiam mulierem quandam mihi sanguine proxime iunctam, quondam nobis præsentibus circa horam sextam post meridianam narrasse, se videre tria funera è vicini nostri ædibus efferri, multosque pullatos funera sequi: effectus post duos ab inde menses secuit, nam in iisdem ædibus octiduo spatio tres liberi variolis laborantes mortui sunt. Multa & mirabilia exempla spirituum, qui nonnullis apparuerunt, recenset Cardanus *lib. 16. de Rerum varietate, cap. 93.* Quamvis autem huiusmodi historiæ innumeris fabulis etiam inuestiri plerumque soleant, omnino tamen pro fabulis habendas non esse, sed Deo sic permittente diabolum multis ludibrijs hominum quorundam mentes exagitare, pro certo credendum esse arbitramur.

HISTO-

HISTORIA XXXV.

VXor Otthonis à VVyler, mulier fortis & florentis ætatis, se magna cordis anxietate premi, atque exilem quendam tumorem cum dolore sub axilla sentiens, celauit malum: cumque per aliquot dies alvum non deposuisset, suo ipsius consilio foliorum sennæ unc. ſ. cum seminis anisi drach. j. & aliquot prunis Damascenis in cerusia decoxit, atque illam colaturam bibit, & pruna comedit. Post duas horas maxima debilitate correpta fuit, ita ut ab animi deliquio parum abesset: huic debilitati adiuncta erant maxima intestinorum tormina, ac tandem secutæ sunt alui deiectiones, quæ primo aliquod leuamen inducere visæ sunt, sed paulo post exitiales euaserunt, nam in alui continuum fluxum mutatæ sunt. Euanuit tumor qui sub axilla latuerat, & inuasit febris vehemens, cum maxima siti & virium deiectione. Tunc meum consilium petitum est. Inueni vires summe languidas, cum pulsu crebro ac titubante. Excreta quæ per alvum deiiciebantur fœtidissimum fœtorem redolebant, neque erant stercora aliue humores excrementitii, quales in aliis fluxibus deiiciuntur, sed erant quasi oleosa, turbida, cineracea, instar colliquationum. Præsensi igitur mortis præsagio, ne nostra negligentia perire videretur ægra, tale alexipharmacum exhibui:

Rec. *Terræ sigillatæ, scrup. j. ſ. coralli rubri præparati, scrup. ſ. cornu cerui usti, scrup. j. theriacæ, diascordii, ana drach. ſ. aquæ theriacalis, unc. ij.*
Misce, fiat haustus.

Non potuit sudare, nec quicquam imminutus est alui fluxus. Post quatuor horas rursus aliud antidotum astringens assumpsit, à quo quidem aliquantum sudauit, sed absque leuamine. Postridie viribus deficientibus simul morbo vitæque finem imposuit.

EXitialia in hac peste fuerunt omnia medicamenta quæ alvum ducunt, etiam maxime leuia, præcipue ante morbi perfectam declinationem assumpta, nam sen per alui fluxum fere omnibus lethalem induxerunt, nō eo quod violentam operationem exercerent, sed quod naturam in suo opere interturbarent, & materiam morbificam, quam natura per commodas vias & cum salute ægrorum à centro ad peripheriam mouebat, in ægrorum perniciem ab externis partibus ad interiora viscera retraherent, atque eandem per incommodas vias versus intestina diuerterent, per quæ tamen perfecte expelli non poterat: interea enim dum natura, ad hanc peruersam viam tam seducta, venenum pestilens frustraneo conatu expellere annitebatur, cum viribus citius vita deficiebat quam morbus.

HISTORIA XXXVI.

EMetus Barbergen, cum peste propemodum absque febre correptus sudoriferum à me sumpsisset, conquestus est, se in media lingua dolorem cum alicuius particulæ insensibilitate percipere. Cum locum inspicerem, vidi parvum nigricantem anthracem in media lingua enatum esse. Ad reliquam veneni expulsionem adhuc duobus sudoriferis usus est, cum optato leuamine. Ne autem anthrax in fungosa parte se nimis cito & late extenderet, iussi ut os sæpe collueret cum sequenti decocto:

Rec. *Corticum granatorum, drach. vi. glycyrrhizæ rasæ, drach. iij.*

herb.

herb. betonicæ, melissæ, violariæ, pimpinellæ, foliorum bellidis, & herb. rubi, ana M. ſ. flor. balauſtiorum, & roſarum rubr. ana drach. i. ſ.
aquæ communis q. ſ.
Coquantur ad lib. i. ſ. Colaturæ admisce.
ſyrupi diamori, mellis roſ. ana unc. i.

Cum hac collutione per biduum uſus fuiſſet, ad citiorem eſcaræ ſeparationem, aliam præſcripſi:

Rec. *Hordei mundat. drach. v. radic. althææ ſicc. glycyrrhizæ raſæ, ana drach. iii.*
herb. malvæ, pimpinellæ, althææ, & violariæ. ana M. i.
ficuum ping. n. v. paſſularum, unc. ii. aquæ communis q. ſ.
Coquantur ſ. art. ad lib. i. ſ. addendo colaturæ.
mellis roſ. ſyrupi diamori, ana unc. i.
Fiat decoctum pro collutione.

Idem poſtea adhuc bis reiteratum eſt. Octava morbi die parva eſcara ſeparata excidit, magnum linguæ dolorem relinquens, qui collutionibus & vulneris ſanatione paulatim evanuit. Ita æger hic reſtitutus fuit, retinens poſt ſanationem in lingua paruam cauitatem, eo in loco ubi anthrax fuerat.

CArbunculos in lingua rariſſime oboriri, hinc credibile eſt, quod in tota hac fuſionißima peſte hunc caſum tantum bis videre nobis contigerit. Chirurgi qui peſtiferos tractabant, ſe eundem caſum tantum bis terve quoque vidiſſe, referebant.

HISTORIA XXXVII.

EQues notiſſimus Schabhals, homo fortis, audax, & maxime temerarius, peſte cum magna febre ac debilitate correptus, bubonem in inguine, & tres anthraces in corpore habuit. A quibus omnibus malis cum optimè ſummi Dei auxilio ſanatus eſſet, & iam rurſus foras prodiret, nullas Deo gratias egit, ſed ſatis impie gloriatus fuit, ſe ipſa peſte nequiorem & fortiorem eſſe, atque nec peſtis, nec diaboli ſpicula ipſum quicquam afficere poſſe, imo ſe neque peſtem neque diabolum curare. Audiuit Altiſſimus impia impiſſimi hominis verba. Quid fit? Poſtquam cum reliquis equitibus hoſtilia caſtra aliquoties exploraſſet, (nam famoſiſſimus erat conductor, quem vulgo *Guide*, alii *Giſde* appellant) tandem circiter quinta poſt perfectam ſanationem hebdomada, rurſus de nouo peſte correptus eſt, & ante diem ſextum victrici peſti duram ſubiecit ceruicem.

DIſputatur inter Medicos, an illi qui à peſte ſemel euaſerunt, rurſus peſte corripi poſſint, Negatiuam partem ſectatur Guilhelmus Magiſtrius, qui *de Peſt. ſect. 1.* ſcribit, eos qui ſemel peſte laborarunt, eodem toto anno ab illa lue immunes euadere, atque etiam totâ vita minus periclitari. Sic quoque Maſſaria inquit, neminem bis peſtilentiam incurrere, id eos qui ſemel peſte laborarunt, impoſterũ a peſte tutos eſſe; eamque cauſam eſſe arbitratur, quod veſpillones illi, qui ægris peſtiferis interuiunt, à contagio non lædantur, quia plerique ſemel peſte laborarunt. Matthias Vitzerus dicit eos qui ſemel peſte tentati fuerunt, eodem peſtilenti tempore vix, ac ne vix quidem in eandem relabi. Subiungit has rationes: Quia humor ille peſtifero veneno fomitem ſubſternens habilem, totus in illo morbo euacuatus & diſſipatus fuit, ut non facile contagionis labem ſuſcipere queat; vel quia cor antidotis in

prima

prima peste munitum, porrò qualitate alexiteria perfruitur, qua venenum pestis longè à se propulsare valeat: vel quod corpugnæ priori cum pestilenti veneno assuetum, nunc iteratos crudelis tyranni insultus eludat, minasque despiciat. Verum omnes has auctoritates & rationes ipsa experientia facillime euertit: nam vario nouimus qui ante aliquot annos peste laborauerant, & propterea tamen in hac constitutione non magis à lue immunes fuerunt, quã alii. Eodem autem anno eundem hominem bis peste corripi posse, liquet ex prædicta historia, ut & ex historia 45. Sic etiam Marsilius *lib. epidem. cap.* 34. scribit, ter unum ex Florentinis luem hanc inuasisse, qui etiam secundò perfectè liberatus, tertiò mortem euadere non potuit. Angelus Bellicochus, *tract de Peste*, refert, in illa peste Veneta nonnullos ab hoc grauissimo malo liberatos, per aliquot mẽses se rursum satis bene habuisse, & postea iterum in morbum hunc incidisse, à quo tamen nonnulli fuere restituti.

Sic etiam Follinus, *Amulet. cap.* 20. *problem.* 2. dicit, se in peste Sylvaducensi vidisse, qui ter hoc morbo laborauerunt, & nonnullos fuisse defunctos, qui nouena morbi pugna succubuere. Verum etsi hæc ita se habeant, tamen docet experientia, illos, qui semel hoc malo afflicti fuerunt, tutius degere, & minus periclitari aliis, qui nunquam eo detenti fuere. Quod etiã in grauissima sui temporis peste notat Historicus Thucydides, *lib.* 2: *Verum is*, inquit, *præcipuè morientium laborantiumque miserabantur, qui ipsi euaserant, quippe id iam antea experti, ac de se securi: neque enim bis eundem morbus corripiebat, ut extingueret.* Verum in nostra peste Noviomagensi, etsi qui semel pestem experti essent, rarò secunda vice in illam incidерent, quibusdam tamen hoc contigisse nouimus, eorumque nonnullos euasisse, nonnullos mortuos fuisse.

HISTORIA XXXVIII.

RObertus VVendel cum peste una cum vehementi febre correptus esset, nec à primo alexipharmaco ullum leuamen perciperet, secunda die acutissimum dolorem pleuriticum sensit in latere dextro, qui statim anhelitus libertatem impedivit, atque ægrum intra duas horas iugulauit. Cadauere vix refrigerato, totum dextrum pectoris latus nigerrimo colore, instar carbonis, infectum est.

DOlores pleuritici qui pesti superueniebant, semper erant lethales, & ægros cito occidebant, propterea quod non solum ab inflammatione membranæ pleuræ, sed à pestilenti veneno isti membranæ vicinitque partibus infixo producerentur; quod venenum non solam inflammationem, sed partis mortificationem inducebat, quæ nec venæsectione, nec ullis aliis mediis curari poterat. Hæc pleuritis pestilens admodum familiaris non erat. VVierus autem *lib. rarar. obseruat.* describit pleuritides, peripneumonias & anginas pestilentes epidemias, quæ per totam Inferiorem Germaniam grauissime dominabantur, nec venæsectione aliisque remediis cedentes, maximam hominum stragem ediderunt.

HISTORIA XXXIX.

VIdua Ioannis Rodenburch, mulier fortis, peste correpta statim carbunculum infamore habuit: febris aderat vehementior, cum magna siti, anxietate, & inquietudine. Hoc alexipharmaco assumpto egregiè sudauit:

℞. *Extracti ruthæ, & cardui, ana scrup. j. salis scordii, scrup. j. ſ.*
diascordii Fracast. drach. j. aquæ theriacalis, unc. j.
aceti bezoartici, unc. ſ.
Misce, fiat hausſus.

Secun-

Secunda die tumorem sub axilla percepit: tunc alterum sudoriferum exhibitum est, quod statim euomuit. Hoc iulebo ad sitim utebatur:

Rec. *Aquæ cardui bened. lib. j. scabiosæ, & acetosæ, ana lib. ſ.*
syrupi de succo citri, & granatorum acid. ana unc. i.
olei sulphuris q. ſ. ad gratum acorem.
Misce, fiat iuleb.

Nihil aliud illa die assumere potuit. Postridie morbo in eodem statu permanente, nec tumore sub axilla magis increscente, meo persuasu hunc bolum deglutiuit:

Rec. *Extracti magistralis, scrup. j. & angelicæ, scrup. j. ſ.*
lapidis bezoar Orient. gr. vij. mithridatii democ. scrup. j.
M. Fiat bolus.

Circa vesperam de ventris dolore conqueri cœpit, intestinorum quoque murmura accesserunt. Sequenti nocte vehementius febricitauit. Die quarta mane alvus liquida dimissa: paulo post colliquativus fluxus secutus est, cum quo fœtidissima, turbata, confusa, cinerei coloris dejiciebantur; quem fluxum nullis attringentibus nec antidotis sudoriferis (quamvis ægra mortem metuens, tunc quidlibet assumeret) sistere potuimus. Post sexdecim à principio fluxus horas etiam sanguis defluxit, & ægra sequenti nocte obiit.

ALui fluxus pesti superueniens plerumque lethalis fuit, & cum illo vix centesimus quisque euasit. Sic etiam Galenus scribit in peste sui temporis omnes prope periisse quibus alvi fluxus superueniebat. Ita quoque Nicolaus Florentinus, Gallus Tridentinus, Forestus, & alii obseruarunt in peste, maxima ex parte mortuos fuisse illos, quibus alvi fluxus accessit, imprimis si anhelitus fœtens adiungeretur. Errant omnes qui hunc fluxum critico die incidentem, morbi salutarem euentum prænunciare arbitrantur: errant nempe in eo, quod fluxum hunc criticum esse, & à victrice natura produci iudicent, cum re vera sit symptomaticus & morbi vi inductus.

HISTORIA XL.

NIcolaus ab Elten, eques generosissimi Capitanei Coenjers, vir robustus ac temerarius, peste iam correptus & bubonem in inguine sentiens, statim pro duobus assibus tabacum minutim consectum emit, idque in cerusia aliquantum decoxit, postea colauit, expressit, ac colaturam ebibit. Hinc non diu post tanta anxietate & debilitate correptus est, ut animo totus linqueretur, ac iam mori videretur: paulo post rursus ad se reuersus, adeo enormiter sursum deorsum purgatus est, ut in medijs excrementis instar porci prouolutus iacens, vix quispiam ipsum contingere auderet propter contagij metum. Tandem à domesticis ex illuvie illa extractus, mundatus & in lectum depositus est, adeo debilis existens ut se commouere non posset, inguinis quoque bubone plane disparente. Tunc petiit Vice-Capitaneus Comper ut ipsum inuiserem. Cum autem illum adeo debilem & toto corpore turbatum inuenirem, ad eluendam tabaci qualitatem bis terve cerusiam offerri iussi, quam statim cum violentia reuomuit. Denique vini Gallici generosi lib. j. ad ignem calefecimus, eique (ut solent equites) aliquantum nucis moscatæ, canellæ & zingiberis immiscuimus; quem potum calidissime assumptum retinuit, & stragulis bene coopertus in somnum incidit, atque inter dormiendum valde sudauit. Post aliquot horas è somno euigilans, tale vinum adhuc semel à domesticis paratum ebibit, & rursus ad dormiendum & sudandum

dandum se composuit. Sequenti die optime valuit, & cum satis magna voracitate rursus comedit. Tunc passim gloriabatur se quendam diabolum ipsa peste nequiorem (nempe tabacum) inuenisse, qui corpus subintrans statim ipsam pestem eijceret.

SÆpe (inquit Celsus) *quos ratio non restituit, temeritas adiuvat*. Liquit illud in prædicto equite, cuius temeritatem cum alii duo eiusdem cohortis equites peste correpti (alter cum inguinis bubone, alter cum tumore sub axilla) sesqui vellent, infeliciter perierũt: prior intra duas horas ipsam animã euomuit; alter vero deficientibus viribus sequenti nocte è viuis excessit. Nobis etiam narratum est, nõnullos alios milites, consilio & experientia prædicti equitis dementatos, illud ipsum quoque infelicissime tentasse, eorumque animas tabaci aduentu citissime è corporibus fuisse fugatas. Quamvis ad pestis præseruationem tabaci fumus ore attractus valde insignis sit, attamen ipsum tabacum, vel eius extractum, aut decoctum in corpore assumptum, ad pestis curationem noxium est, propterea quod violentissima sua operatione corpus, iam à pestilenti veneno infectatum & debilitatum, grauissime exagitet & conturbet, imo residuas vires ad veneni resistentiam maxime necessarias in totum deiciat. Ita ut quamuis tabacum qualitatem aliquam veneno pestilenti contrariã obtineat, quia tamen isti antidotali qualitati alia vehementer conturbatoria coniuncta est, qua vires plane deficiuntur, harum conseruandarum gratia, ab eius interno usu abstinendum est. Nam curationis pestis duæ primariæ sunt intentiones, Veneno resistere, & Vires conseruare. Harum autem intentionum prior nequit bene perfici sine posteriore; natura enim succumbens neque veneno resistere, neque antidota in actum promouere potest. Nec etiam posterior sine priore perficitur, cum venenum, cui non resistitur, inualescens, vires quantumvis conseruatas obruat. Quapropter ad curationem pestis talibus medicamentis utendum, quæ his duabus intentionibus simul satisfaciant, veneno resistant, & vires, quantum fieri potest, conseruent. Quæ verò medicamenta in alterutro peccant, reijcienda sunt. Tale est tabacum, cuius usus si forte uni alicui fortissimo salutaris existat, rursus mille alios occidet. Huius tamen fumo per fistulam attracto, & rursus foras dimisso, innoxie, imo cum magna utilitate (imprimis ad præseruationem) uti possunt illi, qui eius usui assueti sunt; nam in talibus vires non dejicit, nec corpus conturbat, partim propter consuetudinem, partim quod manifesta quantitate non ingrediatur corporis interiora.

HISTORIA XLI.

MEnse Iunio casu transiui, Adolpho Fildar Chirurgo comite, plateam vulgo Bloemerstraet appellatam, atque ibi puerulos quosdam colludentes vidimus, & inter hos filiolum militis cuiusdam, circiter sex annorum, qui exanthematibus obscure purpureis & rotundis totus scatebat. Mirati sumus puellum hunc non ægrotare. Interim dum illum cum admiratione aspiceremus, accurrit mater, quæ nobis filii crura, ventrem, clunes reliquumque corpus detexit, quod totum exanthematibus non minus obsitum erat quam manus & facies. Mater dicebat puellum per quatuordecim dies has maculas habuisse, & vnquam ægrotasse, solummodo unica die aliquantum de capitis dolore conquestum fuisse, nec bene edere potuisse, ea tamen de causa ipsum domi manere noluisse, sed cum sodalibus suis in plateis adhuc colluisse: illa autem insequente nocte ipsum in somno multum sudasse, ac postridie exanthematibus adeo scatentem inuentum fuisse, neque ipsum postea male valuisse, licet illa & vicini omnes mortem puelli quotidie expectassent. Ego post tres deinde septimanas curiositatis ergo puellum rursus inuisi, eumque optime valere, & exanthemata & ea omnia paulatim insensibiliter euanuisse vidi.

Procul

PRocul dubio natura fortis & cor robustũ in hoc puello non tantum unico sudore venenum pestilens totum foras expulit, verum etiam spiritus vitales ab eius contagio iam corruptos extra arteriarum cauitates simul protrusit, atque ita ægrum à gemino malo, nempe tam à pestilenti veneno, quam à spirituosa arteriosi sanguinis parte, per veneni virulentiam iam corrupta, simul & in totum liberauit. Quod exemplum hac tempestate pro rarissimo habendum erat, nam in tota hac tam furiosa peste, præter hunc puellum, nullum unquam vidi euasisse, cui exanthemata purpurea aut nigricantia apparerent; sed quo plura & maiora prodirent, eo citius ægros semper interisse: reliqui etiam qui peste infectos tractabant, se id nusquam amplius vidisse affirmabant. Exanthemata rubra, parua & non multa, licet plurimis essent lethalia, cum his tamen pauci adhuc euadebant; cum purpureis aut nigricantibus, nullus. Ac propterea quod maculæ illę instantem mortem certissimè prænunciarent, vulgus illas appellabat *Maculas mortis*, ijsdemque apparentibus omnem de ægris spem abiiciebat. Ioannes Morellus *lib. de febr. purp. & Pest. cap.* 2. satis longo sermone contendit exanthemata pestilentialia dari vel existere nõ posse sine febre. Verum cum Hippocrates in *epidem.* testetur bubones & carbones pestilentes sine febre multoties visos esse; cum ipsa quoque pestis sine febre esse possit, ut docuimus *lib.* 1. *cap.* 12. *annotat.* 2. cum etiam Gemma se illud sæpius vidisse testetur; cum experientia quoque in prædicta historia satis demonstret, exanthemata purpurea copiosa sine febre enata fuisse, non est quod Morelli opinionem pluribus refutemus.

HISTORIA XLII.

ROutherus VVanhans, Germanus fortis, peste correptus vomuit, capite doluit, ingenti sopore & cordis anxietate pressus est, nullum tamen externum pestis signum percepit. Vrina sanorum urinæ similis, pullus creber erat atque inæqualis. Quia morbus, cum ipsum primo inuiserem, erat in ipso principio, magnam salutis spem dedi, atque hunc haustum statim exhibui:

Rec. *Theriacæ, drach.* j. *salis communis, scrup.* ij. *aceti vini fortis, unc.* iij.
Misce, fiat haustus.

Ab hoc assumpto per sex septemve horas vigilare iussi. Vehementer sudauit, simulque bubo in inguine dextro erupit. Postridie eodem haustu reiterato, iterum copiosissime sudauit, atque ab anxietate & capitis dolore in totum liberatus fuit: duo carbunculi satis magni sinistrum femur inuaserunt, quibus à chirurgo l. art. tractatis, æger breui conualuit, tumore inguinis sponte euanescente.

EOdem modo cũ felicissimo successu multis pauperioribus in ipso morbi principio exhibui solius aceti fortissimi unc. iij. vel iiij. cum salis marini pugillo, & optime sæpius profuit; interdum etiam Theriacæ drach. j. admiscui. Si illud reuomerent ægri, paulo post rursus offerebatur. Notandum autem non omnibus promiscue acetum esse exhibendum, sed ab eiusdem usu arcendos esse illos qui in pectore aliquod vitium habent, puta asthmaticos, tussiculosos, & similes. qui ab aceto pessime afficiuntur. Ita quendam noui etiam, qui cum me acetum nonnullis præscripsisse vidisset, etiã uxori suæ peste correptæ (quæ naturâ erat asthmatica & tussiculosa) idem exhibuit, à quo tanta tussi & suffocatione obruta fuit, ut non sine magna molestia aceti acrimonia & pectoris asperitas mitigari, ipsaque à præsentis suffocationis periculo liberari potuerit.

HISTORIA XLIII.

IOannes Guilhelmi, famulus fabri lignarii, nuncium recepit parentes eius prope Pielam habitantes, peste mortuos esse; à quo tristi nuncio tantopere conturbatus & perterritus est, ut etiam ipse inde statim pestem conceperit, à qua, non obstantibus variis adhibitis remediis, ante quartum diem obiit.

SI ex solo nuncio hic æger peste correptus fuerit, quis mirabitur de eo quod Nicephorus scribit, ex solo aspectu infectarum ędiũ nonnullos peste infectos fuisse: & de eo quod Sennertus refert, ab aspectu curius in quo mortui ad sepulturam vehuntur, nonnullos contagium concepisse; imo nonnullos ex intomitis de peste, dira labe contaminatos fuisse.

HISTORIA XLIV.

NObiles quidam Galli cum mense Iunio grauiore equitatione exercitii gratia se valde defatigassent, hincque multum sudarent, inter illos unus subito maxima anxietate & debilitate correptus est, ita ut se vix diutius supra equum sustentare posset. A sociis ad diuersorium deductus & lecto impositus fuit: interea me aduocarunt. Inueni pulsum crebrum, celerem & parvum. Narrabant socii quomodo ab exercitio incaluisset & valde sudasset, atque tunc subitaneo illo languore correptus esset: addebat æger se in pectore aliquas pustulas dolorificas sentire, & credere se peste correptum esse. Vt illas pustulas inspiceremus anne carbunculi essent, thoracem aperuimus, & denudato pectore vidimus ægrum supra pectus amuletum aliquod tenuissimo serico inuestitum, & à sudore iam valde madidum, gestare, sub quo pars multum inflammata, & multæ exiles nigricantes pustulæ enatæ erant. Cum hoc amuletum detracto serico examinarem, vidi esse commune illud ex arsenico rubro & albo confectum. Interea dum hæc agimus, æger animo linquebatur, vino dato & ad se reuersus, conquerebatur se suffocatiuam quandam anxietatem, cum summo cordis ardore sentire. Tunc statim abiecto amuleto hoc alexipharmacum præscripsi:

Rec. *Extracti Angelica, & ruthæ, ana scrup. j.*
theriaca, scrup. iij. aquæ theriacalis, unc. j. aceti bezoartici, unc. ſ.
Misce, fiat haustus.

Cùm hoc assumpto per tres continuas horas fortiter sudasset, à prædictis symptomatibus liber euasit, ac postridie rursus bene valuit. Ad latentis tamen veneni reliquias penitus absumendas, hoc condito per aliquot dies usus fuit:

Rec. *Specier. liberantium, drach. j. radic. helenii condit. cortic. citri condit.*
rob. ribesij rubri, diascordii Fracastorii, ana drach. ij.
syrupi de scordio q. ſ. olei iuniperi, scrup. j.
Fiat conditum.

Pustulis oleum scorpionum & laurinum inunximus, atque ita citissimè sanatæ sunt. Consului ne unquam amplius talia venenata amuleta gestaret.

ETsi Niddanus, Simonius, Theodosius, Mercurialis, alique clarissimi Medici, amuleta ex arsenico & sublimato confecta, tanquam diuinum remedium ad pestis præseruationem extollant, nos tamen in hac peste nemini illa profuisse animaduertimus. Gerardus Busæus Pharmacopæus illa satis magno pretio omnibus vendebat; ut & Adolphus Fildar Chirurgus, qui illa tanquam è deorum scrinis prolatum donum commendabat: verum per illa nullos, imo nec ipsos venditores præseruatos fuisse vidimus:

— *in ipsos sæua medentes Irrupit clades.* Nam Busæus una cum tribus liberis? Fildar vero cum uxore & liberis peste extinctus est, quamvis omnes hæc amuleta longo tempore curiosissime gestassent. Quapropter cum neque ratio, neque experientia (ut latius docuimus *lib.* 2. *cap.* 11. *annotat.* 1.) amuletorum arsenicalium usum probet, reiicienda sunt, inprimis cum sæpius etiam maxime noxia esse possint, ut liquit in prædicto ægro, qui a suo amuleto paulo minus quam si venenū per os assumpsisset, læsus fuit; & nisi illud tempestiue amotum, abiectū, & antidoto exhibito prouisum esset, forte ab eiusdem virulentia enecatus fuisset. Similia damna ab huiusmodi amuletis illata, se quoque vidisse, refert Zacutus Lusitanus, *Prax. Admir. lib.* 3. *obseruat.* 45. *In pestilenti* (inquit) *lue febribusque pestiferis sum expertus, plures hoc auxilio usos, subito peste correptos occubuisse: alu in flammatione oborta in læua thoracis externa parte, febribus sunt apprehensi, quæ ex admoto sublimato ortæ sunt, qui summo labore deinceps conualuere: quidam inflammato corde incensisque spiritibus in palpitationem incidere.*

HISTORIA XLV.

CHristophorus de Four, Mercator ferrarius, mense Maio peste correptus fuit, ac quarta morbi die obiit. Ipsi autem animam agenti duo filii cum ancilla ante lectum adstabant, qui tres, simul ac æger extremum spiritum efflaret, eodem momento simul contagio infecti sunt. Ancilla cum filio iuniore ob contagij vehementiam statim animo linquebantur; deinde magna febri simul omnes obruti fuerunt. Filii intra biduum vel triduum occubuerunt. Ancillæ autem ingens tumor sub axilla dextra protuberauit, ut & bubo in inguine, quibus tumoribus maturefactis atque disruptis, sanata, & ab imminenti periculo etiam hac secunda vice liberata fuit; nam hæc erat eadem illa ancilla quam antea adhuc semel peste laborasse, diximus historia nona.

QVotidiana praxis docet adhuc fortiter spirantibus ægris multo minus contagii periculum adesse, quam iisdem morientibus: eaque de causa multi non sine ratione putant, se tutius inuisere posse decem languentes, quam unico morienti, vel statim mortuo, adesse. Quod tamen alienum videtur, cum viuentium longe maior sit exhalatio, totumque corpus apertum caloris vi maiorem putredinis partem foras transmittere posse videatur. Quæritur igitur quanam sit ratio? haud alia est ac si quis accensam lampadem extinctæ comparet: ipse enim ignis tantisper dum excandescit, exhalat tenue ac fuliginosum quippiam, sed minus malignum, utpote quod ab ignis calore, prius discutitur, quam intermedium aërem inficere possit: at sublato igne, exsudat adhuc ab elychnio crassus & tetricus vapor, quem magis pestiferum & pertinacius inhærentem esse, tum color & odor, tum tota substantiæ ratio satis ostendunt.

HISTORIA XLVI.

GEnerosus vir D. VViliems, nobilis Anglus (de cuius uxore mentionem fecimus supra hist. 29.) homo fortis, 16. Iunij mane e somno cum gians, nondum tamen ægrotans, anthra-

anthracem in brachio dextro percepit: quo peſtis ſigno viſo, ſtatim meum conſilium petiit. Exhibui hoc alexipharmacum, de quo bene ſudauit:

Rec. *Extracti magiſtralis, & angelicæ, ana ſcrup. j.*
ſalis ſcordij, ſcrup. j. ſ. theriacæ, ſcrup. ij. aquæ theriacalis,
aceti bezoartici, ana unc. j.
Miſce, fiat hauſtus.

Circa veſperam vehementi febre correptus eſt, cum magna ſiti, anxietate, & inquietu dine. Tale antidotum rurſus ſumpſit:

Rec. *Extracti cardui ben. ſcrup. j. ſ. & angelicæ, ſcrup. j.*
ſalis abſinthij, ſcrup. j. ſ. diaſcordij Fracaſt. ſcrup. ij.
aquæ theriacalis, unc. i. ſucci citri unc. ſ.
Miſce, fiat hauſtus.

Ad ſitim hic iulebus præſcriptus eſt:

Rec. *Aquæ cardui bened. lib. j. ſcabioſæ, acetoſæ, ana lib. ſ.*
& roſarum, unc. ij. ſyrupi de ſcordio, & granatorum acid. ana unc. j.
ſucci citri, q. ſ. ad gratum acorem.
Miſce, fiat iuleb.

Noctem illam admodum grauem habuit. Poſtridie mane duo alii anthraces apparuerunt, alter in femore, alter in crure. Ab ultimo diaphoretico reiterato rurſus illo mane multum ſudauit: bis reiterarum quoque eſt iulabium: febris eadem vehementia continuauit, & vires ad extremam debilitatem deiectæ fuerunt. Huius miſturæ ſæpius illa die cochleare plenum ſumpſit:

Rec. *Conſeruæ roſarum rubr. drach. v. aquæ theria calis, unc. j. ſ.*
aquæ cinnamomi, drach. vj. ſucci citri, unc. j.
Miſceantur, & colentur, adde colaturæ,
confectionis de hyacintho, ſcrup. ij. & de alkermes, ſcrup. j. ſ.
Miſce.

Tertia die per vias urinarias ſanguinem purum ter quaterve magna quantitate reddidit: circa horam veſpertinam obiit:

QVi ſanguinem mingebant, omnes moriebantur: quod lethale ſymptoma hoc tempore ſatis commune erat, & à vulgo *peſtis ſanguinea* appellabatur. Etiam lethalis alui ſanguineus fluxus peſti multoties adiungebatur. Sudorem autem peſtilentem ſanguineum nuſquam vidimus, quem tamen ſe vidiſſe teſtantur, Agricola *lib. 2. de Peſt.* Lycoſthenes, *de prodig.* & Zacutus Luſitanus, *Prax. Admir. lib. 3. obſerv. 40.*

HISTORIA XLVII.

HEnricus ter Coelen, piſtor, qui prope VVijmel portam habitabat, à peſtis inuaſione maximas habuit debilitates, cum multis animi deliquiis: de cordis etiam anxietate conqueſtus eſt: grauis tamen febris non aderat. Varia ſumpſit alexipharmaca, ſatis copioſe ſudauit, eruperunt duo carbunculi, cum tumore ſub axilla. Morbus uſque ad diem ſextum in eodem ſtatu permanſit: tunc gutturis raucedinem in ipſo percepimus, è quo ſolo ſigno certam & citam mortem prædixi. Sequenti nocte eruperunt pauca exanthemata: & circa diluculum æger vitæ huius miſerias effugit.

Labor

LAboraverat hic æger anno præcedente per tres menses febre purpurata, cum plurimis punctulis rubris ac purpureis, & ter quaterve cum summo vitæ periculo recidiuam passus fuerat. A quo morbo quamuis Dei, & medicamentorum nostro consilio adhibitorum, ope feliciter sanatus, & optime valens, ex pistore iam pharmacopola factus esset, lethalia tamen pestiferæ luis spicula effugere nequiuit. Quæ lues prima fronte symptomatum paruitate multo minus periculum quam prædicta febris minari videbatur, verum tandem rauce line gutturis infelicem morbi euentum præsignificauit; qua raucedine quotquot tenebantur, illi omnes certo moriebantur, etsi alia signa salutarem morbi euentum promittere viderentur.

HISTORIA XLVIII.

ELisabetham Petri sutoris filiam, ætatis circiter viginti annorum, pestis una cum maximo vomitu, summa anxietate & debilitate corripuit, nec potum, nec aliud quid retinere potuit. Post duodecim ab inuasione horas euomuit duos vermes viuos, breues, rubros & crassos, qui circiter longitudinem ac crassitiem minimi digiti habebant, & instar sanguinis rubescebant, atque per peluim vim volutabant. Hos cum eiecisset, intra horæ quadrantis spatium mortua est.

VEhemens fuisse debuit illud venenum, quod tam paucis horis tantam & talem humorum putredinem inducere potuerit, è quo huiusmodi vermes tam cito generati fuerint. Nec mirum est ægram cito obiisse, nam cum tanto veneno, tamque pernicioſa humorum putredine neminem diu super viuere posse, credibile est. Anno 1576, in peste Veneta vermes quoque obseruatos fuisse, refert Angelus Bellicochus: *Multi* (inquit) *hoc tempore per os & intestina vermes excreverunt, qui propter insignem humorum putredinem difficilius, quam alij, fuere curati.*

HISTORIA XLIX.

VIce-Capitaneus nobilissimi viri D. de Sterckenburch, legionis Groeningensis Præfecti, peste correptus post varia assumpta medicamenta, & maturatum ac disruptum bubonem rursus conualuit. Toto morbi decursu nimis vigil fuerat, sed tamen absque molestia, quæ vigiliæ, morbo iam penitus sanato, (postquam æger rursus per octiduum foras prodisset) adhuc perdurabant, ita ut singulis noctibus vix per sesqui horam dormire posset. Tandem ab illo pseudochirurgo, qui bubonem eius tractauerat, aliquod medicamentum aduersus has vigilias petiit: qui illi cubitum iturо circa horam decimam vespertinam potiunculam narcoticam exhibuit, à qua tam egregie dormiuit, ut vigiliarum & vitæ plane oblitus fuerit, nam intra quindecim horas, nunquam rursus euigilaturus, extremum somnum absoluit.

ECce quam egregie rebus suis consulant, qui nimis auaritiosi (qualis erat hic æger) talium homicidarum potius, quam peritorum Medicorum consilia petunt? quam egregie Magistratus Reipublicæ commodo studet, qui in genere omnibus Crirurgis ultra crepidam sapiendi, & in medicina quidlibet cum ignorantia temere audendi, liberam potestatem permittit? quam egregie ciuium & incolarum salus curatur, cum nonnullis ignaris pseudochirurgis, veris homicidis, pestiferorum curandorum, vel pro libitu impune necandorũ, prouincia à Magistratu imponitur?

HISTORIA L.

STrenuissimus Capitaneus Iodocus ab Haeften, pestem fugiens ciuitatem dereliquerat, ac cum tota familia ad pagum Oosterhaut (qui unico milliari à Noviomago distat) in castellum ibidem situm migrauit. Postquam per tres menses ibidem habitasset, uxor illius 13. Iunii peste correpta est, ad quam sequenti die post meridiem vocatus fui. Inueni ægram leuiter quidem, ut videbatur, febricitantem, sed tamen debilem, capite dolentem, & summa anxietate pressam. Vrina erat turbida, pulsus parvus, creber & inæqualis, lingua tumida, calor corporis non admodum vehemens, nec vultus color multum immutatus. Nullum in externis dolorem sentiebat, præterquam in inguine sinistro, ubi parvus & durus tumor sub cute adhuc latens sentiebatur. Appetitus plane prostratus erat: sitis non multum vexabat. Ista vespera hoc alexipharmacum exhibui:

Rec. *Diascordy Fracast. drach. j. salis absinthij, coralli rubri praparati, extracti cardui, pulueris liberantis, ana scrup. j. aquæ theriacalis, unc. j. ß. olei vitrioli gut. xi. Misce, fiat haustus.*

Illa nocte bene sudauit. 15. Iunii diarrhœa pestilens superuenit: deiectiones erant turbidæ, cinericeæ, fœtidissimæ. Inguinis tumor plane disparuit, vires quoque valde prostratæ sunt, ita ut de vita eius desperarem. Hoc sudoriferum matutino tempore dedi:

Rec. *Trochiscorum de terra sigillata, coralli rubri praparati, ana scrup. i. diascordii Fracast. drach. i. aquæ theriacalis, unc. i. & cardui bened. unc. ß. Misce, fiat haustus.*

Hoc assumpto mediocriter sudauit, sed morbus tamen in eodem statu permansit. Circa vesperam, ipsa ægra & marito illud unice petentibus, tale amygdalatum præscripsi:

Rec. *Amygdalarum dulc. depil. drach. v. sem. lactucæ, & papaueris albi, ana drach. iii. decocti hordei, q. s. Fiat emulsio ad unc. vi. cui admisce, syrupi cydoniorum, unc. ß.*

Hoc emulsum illa nocte duabus vicibus totum sumpsit, verum plus nocuit quam profuit, (quod amygdalata in hac peste semper faciebant) multo enim maiore anxietate tota nocte presla fuit ægra; amygdalatum instar caleri coagulatum partim cum summa molestia euomebatur, partim cum infernis excretis deiiciebatur, nec quicquam imminutus est alui fluxus. 16 Iunii mane postremum sudoriferum reiteratum fuit, a quo bene sudauit, cum aliquali leuamine, sed alui fluxus in eodem statu permansit. Post meridiem de magno dolore sub cartilagine ensiformi cõquesta fuit, qui unctione sequẽtis unguenti cito cessauit:

Rec. *Olei distillati nucis moscatæ, macis, ana scrup. i. & iuniperi, scrup. ß. theriacæ andromachi, olei scorpionum, ana drach. i. Misceantur pro linimento, bis terve de die inungendo.*

Ad fluxum ventris sæpius de die huius conditi frustulum comedit:

Rec. *Trochiscorum de terra sigillata, cornu cerui usti, ana scrup. j. ß. species. diatrium santalorum, scrup. ij. diascordii Fracast. drach. ij. conserua rosarum rubr. drach. vii. syrupi granatorum acid. q. s. Misce, fiat conditum.*

Lingua

Lingua hoc tempore nigricans erat & tumida, ac propterea decoctio facta est, ex plantagine, foliis bellidis, acetosa, pimpinella, & fructu ribesiorum rubr. ad os colluendum & gargarizandum, post collutionem lingendo parum syrupi granatorum vel de succo citri. 17. Iunii videbatur quidem alui fluxus aliquantum imminui, verum tamen circa vesperam ægra extreme debilis fuit, quapropter hoc alexipharmacum dedi:

Rec. *Theriacæ, mithridatii, ana scrup. i. ſ.*
confecti de hyacintho sine moscho, scrup. i. lapidis bezoar orient. scrup. ſ.
aquæ theriacalis, unc. i. ſ.
Misce, fiat hausſus.

Inter sudandum aliquantum dormiuerat, ac postea nonnihil leuata videbatur: fluxus quoque alui aliquantum imminutus fuit. 18. Iunii mane idem hausſus reiteratus est: tota quoque die continuauit in usu conditi, ut & 19. Iunii, quo rursus circa vesperam assumpsit ulcium sudoriferum. 20. Iunii nauseabunda & extreme debilis fuit: tunc hæc mixtura parata est:

Rec. *Conſeruæ rosarum rubr. unc. i. diascordii Fracaſt. drach. ii.*
aquæ theriacalis, cardui benedicti, ana unc. ii. ſ.
& cinnamomi, unc. i. ſ.
Stent simul mixta per horam, deinde colentur cum leui expreſſione, adde colaturæ
confect. de hyacintho sive moscho, drach. i.
Misce.

Huius mixturæ aliquoties de die cochleare unum aut alterũ post usum prædicti conditi bibit, atque in iis continuauit usque ad 23. Iunii, quo ultimum sudoriferum reiteratum fuit. A 24. ad 28. Iunii prædicta mixtura cum sequenti condito usa est:

Rec. *Species. Liberantium, cornu cerui usti, coralli rubr.*
margaritarum præparat. boli arm. veræ, ana scrup. i.
speciei. diatrium ſantalor. scrup. ii. diascordii Fracaſt. drach. ii.
myuæ cydoniorum, conſeruæ roſar. rubr. ana unc. ſ.
rob. acaciæ, drach. i. ſ. confect. de hyacintho, drach. i.
ſyrupi granatorum acid. q. ſ.
Misce, fiat conditum.

His diebus cordis anxietas, capitis dolor, & linguæ nigredo multum imminuebantur. 30. Iunii, cum diarrhœa nondum plane ceſſaret, ultimum sudoriferum rursus exhibitum est. Hinc post valde copiosum sudorem sensit dolorem in inguine, cum tumore magnitudinis oui columbini, qui postea increuit ad magnitudinem seni oui gallinacei. Fluxus quoque alui adeo imminutus fuit, ut tantum bis terve de die deiiceret; ſed deiectiones adhuc erant turbidæ & valde fœtentes. Hactenus appetitum plane deiectum habuerat, ſed nunc rursus aliquantum comedere cœpit. Toto morbi decursu oblati sunt cibi euchymi & facilis digestionis, liquidi quidem, ſed tamen nonnihil astringentes: pro potu utebatur cerevisia tenui, cum olei vitrioli pauculis guttulis acidula facta, nam a iulebis abhorrebat. Interea tumori per sex dies impositum fuit cataplaſma attrahens & maturans. 2. Iulii ultimum diaphoreticum rursus exhibui, (nam huiusmodi diarrhœæ pestilentiales per sudoriferta optime curantur) a quo cum bene sudaſſet, excrementa alui naturalem colorem & craſſitiem receperunt: tumor quoque in inguine aliquantum increuit. 3. Iulii ceſſauit alui fluxus, & ægra mediocriter valuit. 6. Iulii, cum tumor amplius non increſceret, & ægra propter incom-

moditatem cataplasma abiiceret, hoc emplastrum impositum est:

Rec. *Gummi galbani aceto dissolut. emplastri diachyli cum gummis, & oxycrocei, ana drach. ij.*
Misceantur.

8. Iulii, cum ægra propter morbi præcedentis violentiam debilis esset, nec cibos benè digereret, hoc tabellatum (quod ipsi etiam extra hunc morbum alias præscripseram, & quo iam sæpius uti consueuerat) confectum fuit:

Rec. *Radic. calami aromatici, cinnamomi electi, ana scrup. ß. s.*
zingiberis albi gr. v. specier. aromatici rosati, scrup. ij.
sacchari cum aqua melissæ dissoluti, unc. iij.
Fiat s. art. tabellatum.

Hoc tabellatum magnis laudibus extulit, eiusque subinde frustulum comedit. Bubo in inguine circiter adhuc per decem dies eodem statu permansit, postea sine maturatione paulatim euanuit, & ægra summi Dei auxilio sanitati restituta fuit.

TAntæ molis erat naturam versus incommodas vias declinantem, ad vias commodas reducere. Vix centesimus pestiferorum euadebat, quibus bubones in principio morbi intus remeantes disparebant: præterea rarissimum quoque erat vel sola diarrhœa correptũ euadere videre, plerisque enim morbus cum vita effluxit. Prædicta tamen ægra (cuius historiam tanquam rarissimam hic asseripsimus) cum utroque lethali indicio præter expectationem in vita seruata fuit.

HISTORIA LI.

VXore Capitanei I. ab Haesten iam à peste (ut præcedente historia diximus) sanata, ipse maritus (qui ad Longevvardam in principio morbi uxoris confugerat) eandem ad se vocauit, ac cum illa concubuit. Sed proh dolor, fuit illa breuis & damnosa voluptas, nam secunda die post lætum aduentum uxoris, illum ipsum pestis inuasit. Ad præseruationem amuletum ex arsenico paratum magna curiositate semper gestauerat: fonticulum in brachio sinistro habebat, loca infecta maxime fugerat, variis præsernatiuis internis usus fuerat, sed tamen his omnibus non obstantibus, ab illo, quem metuerat, hoste obrutus est. In ipso morbi principio ipsum inuisi, eumque inueni febricitantem, iactabundum, somniculosum, capite dolentem, & adeo anxium, ut quo se verteret, nesciret. In inguine dolorem absque tumore sentiebat. Fonticulus in brachio totus exsiccatus apparuit, qui tamen antea copiosam fœtentem humiditatem proiicere solitus erat; è quo signo ipsum breui morituram prædixi. Ne tamen quicquam intentatum relinqueretur, exhibui alexipharmacum, à quo satis copiosè sudauit, sed absque ullo leuamine. Post aliquot horas idem illud reiteratum est, verum sine fructu. Ad sitim dedi iulabium ex aquis scabiosæ, cardui, theriacali, cum syrupo de limonibus & oleo vitrioli concinnatum. Postridie per cubiculum solus aliquamdiu deambulauit, tandem ambulando defessus se ad lectum contulit, in quo cum se vix deposuisset, & cum astantibus fortiter adhuc colloqueretur, pallida mors ex improuiso medios sermones interrupit.

IN hac peste semper lethale signum erat si fonticuli exiccarentur, nec ullus, quod scio, euasit, in quo exsiccatio hæc visa fuit. Amuletum arsenicale, quod tanto tempore circum-

circumtulerat æger, ipsum à peste præseruare non potuit, nec mille alios qui illa gestabant. Multi tamen inueniuntur qui sine talibus amuletis se præseruari non posse, satis stulte sibi imaginantur; atque hic error apud multos, præsertim ditiores, tam altas radices egit, ut vix ullis machinis rursus eradicari possit. Illam tamen unam utilitatem ex his amuletis, per se noxiis, habent, quod dum se optime præseruatos credunt, pestem minus timeant, ita ut quâvis per illa nullam immunitatem à peste adipiscantur, saltem à timore magis liberi sint, qui alioqui corpora ad pestilentem labem potentem disponere solet.

HISTORIA LII.

Dvande Krents, qui in Campanarum monte decumbebat, contagio infectus, grauissima febre & summa anxietate pressus fuit. A primo alexipharmaco fortiter sudauit, & duo carbunculi prodierunt, cum obscuro inguinis tumore: à secundo sudare non potuit propter inquietudinem & intolerabilem sitim. Secunda die enormis vomitus accessit, quem nullis mediis sedare potuimus, qui etiam tertia die continuauit per interualla, atque illa die post meridiem per vomitum eiecit plus quam sexaginta vermiculos paruos & instar sanguinis rubentes, forma & magnitudine non multum differentes ab iis vermiculis qui in cadaueribus sub sole putrescentibus nascuntur. His eiectis prodierunt pauca exanthemata purpurea, & æger paulo post extremæ necessitati satisfecit.

Hiusmodi paruos & copiosos vermiculos in nullis aliis vidimus, qui tamen maximæ & lethalis putredinis indices erant.

HISTORIA LIII.

Theodorus VVesemer, cum auiam peste laborantem inuisisset, contagio infectus est, atque è domo eius exiens, se grauiter alteratum sensit, magnumque grauativum ac vertiginosum capitis dolorem percepit. Vocauit Chirurgum, qui ipsi statim alexipharmacum aliquod exhibuit, à quo multum sudauit, & tumor durus cum magno dolore retro aurem apparuit. Tunc Chirurgus venæsectionem suasit, atque ex affecti lateris brachio sanguinis uncias decem extraxit. Æger inter Chirurgi manus syncope correptus, ac pro moribundo impositus est lecto. Paulo post ad se rediens, de summa debilitate & cordis anxietate conquestus fuit. Non diu post, horrore primò ac frigore præcedente, vehemens febris subsecuta est. Tunc meum consilium petitum fuit. Inueni hominem adeo debilem ut vix loqui posset: disparuerat tumor durus retro aures: pulsus creber & inæqualis erat, atque adeo parvus ut vix sentiri posset. Prædixi mortem, nec ullum medicamentũ exhibere volui, ne naturus Chirurgus ægri mortem, suo errore inductam, meo medicamento imputaret. Post paucas horas diuturniore deliquio superueniente æger è viuis excessit.

Venæsectionis exitiale damnum, & nasutissimi chirurgi temerariam stoliditatẽ, cum multis aliis, etiam hic ager expertus est, in quo ipsa natura robusta venenum pestilens iam ad emunctorium expellebat, ac salutarem morbi euentum promittebat; cuius tamen laudabilis operatio sanguinis detractione interturbata fuit: præterea etiam hoc modo vires ægri adeo prostratæ sunt, ut pestifero veneno chirurgi pestifera temeritate ad interiora retracto planè resistere non potuerint. Liquet ex eo verum dixisse Palmarium, *de Pest. cap.* 7. vix centesimum quemque euadere ex iis, qui secta vena spiritu & sanguine priuantur.

HISTORIA LIV.

DOmicella Martens, quæ in Sartorum platea decumbebat, contagio infecta, exiguã febrem cum tumore in inguine habuit. Exhibui tale alexipharmacum, à quo cum bene sudasset, magnum leuamen percepit:

Rec. *Salis absinthii, extracti angelicæ, ana scrup. j. ſ. theriacæ, diascordii, ana scrup. ij. aquæ theriacalis, unc. j. aceti bezoartici unc. ſ. Misce, fiat hauſtus.*

Sequenti die idem sudoriferum reiteratum est, post cuius usum multo melius valuit, & è lecto assurgens foco assedit, medicamentorum usum reiecit, nec ullis persuasionibus ad antidotorum continuationem induci potuit. In tali statu biduum transegit. Tertia autem die grauissima febris derepente ingruit, cum summa anxietate & inquietudine, siti inexhausta, interno ardore, lingua sicca, dura & crustosa, & paruo maximeque doloroso tumore in inguine. Exhibui duo sudorifera in forma liquida, sed utrumque euomuit: tertium in forma boli dedi, à quo sudare non potuit, propterea quod propter intolerabilem sitim identidem bibere cogeretur, & propter anxietatem maxime inquieta foret. In illo statu perduauit morbus circiter per 26, aut 28, horas, quibus exactis prodierunt exanthemata purpurea, & paulo post collapsas à morbo vires mors penitus prostrauit.

BEne obseruauit Paræus, *lib.* 21, *cap.* 17, nonnunquam contingere ut sæuientium paulo ante symptomatum subita fiat remissio, agrique melius habere videantur, imò omnino bellè, qui tamen postea subito intereunt; idque etiam contigisse refert Mariæ, pedissequæ Reginæ Galliæ. Illud ipsum ex prædicta historia etiam liquet, nam nostra ægra propter symptomatum remissionem putabat se amplius nõ agrotare, ac propterea medicamentorum usum nimis temere & citò reiecit, antequam Venenum pestilens plane cutitum esset. Cum quo veneno plane eodem modo sicut cum fortissimo ac callidissimo hoste pugnandum est; huic enim iam delassato ac propemodum victo nulla requies permittenda est, ne durante quiete maiores vires recolligat, & quamcunque triumphatorem ex improuiso obruens, vita simul & triumpho spoliet.

HISTORIA LV.

NAppeltern, ceruisiarius notissimus, ciuis verè ciuilis, qui pestem valde timebat, se magna cordis anxietate pressum, & dolore atque exiguo profundo tumore infectum sentiens, malum celauit, & statim in ipso principio assumptis aliquot socijs, ad diuersorium illud, cui Mons vinaceus pro insigni est, se contulit, ut vini copiosiorem usum, & gratis sociorum colloquijs iam conceptum timorem, & simul ipsius pectoris principũ depelleret. Ibi inter pocula præter solitum maxime hilaris fuit, atque à copiosiore vino multum incaluit: tandem tanta vini copia præter consuetudinem se ingurgitauit, ut maximo vomitu ventriculum rursus euacuare coactus fuerit. Quo facto, fruitulum panis cum sale & singibere comedit, atque rursus, ut ante, cum sociis ad vinum & iocos se contulit; ita ut tandem circa mediam noctem bene potus & hilaris domum discederet, ubi exutis vestibus ad lectum se conferens statim obdormiuit, atque inter dormiendum copiosè sudauit.

Sequen-

Sequenti mane expergefactus optime valuit, euanuerat inguinis tumor, atque à peste immunis fuit.

PLurimis hoc tempore illud cõmune erat, ut simulac se peste correptos sentirent, statim ad diuersoria se conferrent, ut vini copiosiori potatione iam conceptam pestem, hilari ebrietate rursus profligarent. Qui error tantum valuit, imprimis apud vulgares, ut vix ullis rationibus apud multos eradicari potuerit; quamuis etiam plurimi suo interitu eius infelicem euentum aliis conspiciendum exhiberent. Nam etsi vinum modice sumptum alexipharmacam vim habeat, & terrorem, in pestilenti constitutione maxime noxium, dispellat, vires quoque in debilibus corroboret; ebrietas tamen & nimia vini copia ad pestis iam conceptæ extinctionem plane damnosa est. Vini enim paulo copiosior usus magis conueniens est ad præseruationem, quam ad curationem: nam,

—— data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Ad curationem potentiora requiruntur antidota, quæ venenatam qualitatem ab internis visceribus ad peripheriam citissime expellant, nec ulla viscera offendant, sicut facit copiosus vini usus, qui ebrietate grauiter offendit ipsum cerebrum & totum neruosum genus, à qua offensione etiam aliis quibusque partibus, quibus nerui communicantur, & quarum sensus, motus & operationes à neruis magna ex parte procedunt, summa debilitas inducitur per aliquod tempus, nempe usque dum dissipatis narcoticis spiritibus, rursus ad priorem statum redeant cum cerebro nerui. Cum autem debilitatæ & narcosi quadam obfuscatæ partes interno hosti minus resistant, atque in coctione & discussione spirituum narcoticorum totæ occupatæ sint, pestilens venenum durante illo tempore tam altas plerumque radices agit, ut postea nullis mediis expelli vel extingui queat. Quapropter longe consultius fuerit, simulac huius diri tyranni spicula sentiuntur, statim ad fortissima antidotalia arma concurrere, quam sola ebria hilaritate munita viscera, inermia & debilia tanti hostis inuasioni opponere: facilius enim erit hosti ingredienti armata manu resistere, quam eundem penetralia iam ingressum & focos occupantem expellere. Quantum ad prædictum cereuisiarium, (cuius historiam tamquam raram hic asseribimus) sciendum illud, quod ipse cum felici euentu tentauit, innumeris aliis infelicissime cessisse: imo paucissimos nouimus, qui peste iam correpti, ebrietatem antidotis præmittentes, non fuerint extincti: nullis enim alexipharmacis venenum durante ebrietate altius infixum, postea expelli potuit: plurimos huiusmodi ægros tractauimus, sed vix centesimum euasisse vidimus. Quapropter dictam historiam tanquam raram, sed non imitandam habere oportet.

HISTORIA LVI.

FIlia N. de Steenvvijck, schoiæ Gallicæ Ludimagistri, iuuencula circiter viginti annorum, 13. Iulii peste correpta est, cum summa anxietate, debilitate, febre, inquietudine, sitis & capitis grauitate. Exhibui circa vesperam hoc alexipharmacum:

Rec. *Extracti cardui bened. salis scordii, ana scrup. j. ſ.*
aquæ theriacalis, unc. j. ſ. succi citri, unc. ſ.
Misce, fiat haustus.

Hinc egregie illa nocte sudauit, sed absque leuamine, quapropter sequenti mane idem medicamentum reiteratum est. Sed neque post secundum sudorem leuamine suo sequente, post meridiem talis haustus exhibitus est:

Rec. *Diascordij Fracast. scrup. ij. extracti magistralis,*
cardui bened. & angelicæ, ana scrup. j. salis absinthij, scrup. j. ſ.
aquæ theriacalis, acetosæ bezoartici, ana unc. j.
Misce, fiat haustus.

Hinc

Ab hoc cum rursus vehementer sudasset, magnum leuamen percepit, & tumorem durum in inguine sensit; cuius inferiori parti statim hoc vesicatorium imposuimus:

Rec. *Radic. pyrethri, sem. sinapi albi, euphorbij, ana scrup. j.*
cantharidum, scrup. j. s. fermenti acidi, drach. ij.
mellis, drach. j. aceti rosacei, q. s.
Fiat pasta.

Hinc vesica magna excitata est, qua pertusa & detracta, folium brassicæ rubræ butyro veteri inunctum imposuimus. Pro potu tali iulebo utebatur:

Rec. *Aquæ cardui bened. & scabiosæ, ana lib. j.*
syrupi de succo citri, unc. ij. s. olei sulphuris q. s. ad gratum acorem.
Misce, fiat iuleb.

Circa noctem hunc bolum præscripsi:

Rec. *Confect. de hyacintho sine moscho, extracti cardui, ana scrup. s.*
lapidis bezoar orient. scrup. s.
Misce, fiat bolus.

Illa nocte aliquantum dormiuit, & febris remissior fuit. 15 Iulii detracto brassicæ folio, maximam ichoris aquosi copiam è vesicato loco effluxisse, omniaque imposita linteamina humectasse, & tumorem in eodem statu permansisse, vidimus: quapropter folium brassicæ rursus imposuimus, & sequens cataplasma superapplicauimus:

Rec. *Radic. liliorum recent. unc. ij. & althea, unc. j.*
herb. malua, & althea, florum chamomillæ, ana M. j.
ficuum ping. n. vij.
Coquantur in aqua communi & pistentur, adde bulborum cæpe sub cineribus parum assatorum, n. iij. fermenti acidi, simi columbini, ana unc. j. s.
mellis, olei chamomillini, ana unc. j.
Fiat cataplasma.

Illa die iusculi pulli, cum acetosa, boragine & fructu ribesii rubri cocti, aliquantulum sorbsit, & quater particulam huius conditi comedit:

Rec. *Specier. liberantium, drach. j. diascordij Fracastorij, drach. ij.*
corticum citri condit. & aurantiorum condit.
conserua rosarum rubr. ana dr. iij. confectionis de hyac. sine moscho, dr. j.
syrupi acetositatis citri q. s.
Misce, fiat conditum.

Circa vesperam febris recruduit, tunc que ultimus hausus diaphoreticus reiteratus est. Sequenti die adeo debilis fuit ut vix loqui posset: tumor in eodem statu permansit. Continuatum est in usu conditi & cataplasmatis. Huius etiam misturæ nonnunquam cochleare exhibitum est:

Rec. *Conserua rosarum rubr. rob. ribesii rubr. ana unc. s.*
diascordij Fracast. drach. ij. aquæ theriacalis, unc. iij.
aquæ cinnamomi, unc. s. succi, citri unc. j.
Misceantur, & post horam colentur, addc confect. de hyacintho sine moscho, drach. j.

16 & 17 Iulii, cum morbus in eodem statu permaneret, & virium summa debilitas aliorum medicamentorum usum prohiberet, in iisdem continuatum est 18 Iulii, cum locus vesicatus iam pridie occlusus fuisset, aliud vesicatorium de nouo imposuimus a latere prioris

vesicati

vesicati loci, unde magna vesica rursus excitata, è qua postea multi ichores effluxerunt. 20. Iulii, febre nonnihil remittente, hoc alexipharmacum dedi, à quo pro viribus egregiè sudauit:

Rec. *Extracti cardui, & angelica, confect. de hyacintho, salis scordii, ana scrup. j. aquæ theriacalis, unc. j. olei vitrioli gut. viij.*
Misce, fiat haustus.

21 & 22 Iulij multo melius se habuit, & febris paulatim euanuit: quibus diebus solo condito aliquoties de die usus fuit. Præterea iuscula quædam cum pauxillo panis albi sorbere cœpit. 23 Iulii, exsiccato rursus vesicato loco, & bubone detumescente, loco cataplasmatis, solùm emplastrum diachylum cum gummis impositum est, sub quo intra paucos dies tumor disparuit. Toto morbi decursu tantum semel alvum exonerauerat, quapropter 26 Iulii assumpsit pilularum antipestilentialium nostrarum, drach. ſ. unde tres quatuorve sedes habuit: atque ita summi Dei auxilio integræ sanitati restituta fuit.

VEsicatoria in principio apparentibus bubonibus applicata, semper præstantissimum subsidium attulisse, non in prædicta tantum ægra, verum etiam in mille aliis comperti sumus: damnosos ac venenatos ichores extrahebant, venenum pestilens versus emunctorii trahebant, eiusque recursum ad interiora impediebant. Obseruauimus, si satis tempestiue applicarentur, extractis venenosis aquis, tumores pestilentes sæpissime absque ulla suppuratione dissipatos euanuisse.

HISTORIA LVII.

SYmon Noorman peste correptus hoc sudoriferum sumpsit:

Rec. *Extracti cardui, salis scordii, ana scrup. j. ſ. theriacæ, dr. j. aquæ theriacalis, unc. j. ſ. aceti bezoartici, unc. ſ.*
Misce, fiat haustus.

Postridie exiguum tumorem in inguine sensit; qui cum paulo post rursus delitescerét, idem sudoriferum reiteratum est, à quo mediocriter quidem sudauit, verum absque leuamine. Febris non admodum vehemens, sed continua in eodem statu permansit, cum summa anxietate, inquietudine & debilitate. A tertio sudorifero circa vesperam exhibito rursus sudauit. Die tertia in pectore & reliquo corpore nonnulla exanthemata purpurea & nigricantia vidimus, atque tunc æger se multo melius valere sibi visus est, & fortiter cum astantibus colloquebatur. Dixi uxori ut quæcunque peteret, ipsi darentur, mortem enim breui affuturam. Præsagium confirmauit euentus, nam post sesqui horam extinctus est.

EXanthemata purpurea, liuida, nigra & violacea, certissima erant mortis iam iam imminentis præsagia; & quamvis multi ægri his apparentibus, se primo multo melius habere viderentur, omnes tamen moriebantur: atque in hac tam furiosa peste, qua Nouiomagum decem hominum millia terræ reddidit, unicum tantum puellum cum purpureis exanthematibus euasisse nouimus: quem casum descripsimus paulo ante historia 41.

HISTORIA LVIII.

ARentius Capell, cum in aprico aere tota die in secandis lignis occupatus fuisset, & se multum defatigasset, vesperi domum veniens capite dolvit, & valde somniculosus fuit; cumque cœnare non posset, cubitum discessit, ac statim obdormiuit. Media nocte expergefactus, se magna anxietate pressum sensit, hinc pestem timens propriam urinam bibit; à qua non diu post vomere cœpit, qui vomitus diu perdurauit. Sequenti mane ego accitus, tale alexipharmacum exhibui:

Rec. *Extracti magistralis, salis absinthij, & scordij, ana scrup. j.*
extracti angelicæ, scrup. j. ſ. aquæ theriacalis, aceti bezoartici, ana unc. j.
Misce, fiat hausius.

Ad vomitum compescendum ventriculi regioni imposuimus hanc pastam linteo inunctam & prope ignem calefactam:

Rec. *Cariophyllorum, nucis moscatæ, cinnamomi, benzoini,*
mastiches, ana scrup. ij. puluerisatis adde fermenti acidi, unc. j. ſ.
conserue rosarum rubrarum, unc. ſ. aceti rosacei q. ſ.
Fiat pasta molliuscula.

Cùm hæc per semihoram imposita fuisset, & vomitus iam cessaret, prædictum haustum assumpsit, eumque retinuit, atque inde egregie sudauit. Interea etiam prodierunt duo carbunculi, alter in femore, alter in latere dextro; magnum tamen leuamen secutum non est, sed tribus horis post finitum sudorem grauissima febris, cum magna siti, anxietate & interno ardore ægrum inuasit. Tunc prius alexipharmacum reiteratum est, à quo cum fortiter sudasset, magnum leuamen percepit, & tumor durus ac tensus cum summo dolore in inguine protuberauit, cuius infectori parti statim imposuimus vesicatorium, quo postea cum vesicula detracto, folium bratticæ rubræ oleo raparum inunctum applicauimus. Pro potu maxime desiderabat æger aquam simplicem fontanam, cuius moderatum usum ipsi concessimus. Circa horam decimam nocturnam hunc puluerem dedimus:

Rec. *Camphoræ gr. iv. florum sulphuris, specier. liberantis, ana scrup. j.*
Fiat puluis.

Totam illam noctem cum magna inquietudine transegit, maxime propter intensissimum bubonis dolorem. Secunda die primum sudoriferum reiteratum est, addendo diatcordii drach. i. post quod cum fortiter sudasset, magna violentiæ febrilis pars remisit, & simul etiã anxietas multum imminuta est. Buboni cataplasma attrahens simul & emolliens, carbunculis vero nostram pulticulam imponi curauimus. Vesperi prædictum puluerem rursus sumpsit. Postridie propter dolorem bubonis, qui iam in maiorem molem excreuerat, febris aliquantum recruduit, quæ ultimi sudoriferi usu iterum remisit. Huius conditi sæpius de die particulam edere iussimus:

Rec. *Specier. liberantium, drach. j. & diamargariti frigidi, drach. ſ.*
diascordii Fracast. drach. iij. corric. aurantiorum condit.
rob. ribesiorum rubr. ana unc. ſ. olei succini, scrup. ſ. syrupi de scordio q. ſ.
Fiat conditum.

Cum æger se iam melius haberet, per triduum in usu conditi & topicorum continuatum est. Die septima tantum maturans cataplasma bubonem impositum fuit. Die decima, separatis carbun-

carbunculis & bubone maturato ac disrupto, omnibusque symptomatibus cessantibus, cõualuit æger, & ulcera paulatim Chirurgi ope consolidata sunt. Quia autem toto morbi decursu tantum bis alvum excreuerat, iam post ruptum bubonem assumpta pilularum Raf. fi, drach. ſ. alvus bis terve citata fuit.

IN hac pestilenti constitutione obseruauimus valde periculosum esse, grauibus exercitiis corpus delassare, præcipue in aperto aëre radiis solaribus expositio: nam delassata & vehementius calefacta corpora venenum pestilens facillime suscipiebant.

HISTORIA LIX.

RIkerus VVilcher, Iuliacensis, vir fortis, mense Augusto peste correptus fuit; cui quatuor anthraces satis magni in cute eruperunt, Febris aderat grauis, quæ non tam immenso ardore, quam summa maligitate vires ad extremum deiiciebat. Assumptis alexipharmacis primo biduo ter sudauit. Tertia die de ventris leui dolore cum murmure conquerebatur, qua de causa ob motum diarrhœæ statim sudoriferum astringens (cui bolus arm. terra sigillata, cornu cerui ustum, & corallium rubrum immista erant) exhibui, & electuarium antidotale astringens dedi. Verum his non obstantibus, sequenti nocte diarrhœa accessit, sine magno dolore, qua excrementa turbida fœtidissima deiiciebantur. Quarta die sanguis, primo fæcibus permixtus, postea purus & solus defluxit: media nocte cum hoc fluxu secundo flumine æger ad Acherontinum flumen delatus, in eiusdem scopulos impulit, ac vitæ naufragium fecit.

NVllus in tota hac peste euasit, cui sanguis per inferiora defluxit.

HISTORIA LX.

MEnse Iunio in angiportu Vaginæfactorio, in domo quadam prope puteum sita (in qua tunc rempotis nemo habitabat) à vicinis & transeuntibus noctu auditus fuit strepitus quidam, haud aliter sonans ac si quis cistam feralem clauis ferreis malleo obseraret, sicut fieri solet antequam cadauera ad sepulturam efferuntur. Mirabantur quod talis strepitus in illa domo audiretur, in qua nemo habitabat, qui alioqui in aliis domibus ab hominibus inhabitatis auditus, solet (ut aiebant) alicuius mortem præsagire. Illud tamen præsagium in illa domo etiam non fefellit, nam 2. Augusti peste correptus est secundus (priore antea mortuo) Vice-capitaneus Domini Starckenburch, qui ut à sanis separaretur, & ad maiorem quoque sui ipsius commoditatem, ab hospite suo ad illam domum, cum lecto omnibusque rebus necessariis delatus est, in qua 6. Augusti obiit, & biduo vel triduo post ex illa ad sepulchrum delatus est.

HIusmodi strepitus durante hac peste multis in locis auditi sunt, & semper alicuius mortem prænunciarunt, nunquam fallente præsagio. Sic etiam anno 1643, mense Octobri, Noriomagi quatuor vicini nostri duabus noctibus cõtinuis circa noctis medium audiuerunt similem sonum, ac si cista feralis cum malleo clauis ferreis occluderetur; dubitabant autem anne in meis, an verò in proximè vicinis ædibus illum strepitum audiuissent; sed imaginabantur sibi in meis ædibus illum auditum fuisse, & uxorem meam, quæ grauida ac mense Decembri paritura erat, morituram: ne tamen uxorem animo consternarent, tacue-

runt & celarunt auditum omen, usque dum uxor mea feliciter peperisset, & puerperium iam egressa esset, tunc simul narrabant quantopere de uxoris meæ vita anxii fuissent, propter illum auditum strepitum. Anno sequenti mense Martio gener proximè vicini nostri Ioannis Tros, Tylæ mortuus, & Nouiomagum ad ædes dicti vicini delatus, atque inde ad sepulchrum elatus est. Eadem æstate etiam ipse Ioannes Tros obiit: atque ita diu antea à vicinis auditum infelix omen in vicini mei ædibus duorum funerum certus prænuncius fuit. Huiusmodi alia similia fere funerum præsagia ab aliis interdum audita fuisse nouimus. Elisabetha Ioannis Montfortii quondam nostra vicina, cum media nocte audiuisset quasi magnum saccum arena vel sale plenum in tabulatum decidens, eadem nocte unus ex proximis cõsanguineis mortuus est. Noui etiam sartorem quendam, qui nobis multoties narrauit, se & liberos aliosque domesticos sæpius media nocte in officina tua talem sonitum seu strepitum audiuisse, ac si quis fortice sartorio pannos nigros ad vestimenta lugubria conficienda conscinderet; atque illum sonum semper induxisse significasse breui aliquem alicubi morituram, pro cuius proximis consanguineis vestimenta lugubria in eius officina ab ipso conscinderentur & conficerentur. Cardanus *lib. 15. de rerum varietate, cap. 84.* scribit se audiuisse in suo cubiculo tres validos ictus malleï, qui mortem Galeazei de Rubeis fabri armorum indicarunt: atque eodem loco etiam alios ab ipso aliisque auditos infelicis præsagii sonitus enarrat. Quidnam sint hi sonitus, & quomodo fiant, alii aliter iudicant: saltem illos interdum fieri, audiri, & mortem alicuius præsagire, certum est. Philosophi existimant illos excitari à Dæmonibus (qualem Socratem sibi familiarem habuisse, diximus in annotatione ad histor. 6.) quos Dæmones Plotinus Philosophus, teste Nicolao Perotto, scribit esse animas hominũ, easque, pro ut ex bonis vel malis hominibus exierint, bonum vel malum hominibus facere ac prænunciare, arbitratur: atque hinc etiam horum dæmoniorum tres statuit differentias: si nempe sint animæ quæ exierint è bonis hominibus, illos dæmones appellat *Lares*: si è malis, illos *Larvas* nominat: si è talibus qui nec boni nec mali fuerint, illos *Manes* esse dicit. Paracelsus prædictos sonitus nocturnos & auditas voces ab inuisibilibus necromanticis artis moueri contendit. Alii aliter hac de re fabulantur. Nos illos à diabolis plerumque excitari credimus: hi enim dum iram & vindictam Dei præsentium, & de futuro hominum excidio mirifice gaudent, sæpe solent incognitis quibusdam vocibus ac sonitibus, vel spectris, aliisque illusionibus imbecillium animos perterrefacere, vel eisdem aliorum imbecillium exitum & interitum prænuntiare.

HISTORIA LXI.

CLara Guilhelmi, fabri lignarii filia, ætatis circiter viginti annorum, peste una cum magna febre, anxietate, & debilitate correpta est. Prima die unum, secunda duo sudoriferа exhibita sunt, à quibus bene sudauit, & bubo sub axilla protuberauit, febris tamen nihil remisit, sed in eodem vigore usque ad diem quartum continuauit, qui die menstruorum fluxus prorupit, qui intra sesquihoram valde copiosus euasit, unde vires tam cito prostratæ fuerunt, ut post sex horas ipsa quoque vita effluxerit.

HOc menstruorum profluvium etsi die critico incideret, salutare tamen non fuit, sed agram citissime occidit. Sic etiam multas alias mulieres cum menstruorum fluxu, etsi critico die erumpente, mortuas fuisse nouimus. Ita ut multum à vero aberrent illi, qui tales crises tanquam salutiferas laudant, quas usu comperti sumus incertissimas esse, & cum iis multo plures mortuas, quam à morbo sanatas fuisse.

HI-

HISTORIA LXII.

Gosuinus à Butick, miles, cum alio milite pugnans, gladio punctim vulneratus fuit in læua thoracis parte, vulnere pectoris cauum non penetrante, sed supra costas tantum transeunte. Secunda die febricitauit, & vulnus valde intumuit, qui tumor post copiosum sudorem ab exhibito alexipharmaco promotum, rursus aliquantum subsedit. Tertia die cum iam aliqua vulneris suppuratio expectaretur, ipsum vulneris orificium in anthracem mutatum visum fuit, qui anthrax procul dubio etiam vulneris interiora obsedit, nam æger protinus delectis viribus, quarta ab inflicto vulnere die obiit. Paulo post mortem thorax circum circa vulnus, ad latitudinem integræ manus, instar carbonis nigricauit.

NOn mirum est hunc vulneratum peste correptum fuisse, nam præterquam quod ita multum faceret ad pestis inductionem, etiam omnibus aliis morbis, qui durante hac pestilenti constitutione inuadebant, statim pestis adiungebatur, ita ut pestis, tanquam omnium calamitatum summa ac pessima, etiam in reliquos morbos dominium exercere, omnesque suo imperio subijcere videretur.

HISTORIA LXIII.

VXor Isaaci Verloo, pestem cum tumore in inguine percipiens, ut summam, qua torquebatur, anxietatem aliquantum imminueret, mannæ unciam unam cum cerussia calida dissolutam assumpsit; quo remedio in puerperio interdum uti solita erat. Hinc post aliquot horas alvus enormiter turbari cœpit, & simul disparuit bubo. Tunc ad me concursum est. Exhibui duo alexipharmaca astringentia, sed utrumque euomuit. Postea puluerem astringentem dedi, quem retinuit. Ad virium corroborationem nonnulla alia præscripsi, sed omnia nihil profuerunt, nam cum fluxus circiter per sexdecim horas perduraſſet, ægra cum morbo vitam finiuit.

TAceant qui pestis curationem à purgatione incipiendam esse, cum Auicenna aliisque magnis Medicis sentiunt: nam neque fortia cathartica, neque mediocria, neque sola lenientia in hac peste unquam tuto & cum utilitate exhibita fuisse, sed è contra ægros semper in maximum periculum præcipitasse, obseruauimus.

HISTORIA LXIV.

PAter Tiburtius Sacerdos, Ordinis Franciscanorum Monachus missionarius, vir eruditione, humanitate, & vitæ probitate excellens, peste cum bubone in inguine correptus, varia alexipharmaca assumpsit; & inter alia bis illi exhibui lapidis bezoartici Orientalis electissimi puluerisati drachmam, & tertia vice scrupulos quatuor: à cuius lapidis usu leuis quidem sudor sequebatur, sed omnino nihil leuaminis inde consecutus est æger: alia alexipharmaca ex theriaca, salibus, aqua theriacali, aliisque similibus confecta, quamvis morbum non sanarent, copiosos tamen sudores cum aliquo leuamine mouebant. In-

terim omnibus remediis frustrá adhibitis, cum febrem ingraueſcerè, aliaque mala ſymptomata augeri perciperem, prædixi mortem procul dubio morbum finituram. Quod nuncio mæger cum maximo & incredibili gaudio excipiens, intra paucas horas, tanquam ad nuptias iturus, lætus obiit.

ADuerſus venenum peſtilens lapidis bezoartici vires non multum prodeſſe, in variis ægris experti ſumus. N. Dermell febre peſtilenti laborans, eiuſdem lapidis prima vice integram drachmam ſecunda ſcrupulos quatuor abſque ullo leuamine aſſumpſit. Idem quoque fruſtra tentatum eſt in Domino Verſpick, Nouiomagi Conſule, in cognata viduæ de Trieſt, in Petro Buys, in Gerardo Buys Pharmacopœo, in vidua Petri Nooteboom, aliiſque plurimis, qui ipſimet, etiam me inuito, lapidis bezoartici uſum expoſcebant. In nullo manifeſtam felicem operationem aduerſus peſtem ab illo lapide vidimus; quapropter nos etiam poſtea rarius eo uſi umus, idque tantum in iis qui vel eius uſum ſponte poſtulabãt, vel ob ſummam debilitatem alia medicamenta aſſumere non poterant. Hinc etiam magno iſti encomio, quo à multis clariſſimis Medicis decantatur, tantam, ut antea, fidem non adhibemus. Nec eſt quod quiſpiam exiſtimet nos veros lapides non habuiſſe, nam certo credimus, ſi uſpiam veri extant, in quibus omnia veri lapidis bezoartici ſigna concurrunt, & cõſpiciuntur, nos tales elegiſſe, iſque uſos fuiſſe, qui ipſum peſtem ab illo lapide vidimus; quapropter nos etiam poſtea rarius eo uſi umus, idque tantum in iis qui vel eius uſum ſponte poſtulabãt, vel ob ſummam debilitatem alia medicamenta aſſumere non poterant. Hinc etiam magno iſti encomio, quo à multis clariſſimis Medicis decantatur, tantam, ut antea, fidem non adhibemus. Nec eſt quod quiſpiam exiſtimet nos veros lapides non habuiſſe, nam certo credimus, ſi uſpiam veri extant, in quibus omnia veri lapidis bezoartici ſigna concurrunt, & cõſpiciuntur, nos tales elegiſſe, iſque uſos fuiſſe,

HISTORIA LXV.

NObiliſſimus Dominus Nulant (qui in caſtello de Valburgh, Batauiæ ſuperioris pago, habitabat) menſe Iulio peſte correptus eſt, cum ſumma anxietate & parua febricula. Secunda morbi die delirauit: tertia phreneticus euaſit, induſium aliaque lineamina dilacerauit, & in aſſtantes, ſi propius lecto aſſtarent, violentas manus inferebat. Sequenti nocte eruperunt in cute plurima exanthemata purpurea, & phrenitis perdurauit. In tali ſtatu conſtitit morbus per quinque dies, ita ut toto illo tempore vix aliqua mutatio animaduerteretur. Propter inſaniam nulla medicamenta neque alimenta exhiberi poterant. Nona morbi die circa veſperam ſubito extinctus eſt.

IN nemine alio exanthemata tanto tempore mortem præcedebant, ſed ſemper iis prodeuntibus mors in propinquo erat.

HISTORIA LXVI.

GVilhelmo Beems (qui in molarum platea decumbebat) peſte cum febre & maxima anxietate correpto, poſt primum à nobis exhibitum alexipharmacum quatuor carbunculi, duo in femoribus, & duo in pectore, eruperunt. Sequenti nocte adhuc duo in abdomine prodierunt. Secunda die, antidoto rurſus aſſumpto, tres alii circa ſcapulas viſi ſunt; & ſequenti nocte adhuc duo, unus in latere dextro verſus lumbos, alter in brachio apparuit: ita ut ab undecim carbunculis corpus obſideretur. Febris, aliaque prava ſymptomata magis magiſque adaucta ſunt. Omnia exhibita antidota non maius leuamen induxerunt quam ſi ſaccharum candium exhibitum fuiſſet. Tertia die circa nonam vitam cum morte commutauit.

IN hoc ægro nulli bubones, sed tantum multi carbunculi visi sunt, quod indicium erat naturam à veneni copia & maligna qualitate adeo obrutam fuisse, ut nihil ad emunctoria expellere potuerit, atque hinc totum venenum venas ingressum, sanguinis massam dupliciter corrupisse, partim putredine maligna, unde febris; partim mortificatione, unde tot carbunculi. Sæpius autem in hac peste, imo semper falsum esse comperti sumus, illud quod nonnulli magni Medici statuût, nempe plures carbunculos paucioribus esse tutiores, & quanto maiore copia erumpunt, tanto melius esse. Nos semper observauimus plurimos eorum quibus multi carbunculi eruperant, interisse; quibus vero pauciores, melius euasisse. Ratio liquet ex iis quæ diximus, nempe quamvis plures carbunculi naturæ robur in expellendo veneno denotent, quod tamen maximi ac copiosissimi veneni sanguinis massam corrumpentis indices sint; quod antequam natura tum expellere possit, succumbit.

HISTORIA LXVII.

RVtgerus ab Oxseyn, eques Capitanei Douglas, cum vesperi bene sanus cubitum discessisset, media nocte somniauit se ab homine pestifero nudo ac furibundo in terram prostratum, & cum eodem fortiter colluctari, tandem pestiferum diuaricatis cruribus ipsius corpori insidentem, suam pestem in illius os euomuisse. Ex illo somno cum maximo terrore expergefactus, credidit se peste cito moriturum, quam imaginationem adeo fortiter concepit, ut nullis rationibus ex animo illius excuti potuerit. Tertia post somnium die correptus est peste, cum maxima anxietate & febre, nec quicquam proficientibus medicamentis, quarta morbi die mortuus est.

QVod huic ægro, illud etiam suo tempore nonnullis contigisse, refert Sennertus; ut à solis insomniis peste corriperetur. Sciendum tamen somnia per se non inferre contagium pestilentive venenum, sed terrorem, qui inde contrahitur, posse humores & spiritus disponere ad receptionem veneni pestilentis: dum enim spiritus intus ad cor confugiunt, si aliqua venenata aura forte foris cutí adhæreat, illam facillime per poros & arteriarum extremitates intus ad cor trahunt, quod à concentratis in se spiritibus impeditum, illi maligno veneno etiam minus resistit. Huc quoque multum facit tristis imaginatio, qua venenum licet exiguum, non tantum ad cordis penetralia deducitur, verum attentiore de peste cogitatione & metu in actum excitatur: præterea etiam absque veneni præsentia solet imaginatio, metui ac terrori coniuncta, augere dispositionis corporis ad pestem aptitudinem.

HISTORIA LXVIII.

REgnerum Beeckman, Quæstorem, florentis ætatis virum, 24. Iulii pestis corripuit. Simulac se male habere sentiret, hoc sudoriferum (quo vulgares passim utebantur, & quod multis quoque proderat) suo ipsius consilio statim assumpsit:

℞. *Theriacæ androm. drach. j. aceti calendulæ, unc. ij.*
olei iuniperi gut. vij.
Misce, fiat haustus.

Hinc bene sudauit, & tumorem parvum ac durum in inguine dextro percepit. Postera die circa meridiem ad illum inuisendum vocatus fui. Inueni ipsum adeo debilem ut vix loqui posset, caput graue erat cum prochnitate ad somnum, pulsus parvus, creber & aliquantum inæqualis, urina turbida, calor corporis non præter modum intensus, febris non vehemens,

nec

nec faciei color multum mutatus, lingua tamen ſicca & aſpera cum aliqua ſiti. Propter ſummam debilitatem vix quicquam aſſumere poterat, quapropter cum ad omnia nauſearet, hanc miſturam ad vires aliquantum reficiendas præſcripſi, de qua primo ſingulis ſemihoris, poſtea ſingulis horis cochleare plenum exhibitum fuit:

Rec. *Conſeruæ roſarum rubr. drach. vj. diaſcordy Fracaſt. drach. iij.*
aquæ theriacalis, unc. iv. aquæ cinnamomi,
ſucci citri recentis, ana unc. j.
Miſceantur, poſt horam colentur cum leui expreſſione, colaturæ admiſce,
confect. de hyacintho, drach. j. ſ.

Ad ſitim hunc iulebum præſcripſi:

Rec. *Aquæ acetoſæ, cardui, ana lib. j. & roſarum,*
ſucci citri recentis, aquæ theriacalis, ana unc. j. ſ.
ſyrupi de limonibus, unc. ij. olei ſulphuris, q. ſ.
Miſce, fiat iuleb.

Ne bubo introrſum regrederetur, hoc veſicatorium inferiori bubonis parti applicui:

Rec. *Cantharidum pulueriſat. ſcrup. j. euphorbij, ſcrup. ſ.*
fermenti acidi, drach. j. mellis, ſcrup. ij. aceti roſacei parum.
Fiat placentula.

Hac poſt aliquot horas rurſus ablata, & veſica pertuſa atque abſciſſa, folium braſſicæ rubræ oleo raparum inunctum impoſitum eſt. 26. Iunii mane, cum iam paulo fortior eſſe videretur, hoc alexipharmacum ſumpſit:

Rec. *Extracti magiſtralis, & cardui ben. ſalis ſcordij, ana ſcrup. j. ſ.*
theriacæ, diaſcordy, ana ſcrup. ij. aquæ theriacalis, unc. j.
Miſce, fiat hauſtus.

Bene ſudauit, & bubo multum increuit. Reiteratum quoque fuit iulabium heſternum. Circa veſperam hunc bolum dedi:

Rec. *Lapidis bezoar orient. ſcrup. ſ. theriacæ, diaſcordii, ana ſcrup. j.*
confect. de hyacintho, ſcrup. ſ.
Fiat bolus in folio auri.

Quia autem valde anxius erat, & cor haud aliter torqueri diceret quam ſi in prælo comprimeretur, hoc linimentum bis terue de die œſophagi & cordis regioni calide inunctum fuit:

Rec. *Olei nucis moſcatæ expreſſi, laurini, & ſcorpionum, ana ſcrup. ij.*
theriacæ androm. drach. ſ. olei iuniperi, ſcrup. ſ. ſuccini, ſcrup. j.
cinnamomi, citri, ana gut. iij. & gariophyllorum gut. ij.
Miſceantur pro linimento.

27. Iunii murmura in abdomine percepit, & fæces quoque liquidiores deiecit, quapropter a ui fluxum acceſſurum metui; qui ut melius præueniretur, hunc puluerem cum aqua theriacali mane exhibui.

Rec. *Florum ſulphuris, terræ ſigillatæ, cornu cerui uſti,*
margaritarum præparat. coralli rubri, ana ſcrup. ſ. croci or. gr. iij.
Fiat pulus.

Etiam ſæpius de die huius conditi particulam edere iuſſi:

Rec. *Species. diatrium ſantalor. ſcrup. ij. & liberant. ſcrup. j. ſ.*
cornu cerui uſti, trochiſc. de terra ſigillata, ana ſcrup. ſ.

diaſcor-

diascordii Fracast. drach. ij. rob. acaciæ, drach. j. ſ.
conſeruæ roſarum rubr. unc. ſ. conſeruæ florum calendulæ,
myuæ cydoniorum, ana drach. iij. ſyrupi granatorum, q. ſ.
Miſce, fiat ſ. art. conditum.

Reiterata quoque fuit miſtura 25. Iulii præſcripta. Poſt meridiem æger ſummè debilis fuit, quapropter confectionis de hyacintho & lapidis Bezoar ana ſcrup. j. cum pauxillo aquæ theriacalis in cochleari miſcui & exhibui. Circa veſperam idem illud reiteratum eſt. Etiam hoc cataplaſma buboni imponendum præſcripſi:

Rec. *Bulborum cæpe ſub cineribus parum aſſatorum n. iii.*
radic. altheæ pulueriſat. farinæ ſem. lini, & tritici, ana unc. ſ.
fermenti acidi, ſimi columbini, ana drach. vi.
aquæ communis, q. ſ.
Coquantur leuiter, adde
axungiæ anatis, ung. baſilici, ana unc. ſ. mellis, unc. i.
Fiat ſ. art. cataplaſma molle.

28. Iulii hunc bolum dedi, nihil enim aliud ob ſummam debilitatem aſſumere poterat:

Rec. *Lapidis bezoar orient. confect. de hyacintho,*
mithridatii, ana ſcrup. i. olei cinnamomi, gut. i.
Fiat bolus in folio auri.

29 Iulii, cum rurſus paulo fortior eſſe videretur, ſummo mane tale ſudoriferum ſumpſit:

Rec. *Extracti angelicæ, & magiſtralis, confect. de hyacintho, ana ſcrup. i.*
theriacæ, diaſcordii, ana ſcrup. i. ſ. aquæ theriacalis, unc. i. ſ.
Miſce, fiat hauſtus.

Copioſiſſime ſudauit, & poſt ſudorem ſe paulo melius habere cœpit. Illa die utebatur ſubinde de condito & miſtura antedicta. Etiam iuſculi pulli cum herbis cardiacis cocti aliquātum ſorpſit. 30. Iulii iterum peius ſe habuit, & febris vehementior fuit quam unquam antea. Exhibui hunc bolum cum dicta miſtura diſſolutum:

Rec. *Lapidis bezoar orient. gr. xv. ſalis abſinthii, confect. de hyacintho,*
diaſcordii, ana ſcrup. i. olei ſulphuris, gut. iij.
Miſceantur.

Circa veſperam ipſum ſudauit copioſiſſimè, à quo critico ſudore (nam erat morbi dies ſeptimus) morbus ſolutus eſt. 1. Auguſti ipſum diætæ commiſimus, cum tam propter debilitatem, quam propter nauſeam plura medicamenta aſſumere non poſſet, neque etiam neceſſitas multum urgeret. 2 Auguſti ad citiorem bubonis maturationem, cataplaſma hoc modo immutauimus:

Rec. *Radic. liliorum alb. unc. ij. & altheæ recentis, unc. j.*
herb. altheæ recentis, M. j. flor, chamomillæ, M. ſ.
ficuum ping. n. xi
Coquantur in aq. communis q. ſ. piſtatis adde
farinæ ſem. lini, pollinis farinæ tritici, ana unc. ſ. mellis, unc. i.
axungiæ porci, ung. baſilici, ana unc. ſ.
Fiat cataplaſma.

5 Auguſti tumor iam maturus ſcalpello apertus fuit, atque ulcus deinde inſtar aliorum ulcerum mundatum & conſolidatum eſt; & æger, qui iam iam hiantis Cerberi præda futurus videbatur, integræ ſanitati reſtitutus fuit.

Summa

SVmma virium debilitas, ut & alui commotio in hoc ægro summum periculum minabantur: quod tamen continuo antidotorum usu feliciter præuentum fuit.

HISTORIA LXIX.

FRedericus VVillenburch, iuvenis fortis, circiter triginta annorum, sponsus, cum Agnetam de Soust mense Augusto sibi uxorem duxisset, Venereum agrum nimis strenue (ut solent multi sponsi) coluerat. Hinc tertia nuptiarum die peste correptus, est, cum maxima anxietate & summa virium deiectione: febris autem exigua erat. Nihil profuerunt alexipharmaca, nec ullis modis collapsæ vires restaurari potuerunt. Circa finem secundæ diei ad campos Elysios delatus est.

SPonsi plurimi hoc tempore inter ipsas nuptias peste correpti sunt, & pauciſſimi à morbo euaserunt. Eodem illo tempore mulier quædam Noviomagensis spatio sex septimanarum tres maritos peste extinctos habuit: vix primo sepulto statim alteri nupsit, & sic etiam tertio; certè mulier non amore, sed libidinoso ardore flagrans, profectò flagris vel ignis ardore magis quam amore digna. Liberalior Veneris usus virorum corpora debilitando ad pestem disponebat, quæ cum propter debilitatem à seminis profusione inductam, pesti minus resistere possent, facile & cito deficiebant.

HISTORIA LXX.

SOror Ioannis Rouckus, ciuitatis Noviomagi Procuratoris, peste cum vehementi febre & anxietate correpta fuit, quibus accessit obscurus tumor in inguine. Ab ipso morbi principio vires admodum prostratæ erat. Secunda die vomitus sequebatur, qui tertia die valde violentus euasit, vireque adhuc multo magis deiecit, quo multa fœtidissima, turbida & varii coloris eiecit. Quarta die multo molestior & fere continuus euasit vomitus: tandem cum difficillimo conatu inter alia excrementa euomuit animalculum quoddam parvum tultar draconis viui, quo ejecto non diu post obiit. Mater ægræ illud animalculum Francisco Patien Chirurgo spectandum obtulit, (cum ego forte ad manus non essem) qui mihi retulit, fuisse bestiolam viuam, horribilem visu, oblongam, sed paruam, circiter longitudinis minimi digiti, quadrupedem, lacertæ non multum absimilem, excepto quod sanguinei coloris esset, & caudam tenuiorem ac paruas auriculas haberet.

QVis non miretur violentissimos effectus pestilentiæ? quæ tantam & tam venenatam putredinem paucis diebus inducere potuerit, ut breuissimo tempore animal venenatum, naturæ humanæ maxime contrarium, in medio corpore ex ea generatum fuerit? Mater ægræ narrauit mihi bestiam hanc aliquamdiu in pelui vixisse, quam Chirurgus Patien liquore aliquo affuso libenter occidisset, atque in perpetuam memoriam exsiccasset ac seruasset, ni contagii metus & ægræ morientis vestigia, ipsum deterruissent. Durante hac peste lumbricos breues, crassos, rotundos & rubros, interdum vomitu ejectos, interdum per alvum deturbatos vidi, sed præter hanc ægram, nullum unquam talem draconem eiecisse, nec vidi, nec audiui.

HIST.

HISTORIA LXXI.

DOminus VVelting, Nobilis Anglus, qui urbem videndi gratia Noviomagum venerat, 8. Augusti matutino tempore foras prodiens, capitis aliquam vertiginem, & non diu post maximam anxietatem sensit, ita ut se ad lectum conferre cogeretur. Vocatus Chirurgus sudoriferum exhibuit, & copiosos sudores promouit, à quibus nonnihil alleuatus fuit æger, & bubo sub axilla dextra erupit. Chirurgus post sudores venæsectionem in brachio dextro instituit, promittens se ægrum hac ratione citissime curaturum. Ex aperta vena sanguis floridus magna vi erupit, cumque iam aliquot unciæ effluxissent, Chirurgus nullis compressis, nullis ligaturis fluxum sanguinis cohibere, & venæ incisionem obturare potuit. Interim ægri vires in totum collapsæ sunt, & qui sub axilla eruperat tumor disparuit: anxietatibus adauctis etiam syncope accessit. Cum circiter per sesquihoram in obturanda vena frustra laborasset Chirurgus, tandem meum consilium etiam imploratum fuit. Inueni vulnusculo fungum illum, quo ad sistendum sanguinem utuntur Chirurgi, impositum, eique crassum compressum cum ligatura satis arcta iniectum. Iussi caput mortuum vitrioli imponere, sed nihil profuit. Cum autem æger crebris animi deliquiis identidem deficeret, iure desperata ad extremum remedium (sed nimis sero) deuenire necesse fuit, nempe ad ustionem, qua ferro ignito leuiter impositio vulnusculum occlusum fuit, atque ita sanguis quidem substitit, sed æger non obstantibus variis exhibitis corroborantibus, post semihoram exspiravit, atque ita secundum Chirurgi promissum morbus citissime curatus fuit, idque tam egregie, ut recidiuam metuere necesse non fuerit.

QVamuis rarissime eueniat ut aperta vena rursus occludi nequeat, tamen vel eo tantum nomine in peste metuenda est venæsectio, cum illud quod aliquando fit, pluries fieri posse, credibile sit. Tantum bis mihi hunc casum videre contigit, semel in prædicto ægro, & mense Iunio adhuc semel in uxore militis cuiusdam Frisii, quæ cum sibi venam in pestilenti febre pertundi curasset, Chirurgus factam incisionem nullis medijs obturare potuit, quam ego quidem impositia petia oleo vitrioli intincta restrinxi, sed tamen ægra intra horæ spatium vitæ naufragium fecit. Zacutus Lusitanus, *Admir. 3. observat. 41.* similem casum in cucurbitulis obseruauit: *Multis* (inquit) *in peste sanguis è cucurbitulis emanans, nec validis auxilijs, nec cauterio ipso potuit compesci; omnes obiere: nam facultas retentrix à venefica qualitate prorsus erat extincta.*

HISTORIA LXXII.

GErardus Buys Pharmacopœus, vir fortis, qui amuleto arsenicali munitus semper incedebat, pustulam rubram inflammatam sine dolore, cum leui pruritu in collo percepit, quæ mihi aliquid mali ominari visa fuit, ac propterea ad tempestiuum antidotorum usum ipsum exhortabar. Verum ille rem nocci faciebat, & toto corpore valens, consueta munia peragebat, bene edebat, bibebat, ridebat, & hilaris erat, nec quicquam mali suspicabatur; imo etiam me irridebat quod de periculo aliquo locutus fuissem. In tali statu circiter per tres septimanas vixit. Tunc demum capitis grauitate, cordis anxietate, nausea, & debilitate infestari cœpit. Assumpto alexipharmaco (cui præter cætera lapidis bezoar orientalis integra drachma admixta erat) cum copiosius sudasset, nihil

quidem affeuatus fuit, sed prædicta pustula in perfectum carbunculum transiit. Postridie febris vehementior euasit, vires admodum dejectæ sunt, denique morbi violentia omnium antidotorum vim superante, post triduum è vivis excessit.

DIsputant Medici, utrumne pestilens venenum in corpore aliquamdiu occultum latere possit, antequam grauibus symptomatibus se prodat: quam quæstionem agitauimus *lib. 1. cap. 10.* Mercurialis, Andreas Casalpinus, Vnzerus, aliique grauissimi Medici, negatiuam tenent: è contra verò Roboretus, Platerus, Sennertus, & alii affirmatiuam defendunt quam posteriorem opinionem etiam confirmat experientia, ut liquet ex prædicta historia, ut & ex sequenti historia 103. Affirmatiuæ etiam astipulari videtur Fernelius, nam Pathologiæ *lib. 4. cap. 18.* inquit: *Interdum carbunculi initium multo ante tempore conspicuum, quam febris est.*

HISTORIA LXXIII.

IAcobus Verhorst & Casparus Nitteler, socii milites, animi gratia exutis vestibus in flumine aliquamdiu natauerant, atque ita modo aquis, modo calidissimis solaribus radiis nuda corpora exposuerant. Peracta natatione, ambo dolorem capitis gravativum, senserunt, cum inclinatione ad somnum. Ad hospitium reuersi lecto se imposuerunt & dormiuerunt. Post aliquot horas euigilantes, præter capitis dolorem, etiam anxietatem maximam cum nausea senserunt, cui non diu post magna quoque febris adiuncta est. Exhibui utrique alexipharmacum, à quo cum propter summam inquietudinem sudare non potuissent, post aliquot horas alterum sumpserunt, quod rursus euomuerunt, nec deinceps quicquam amplius assumere voluerunt. Inextinguibili siti ambo torquebantur. Iacobus magnum dolorem sub axilla, sed absque manifesto tumore habuit, & circa finem secundæ diei obiit. Casparo autem parvus doloroſus tumor in parotide erupit, & morbum protraxit usque ad quartum diem, quem una cum vita finivit.

HIusmodi infelices casus in pluribus aliis natatoribus etiam obseruauimus, ac proinde illas natationes curiosissime prohibere solebam: partim quod periculosum foret feruidis radiis solaribus nudum corpus exponere: partim quod etiam periculosa foret illa mutatio, qua modò à sole corpora calefiunt, modò ab aqua refrigerantur: denique quod ipsa fluminis aqua valde suspecta esset, quia Germaniam versus plurimæ urbes, & innumeri pagi in Rheni littoribus siti, grauissima peste affligebantur; quorum omnium locorum contagiosa inquinamenta in flumen effluebant, & aquam illam, Noviomagum versus descendentem, ratione contagii haud parum suspectam reddebant.

HISTORIA LXXIV.

ANeilla Iacobi Leeuwens, Mercatoris vini, quæ in horto eius decumbebat, secunda morbi die urinas oleaginosas copiosas reddidit, ita ut oleum crassum & turbidum repræsentarent. Carbunculum habuit in altera mamma. Assumptis alexipharmacis & sudoriferis omnia gravia symptomata una cum febre cessarunt, & ipsa præter opinionem à morbo conualuit.

Cum

CVm talibus urinis oleaginosis tantum duos tresve euasisse noui: omnes reliqui, quot quot tales urinas reddebant, citissime mortui sunt.

HISTORIA LXXV.

ADolphus Fildar, Chirurgus non imperitus, qui amuleto arsenicali curiose semper munitus erat, 11. Iulii peste correptus, sibi ipsi sudoriferum aliquod præparavit, à quo cum copiose sudasset, buboni (qui in inguine apparebat) cucurbitam magnam cum multa flamma imposuit, eamque bis terve reiteravit. Hinc pars affecta valde intumuit, & tam horribili dolore ægrum affecit, ut quo se verteret, nesciret. Magnum istum dolorem violentissima febris, & hanc summa debilitas viriumq; dejectio insecuta est. Tunc meum quoque consilium expetiuit. Exhibui varia sudorifera & antidota: parti quoque affectæ, tam ad intensissimi doloris sedationem, quam ad veneni extractionem, varia topica admoui. Verum his omnibus cum nec febris, nec dolores imminuerentur, æger deficientibus viribus morbo victoriam concessit.

ANimaduertimus in plurimis ægris, quibus cucurbitulæ bubonibus impositæ fuerant, illud remedii genus fere semper infeliciter cessisse; & dolores adeo acres hoc modo parti affecta fuisse inductos, ut inde acerrima febris excitaretur: cuius violentia antequam sedari posset, plerumque virium defectu extinctos fuisse ægros. Quapropter licet in pestis huius exordio etiam nobis illud auxilium arrideret, partim quia veteres, multique clarissimi Medici illud commendarent; partim quia ipsa ratio illud etiam approbare videretur, tamen postea in totum ab illo abstinuimus, & usu edocti sumus, bubones tutius ac melius tractari cum vesicatoriis & cataplasmatibus attrahentibus ac emollientibus, quam cum violenta cucurbitularum suctione, qua non ipsum venenum pestilens, (quod hoc modo extrahi nequit) sed tantum sanguis vicinique humores supra glandulas in durum cumulum contracti, vel glandulas comprimunt, earumque extensionem ac venenati ichoris receptionem impediunt; vel vias quæ ab internis vasis ad glandulas tendunt, obstruunt, atque ita in causa sunt quod natura sæpe laudabilem veneni expultionem ad emunctoria perficere nequeat.

HISTORIA LXXVI.

CHristianus ab Vmmerson, vini Mercator, magna inappetentia laborabat, cui etiam aliqualis nausea aderat: valde debilis erat, quia per multos dies vix quicquam comedere potuerat. Ipse pestilenti contagio se infectum esse arbitrabatur: sed male, nam causa mali inde proueniebat, quod bonus ille vir præteritionis gratia quotidie matutino tempore vino absinthite maiore copia utetur. Quod cum illico animaduerterem, huius vini usum plane prohibui, ac dieta conueniente præscripta, hunc bolum exhibui:

Rec. *Rhabarbari pulueriſati, ſcrup. ij. cremoris tartari, ſcrup. j.*
pulpæ tamarindorum, unc. ſ. ſyrupi de limonibus parum.
Fiat bolus.

Hinc ter ista die alvum exonerauit. Postridie tale conditum præscripsi;

Rec. *Calami aromatici, nucis moſcatæ, macis, florum ſulphuris, ana ſcrup. j. ſ.*
cremoris tartari, unc. j. cinnamomi, ſcrup. j. gariophyllorum, ſcrup. ſ.
Pulueriſentur ſubtiliſſimè, deinde addantur.

radic. helenij cond. drach. vj. conſeruæ anthos, unc. ſ.
zingiberis condit. drach. vj. olei vitrioli gut. xv. ſyrupi de limonibus q. ſ.
Fiat conditum.

Huius conditi mane & veſperi, interdum etiam meridie, particulam edebat, à vini abſinthitis uſu abſtinendo. Hinc breui rediit appetitus. Ex illo tempore conditum hoc tanti fecit, ut illud poſtea per aliquot annos multoties à Pharmacopœo confici curaret, ad appetitum & ſanitatem (ut aiebat) conſeruandam.

QVamvis abſinthium, quocunque modo moderate ſumptum, aduerſus venenum peſtilens egregium ſit præſeruatiuum, & ventriculum detergeat, atque appetitum excitet: immoderatum tamen eiuſdem uſum multoties animadverti inducere debilitatem, & cibi inappetentiam. Sic N. Heymerick à nimio vini abſinthitis uſu (quo ſe per annum peſſime aſſueuerat, ut peſtis contagium euitaret) adeo deiectum appetitum habuit, ut poſtea nullis medis reſtaurari potuerit; atque ea de cauſa debilitatis internis viſceribus, tandem vitam cum morte commutauerit. Ita quoque Antonius de Tricht Pharmacopœus, vini abſinthitis matutino potui nimis deditus, per aliquot annos adeo inappetens fuit, ut vix quicquam comedere potuerit, cumque illius vini matutinum uſum, vel potius abuſum, intermittere nollet, tandem epilepticus factus miſere obiit. Quapropter in uſu abſinthii, ſicut in omnibus aliis rebus, modus ſeruandus eſt: nam etiam optima quæque, vel medicamenta, vel nutrimenta, immoderate ſumpta, nocent.

HISTORIA LXXVII.

PAter Felicianus Sacerdos, Ordinis Franciſcanorum Monachus miſſionarius, vir doctus & humaniſſimus, peſte correptus eſt, cui vix ulla manifeſta febris adiuncta erat, ut nec alia grauia ſymptomata, præter ſolam & ſummam anxietatem, qua cor tanquam in prælo comprimi dicebat. Poſt ſudorem copioſum alexipharmaco prouocatum, duo exiles carbunculi in femore eruperunt, etiam dolor in inguine perceptus eſt cum obſcuro quodam tumore. Exhibui tria quatuorve ſudorifera, & alia quoque antidota intermedio tempore dedi, verum his omnibus neque inguinis tumor adauctus, neque anxietas quicquam imminuta eſt. Interea tamen vires egregie conſtabant, ac valde parum deiectæ erant. Quarta morbi die cum ipſum inuiſerem, totus veſtitus erat, & circiter horæ quadrantis ſpatio mecum per cubiculum deambulauit, (non titubante gradu, ſed fortiter) ac de confidentia in Deo, de non extimeſcenda morte, de maximo & flagrantiſſimo ſuo hinc ad ſalutarem patriam migrandi deſiderio, multa notatu digniſſima loquebatur. Poſtea inter ambulandum monſtrabat mihi etiam ſex ſeptemve exanthemata purpurea, quæ in pectore & brachio eruperant, & rogabat quales nam eſſent, & quidnam indicarent hæ maculæ? Reſpondi eſſe mortis aduentientis prænuncias. Quo nuncio intellecto, bonus ille vir non minus gauiſus eſt, quam gratiſſimo aliquo dono accepto, & ſtatim cum gaudio in hæc verba erupit: Iam liberabis ſeruum tuum Domine, & videbunt oculi mei ſalutare tuum facie ad faciem: fiat voluntas tua; & ſit nomen tuum benedictum in ſæcula. Tunc ego ipſi in æternum valedixi; atque diſceſſi. Poſtea retulerunt mihi aſſantes qui illi inſeruiebant, quod ſtatim poſt meum diſceſſum diceret: Sentio me ab ambulatione aliquantum delaſſatum; & cum dicto lecti margini ſe impoſuiſſet ſedendo, atque illico quaſi in momento retrorſum ſupra lectum cadens exſpiraſſet.

Quod

QVod in hoc ægro, illud in nonnullis aliis etiam animadvertimus, nempe in quibusdam peste laborantibus tantam corporis fortitudinem usque ad mortem fuisse, ut ambulantes, nec quicquam minus quam mortem metuentes, subito conciderint. Verum in pauciſſimis tantam animi fortitudinem, tantam in morte conſtantiam, tantum vitæ æternæ ex intimo corde procedens deſiderium obſeruauimus, quantum in prædicto D. Feliciano, & ſocio eius Tiburtio, nec non Patre Gregorio, eiuſdem quoque Ordinis Monacho, qui tres ſummo cum gaudio mortui ſunt, totumque mortis metum læta ſpe melioris vitæ omnino extinxiſſe videbantur. Non omnes qui vitæ æternæ gaudia prædicant, ad illa feſtinant, ſed extrema neceſſitate ingruente plerique diverticula quærunt, & his illiſve mediis extremam illam horam differre nituntur. Sic Patet de Bruyn, Ieſuita doctus, cùm peſte correptus eſſet, maximo mortis metu perculſus fuit, & tam altum terrorem concepit, ut exhibita remedia plane nihil operarentur ad ſalutem: tandem omnibus nihil proficientibus, cum ab exanthematum eruptione mortem ipſi prædiceret, tres quatuorve exiguas pyxides (in quibus imagines, reliquiæ ſanctorum, ſchedæ benedictæ, & ſimilia continebantur) de collo pendulas manu prehendens, ac cum indignatione irridens, dicebat: *O inania fulcra, in quibus confiſus ſum! quid iam mihi prodeſtis?* & paulo poſt cum magna deſperatione obiit, immemor verſiculi:

Fer facilis quod fata ferunt; ſi ferre recuſas,
Ipſum te crucias, nec minus illa trahent.

HISTORIA LXXVIII.

CAſparus de Svvart, cum à Molarum platea ad plateam Ceruinam properaret, breuioris viæ gratia tranſiuit vicum quendam rariſſime frequentatum, iuxta templum B. Mariæ ſitum, in quem ex plurimis infectis ædibus ſordes, ſtramina lecticaru m, vetuſta ac detrita veſtimenta, ægrotorum fæces & exerementa, aliaque ſimilia tunc temporis proijciebantur. Ipſe in tranſitu à contagioſo harum rerum fœtore grauiſſime affectus, & tanto contagio infectus fuit, ut domum veniens ſtatim conciderit, vomuerit, capitis dolore & maxima cordis anxietate preſſus fuerit, in utroque crure carbunculum habuerit, atque intra viginti horas vitam finiuerit.

NOn ſine ratione curioſiores Rerumpublicarum Gubernatores edicto iubere ſolent, ut omnes res contagii ratione ſuſpectæ comburantur, neque in publicum projiciantur: atque ita in nonnullis Italiæ locis interdum integras domos cum tota ſupellectili Magiſtratus iuſſu combuſtas fuiſſe, legimus. Verum Magiſtratus Noviomagenſis, & belli turbis, & morbi furiis intricatus, multarum huiuſmodi neceſſariarum rerum negligentiorem curam habuit: quæ etiam cauſa fuit, quod contagii ſemina plurimum diſſeminata fuerint.

HISTORIA LXXIX.

MEnſe Auguſto Domicellam quandam nobilem, (quæ in cubiculo prope arcem Noviomagenſem ad eius curationem à me conducto commorabatur) lue Venerea grauiter infeſtatam, tractabam, cui cum poſt præmiſſa generalia, iam per quatuor dies quotidie bis ſudores Guaiacino decocto prouocaſſem, peſtis illarum ædium domeſticos inuaſit, è quibus intra ſex dies quatuor mortui ſunt; unica vetula ſuperſtes remanſit, quæ huic Domicellæ inſeruiebat. Domicella peſtem magis quam luem Veneream timens, libenter alio migraſſet; verum quia in tota ciuitate pauciſſimæ domus erant in quibus

bus contagium nõ dominaretur; ad hæc quia verebar mutatione domicilii & ipsam & morbum eius ab aliis cognitum iri, suasi ut illic maneret, & nihil periculi metueret, propterea quod à peste omnino immunis futura esset, quo usque curationi luis Venereæ vacaret. Meũ consilium secuta remansit, & continuatis quotidianis sudoribus, aliisque remediis ad luis Venereæ curationem necessariis, & suffumigiis ad aeris emendationem in cubiculo etiam excitatis, nullum pestis aculeum sensit, sed post tertiam septimanam bene sana & pulcherrima discessit, quæ horribili turpi Venerea scabie fœdata ad nos venerat.

CVm in morbi Gallici curatione medicamentis talibus plerumque utamur, quibus Venereum virus à centro ad peripheriam propellitur, non facile tales agri, quousque huic curationi se submittunt, peste corripiuntur; quamuis etiam inter pestiferos versentur, ut ex prædicta historia liquet; quam etiam ratio approbat: nam quoulque natura occupata est in expulsione veneni Venerei à centro ad corporis circumferentiam, non facile potest recipere, & à circumferentia ad centrum attrahere venenum pestilens; vel si illud forte receperit, statim per apertos pororum meatus illud rursus foras expellit. Sic ob eandem pene rationem dicit Paræus, *lib.* 21. *cap.* 21. quartanarios à peste magis tutos & liberos esse, quia tertio quoque die vehementer sudare solent: quod ipsum quoque affirmat Sennertus, *de Peste, c.* 1.

HISTORIA LXXX.

MAchtilda de Bie, iuvencula circiter viginti annorum, 3. Septembris peste correpta fuit, cum anxietate, febre & anthrace in brachio. Sudorifera aliaque conuenientia antidota ab ipso morbi principio satis curiose exhibita fuerunt. Eodem tenore continuauit febris usque ad diem quartum, quo hæmorrhagia narium superuenit, qua sanguis, non quidem statim, sed paulatim, diu & magna quantitate effluxit. Vt hanc hæmorrhagiam sisteremus, omnes modos adhibuimus; per Chirurgum extremas partes arctius ligari, oxycratum actu frigidum ceruici, fronti & pudendo admoueri, cucurbitulas cum multa flamma pedibus applicari, pulueres astringentes cum petiis natibus immitti, aliaque multa fieri curauimus; quibus omnibus non iuvantibus, tandem etiam inuiti ad venæsectiones brachiorum peruenire coacti fuimus: sed omnia frustra tentata sunt, nec sanguinis è naribus effluxum sistere potuimus, qui cum circiter per triginta horas perduraret, ægra deficientibus viribus animam æternitati consecrauit.

MInime audiendi sunt illi, qui in peste hæmorrhagias die critico incidentes, in principio non modo non cohibendas, verum etiam, si tardiores fuerint, magis promouendas esse, indicant. Ea iuuatur toto cœlo, nam licet natura hoc modo se à grauante malignitate leuare nitatur, frustra tamen per illam viã id facere laborat, per quam pestiferum venenũ cordi maxime impressum, aut parum, aut nihil in minui potest: vel dato, aliquantum imminui, certum tamen est profusione multo spirituum & copiosi ac boni sanguinis, citius viribus collapsis morituros ægros, quam tota malignitas excerni possit. Hinc etiam Saxonia, *Praxeos lib.* 8. *cap.* 37. scribit, vacuationem sanguinis per nares in pestiferis nunquam esse salutarem, & magna ex parte compesci non posse; atque in hoc differre pestem ab aliis acutis, quod hæ per sanguinis narium copiosam excretionem feliciter iudicentur, illa vero infeliciter. Dictum comprobat experientia, qua in hac peste edocti sumus, periculosissimas & plurimis lethales fuisse crises illas, quæ per hæmorrhagias, sive narium, siue menstruorum, siebant, easque rarissime sponte subsistisse; ut plurimum autem si in ipso principio arte non siste-

sisterentur, postea plane nullis mediis sisti potuisse; imo sæpe etiam maxima diligentia adhibita sisti nequiuisse. Huiusmodi lethalis hæmorrhagiæ exemplum quoque refert Schenkius *in suis Obseruationibus*. Forestus in peste Delphensi etiam obseruauit, plurimos, quibus sanguis è naribus fluebat, fuisse mortuos.

HISTORIA LXXXI.

VXor Ioannis Pallemer, Cerevisiarii, peste correpta, unum carbunculum in sinistra manu inter minimum & annularem digitum habuit, alterum vero in primi digiti medio. Nec vehemens febris, nec, præter magnam anxietatem, alia sæua videbantur adesse symptomata. Sudorifera aliaque alexipharmaca ab ipso morbi principio diligentissime exhibita sunt, quibus omnibus non obstantibus, tamen paulatim magis magisque defecerunt vires, ac die morbi septima vitæ huius miserias exuit.

IN hac peste obseruauimus plerumque sinistri omnis fuisse anthraces in digitis prodeuntes; & ex innumeris ægris, quibus id contingebat, pauciſſimos euasisse.

HISTORIA LXXXII.

HErmannus Thomas, pistor, cum militem quendam peste correptum & phreneticum horribili vultu foras excurrentem & vociferantem casu conspexisset, tanto terrore perculsus est, ut inde statim & ipse pestem conceperit. Exhibui sudorifera, aliaque varia antidota: prodierunt duo carbunculi cum obscuro tumore sub axilla, sed absque leuamine. Nullis modis, nec verbis, nec rationibus ab animo illius excuti potuit conceptus terror. Omnibus frustra tentatis, quinta die visa sunt exanthemata purpurea; & sequenti nocte obiit.

TErrorem ad pestis inductionem plurimũ facere, non tantum nos in hac peste animaduertimus, sed illud ipsum quoque in aliis pestibus multoties obseruatum fuisse, testes sunt Euagrius, Nicephorus, Erasmus Hedenus, Scheunemannus, Ioannes Matthæus, Sennertus, & alii. Semper etiam notauimus, rarius euasisse illos qui ex alto concepto terrore, peste corripiebantur, quam alios, quos absque hoc præcursore inuadebat.

HISTORIA LXXXIII.

IAcobus ab Hamburch, eques Capitanei Thomæ Lucas, vir fortis, audax & temerarius, 12 Octobris peste cum febre violenta & bubone in inguine correptus, post varia assumpta alexipharmaca, quarta morbi die fortiter tussire, lexta autem sanguinem tussiendo rejicere cœpit copiosius, è quo signo illum morituum iudicaui. Attamen ne mea incuria perire videretur, ut sanguinis sputum aliquantum cohiberi & imminui posset, 18. Octobris circa vesperam hunc puluerem præscripsi, quem illa nocte duabus vicibus cum pauxillo aquæ theriacalis assumpsit:

Rec. *Boli arm. corn. cerui usti, ana scrup. j. florum sulphuris, scrup. j. ß*
specier. diatrium santalorum scrup. j. croci or. scrup. j.
sacchari candi albi. drach. j. ß

Fiat

Fiat pulvis subtilis, qui dividatur in duas dosses.

19 Octobris febris remissior fuit. Tunc sæpius de die sequentis electuarii particulam edere iussi:

Rec. *Specier. diatrium santalorum, cornu cervi usti, ana scrup. j. ſ.*
coralli rubri, spodij usti, terræ sigillatæ, croci orient. ana scrup. ß
florum sulphuris, scrup. ij.
Fiat pulvis subtilissimus, cui adde
diascordy Fracastorii, drach. iij. conservæ rosarum rubr. unc. j.
syrupi de scordio, & de rosis siccis, ana q. ſ.
Fiat electuarium.

Hoc die bubo, qui topicorum usu ad maturationem perduxerat, à Chirurgo pertusus est. 20 Octobris omnino febris expers fuit, sanguinis tamen sputo remanente. Cum appetitu aliquantum comedere cœpit æger. Continuatum est in usu electuarii. Quia vero durante morbo tantum bis alvum exoneraverat, circa vesperam ex pilulis Ruffi tres pisi magnitudinis pilulas deglutivit, à quibus sequenti mane duos secessus habuit. Hoc facto ad electuarii usum rediit. 21. Octobris dicebat se magna vi tussiendo frustula quædam pulmonis cum multo sanguine rejecisse. 22. & 23. Octobris sputum sanguinis multum imminutum est: quapropter illum diætæ commisi, & ab omnibus rebus noxiis abstinere iussi. Anno sequenti, mense Martio, rursus ad me venit, valde emaciatus & debilis, ac conquerebatur se post sanationem pestis aliquamdiu mediocriter valuisse, verum sanguinis sputum nunquam intotum subtilisse: in magno autem gelu mensis Februarii ipsum adeo afflictum esse, ut per aliquot septimanas lecto incumbere coactus fuisset, Animadverti hominem ex ulcere pulmonis tabem iam contraxisse, nam præter sanguinem etiam verum pus rejiciebat, quapropter illum eodem modo, quo varios alios vere phthisicos alias sanavi, curare aggressus sum, atque ita circiter trium mensium spatio pristinæ sanitati omnino restitutus fuit.

HÆc historia tanquam rarissima notanda est: nam in tota hac truculentissima peste, præter hunc unum solum equitem, cum sputo cruento (quod à carbunculis in pulmone excitatis plerumque inducitur) neminem vidisse scio: rogavi etiam Chirurgos, quibus pestiferorum curatio demandata erat, anne illud ullum vidissent, qui testabantur se observasse omnes illos quibus sputum cruentum superveniebat, brevissimo tempore mortuos fuisse.

HISTORIA LXXXIV.

DVo filii Domini Gatien, Galli, Verbi divini Ministri, peste cum violentissima febre correpti intra triduum occubuerunt. Cadavera tertio post mortem die horribiliter immutata, valde tumida, & instar carbonis vel atramenti tota nigricantia visa sunt: ita ut Pater, qui ex Hollandia post mortem filiorum advenerat, ipsorumque cadavera adhuc videre desideraverat, primo viso, adeo abhorruerit, ut statim effugiens secundum videre ausus non fuerit.

CAdaverum citissima & malignissima corruptio maximi veneni index fuit. Sciendum tamen in hac constitutione omnia pestiferorum cadavera, tam cito & tam horribiliter putrefacta non fuisse: nam multa non minus quam ab aliis morbis emortua corpora, per aliquot

aliquot dies absque manifesta putredine seruari potuerunt, nempe illa, quæ absque magna febre enecata fuerant: quibus vero ægris pestiferis grauis febris adfuerat, eorum cadauera propter malignam humorum putredinem cito computruerunt; & quanto humorum putredo cum febre, morbo durante, grauior fuerat, anto post mortem citior & malignior, magisque horribilis cadauerum putredo sequebatur.

HISTORIA LXXXV.

PEtrus Parvus (inde Parvus cognominatus, quod esset breuioris staturæ) rusticus nōtissimus in pago Bemmel, unico miliari à Noviomago distante, peste correptus fuit, cum violenta febre, aliisque grauibus symptomatibus, à qua tertia die mortuus est, ut putabatur. Consanguinei, qui illi inseruiebant, amiculo ferali corpus induerunt, idque à lecto in pauimentum super stramina deposuerunt. Etiam hæredes vestimenta eius aliamque supellectilem inter se diuiserunt, atque ita metu furum spoliarunt domum omni supell. & ile. Interea etiam curarunt ut cista feralis à fabro lignario conficeretur, atque ad exequias sequenti die peragendas omnia præpararunt. Postridie omnibus iam paratis, sola cista feralis (sine qua nostrates mortuos non sepeliunt) deerat, quam faber lignarius propter plurima negotia tam citò conficere non potuerat: quapropter exequiæ usque in tertium diem necessario differendæ erant. Sequenti die cista feralis iam parata, cum ad funeris elationem festinaretur, viderunt mortuum efferendum remittere, & brachia ac pectus commouere, (postquam quinquaginta duabus horis in tali statu tanquam verè mortuus iacuisset) qui etiam intra horæ quadrantem surgebat, vociferabatur, indusium aliaque lineamina totus maniacus dilacerabat, imò quoque in proximè astantes violentas manus inferebat; ita ut illum vi continere, & fasciis brachia ligare ac constringere necesse fuerit. Durauit illa maniaca passio circiter per quinquaginta quatuor horas (ut ipsemet mihi narrauit) ac postea cessauit, & æger plane ad se rediit, atque consanguineos nonnullos suis vestibus indutos, aliamque supellectilem inter hæredes diuisam vidit, quam ipse rediuivus postea flor repetit. Intra paucos dies vires deperditas recuperauit, & à morbo conualuit cum maxima omnium admiratione. Nono iam anno (quo historias has in ordinem redigo) bene sanus viuit, & inseruit etiamnum hodie Nobilissimo viro Ioanni de Bronckhorst, Batauiæ superioris Maiori, in eodem pago habitanti, eiusque opera rustica peragit.

IN peste aliisque contagiosis morbis corpora mortua ratione contagii citissime inmumari solent; quæ ultra biduum, præsertim æstiuo tempore, asseruanda non esse, aliàs docuimus. Verum semper diligentissime animadvertendum, annè verè mortua sint: nam multoties obseruatum est, ægris pestiferis talia animi deliquia superuenire, ut pro mortuis habiti, imo nonnulli etiam viui inter mortuos sepulti fuerint: quod etiam prædicto Petro Paruo accidisset, si cista feralis pridie parata fuisset, nam illum certissimè mortuum esse, omnes putauerant. Hinc verosimile est, in illis locis ubi peste extinctos intra paucas horas sepeliunt, plurimos huiusmodi errores committi. Qualem historiam refert Alexander Benedictus, *lib. de Peste, cap.* 1. de nobili Matrona, quæ tali modo viua inter mortuos deposita fuit. Lycosthenes quoque, *lib. de prodig. & ostent.* duas memorabiles refert historias eorum qui peste mortui putabantur, & quibus exequiæ iam parabantur, qui antequam sepelirentur, reuixerunt. Hildanus, *centur.* 2. *obseruat.* 95. tria clarissima exempla pestiferorum enarrat, quorum primi corpus iam loculo imponebatur ad sepulchrum efferendum: secundi iam sepultum fuit, & postea, cælo a furibus aperto sepulchro, ad se rediit: tertii à Ioanne Viero Medico deprehensum

prehensum fuit non esse mortuum. Ioannes Iacobus Cratitius, *in epistola ad Hildanum*, varia huiusmodi exempla recenset. Hæc cum in peste accidere posse, notissimum sit, cuiusque officii est mortuos suos non statim à vespillonibus temere ac sepulchrum efferri curare, sed prudenter prospicere, ne, temerariæ festinationis errore, homicidium committatur. Extra pestem in aliis morbis talia non semel quoque euenisse, & nonnullos apoplexia, lethargo, comitiali morbo, vel uteri strangulatione oppressos, ita suffocatos fuisse, ut pro mortuis habiti, & nonnulli etiam inter mortuos sepulti fuerint, testes sunt Plinius *Natural. Hist. lib. 7. cap. 52.* Lemnius, *de occult. rerum mirac. lib. 2. cap. 3.* & Georgius Pictorinus, *Sermon. conviual. lib. 1. cap. 10.* nec non Paræus, Forestus, Albertus Bottonicus, Schenckius, Amatus Lusitanus, & alii. Idemque etiam mihi semel videre contigit in quodam nautæ puello quatuor annorum, qui anno 1641, media hyeme prope portum Nouiomagensem in aquam incidens, suffocatus ac pro mortuo domum delatus est, ubi à vicinis & matre vestibus detractus amiculo feriali indutus, & in pauimento super stramina collocatus fuit, interea dum cista feralis pararetur: postquam summæ aëris frigiditissimi violentiæ puer ibidem per decem horas expositus iacuisset, nec corpus obriguisset, me vocarunt, ut unde illud fieret scire possent: ego manibus utrimque tempora pueli constrinxi, atque obscurum quendam arteriarum temporalium motum sensi, quem deinde etiam in carpo brachii deprehendi: quapropter iussi statim puellum igni luculento admoueri, totum pectus, ventrem, tempora ac faciem cum spiritu vini calefacto, calidis manibus fricari; quod cum aliquamdiu factitatum fuisset, cœpit puellus brachia & crura leuiter mouere, anhelitum etiam manifestius ducere; verumtamen non rediit ad se, sed cum in tali statu adhuc per sesquihoram vixisset, obiit: fortasse si in principio prope ignem bene ca efactus, & immenso illi frigori (nam asperrimum erat gelu) tot horis nudus expositus non fuisset, in vita seruatus esset.

HISTORIA LXXXVI.

VXor Domini Verspieck, ciuitatis Nouiomagi Consulis, peste cum graui anxietate correpta, statim conquesta est de dolore secundi digiti pedis dextri: explorato loco, in extremo articulo vesiculam, & sub ea parvum carbunculum deprehendi, è quo infelicem morbi euentum præiudicaui. Varia sudorifera exhibui, à quibus optime sudauit: alia etiam dedi antidota, tam ad virium sustentationem, quam ad febris (quæ admodum vehemens non erat) & veneni extinctionem: verum hæc omnia nihil profuerunt, vires defecerunt, & quarta morbi die è medio sublata est.

EXperientia multoties in hac peste edocuit, veritati minus consentaneum esse illud, quod nonnulli magni Medici pro certo statuunt, carbunculos quo longius à corde diffiti sunt, tanto meliores indicii esse. Nos tenere semper obseruauimus, anthraces in pedum digitis prodeuntes, infelicem morbi euentum prænunciasse. Sic etiam Hippocrates *epid. lib. 1. sect. 3. histor. 9.* scribit, Critonem pustulis nigris ad pollicem & talum erumpentibus, secunda morbi die mortuum fuisse. Sic Silenus *eodem lib. sect. 3.* cum extremorum nigritie obiit.

HISTORIA LXXXVII.

VXor VVichmanni Buys, cùm per aliquot dies peste cum exigua febre & summa anxietate laborasset, ac carbunculum cum tumore in inguine haberet, omniaque exhibita sudorifera, alexipharmaca, & alia præsidia nihil omnino profuissent, tandem in utraque manu

manu nonnullæ maculæ nigræ atramento similimæ apparuerunt, sine dolore, oblongæ, haud alterius formæ ac si calamo scriptorio latioris crenæ super cutim raptim inductæ fuissent; atque adeo perfecte hanc formam referebant, ut ego ipsemet in eo deceptus fuerim, quod illas calamo scriptorio cum atramento inductas esse arbitrarer. Verum cum ægræ paululum astarem, vidi illas rursus plane euanescere, ita ut earum ne minimum quidem vestigium amplius appareret: paulo post alias similes alibi rursus emergere vidi, sed tamen non exacte eandem formam & magnitudinem habere: idque dum astarem me præsente bis terve factum fuit. Ex his maculis (etsi præter anxietatem, ægra aliis valde grauibus symptomatibus infestari non videretur) mortem prædixi, quæ post paucas horas præsagium euentu confirmauit.

NVnquam durante tota hac peste huius formæ maculas amplius vidimus, quas à spirituum subtilissimorum pestilenti veneno infectorum, è finibus arteriarum exhalantium, & sub duriore cuticula paulisper subsistentiū, malignitate inductas fuisse certum est.

HISTORIA LXXXVIII.

RVtgerus Pontman, miles, cum muskettam explodere vellet, nescio quo infortunio disrupta machina, in frusta dissiliens, pollicem dextræ manus amputauit. Miser ille à terrore & dolore statim pestilenti febre correptus est. Post deligatum vulnus exhibui sudoriferum, à quo fortiter sudauit, & sub axilla brachii vulnerati acutissimum dolorem sensit. Circa noctem idem sudoriferum reiteratum est. Postridie dolorem sub axilla euanuisse dicebat, sed intolerabili totius manus dolore se tota nocte vexatum fuisse. Interea febris magna vehementia continuabat. Cum vulnus à chirurgo dissolueretur, vidimus totam manum nigricare, multasque liuidas pustulas undique enatas esse, adhæc scarificationes altas in manu factas vix sentiri, & partem à veneni pestilentis malignitate, eò expulsa, iam propemodum emortuam esse. Spiritum vini cum linteaminibus manui circumposuimus. Plura topica adhibere necesse non fuit, nam paulo post prodierunt exanthemata purpurea, & subrepens mors vulneris curationem & vitæ cursum interrupit.

QVi peste correpti partem aliquam corporis grauiter affectam habebant, ad illam partem venenum pestilens sæpissimè exitialiter propulsum fuisse, vidimus.

HISTORIA LXXXIX.

PEtrus à Deutecom peste, cum sopore, anxietate, & carbunculo in crure, correptus, theriacæ drach. j. cum aceti calendulati unc. ij. & olei iuniperi scrup. ſ. assumpsit, atque ita stragulis bene coopertus ad sudorem se composuit, & dormiuit: at sudare non potuit. Media nocte expergefactus se maxima anxietate pressum sensit: accessit febris cum maxima siti, & denique vomitus violentus. Mane ego accitus ægrum valde debilem inueni. Præscripsi sudoriferum, quod cum statim euomeret, secundum datum est, quod post tantillum temporis etiam reiecit. Cum autem viderem illum nihil retinere posse, primo vomitum sedare annixus sum, in quem finem hanc misturam præscripsi, de qua sæpius de die cochleare plenum ægro exhibere iussi:

Rec. *Conserua rosarum rubr. drach. vj. diascordij Fracast. drach. ij.*

docet. 3. Quod horum hominum natura, licet forte in principio ad pestem susciptendam complexionis ratione aliquantum disposita sit, tamen longa consuetudine veneno pestilenti sic paulatim assuescat, ut ab eodem postea minus affici queat. Illud impossibile non esse, docent alia venena, quibus natura paulatim ita assuescere potest, ut tandem nihil noceant. Sic Galenus *lib. 3. de simpl. medic. facult. cap. 18.* refert anum quandam Athenienſem ab exigua cicutæ potione auſpicatam, poſtea nullo detrimento ad magnam copiam progreſſam fuiſſe. Nota quoque eſt hiſtoria (quam ex Ruffi teſtimonio deſcribit Auicenna) de elegantis formæ puella, quæ venenis nutrita Alexandro Magno dono miſſa fuit. Ita Cœlius Rhodiginus *lib. 11. Lect. Antiq. cap. 15*, narrat Coloniæ Agrippinæ puellam fuiſſe quæ araneas ſine damno deuorabat: etiam nos nouimus iuuenem qui ab ipſa pueritia araneas comedere aſſuetus eſt, idque ſine ulla noxa. Hæc conſuetudo, inprimis accedente aliqua diſpoſitionis aptitudine, tantum valet, ut nonnulla corpora a veneno peſtilenti inſuperabilia eſſe videantur; quod liquit ex hiſtoria illius execrandi veſpillonis, qui cadauer virginis peſte mortuę horribili ſcelere imuit, nulla inde noxa contracta, cuius mentionem fecimus *lib. 3. cap. 3. annot. 22.*

HISTORIA XCI.

MIchael N. ſartor primarius, in Arcis platea habitans, 26. Octobris peſtilenti contagio infectus eſt, cum tumore in inguine, anthrace in brachio, parua febricula, & maxima anxietate. A primo ſudorifero nullum leuamen ſecutum, nec bubo aduectus eſt. Neque à ſecundo alexipharmaco, quod circa veſperam aſſumpſit, mutatus eſt morbus. Buboni impoſitum eſt veſicatorium, anthraci vero pulticula noſtra ad carbunculos. 27. Octobris febricula in febrem vehementem tranſiit, cum magna ſiti, & maximo delirio: æger vociferabatur, per cubiculum diſcurrebat, (nam vires adhuc conſtabant) multas res non præſentes ſe in cubiculo videre ſibi imaginabatur, aliaque ſimilia delirantium acta agebat. Rurſus ſumpſit alexipharmacum, ſed propter inquietudinem ſudare non potuit, topica tumori & anthraci impoſita abiecit: etiam bubo rurſus diſparuit. Sequenti die delirium in furorem verſum eſt. 29. Octobris prodierunt exanthemata purpurea, victoriæ mortis trophæa, & mortis aduenientis præcones.

MAlum ſignum erat, à primis duobus alexipharmacis non alleuari ægrum: peius, febrem augeri & delirium continuum accedere; (quæ duorum principalium, nempe vitalis & animalis, facultatum grauiſſimam afflictionem indicabant;) peſſimum, bubonem cuaneſcere & exanthemata prodire.

HISTORIA XCII.

FIliolus Domini Benthem, Iuriſconſulti, & Collegii Deputatorum Secretarii, peſte correptus, eandem contagio matri, quæ illum lactabat, communicauit: quæ, cum inde primò carbunculum in mamma contraxiſſet, ſtatim aſſumpto alexipharmaco fortiter ſudauit, & à ſudore tumor in parotide poſt aurem ſiniſtram prodiit, qui breui tempore magnitudine pugni intumuit, non tamen durus fuit, ſed mollis, inſtar tumoris flaculenti vel aquoſi. Sequenti die cum tumor ille adhuc plurimum increuiſſet, ſeruando iſtam molitiem, & iam totum fere collum occuparet, nec a ſecundo ſudorifero quicquam mutaretur morbus, inſtantis mali prælagium feci, quamuis adiuncta febris non admodum vehemens eſſe videretur. Dictum confirmauit mors.

Obſer-

OBseruauimus quoslibet tumores molles subito, instar tumoris flatulenti, in magnam molem excrescentes, semper exitiales & sinistri ominis fuisse: tumores vero duros qui lentius increscebant, & duritiem illam aliquā diu seruabant, melioris iudicii extitisse.

HISTORIA XCIII.

IOannes Pauli, Senatus Nouiomagensis Scabinus, peste cum bubone correptus, cum varia exhibita alexipharmaca nihil profuissent, tandem die quarto de raucedine quadam ac leui gutturis interni dolore (qui absque vllo tumore erat) conquestus est; è quo signo, quamuis alia valde grauia symptomata morbo non adessent, illum breui moriturum prædixi; quod præsagium euentus probauit.

IN hac peste omnes illi, quibus talis gutturis interioris dolor absque tumore superueniebat, mortui sunt.

HISTORIA XCIV.

DOminus Schieuelberch, Verbi diuini Minister, vir solide doctus ac pius, sed valde meticulosus, qui pestem diu metuerat, tandem contagiosa labe infectus fuit, cui se adiunxit febris una cum summa anxietate. Prima die circa vesperam hoc alexipharmacum exhibui, à quo optime sudauit, & bubo in inguine prorupit:

Rec. *Extracti angelicæ, & ruthæ, ana scrup. i. salis absinthij, scrup. i. ſ.*
theriacæ, diascordii, ana drach. ſ. aquæ theriacalis,
aceti bezoartici, ana unc. i.
Misce, fiat potio.

Postridie mane idem sudoriferum reiteratum est, à quo rursus fortiter sudauit, sed absque leuamine. Buboni impositum fuit vesicatorium, & detracta vesica folium brassicæ rubræ oleo raparum inunctum. Pro potu utebatur hoc iulebo:

Rec. *Aquæ cardui ben. lib. i. scabiosæ, & acetosæ, ana lib. ſ.*
succi citri recentis, unc. i. ſ. syrupi de limon. unc. ii. olei sulphuris, q. ſ.
Fiat iuleb.

Sæpius de die particulam huius conditi comedit:

Rec. *Pulueris liberantis, drach. ß. diascordii Fracastorii, drach. ij.*
cortic. aurantiorum condit. & citri condit. rob ribesii rubri, ana drach. iij.
confect. de hyacintho, drach. ß. syrupi acetositatis citri, q. ſ.
Fiat conditum.

Vesperi hunc pulverem præscripsi, cum pauco iulebi miscendum & assumendum:

Rec. *Lapidis bezoar orient. scrup. ij. florum sulphuris, scrup. ſ.*
croci or. gr. iiij.
Fiat pulvis.

Tertia die cum febrem magis ingraueſcere, & bubonem nihil in altum attolli animaduerterem, tale sudoriferum parari curavi:

Rec. *Radic. angelicæ, dictamni, petasitidis, & helenii, ana drach. i.*
herbar. ruthæ recentis & viridis, scordii, & cardui bened. sicci, ana M. ſ.
cortic. citri, & aurantiorum sic. ana drach. i. sem. cardui,

acet.

bus contagium nõ dominaretur; ad hæc quia verebar mutatione domicilii & ipsam & morbum eius ab aliis cognitum iri, suasi ut illic maneret, & nihil periculi metueret, propterea quod à peste omnino immunis futura esset, quo usque curationi luis Venereæ vacaret. Meũ consilium secuta remansit, & continuatis quotidianis sudoribus, aliisque remediis ad luis Venereæ curationem necessariis, & suffumigiis ad aeris emendationem in cubiculo etiam excitatis, nullum pestis aculeum sensit, sed post tertiam septimanam bene sana & pulcherrima discessit, quæ horribili turpi Venerea scabie fœdata ad nos venerat.

CVm in morbi Gallici curatione medicamentis talibus plerumque utamur, quibus Venereum virus à centro ad peripheriam propellitur, non facile tales ægri, quousque huic curationi se submittunt, peste corripiuntur; quamuis etiam inter pestiferos versentur, ut ex prædicta historia liquet; quam etiam ratio approbat: nam quoutque natura occupata est in expulsione veneni Venerei à centro ad corporis circumferentiam, non facile potest recipere, & à circumferentia ad centrum attrahere venenum pestilens; vel si illud forte receperit, statim per apertos pororum meatus illud rursus foras expellit. Sic ob eandem pene rationem dicit Paræus, *lib.* 21. *cap.* 21. quartanarios à peste magis tutos & liberos esse, quia tertio quoque die vehementer sudare solent: quod ipsum quoque affirmat Sennertus, *de Peste, c.* 1.

HISTORIA LXXX.

MAchtilda de Bie, iuvencula circiter viginti annorum, 3. Septembris peste correpta fuit, cum anxietate, febre & anthrace in brachio. Sudorifera aliaque conuenientia antidota ab ipso morbi principio satis curiose exhibita fuerunt. Eodem tenore continuauit febris usque ad diem quartum, quo hæmorrhagia narium superuenit, qua sanguis, non quidem affatim, sed paulatim, diu & magna quantitate effluxit. Vt hanc hæmorrhagiam sisteremus, omnes modos adhibuimus; per Chirurgum extremas partes arctius ligari, oxycratum actu frigidum cruci, fronti & pudendo admoueri, cucurbitulas cum multa flamma pedibus applicari, pulueres astringentes cum petijs naribus immitti, aliaque multa fieri curauimus; quibus omnibus non iuvantibus, tandem etiam murici ad vena sectiones brachiorum peruenire coacti fuimus: sed omnia frustra tentata sunt, nec sanguis è naribus effluxum sistere potuimus, qui cum circiter per triginta horas perduraret, ægra deficientibus viribus animam æternitati consecrauit.

MInime audiendi sunt illi, qui in peste hæmorrhagias die critico incidentes, in principio non modo non cohibendas, verum etiam, si tardiores fuerint, magis promouendas esse, indicant. Falluntur toto cœlo, nam licet natura hoc modo se à grauante malignitate leuare nitatur, frustra tamen per illam viã id facere laborat, per quam pestiferum venenũ cordi maxime impressum, aut parum, aut nihil in manu potest: vel dato, aliquantum imminui, certum tamen est profusione multo spirituum & copiosi ac boni sanguinis, citius viribus collapsis morituros ægros, quam tota malignitas excerni possit. Hinc etiam Saxonia, *Praxeos lib.* 8. *cap.* 37. scribit, vacuationem sanguinis per nares in pestiferis nunquam esse salutarem, & magna ex parte compesci non posse; atque in hoc differre pestem ab aliis acutis, quod hæ per sanguinis narium copiosam excretionem feliciter iudicentur, illa vero infeliciter. Dictum comprobat experientia, qua in hac peste edocti sumus, periculosissimas & plurimis lethales fuisse crises illas, quæ per hæmorrhagias, sive narium, sive mentruorum, siebant, eaque rarissime sponte substitutile; ut plurimum autem si in ipso principio artè non

siste-

sisterentur, postea plane nullis mediis sisti potuisse; imo sæpe etiam maxima diligentia adhibita sisti nequiuisse. Huiusmodi lethalis hæmorrhagiæ exemplum quoque refert Schenkius in suis *Obseruationibus*. Forestus in peste Delphensi etiam obseruauit, plurimos, quibus sanguis è naribus fluebat, fuisse mortuos.

HISTORIA LXXXI.

VXor Ioannis Pallemer, Cereuisiarii, peste correpta, unum carbunculum in sinistra manu inter minimum & annularem digitum habuit, alterum vero in primi digiti medio. Nec vehemens febris, nec, præter magnam anxietatem, alia sæua videbantur adesse symptomata. Sudorifera aliaque alexipharmaca ab ipso morbi principio diligentissime exhibita sunt, quibus omnibus non obstantibus, tamen paulatim magis magisque defecerunt vires, ac die morbi septima vitæ huius miserias exuit.

IN hac peste obseruauimus plerumque sinistri omnis fuisse anthraces in digitis prodeuntes; & ex innumeris ægris, quibus id contingebat, paucissimos euasisse.

HISTORIA LXXXII.

HErmannus Thomas, pistor, cum militem quendam peste correptum & phreneticum horribili vultu foras excurrentem & vociferantem casu conspexisset, tanto terrore perculsus est, ut inde statim & ipse pestem conceperit. Exhibui sudorifera, aliaque varia antidota: prodierunt duo carbunculi cum obscuro tumore sub axilla, sed absque leuamine. Nullis modis, nec verbis, nec rationibus ab animo illius excuti potuit conceptus terror. Omnibus frustra tentatis, quinta die visa sunt exanthemata purpurea; & sequenti nocte obiit.

TErrorem ad pestis inductionem plurimũ facere, non tantum nos in hac peste animaduertimus, sed illud ipsum quoque in aliis pestibus multoties obseruatum fuisse, testes sunt Euagrius, Nicephorus, Erasmus Hedemus, Scheunemannus, Ioannes Matthæus, Sennertus, & alii. Semper etiam notauimus, rarius euasisse illos qui ex alto concepto terrore, peste corripiebantur, quam alios, quos absque hoc præcursore inuadebat.

HISTORIA LXXXIII.

IAcobus ab Hamburch, eques Capitanei Thomæ Lucas, vir fortis, audax & temerarius, 12 Octobris peste cum febre violenta & bubone in inguine correptus, post varia assumpta alexipharmaca, quarta morbi die fortiter tussire, lexta autem sanguinem tussiendo rejicere cœpit copiosius, è quo signo illum morituru iudicaui. Attamen ne mea incuria perire videretur, ut sanguinis sputum aliquantum cohiberi & imminui posset, 18. Octobris circa vesperam hunc puluerem præscripsi, quem illa nocte duabus vicibus cum pauxillo aquæ theriacalis assumpsit:

℞. *Boli arm. corau cerui usti, ana scrup. j. florum sulphuris, scrup. j. ß. specier. diatrium santalorum scrup. j. croci or. scrup. j. sacchari candi albi. drach. j. ß.*

Fiat

Fiat pulvis subtilis, qui dividatur in duas dosses.

19 Octobris febris remissior fuit. Tunc sæpius de die sequentis electuarii particulam edere iussi:

Rec. *Specier. diatrium santalorum, cornu cervi usti, ana scrup. j. ſ.*
coralli rubri, spodij usti, terræ sigillatæ, croci orient. ana scrup. ß
florum sulphuris, scrup. ij.
Fiat pulvis subtilissimus, cui adde
diascordij Fracastorii, drach. iij. conserua rosarum rubr. unc. j.
syrupi de scordio, & de rosis siccis, ana q. ſ.
Fiat electuarium.

Hoc die bubo, qui topicorum usu ad maturationem peruenerat, à Chirurgo pertusus est. 20 Octobris omnino febris expers fuit, sanguinis tamen sputo remanente. Cum appetitu aliquantum comedere cœpit æger. Continuatum est in usu electuarii. Quia vero durante morbo tantum bis alvum exoneraverat, circa vesperam ex pilulis Ruffi tres pisi magnitudinis pilulas deglutiuit, à quibus sequenti mane duos secessus habuit. Hoc facto ad electuarii usum rediit. 21. Octobris dicebat se magna vi tussiendo frustula quædam pulmonis cum multo sanguine reiecisse. 22. & 23. Octobris sputum sanguinis multum imminutum est: quapropter illum de æræ commissi, & ab omnibus rebus noxiis abstinere iussi. Anno sequenti, mense Martio, rursus ad me venit, valde emaciatus & debilis, ac conquerebatur se post sanationem pestis aliquamdiu mediocriter valuisse, verum sanguinis sputum nunquam in totum subtitisse: in magno autem gelu mensis Februarii ipsum adeo afflictum esse, ut per aliquot septimanas lecto incumbere coactus fuisset. Animadverti hominem ex ulcere pulmonis tabem iam contraxisse, nam præter sanguinem etiam verum pus reijciebat, quapropter illum eodem modo, quo varios alios vere phthisicos alias sanaui, curare aggressus sum, atque ita circiter trium mensium spatio pristinæ sanitati omnino restitutus fuit.

Hæc historia tanquam rarissima notanda est: nam in tota hac truculentissima peste, præter hunc unum solum equitem, cum sputo cruento (quod à carbunculis in pulmone excitatis plerumque inducitur) neminem euasisse scio: rogaui etiam Chirurgos, quibus pestiferorum curatio demandata erat, anne illud vspiam vidissent, qui testabantur se observasse omnes illos quibus sputum cruentum superueniebat, brevissimo tempore mortuos fuisse.

HISTORIA LXXXIV.

Duo filii Domini Gatien, Galli, Verbi diuini Ministri, peste cum violentissima febre correpti intra triduum occubuerunt. Cadavera tertio post mortem die horribiliter immutata, valde tumida, & instar carbonis vel atramenti tota nigricantia visa sunt: ita ut Pater, qui ex Hollandia post mortem filiorum aduenerat, ipsorumque cadavera adhuc videre desideraverat, primo visu, adeo abhorruerit, ut statim effugiens secundum videre ausus non fuerit.

Cadauerum citissima & malignissima corruptio maximi veneni index fuit. Sciendum tamen in hac constitutione omnia pestiferorum cadavera, tam cito & tam horribiliter putrefacta non fuisse: nam multa non minus quam ab aliis morbis emortua corpora, per aliquot

aliquot dies absque manifesta putredine seruari potuerunt, nempe illa, quæ absque magna febre enecata fuerant: quibus vero ægris pestiferis grauis febris adfuerat, eorum cadauera propter malignam humorum putredinem cito computruerunt; & quanto humorum putredo cum febre, morbo durante, grauior fuerat, anto post mortem citior & malignior, magisque horribilis cadauerum putredo sequebatur.

HISTORIA LXXXV.

PEtrus Parvus (inde Parvus cognominatus, quod esset breuioris staturæ) rusticus notissimus in pago Bemmel, unico milliari à Noviomago distante, peste correptus fuit, cum violenta febre, aliisque grauibus symptomatibus, à qua tertia die mortuus est, ut putabatur. Consanguinei, qui illi inseruiebant, amiculo ferali corpus induerunt, idque à lecto in pauimentum super stramina deposuerunt. Etiam hæredes vestimenta eius aliamque supellectilem inter se diuiserunt, atque ita metu furum spoliarunt domum omni supellectile. Interea etiam curarunt ut cista feralis à fabro lignario conficeretur, atque ad exequias sequenti die peragendas omnia præpararunt. Postridie omnibus iam paratis, sola cista feralis (sine qua nostrates mortuos non sepeliunt) deerat, quam faber lignarius propter plurima negotia tam citò conficere non potuerat: quapropter exequiæ usque in tertium diem necessario differendæ erant. Sequenti die cista feralis iam parata, cum ad funeris elationem festinaretur, viderunt mortuum efferendum reniuiscere, & brachia ac pectus commouere, (postquam quinquaginta duabus horis in tali statu tanquam verè mortuus iacuisset) qui etiam intra horæ quadrantem turgebat, vociferabatur, induſium aliaque lineamina totus maniacus dilacerabat, imò quoque in proxime astantes violentas manus inferebat; ita ut illum vi continere, & fasciis brachia ligare ac constringere necesse fuerit. Durauit illa maniaca passio circiter per quinquaginta quatuor horas (ut ipsemet mihi narrauit) ac postea cessauit, & æger plane ad se rediit, atque consanguineos nonnullos suis vestibus indutos, aliamque supellectilem inter hæredes diuisam vidit, quam ipse rediuiuus possessor repetit. Intra paucos dies vires deperditas recuperauit, & a morbo conualuit cum maxima omnium admiratione. Nono iam anno (quo historias has in ordinem redigo) bene sanus viuit, & inseruit etiamnum hodie Nobilissimo viro Ioanni de Bronckhorst, Batauiæ superioris Maiori, in eodem pago habitanti, eiusque opera rustica peragit.

IN peste aliisque contagiosis morbis corpora mortua ratione contagii citissime innumati solent, quæ ultra biduum, præsertim æstiuo tempore, asseruanda non esse, alibi docuimus. Verum semper diligentissime animadvertendum, anne verè mortua sint: nam multoties obseruatum est, ægris pestiferis talia animi deliquia superuenisse, ut pro mortuis habiti, imo nonnulli etiam viui inter mortuos sepulti fuerint: quod etiam prædicto Petro Paruo accidisset, ni cista feralis pridie parata fuisset, nam illum certissimè mortuum esse, omnes putauerant. Hinc verosimile est, in illis locis ubi peste extinctos intra paucas horas sepeliunt, plurimos huiusmodi errores committi. Qualem historiam refert Alexander Benedictus, *lib. de Peste, cap.* 1. de nobili Matrona, quæ tali modo viua inter mortuos deposita fuit. Lycosthenes quoque, *lib. de prodig. & ostent.* duas memorabiles refert historias eorum qui peste mortui putabantur, & quibus exequiæ iam parabantur, qui antequam sepelirentur, reuixerunt. Hildanus, *centur.* 2. *obseruat.* 95. tria clarissima exempla pestiferorum enarrat, quorum primi corpus iam loculo imponebatur ad sepulchrum efferendum: secundi iam sepultum fuit, & postea, cælo a fluribus aperto sepulchro, ad se rediit: tertii à Ioanne VVIero Medico de-

prehensum fuit non esse mortuum. Ioannes Iacobus Cratitius, *in epistola ad Hildanum*, varia huiusmodi exempla recenset. Hæc cum in peste accidere posse, notissimum sit, cuiusque officii est mortuos suos non statim à vespillonibus temere ac sepulchrum efferri curare, sed prudenter prospicere, ne, temerariæ festinationis errore, homicidium committatur. Extra pestem in aliis morbis talia non semel quoque euenisse, & nonnullos apoplexia, lethargo, comitiali morbo, vel uteri strangulatione oppressos, ita suffocatos fuisse, ut pro mortuis habiti, & nonnulli etiam inter mortuos sepulti fuerint, testes sunt Plinius *Natural. Hist. lib. 7. cap. 52.* Lemnius, *de occult. rerum mirac. lib. 2. cap. 3.* & Georgius Pictorinus, *Sermon. convival. lib. 1. cap. 10.* nec non Paræus, Forestus, Albertus Bottonicus, Schenckius, Amatus Lusitanus, & alii. Idemque etiam mihi semel videre contigit in quodam nautæ puello quatuor annorum, qui anno 1641, media hyeme prope portum Nouiomagensem in aquam incidens, suffocatus ac pro mortuo domum delatus est, ubi à vicinis & matre vestibus detractus amiculo feriali indutus, & in pauimento super stramina collocatus fuit, interea dum cista feralis pararetur: postquam summæ aëris frigidissimi violentiæ puer ibidem per decem horas expositus iacuisset, nec corpus obriguisset, me vocarunt, ut unde illud fieret scire possent: ego manibus utrimque tempora pueli constrinxi, atque obscurum quendam arteriarum temporalium motum sensi, quem deinde etiam in carpo brachii deprehendi: quapropter iussi statim puellum igni luculento admoueri, totum pectus, ventrem, tempora ac faciem cum spiritu vini calefacto, calidis manibus fricari; quod cum aliquamdiu factitatum fuisset, cœpit puellus brachia & crura leuiter mouere, anhelitum etiam manifestius ducere; verumtamen non rediit ad se, sed cum in tali statu adhuc per sesquihoram viuisset, obiit: fortasse si in principio prope ignem bene ca efactus, & immenso illi frigori (nam asperrimum erat gelu) tot horis nudus expositus non fuisset, in vita seruatus esset.

HISTORIA LXXXVI.

VXor Domini Verspieck, ciuitatis Nouiomagi Consulis, peste cum graui anxietate correpta, statim conquesta est de dolore secundi digiti pedis dextri: explorato loco, in extremo articulo vesiculam, & sub ea parvum carbunculum deprehendi, è quo infelicem morbi euentum præiudicaui. Varia sudorifera exhibui, à quibus optime sudauit: alia etiam dedi antidota, tam ad virium sustentationem, quam ad febris (quæ admodum vehemens non erat) & veneni extinctionem: verum hæc omnia nihil profuerunt, vires defecerunt, & quarta morbi die è medio sublata est.

EXperientia multoties in hac peste edocuit, veritati minus consentaneum esse illud, quod nonnulli magni Medici pro certo statuunt, carbunculos quo longius à corde distiti sunt, tanto meliores indicii esse. Nos tese semper obseruauimus, anthraces in pedum digitis prodeuntes, infelicem morbi euentum prænunciasse. Sic etiam Hippocrates *epid. lib. 1. sect. 3. histor. 9.* scribit, Critonem pustulis nigris ad pollicem & talum erumpentibus, secunda morbi die mortuum fuisse. Sic Silenus *eodem lib. sect. 3.* cum extremorum nigritie obiit.

HISTORIA LXXXVII.

VXor VVichmanni Buys, cùm per aliquot dies peste cum exigua febre & summa anxietate laborasset, ac carbunculum cum tumore in inguine haberet, omniaque exhibita sudorifera, alexipharmaca, & alia præsidia nihil omnino profuissent, tandem in utraque

manu

manu nonnullæ maculæ nigræ atramento similimæ apparuerunt, sine dolore, oblongæ, haud alterius formæ ac si calamo scriptorio latioris crenæ super cutim raptim inductæ fuissent; atque adeo perfecte hanc formam referebant, ut ego ipsemet in eo deceptus fuerim, quod illas calamo scriptorio cum atramento inductas esse arbitrarer. Verum cum ægræ paululum astarem, vidi illas rursus plane euanescere, ita ut earum ne minimum quidem vestigium amplius appareret: paulo post alias similes alibi rursus emergere vidi, sed tamen non exacte eandem formam & magnitudinem habere: idque dum astarem me præsente bis tervefactum fuit. Ex his maculis (etsi præter anxietatem, ægra aliis valde grauibus symptomatibus infestari non videretur) mortem prædixi, quæ post paucas horas præsagium euentu confirmauit.

NVnquam durante tota hac peste huius formæ maculas amplius vidimus, quas à spirituum subtilissimorum pestilenti veneno infectorum, è finibus arteriarum exhalantium, & sub duriore cuticula paulisper subsistentiũ, malignitate inductas fuisse certum est.

HISTORIA LXXXVIII.

RVtgerus Pontman, miles, cum muskettam explodere vellet, nescio quo infortunio disrupta machina, in frusta diffiliens, pollicem dextræ manus amputauit. Miser ille à terrore & dolore statim pestilenti febre correptus est. Post deligatum vulnus exhibui sudoriferum, à quo fortiter sudauit, & sub axilla brachii vulnerati acutissimum dolorem sensit. Circa noctem idem sudoriferum reiteratum est. Postridie dolorem sub axilla euanuisse dicebat, sed intolerabili totius manus dolore se tota nocte vexatum fuisse. Interea febris magna vehementia continuabat. Cum vulnus à chirurgo dissolueretur, vidimus totam manum nigricare, multasque liuidas pustulas undique enatas esse, adhæc scarificationes altas in manu factas vix sentiri, & partem à veneni pestilentis malignitate, eò expulsa, iam propemodum emortuam esse. Spiritum vini cum linteaminibus manui circumposuimus. Plura topica adhibere necesse non fuit, nam paulo post prodierunt exanthemata purpurea, & subrepens mors vulneris curationem & vitæ cursum interrupit.

QVi peste correpti partem aliquam corporis grauiter affectam habebant, ad illam partem venenum pestilens sæpissimè exitialiter propulsum fuisse, vidimus.

HISTORIA LXXXIX.

PEtrus à Deutecom peste, cum sopore, anxietate, & carbunculo in crure, correptus, theriacæ drach. j. cum aceti calendulati unc. ij. & olei iuniperi scrup. ſ. assumpsit, atque ita stragulis bene coopertus ad sudorem se composuit, & dormiuit: at sudare non potuit. Media nocte expergefactus se maxima anxietate pressum sensit: accessi. febris cum maxima siti, & denique vomitus violentus. Mane ego accitus ægrum valde debilem inueni. Præscripsi sudoriferum, quod cum statim euomeret, secundum datum est, quod post tantillum temporis etiam reiecit. Cum autem viderem illum nihil retinere posse, primo vomitum sedare annixus sum, in quem finem hanc misturam præscripsi, de qua sæpius de die cochleare plenum ægro exhibere iussi:

Rec. *Conserua rosarum rubr. drach.* vj. *diascordij Fracast. drach.* ij.

aquæ theriacalis, unc. ij. & cinnamomi drach. vj. succi citri, unc. j. misceantur, & colentur, adde colaturæ confect. de hyacintho, drach. j.

Misce.

Præterea ter quaterve huius linimenti aliquantulum in cochleari calefactum, & regioni orificii ventriculi circa scrobiculum cordis ad palmæ manus latitudinem inunctum est:

Rec. *Olei nucis moscatæ expressi, scrup. ij. theriacæ Androm. olei scorpionum, ana drach. j. olei succini scrup. j. & cinnamomi gut. iij.*

Misceantur pro linimento.

Horum duorum usu vomitus intra duarum horarum spatium plane suppressus est. Tunc huiusmodi alexipharmacum dedi:

Rec. *Salis scordij, & absinthii, extracti ruthæ, & cardui bened. ana scrup. j. diascordii Fracast. scrup. ij. aquæ theriacalis, unc. j. ſ. succi citri unc. ſ.*

Misce, fiat hausſus.

Hinc copiosissime sudauit, & inter sudandum de prædicta mistura aliquoties cochleare exhibitum fuit. Erupit dolorosus tumor sub axilla sinistra. Anthraci imponi curaui pulticulam nostram ad carbunculos. Circa horam octauam idem sudoriferum reiteratum est, à quo tota fere nocte sudauit. Sequenti mane se valde alleuatum sensit, febris reliquaque symptomata multum remiserunt, & tumor sub axilla increuit, cui hoc cataplasma applicatum est:

Rec. *Caparum sub cineribus assatarum n. iij. fermenti acidi, simi columbini, ana unc. j. farinæ sem. lini, hordei, & tritici, ana drach. vi. aquæ communis q. ſ. coquantur paulisper, adde mellis, axungiæ porci, ana unc. i.*

Fiat ſ. art. cataplasma.

Illo mane hunc puluerem cum pauco aquæ theriacalis sumpsit:

Rec. *Pulu. liberantis, scrup. i. ſ. camphoræ gr. v. florum sulphuris, scrup. ſ.*

Fiat pulus.

Pro potu utebatur cerevisia tenui cum pauco olei vitrioli acidula facta. Meridie aliquantum iusculi pulli cum pomo citreo parati scripsit. Circa vesperam cum febris recrudescere videretur, reiteratum est prius sudoriferum, à quo rursus multum sudauit cum magno leuamine. Quarta morbi die, præcedentibus alui terminibus, liquida deiicere cœpit, quapropter statim sudoriferum astringens dedi:

Rec. *Boli arm. cornu cerui usti, coralli rubri, ana scrup. i. diascordii Fracastorii, drach. i. aquæ theriacalis, aceti bezoartici, ana unc. .*

Misce, fiat hausſus.

Sæpe quoque de die huius conditi particulam comedit:

Rec. *Species. diatrium santalorum, & liberantium, cornu cerui usti, terræ sigillatæ, ana scrup. i. diascordii Fracastorii, drach. ii. confectæ rosarum rubr. myrobalanorum cydoniorum, ana unc. ſ. syrupi granatorum, acid. q. ſ.*

Misce, fiat conditum.

Vesperi hic pulus exhibitus est:

Rec. *Coralli rubri præparati, cornu cerui usti, ana scrup. i.*

lapidis

lapidis bezoar. orient. scrup. ſ. croci or. gr. iii.
Fiat pulvis.

His remediis, postquam sex septemve turbidos & liquidos secessus habuisset, substitit alui fluxus. Quinta die febris aliaque symptomata multum imminuta erant, & tumor sub axilla aliquantum increuerat. Continuatum est in usu conditi, & circa vesperam hunc bolum deglutiuit:

Rec. *Diascordii Fracast. theriacæ Andr. confect. de hyacintho, ana scrup. i.*
Fiat bolus in folio auri:

Sexta die morbus in eodem statu permansit: bis illa die aliquantulum iusculi bibit, & circa noctem prædictum bolum assumpsit. Septima die febris cum anxietate totaliter euanuit, & æger cum maiore appetitu comedere cœpit. Etiam carbunculus à sana carne separatus fuit, tumor autem subaxillaris paulatim disparuit, atque ita hic æger, qui iam iam de naulo rationem cum Charonte initurus putabatur, pristinæ sanitati restitutus fuit.

ET Scyllam & Charybdim, periculosissimos scopulos, (vomitum puta & alui fluxum) absque naufragio feliciter transiuit hic æger; quæ felicitas paucioribus contigit: nam multi in alterutrum tantum scopulum impingentes, vitæ naufragium fecerunt. Ad vomitum compescendum prædicta mistura, interdum hoc illove modo aliquantulum immutata, unà cum adiuncto linimento sæpissime fœliciter usus sum; ac multoties obseruaui, si his duobus remediis non sisteretur vomitus, eundem plerumque lethalem fuisse, nec ullis medijs cohiberi potuisse.

HISTORIA XC.

CAtharina Guilhelmi, mulier robusta, potatrix, imperterrita, quæ passim ægrotis peste laborantibus (maxime inter milites) inseruiebat, mense Septembri, cum pestiferum quendam inuiserem, cui ipsa aderat, monstrauit se carbunculum in brachio, non longe supra carpum, habere; verum alioqui se reliquo corpore bene valere, dicebat. Iussi ut hunc bolum cum haustu vini assumeret:

Rec. *Florum sulphuris, scrup. i. ſ. camphoræ gr. iv. theriacæ, scrup. iv.*
Misce, fiat bolus.

Hunc sumpsit circa vesperam, & cùm illa nocte bene sudasset, nihil mali amplius sensit, & sequenti mane tantum spiritus vini rursus bibit; ut illam ebriam inuenirem. Carbunculum solis foliis brassicæ rubræ oleo raparum inunctis percurauit.

IN principio huius pestis varios ex iis qui ægrotis pestiferis inseruiebant, contagio infectos, & multos etiam mortuos fuisse, vidimus: postea verò cum morbus incrementa sumeret, pauciores; cum verò maximo furore debaccharetur, fere nullos infectos, vel saltem mortuos, & qui inficiebantur, minus læsos fuisse obseruauimus. Huius rei causa triplex esse potest. 1. Quod in principio pestis plurimi quæstus gratia illud munus facile suscipiant, inter quos multi sunt qui propter dispositionis aptitudinem facile cõtagio inficiuntur & moriuntur: quibus sublatis, postea tantum superstites remanent tales qui non habent illam dispositionis aptitudinem: qui propterea à peste vel plane non, vel minus grauiter afflictuntur. 2. Quod tales homines plerumque audaces & temerarii sint, nec ullo periculi metu terreantur: præsentem autem animum in præseruatione a peste plurimum valere, ipsa experientia docet.

docet. 3. Quod horum hominum natura, licet forte in principio ad pestem susciptendam complexionis ratione aliquantum disposita sit, tamen longa consuetudine veneno pestilenti sic paulatim assuescat, ut ab eodem postea minus affici queat. Illud impossibile non esse, docent alia venena, quibus natura paulatim ita assuescere potest, ut tandem nihil noceant. Sic Galenus *lib. 3. de simpl. medic. facult. cap. 18.* refert anum quandam Athenienſem ab exigua cicutæ potione auſpicatam, poſtea nullo detrimento ad magnam copiam progreſſam fuiſſe. Nota quoque eſt hiſtoria (quam ex Ruffi teſtimonio deſcribit Auicenna) de elegantis formæ puella, quæ venenis nutrita Alexandro Magno dono miſſa fuit. Ita Cœlius Rhodiginus *lib. 11. Lect. Antiq. cap. 15*, narrat Coloniæ Agrippinæ puellam fuiſſe quæ araneas ſine damno deuorabat: etiam nos nouimus iuuenem qui ab ipſa pueritia araneas comedere aſſuetus eſt, idque ſine ulla noxa. Hæc conſuetudo, inprimis accedente aliqua diſpoſitionis aptitudine, tantum valet, ut nonnulla corpora a veneno peſtilenti inſuperabilia eſſe videantur; quod liquit ex hiſtoria illius execrandi veſpillonis, qui cadauer virginis peſte mortuę horribili ſcelere imuit, nulla inde noxa contracta, cuius mentionem fecimus *lib. 3. cap. 3. annot. 22.*

HISTORIA XCI.

MIchael N. ſartor primarius, in Arcis platea habitans, 26. Octobris peſtilenti contagio infectus eſt, cum tumore in inguine, anthrace in brachio, parua febricula, & maxima anxietate. A primo ſudorifero nullum leuamen ſecutum, nec bubo adauctus eſt. Neque à ſecundo alexipharmaco, quod circa veſperam aſſumpſit, mutatus eſt morbus. Buboni impoſitum eſt veſicatorium, anthraci vero pulticula noſtra ad carbunculos. 27. Octobris febricula in febrem vehementem tranſiit, cum magna ſiti, & maximo delirio: æger vociferabatur, per cubiculum diſcurrebat, (nam vires adhuc conſtabant) multas res non præſentes ſe in cubiculo videre ſibi imaginabatur, aliaque ſimilia delirantium acta agebat. Rurſus ſumpſit alexipharmacum, ſed propter inquietudinem ſudare non potuit, topica tumori & anthraci impoſita abiecit: etiam bubo rurſus diſparuit. Sequenti die delirium in furorem verſum eſt. 29. Octobris prodierunt exanthemata purpurea, victoriæ mortis trophæa, & mortis aduenientis præcones.

MAlum ſignum erat, à primis duobus alexipharmacis non alleuari ægrum: peius, febrem augeri & delirium continuum accedere; (quæ duorum principalium, nempe vitalis & animalis, facultatum grauiſſimam afflictionem indicabant;) peſſimum, buboncm euaneſcere & exanthemata prodire.

HISTORIA XCII.

FIliolus Domini Benthem, Iuriſconſulti, & Collegii Deputatorum Secretarii, peſte correptus, eandem contagio matri, quæ illum lactabat, communicauit: quæ, cum inde primò carbunculum in mamma contraxiſſet, ſtatim aſſumpto alexipharmaco fortiter ſudauit, & à ſudore tumor in parotide poſt aurem ſiniſtram prodiit, qui breui tempore magnitudine pugni intumuit, non tamen durus fuit, ſed mollis, inſtar tumoris flatulenti vel aquoſi. Sequenti die cum tumor ille adhuc plurimum increuiſſet, ſeruando ſtatam molitiem, & iam totum fere collum occuparet, nec a ſecundo ſudorifero quicquam mutaretur morbus, inſtantis mali præſagium fecit, quamuis adiuncta febris non admodum vehemens eſſe videretur. Dictum confirmauit mors.

Obſer-

OBseruauimus quoslibet tumores molles subito, instar tumoris flatulenti, in magnam molem excrescentes, semper exitiales & sinistri ominis fuisse: tumores vero duros qui lentius increscebant, & duritiem illam aliquā diu seruabant, melioris iudicii extitisse.

HISTORIA XCIII.

IOannes Pauli, Senatus Nouiomagensis Scabinus, peste cum bubone correptus, cum varia exhibita alexipharmaca nihil profuissent, tandem die quarto de raucedine quadam ac leui gutturis interni dolore (qui absque vllo tumore erat) conquestus est; è quo signo, quamuis alia valde grauia symptomata morbo non adessent, illum breui morituum prædixi; quod præsagium euentus probauit.

IN hac peste omnes illi, quibus talis gutturis interioris dolor absque tumore superueniebat, mortui sunt.

HISTORIA XCIV.

DOminus Schieuelberch, Verbi diuini Minister, vir solide doctus ac pius, sed valde meticulosus, qui pestem diu metuerat, tandem contagiosa labe infectus fuit, cui se adiunxit febris una cum summa anxietate. Prima die circa vesperam hoc alexipharmacum exhibui, à quo optime sudauit, & bubo in inguine prorupit:

Rec. *Extracti angelicæ, & ruthæ, ana scrup. i. salis absinthij, scrup. i. ſ.*
theriacæ, diascordii, ana drach. ſ. aquæ theriacalis,
aceti bezoartici, ana unc. i.
Misce, fiat potio.

Postridie mane idem sudoriferum reiteratum est, à quo rursus fortiter sudauit, sed absque leuamine. Buboni impositum fuit vesicatorium, & detracta vesica folium brassicæ rubræ oleo raparum inunctum. Pro potu vtebatur hoc iulebo:

Rec. *Aquæ cardui ben. lib. i. scabiosæ, & acetosæ, ana lib. ſ.*
succi citri recentis, unc. i. ſ. syrupi de limon. unc. ii. olei sulphuris, q. ſ.
Fiat iuleb.

Sæpius de die particulam huius conditi comedit:

Rec. *Pulueris liberantis, drach. j. diascordii Fracastorii, drach. ij.*
cortic. aurantiorum condit. & citri condit. rob ribesii rubri, ana drach. iij.
confect. de hyacintho, drach. j. syrupi acetositatis citri, q. ſ.
Fiat conditum.

Vesperi hunc pulverem præscripsi, cum pauco iulebi miscendum & assumendum:

Rec. *Lapidis bezoar orient. scrup. ij. florum sulphuris, scrup. ſ.*
croci or. gr. iij.
Fiat pulvis.

Tertia die cum febrem magis ingraueſcere, & bubonem nihil in altum attolli animadverterem, tale sudoriferum parari curavi:

Rec. *Radic. angelicæ, dictamni, petasitidis, & helenii, ana drach. i.*
herbar. ruthæ recentis & viridis, scordii, & cardui bened. sicci, ana M. ſ.
cortic. citri, & aurantiorum sic. ana drach. i. sem. cardui,

acet.

acetosæ, & citri, ana scrup. ii. aquæ communis, q. s.
Fiat decoctio ad lib. s.

Rec. *Colaturæ, unc. ii. s. theriacæ, diascordii, ana scrup. ii.*
salis cardui, scrup. i. s.
Misce, fiat haustus.

Hinc copiosissime sudauit cum manifesto leuamine. Tota die usus fuit de suo condito. Etiã aliquantum iusculi sorpsit. Buboni impositum fuit hoc cataplasma:

Rec. *Rad. liliorum albor. unc. ii. herb. alibeæ, flor. chamomillæ, ana. M. i.*
ficuum pinguium n. ix.
Coquantur in aquæ communis q. s. pistentur in mortario, tunc adde
simi columbini, unc. i. s. fermenti acidi, unc. i.
farinæ tritici, drach. vi. & lini, unc. s. mellis, unc. i.
axungiæ anatis, olei anethini, ana drach. vi.
Fiat s. ars. cataplasma.

Vesperi reiteratus fuit præcedens puluis. Die quarta, morbo in eodem statu permanente, eadem acta sunt quæ pridie. Die quinta mane: cum post assumptum ultimum sudoriferum rursus copiosissime sudasset, magnum leuamen percepit, febris remissior fuit, neque anxietas adeo grauis ut ante, bubo etiam multum increuit. Tunc petiit ut sordida & sudore madentia linteamina ipsi mutare liceret, quod curiosissime prohibui. Ille tamen post meum discessum fœtoris sudorem pertæsus, indusium nitidum bene calefactum, abiecto sordido induit. Hæc mutatio paulo post maximam quoque morbi mutationem induxit, scilicet in peius, nam febris rectuduit, & tanta anxietate oppressus fuit æger, ut quo se verteret, nesciret; & quamvis vires hactenus mediocriter constitissent, tamen hoc graue febris incrementum breuissimo tempore illas penitus deiecit, & ægrum tantopere afflixit, ut die sexta vitæ fatur mortis imperio se subiecerit.

HVius ægris curatio feliciter pro tempore cedebat: & nisi hac indum mutatione peccatum fuisset, procul dubio à morbo cito euasisset: tantum potuit hic parvus error, de quo alibi latius egimus.

HISTORIA XCV.

NMaius, Scholæ trivialis Conrector, peste cum summa anxietate correptus est, cui magna febris statim comes accessit. 6. Septembris hoc sudoriferum exhibui:

℞. *Extracti cardui, salis absinthii, ana scrup. j.*
diascordii Fracast. drach. s. confect. de hyacintho, scrup. s.
camphoræ, gr. iii. aquæ theriacalis, aceti calendulati ana drach. vi.
Misce, fiat haustus.

Hinc fortiter sudauit cum aliquo leuamine, & bubo in inguine prodiit, cum duobus carbunculis, altero in femore, altero in brachio. Sæpe de die cochleare huius mixturæ sumpsit:

Rec. *Conservæ rosarum rubr. rob. ribesii rubr. ana unc. s.*
diascordii, drach. ij. aquæ theriacalis, unc. iii. s.
succi limonum, unc. i. aquæ cinnamomi, drach. iii.
Misceantur, & colentur, adde colaturæ,

confect.

confect. de hyacintho, drach. i.
Misce.

Ad sitim utebatur cereuisia tenui cum pauco olei sulphuris acidulatâ. Circâ vesperam febris multum exacerbata fuit. Reiteratum est priùs sudoriferum: sudauit absque leuamine: totam noctem cum maxima anxietate & inquietudine transegit. Postridie vires ad extremum prostratæ erant, & lingua nigricabat. Datum est alexipharmacum, quod euomuit: interdum aliquantum de prædicta mistura bibit; alia medicamenta assumere non potuit. Febris eadem vehementia usque ad sequentem diem continuauit, nec quicquam increuit bubo: post meridiem in cute visa sunt exanthemata purpurea, & paulo post mortuus est.

QVibus febris magna vehementia primo biduo perdurabat, nec primis alexipharmacis imminuebatur, illi plerique moriebantur, & ut plurimum mortis prænuncia in talibus præcedebat linguæ nigredo.

HISTORIA XCVI.

MIchael Krieckman, peste cum diarrhœa lethali laborabat, cuique ipsum breui morituum prædixissem, cognatus eius Bernhardus Suyderdiick, eques sortis, auunculum suum ante mortem adhuc semel inuisere voluit; hora circiter decima matutina, quapropter cum adhuc ieiunus esset, prius ientaculum sumpsit, & haustum cereuisiæ superbibit, atque ita bene sanus, & contra pestem egregiè (ut putabat) munitus, auunculi ædes ingressus est: ægri autem cubiculum intrare volens, casu ipsi occurrit ancilla pelum ferens in qua æger aluum exonerauerat. Ille statim à maligno & contagioso istorum excrementorum fœtore adeo perculsus fuit, ut subito instar apoplectici in terram conciderit, atque intra horæ quadrantem exspirauerit.

VAlde venenatus & malignus debuit fuisse ille excrementorum vapor, qui hominem robustum tam cito deiecit, atque è medio sustulit. Fortassis præter dispositionis peculiarem aptitudinem, illud etiam ad subitam hanc infectionem fecit, quod tetricis illis vaporibus minus assuetus fuerit, atque ea de causa hæc venenata spicula ipsum magis ferierint, quæ tamen iis assuetos, qui ægris pestiferis inseruiunt, minus ladunt. Huiusmodi subitas mortes se etiam vidisse testantur, Valleriola, Salius, Gemma, & alii. vide *lib. 1. cap. 12. annot. 1.* Zacutus Lusitanus, *Prax. Admir. lib. 3. observat. 43.* refert se quidam pestifero venam secari iussisse, è qua aperta sanguis horrendum in modum fœtens effluxit, quo fœtore tres ministri proprius astantes infecti, & veluti fulminati subito occubuerunt, atque animam efflarunt. Huiusmodi obseruationes satis docent pestem absque febre hominem enecare posse: quæ difficultas grauiter torquet illos qui febrem à peste inseparabilem, & de pestis essentia esse statuunt: ac propterea videntes nonnullos citissimè exspirare, antequam inflammationi & putredini faciendæ tempus detur, ut nodum hunc dissoluant, dicunt, illud fieri quia putredo nõ est in ipso corde, sed extra vasa. Atque ita putant se ingeniter nodum hunc extricasse, cum tamen hoc modo in totum concedant, pestem neri, esse, & occidere posse sine febre, scilicet cum putredo est extra vasa: quasi verò venenum pestilens extra vasa remanens, neque cor attingens, hominem tam cito extinguere possit.

HISTORIA XCVII.

IOannes ab Haeften, qui in Molarum platea decumbebat, 1 Septembris peste correptus, propriam urinam bibit. Postridie ipsum inuisi. Febricitabat, dolorem absque tumore in inguine sentiebat, & summa anxietate torquebatur. Exhibui hoc alexipharmacum:

Rec. *Diascordii Fracast. drach. i. confect. de hyacintho,*
salis absinthii, ana scrup. i. extracti cardui bened. scrup. j. ſ.
aquæ cardui bened. & theriacalis, ana drach. vj.
olei vitrioli gut. xi.
Misce, fiat hausſus.

Hinc fortiter sudauit cum maximo leuamine, cumque post sudorem mediocriter valeret, toto biduo nullum medicamentum assumere voluit. 5 Septembris vehementissima febris rursus inuasit, cum summa anxietate, siti, & atrocissimo capitis dolore. Tunc prius sudoriferum reiteratum est, à quo cum rursus magno cum leuamine (bubone tamen nondum prodeunte) sudasset, rursus medicamentorum usum continuare noluit. 7 Septembris summo mane febris iterum magna violentia recruduit. A primo sudorifero rursus copiosissime sudauit, verum absque leuamine. Circa meridiem enormis vomitus accessit, quem aliquo modo sedauimus sequenti topico ventriculi regioni inuncto:

Rec. *Theriacæ Androm. drach. i. olei nucis moschatæ, scorpionum, ana scrup. ij.*
iuniperi, succini, ana scrup. ſ. & gariophyllorum, gut. ii.
Misceantur.

Post meridiem tali alexipharmaco usus est:

Rec. *Confect. de hyacintho, salis scordii, extracti cardui,*
& ruthæ, ana scrup. i. salis absinthii, scrup. ſ. mithridatii,
diascordii, ana scrup. ii. aquæ theriacalis, aceti bezoartici, ana unc. i.
Misceantur pro hausſu.

Hunc quidem retinuit, sed vix sudare potuit. Vires hoc die valde collapsæ sunt. Circa noctem hunc bolum deglutiuit, cum propter debilitatem nihil aliud assumere posset:

Rec. *Lapidis bezoar orient. extracti angelicæ, & cardui, ana scrup. ſ.*
confect. de hyacintho, theriacæ, ana scrup. j.
Fiat bolus inuoluendus folio auri.

8 Septembris mane, cum rursus paulo alacrior esse videretur, tali sudoriferum præscripsi:

Rec. *Theriacæ, diascordy, ana scrup. ij. trochiscorum viperinorum, scrup. j. ſ.*
salis absinthij, extracti cardui, ana scrup. j aquæ theriacalis. unc. j.
succi citri, unc. ſ.
Misce, fiat hausſus.

Sudauit, sed nihil imminuta est febris. Etiam obscurus in inguine tumor perceptus est, cui statim vesicatorium imponi curaui. Ad virium corroborationem ter plus de die cochleare huius misturæ sumpsit:

Rec. *Rob. ribesii rub. conſeruæ rosarum rubr. ana unc. ſ.*
aquæ theriacalis, unc. iij. acetosæ, scabiosæ, & rosarum, ana unc. ſ.
succi citri recentis, aquæ cinnamomi, ana unc. j.
Misceantur & colentur, adde colaturæ

confect.

confect. de hyacintho. drach. j. & alchermes, drach. L
Misce.

Pro potu ordinario utebatur cerusia tenui cum oleo sulphuris acidulata. Circa vesperam hic bolus præscriptus est:

Rec. *Lapidis bezoar orient. gr. xiij. croci orient. gr. iv.*
confect. de hyacintho, theriacæ, ana scrup. j.
Fiat bolus in folio auri.

His non obstantibus febris, anxietas & capitis dolor, magis ingrauata sunt. Postridie lingua tumida & nigricans visa est; dolor quoque in gutture adfuit. Circa meridiem exanthemata purpurea mortis instantis nuncium tulerunt.

PEssime & cum suo exitio hic æger alexipharmacorum usum bis intermisit; à quo in curatione pestis non ante desistendum, quam venenatus hostis plane euictus vel expulsus fuerit: neque illi fidendum cum inducias concedit; nam etiam tunc grauiores struit insidias, ut collectis viribus, ex improuiso, maiore insultu vitalitatis arcem inuadere & obruere possit.

HISTORIA XCVIII.

PEtrus de Cranenburch, famulus rustici in Ceruina platea habitantis, grauiter peste laborans, carbunculum sub mento, & bubonem in inguine habuit, aderatque simul febris cum maxima anxietate & debilitate. Post multa assumpta alexipharmaca febris quidem multum remisit, sed tamen æger in summæ debilitatis statu per quatuordecim dies remansit, quo temporis interuallo etiam ad virium restaurationem vix ullis cibis uti potuit. Interea cataplasmatibus attrahentibus & maturantibus bubo ad maturationem perductus, atque à Chirurgo incisione apertus fuit. Verum anthrax sub mento maximam molestiam induxit, non obstantibus enim quibuslibet optimis præsidiis à nobis adhibitis, quotidie magis magisque limites suos in vicinas partes extendit, atque instar sphaceli deorsum versus pectus serpendo, integræ manus expansæ latitudinem acquisiuit: atque tunc demum circulo facto, eius separatio in vicinis partibus incepta est, quæ topicorum auxilio multum adiuta fuit; ac tandem adeo magna mortificatæ carnis pars excidit, ut totum mentum subtus, & magna quoque asperæ arteriæ pars plane nuda conspiceretur. Vlcus postea instar aliorum ulcerum paulatim percuratum fuit, & æger, de cuius vita diu desperaueramus, post sextam septimanam integræ sanitati restitutus rursus foras prodiit.

MEnse Aprili alium magnę molis carbunculum in collo cuiusdam militis, usque ad clauiculam se extendentem vidimus, à quo aspera arteria etiam denudata fuit, sed nunquã animaduertere potuimus carbunculos ipsius asperæ arteriæ substantiam inuasisse. Carbunculorum etiam in aliis partibus interdum horrendam magnitudinem conspeximus. In uxore cuiusdam Signiferi anthracem vidimus, qui femoris interioris circiter tertiam partem occuparet, atque inde usque ad interfeminium & medium cubitum se extenderet, à quo tamen lanata fuit. Filio Lubberti VVolff bipenniferi carbunculus totam fere scapulam dextram occupauerat. Ancillæ pictoris cuiusdam prope portam molarem habitantis, anthrax interioris ventris quartam circiter partem obsederat, & usque ad pudendi labia se extenderat. In Cornelio Chirurgo lethalis carbunculus à costis spurijs deorsum versus per totos lumbos descenderat. Palmarius refert se quoque tanto molis carbũculos vidisse, qui solo intuitu Medicos terrerent. Paræus *lib. 21. cap. 23*, testatur se etiam huiusmodi maximos carbunculos

non semel vidisse. *Animaduerti* (inquit) *carbunculos qui escara sua medium fere dorsum occupabant: alios qui clauiculas sursum gulam versus spectantes, substensam ipsis carnem adeo exedebant, ut trachea arteria nuda conspiceretur. Mihi obortus aliquando carbunculus qui medium epigastrium occupabat, adeo ut delapsa escara peritonæum nudum oculis se videndum præberet, relicta cicatrix manus palmam æquat.* Similes horrendæ magnitudinis carbunculos etiam vidit Forestus, *lib. 6. obseruat. 12, 13, & 25.*

HISTORIA XCIX.

VIdua nobilis viri Daps, cum se multa deambulatione fatigasset, & hinc multo sudore perflueret, internum quendam ardorem ac cordis anxietatem sensit, quæ intra parvum tempus multus adaucta, aliquoties animi deliquium passa fuit, & acrem dolorem externum in medio pectore sensit, eo nempe loco, quo amuletum arsenicale nudo pectori impositum gerebat: cum autem denudato pectore locum inspexisset, ibidem non nullas exiguas nigricantes pustulas animadvertit, unde se peste laborare existimans, meum consilium statim expetiit. Vidi ab acrimonia & virulentia amuleti, sudore madentis, in media ossis sterni regione pustulas illas summæ cuti innatas esse, atque ab eadem quoque causa magnam debilitatem, internum ardorem, cordisque anxietatem productam fuisse. Quapropter abiecto amuleto hoc antidotum exhibui, a quo egregie sudauit:

Rec. *Extracti ruthæ, & angelicæ, salis scordii, ana scrup. j. theriacæ, drach. j. aquæ theriacalis, unc. j. f.*
Misce, fiat haustus.

Pustulæ hoc unguento ter quaterve de die inunctæ, intra biduum sanatæ sunt:

℞. *Theriacæ Androm. drach. j. f. olei scorpionum, & laurini, unguenti alabastrini, ana drach. ij.*
Misceantur.

Post copiosum sudorem prædicta symptomata maxima ex parte euanuerunt: ut tamen veneni reliquiæ penitus extinguerentur, per aliquot dies mane, meridie, & vesperi particulam huius antidoti sumpsit:

℞. *Pulueris libertatis, drach. j. theriacæ, diascordii, ana drach. j. f. confect. de hyacintho, scrup. ij. corticum aurantiorum condit. & citri condit. rob. ribesii rubri, ana drach. ij. syrupi de limonibus, q. s.*
Fiat conditum.

His paucis remedijs ab imminenti periculo liberata fuit.

QVi amuleta ex arsenico, sublimato, aliisve venenis confecta ad præseruationem circumferunt, haud melius sibi consulunt, quam ciues imprudentes, qui ut magnum aliquem hostem ab urbe repellant, alium non minus pernicioſum in auxilium vocant, qui dum ipſi mœniorum defensio committitur, data aliqua occasione, urbis penetralia ex improviso occupat, & auxiliandos ciues auxiliaturus miserrime supprimit. Quod ex prædicta historia manifeste liquit, nam à sudore aliquantum dissolutâ amuleti venenatâ substantiâ, & à calore apertis corporis poris, statis hac oblatâ occasione defensivum amuletum offensiuos ac virulentos aculeos intus ad cor, vitæ fontem, transmisit. Quam periculosa igitur sint huiusmodi amuleta, satis apparet, non tantum ex hac historia, verum etiam ex illa quam refert Franciscus Alphanus, de iuvene amuleto arsenicali munito, qui cum in sphæristerio pilæ lusu detarigatus

tigatus multum sudasset, subito corruit, & confestim extinctus est. Huic quoque non multum absimilem historiam refert Massaria, *lib. 2. de Peste*: qualem etiam nos supra descripsimus, *historia 44.* Taceant igitur quotquot talia fallacia & pernicioſa amuleta tanquam deorum dona commendant, hominibus obtrudunt, ac magno ære diuendunt.

HISTORIA C.

VXor Lamberti de Schermbeeck, peste correpta cum febre & magna anxietate, nullum externum pestis signum habuit. Die morbi quarto (postquam quatuor sudorifera iam ante exhibita, & sudores feliciter promoti essent) totum corpus phlegmonoso quodam rubore suffusum, & exiguis pustulis, non maioris quam milii seminis magnitudinis, obsitum fuit. Hinc anxietatem multum leuatam fuisse sensit. Verum ægra sudoris fœtorem fastidiens, me nesciente indusium mutavit, & sordido abiecto aliud nitidum induit, quod tamen prohibueram. Hinc protinus euanuit tota illa corporis rubedo, & pustulæ quasi exsiccatæ subsederunt: febris acutissima cum maximis anxietatibus & capitis doloribus accessit, quæ ægram intra sex horas iugulauit.

RAtius pestilens febris tali modo critice solvebatur, quibus verò id contingebat, illi euadebant, dummodo sibi ipsis non obessent, sicut fecit hæc ægra, quæ materiam morbificam à centro ad cutem laudabiliter expulsam suâ culpâ (intempestiuâ nempe indusii mutatione & aëris frigidi admissione) rursus introrsum ad nobilia viscera exitialiter repulit. Similem crisin etiam vidimus in filia N. ab Vden, cervisiarii in fabrorum ferrariorum platea habitantis, cui post factam crisin adhuc duo sudorifera dedimus, eamque in continuo calore & leui sudore per aliquot dies continuimus, atque ita paulatim euanuit inflammatorius ille cutis rubor, ac pustulæ exsiccatæ sunt, & ægra totius corporis cuticulam mutauit, & præter omnium opinionem è maximo periculo euasit.

HISTORIA CI.

THomas à Kalckberch, Colonienſis, peste cum magna febre correptus, à primo sudorifero carbunculum in pectore sub mamilla dextra, & obscurum tumorem in inguine percepit, qui tumor à tribus sequentibus sudoriferis nihil adauctus est. Tertia morbi die æger de murmure in intestinis & aliquo ventris dolore conquestus est, quem non diu post diarrhœa lethalis insecuta fuit, cum qua statim euanuit bubo, & æger intra octo horas obiit.

QVibus alui fluxus in peste superueniebat, illi maxime periclitabantur, & eorum paucissimi euadebant. Illud ipsum quoque olim ab Hippocrate obseruatum fuisse legimus, nam *lib. 3. epidem. text. 57.* agens de Peste, inquit: *Qui longis morbis vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipue mortui sunt, cunctos namque venter sustulit.* Vbi per *ventris vitium*, alui fluxum intelligendum esse, patet ex commentario Galeni ad eundem locum: *Et pestis quoque illa longissima,* (inquit) *quæ nostra ætate vulgata est, ex iis quæ per alvum eiiciebantur, & omnes prope peremit: quæ evacuabantur erat colliquatio.*

HI.

HISTORIA CII.

PEtrus ab Asperen, vitriarii famulus, cum bubonem iam incipientem in inguine sentiret, malum celauit, & statim ad me veniens aliquid consilii petiit. Iussi ut hunc bolum deglutiret, vel cum pauxillo vini calidi mistum biberet, & haustum vini calefacti superbiberet, atque ita se ad sudandum componeret.

Rec. *Theriacæ androm. scrup. iiij. florum sulphuris, scrup. j.*
camphoræ, gr. iiij. olei iuniperi, & succini, ana gut. v.
Misceantur pro bolo.

Postridie ad me reuersus, dicebat se fere per totam noctem sudasse, atque bubonem plane euanuisse, nec quicquam mali se amplius sentire.

NOn omnibus illa, quæ huic ægro contigit felicitas, ut unico medicamento pestilens venenum tam cito extingueretur & expelleretur, quod in plurimis aliis vix ullo antidotorum auxilio euinci potuit. Huius varietatis triplex causa statui potest. 1. Diuersa quantitatis & qualitatis veneni magnitudo. 2. Dispositionum varietas. 3. Imprimis tempestiuus vel serus medicamentorum usus. Morbi enim malignitas nullas dat inducias, ac proinde exiguum venenum, etiam in corpore non valde dispo-

sito, paulatim vires acquirit, nisi tempestiuo medicamentorum usu coërceatur. Illud etiam in Peste Delphica obseruauit Forestus: *Frustra* (inquit) *fere semper omnia auxilia adhibebantur, si malum, diem naturalem fuisset transgressum; id quod experientia, proh dolor, vidimus, & pro compertissimo habuimus; nisi forte in quibusdam corporibus tam leuis fuisset facta impressio, aut tam fortis esset virium facultas, ut etiam post illud tempus quidam, sed valde pauci, sanati fuerint.*

HISTORIA CIII.

NObilissimus vir Didricus à VVelderen, Dominus de Leeuvvenburgh, fratre suo una cum sorore peste extincto, venenatum contagium etiam hausit, quod circiter per tres menses circumtulit, antequam manifestis indiciis se proderet: quibus mensibus modo de grauatiuo capitis dolore, modo de totius corporis lassitudine, modo de debilitate corporis, modo de inappetentia, aliisque similibus malis, & toto fere tempore de cordis anxietate conquestus est. Vt sanitati suæ melius consuleret, meo consilio statim post mortem sororis suæ (uxoris nobilissimi ac strenuissimi viri D. de VVijnbergen, legionis Præfecti) aerem mutauit, & relictis omnibus rebus suspectis, extra urbem ad pagum Bemmel in castellum Domini de VVolfferen se contulit. Vbi cum circiter per decem hebdomadas vix fuerit, continuum antidotorum præseruantium usum nunquam intermittens, & tamen prædicta symptomata paulatim magis magisque increscerent, imprimis vero anxietas & virium debilitas, tandem Noui magum consilium meum petiturus reuerti coactus est. Hic cum ob mali venenati suspicionem alexipharmacum sudoriferum unum aut alterum ipsi exhibuissem, prodiit in inguine bubo pestilens, verus diu latitantis hostis nuncius, qui primo biduo aliquantum adauctus est, & deinde post exhibita adhuc aliquot conuenientia antidota, in positione solius emplastri tacamactici nostri magistralis, paulatim absque maturatione euanuit, atque ita æger ab interno illo venenato hoste feliciter liberatus fuit; cuius tamen diuturniore contubernio ventriculum debilitatum diu retinuit, quem post aliquot

deinde

deinde menses, exhibitis duobus vomitoriis, aliisque calefacientibus, detergentibus & corroborantibus medicamentis, ad consuetum sanitatis statum reduximus. Notandum etiam hunc prædictum Dominum toto illo tempore, quo venenum pestilens in corpore ipsius latuerat, usque ad perfectam sanationem, nulla manifesta febre correptum fuisse.

HAnc historiam tanquam rarissimam hic annotare placuit; nam vix unquam creditum fuisse arbitror, venenum pestilens tanto tempore in corpore humano latere posse antequam grauioribus indicijs se prodat. Plurimi magni Medici illud duntaxat per aliquot horas, vel ad summum per sex septemve dies in corpore occultum latere posse sentiunt: eiusque rei exempla se in praxi vidisse testantur, Octauianus Roboretus, *de febre petec. cap.* 19. Felix Platerus, *praxeos tract.* 2. *cap.* 2. Daniel Sennertus, *praxeos lib.* 6. *part.* 3. *cap.* 3. *ut & lib.* 4. *de febrib. cap.* 3. Guilh. Fabr. Hildanus, *centur.* 2. *obseruat.* 34. Verum nullus hactenus illud per menses latuisse, ante nos (quod sciò) obseruauit. Huius rei rationes fusius inquisiuimus *lib.* 1, *cap.* 10. *amnot.* 8.

HISTORIA CIV.

CVm N. van de VVart, telonarius, peste mortuus esset, uxor eius maxima tristitia affecta fuit, atque longo tempore mariti mortem planxit, nec ullo modo cordolium illud à se reiicere potuit: cui tristitiæ etiam propriæ mortis imaginatio accessit, quam adeo firmiter animo suo impressit, ut se peste breui tempore morituram, certò imaginaretur. Ea de causa testamentum conscripsit, & de omnibus quæ post mortem fieri vellet, pro beneplacito suo disposuit. His aliisque huiusmodi rebus aliquot dierum spatio peractis, tandem mihi & proximis suis consanguineis dixit se iam breui morituram; & præcuntem maritum secuturam. Hanc tristem & firmissimam imaginationem paulo post insecuta est pestis, quæ, cùm nullo remediorum genere (etsi satis multa adhiberentur) mitigaretur, quarta morbi die prætagium ægræ mortifero sigillo subsignauit.

TRistitiam multum facere ad pestis inductionem, hoc tristi tempore tristia multorum exempla satis docuerunt. Verum hoc mirabile fuit in prædicta ægra, quod animus illius & pestem, & mortem, & circiter tempus utriusque præsagiret, ita ut paulatim agenda sua commode peragere, & tandem dicere posset, *iam breui morior.* Veteres lætitiam & hilaritatem (magnos pestilentiæ hostes) imprimis in pestilenti constitutione tristitiæ opponere, eamque musica & cantu depellere soleant; quibus non male, nostro iudicio, addi posset moderatus vini usus, iuxta dictum: *Vt smaragdus in auro, sic musica in vino.*

HISTORIA CV.

PAter Antonius Iesuita, cum peste correptus bubonem in inguine sentiret, maioris commoditatis gratia, ex illis in quibus commorabatur ædibus ad hortum quendam satis longe inde dissitum deambulauit, atque ibidem decubuit. Illic cum varia medicamenta sudorifera, alexipharmaca, aliaque à me præscripta assumpsisset, deseruit ipsum febris, & bubo in inguine detumuit, atque æger cum appetitu rursus comedit. Cum per paucos dies mediocriter valuisset, allatum est nuncium milites aliquos ipsius aduentum reciuisse, atque de illo captiuo abducendo iam consilium inire. Hinc ille perterritus se nimis

intem

intempestiue aeri commisit, atque ex horto ad aliud hospitium longius inde situm clanculum migrauit. Ab illo terrore, nec non præpropera aeris mutatione rursus grauissimam febrem pestilentialem, cum summa anxietate viriumque deiectione concepit, quæ nullis remediis cedens, ipsi intra biduum vitæ finem imposuit.

IAm à morbo euasisse, omneque periculum transijsse videbatur hic æger, cui tamen à nouo terrore & repentina aeris mutatione morbus lethaliter recruduit; exemplum exhibens aliis, ne ante perfectam sanationem se nimis cito aeri committerent.

HISTORIA CVI.

HEnricus Petri, qui in pago Lent in ædibus Secretarii Seldens decumbebat, bene sanus ad campos deambulatum exiens, & aliquo modo fatigatus domum rediens, super cumulum fœni recentis requieuit, atque ibidem per duas horas obdormiuit. Expergefactus inhorruit, ac se febricitare, & capitis grauitate ac cordis anxietate affici sensit, non diu post vomuit, atque ad lectum discedens, cum magna inquietudine noctem illam transegit. Postridie ex meo præscripto alexipharmacum sumpsit, à quo cum copiose, sed absque leuamine, sudasset, eruperunt tres anthraces. Postea adhuc tribus quatuorve sudoriferis aliisque antidotis frustra usus fuit, & morbus quotidie magis ingrauescens, die quinta vitam finiuit.

SVpra fœnum, inprimis recens, cubare, maxime noxium esse, in multis rusticis comperti sumus, idque non tantum in peste, verum etiam in aliis variis morbis.

HISTORIA CVII.

FRanciscus Lanckfort, vir fortis, è sommo cuigilans magna cordis anxietate pressus fuit: hinc pestem metuens, statim aceti vini calefacti bonum haustum ebibit, atque ita ad sudorem se composuit; qui sudor cũper tres quatuorve horas durasset, omnis illa anxietas euanuit, & manifestum tumorem cum magno dolore sensit in inguine sinistro, reliquo corpore rursus optime valens. Tumori prima die imposuit folium brassicæ rubræ oleo raparum inunctum: cum autem secunda die multum increuisset, adeo ut præ dolore nec incedere, nec crus ad lubitum mouere posset, aduocauit unum ex illis pseudochirurgis, qui ægrotis pestiferis inseruiebant. Hic ad citiorem curationem, & febris regressum (ut aiebat) impediendum, sanguinis semilibram è brachio dextro extraxit. Sed quo euentu? paulo post æger inhorruit, & graui animi deliquio correptus est: statim violenta febris insecuta est, cum vomitu, siti & capitis dolore: etiam breui spatio disparuit bubo. Postera die meum consilium imploratum est: cum autem ægrum inuenirem grauissime febricitantem, cum pulsu paruo, crebro & intermittente, linguam etiam nigricare, ac vires maxime prostratas esse perciperem, ipsum breui morituru prædixi, quod præsagium post paucas horas mors confirmauit.

MVlti grauissimi Medici in curatione buborum pestilentis venæsectiones laudant: verum cum hæ malignum virus iam extra venarum & arteriarum limites in emunctoria ectum, ad interiora reuocent, nescio quo nomine laudari possint. Quantum ad auctoritates Galeni, Auicennæ, Auenzoaris, aliorumque qui illas suadent, illis opponimus auctoritatem

tem Hippocratis, qui *6. epidem. sect. 7. text. 1.* testatur venæsectiones in tali ab ipso institutas nunquam quicquam iuvisse. Forte dices, in dicto ægro propterea exitialem fuisse venæsectionem, quod in brachio instituta fuerit, quæ in pede fieri debuisset, Respondeo, in eo quidem, secundum multorum opinionem, grauiter ab illo stolido Chirurgo erratum fuisse; sed tamen nos experientia multoties edoctos esse, in inguinis bubone etiam nunquam sanguinem feliciter è pede extractum fuisse, sed omnes illos obiisse, quibus in peste sanguis quacunque de causa quacunque de parte missus fuit.

HISTORIA CVIII.

EDuardus Moulets, miles Anglus, in angiportu Vaginæfactorio decumbens peste cum violenta febre correptus, carbunculum satis magnum in ventre inferiore habuit: post aliquot horas vehementer vomere cœpit: subinde animi deliquia accesserunt. In tali statu cum maxima inquietudine, anxietate, & debilitate, totam noctem transegit. Sequenti die vomitum commodis remediis cohibere frustra tentaui. Tandem circa vesperam viribus iam omnino prostratis, vomitu eiecit vermem nigrum, longum, & vivum, hirudini non multum absimilem. Paulo post obiit.

PRater hunc ægrum, nemo (quod scio) huius formæ vermes nigros eiecit,

HISTORIA CIX.

LAmbertus de VVyburch, peste cum obscuro tumore subaxillari, violenta febre, & maxima anxietate correptus fuit. 20. Septembris exhibui hoc alexipharmacum:

Rec. *Trochiscorum de viperis, salis scordij, extracti angelicæ, ana scrup. j.*
diascoraij Fracast. drach. j. aquæ bezoarticæ, aceti bezoartici, ana unc. j.
Misce, fiat haustus.

Hinc fortiter sudauit cum aliquo leuamine. Lingua valde sicca, & sitis immensa erat: petiit ut ipsi aquæ simplicis potum permitterem: concessi illius moderatum usum, & os eadem sæpe quoque colluere iussi. Sequenti die aliquantum delirauit: tunc idem sudoriferum reiteratum est, post cuius usum adauctus est tumor sub axilla, cui vesicatorium applicaui. Febris tamen non multum imminuta est. Vesperi hunc bolum dedi:

Rec. *Camphoræ, cretæ or. ana gr. iij. pulu. liberantis,*
confect. de hyacintho, ana scrup. i. syrupi de limon. q. s.
Fiat bolus in folio auri.

22. Septembris minus delirauit. Reiteratio facta est mane sudoriferi, & vesperi boli: etiam cataplasma attrahens bubonem impositum est. Illa die febris aliquantum remisit, & circa vesperam absque delirio fuit. Quia autem lingua siccissima, & nigricante crusta obducta erat, ita ut æger vix amplius loqui posset, butyrum recens cum aqua rosacea lauari, & post lotionem aquæ simplici frigidissimæ imponi, atque illius butyri aliquoties de die particulam tabæ magnitudinis linguæ imponi, in eaque liquescere iussi; cuius usus intra biduum linguæ crusta omnino a lingua separata decidit. 23. Septembris febris aliquanto mitior fuit, & tumor paulo magis adauctus est. Tale apozema præscripsi, atque de illo quater de die haustum trium quatuorve unciarum bibere, & corpus bene calidum in leni sudore continere, iussi.

Rec. *Corticum citri, & aurantiorum ſicc. radicum petaſitidis, helenij, angelicæ, dictamni, & eryngij, ana unc. ſ. herb. cardui bened. acetoſæ, ſcordij, boraginis, ſcabioſæ, centaurii minoris, ana M. j. & pimpinellæ, M. ſ. ſem. acetoſæ, cardui, citri, & bardanæ, ana drach. j. aquæ communis, q. ſ.*

Coquantur ſ. art. ad lib. ij. adde colaturæ, ſyrupi de limonibus, & de ſcordio, ana unc. j. ſ.

Miſce, fiat apozema.

Hac die alvum prima vice exoneravit, & parum lactis preſſi acidi cum pane cocti comedit. 24 & 25 Septembris in uſu apozematis continuatum eſt. 26. Septemb. mane hoc ſudoriferum præſcripſi:

Rec. *Extracti ruthæ, cardui, & angelicæ, ſalis ſcordii, ana ſcrup. ſ. theriacæ, diaſcordii, ana ſcrup. j. ſ. aquæ theriacalis, unc. j. ſucci citri, unc. ſ.*

Miſceantur pro hauſtu.

Hinc cum fortiſſime ſudaſſet, diſparuit febris una cum anxietate, & æger poſtea mediocriter valuit. Ad maiorem tamen curationis certitudinem præcedens apozema adhuc ſemel parari, atque de eo per aliquot dies quotidie bis hauſtum bibere iuſſi. Loco cataplaſmatis attrahentis tumori aliud maturans impoſui, verum eo non obſtante, tum ob intra paucos dies abſque ſuppuratione diſſipatus eſt. Poſt exhauſtum apozema ægrum purgavi cum pilulis noſtris antipeſtilentialibus, atque ita feliciter à periculoſiſſimo morbo liberatus eſt.

AQuæ ſimplicis fontanæ vel putealis (nempe Noviomagenſis, nam illa clariſſima & optima eſt, ac plurimorum locorum putealem aquam putitate & bonitate longe ſuperat) uſum ad ſitim ſedandam ægris facile permittebam, dummodo ea moderate uterentur: nec illius aquæ potum illi unquam nocuiſſe, imo multis plus profuiſſe, quam iuſebos aliaſve arte confectas potiones, multoties animadverti. De butyro illud etiam notatu dignum, quod præſtantiſſimum ſit remedium ad linguam humectandam, eiuſque cruſtas emolliendas: abſtinendum tamen à nimia eiuſdem copia, qua alvus forte nimis emolliri poſſet.

HISTORIA CX.

IOachimus Nauta, qui præſervationis gratia in crure ſiniſtro fonticulũ in principio Veris ſibi fieri curaverat, menſe Novembri quendam ex ſuis conſanguineis peſte cum diarrhœa laborantem circa veſperam inviſens, contagio infectus eſt. Senſit primo vertiginem & capitis gravitatem, ac paulo poſt magnam anxietatem cum nauſea. Statim meo conſilio aſſumpſit hoc alexipharmacum:

Rec. *Theriacæ Androm. ſcrup. iv. ſalis cardui bened. ſcrup. j. ſ. aquæ theriacalis, aceti bezoartici, ana unc. j.*

Miſce, fiat potio.

Hinc tota fere nocte ſudavit, cum tanto levamine, ut omnia ſymptomata evanuerint. Poſtridie de magno fonticuli cruris dolore conqueſtus eſt, è quo vidi ichorem quendam nigricantem effluxiſſe, ipſumque fonticulum in circumferentia nigricantem colorem contraxiſſe: huius fonticuli margines à topicis convenientibus impoſitis, inſtar carbunculi, ſeparati fuerunt, & æger deinceps optime valuit.

Fonti-

FOnticulos ad præseruationem à peste inter præstantissima subsidia semper habuimus, & multoties obseruauimus, si quid veneni iam intus conceptum esset, illud per eosdem vel sponte naturæ, vel medicamentorum ope insigniter & cito euacuatum fuisse; quod ex prædicta historia manifeste liquet. Illud ipsum de fonticulis ab experientia testantur etiam, Mercurialis, Hercules Saxonia, Georgius, Hildanus, Ioannes Arculanus, aliique magni Practici.

HISTORIA CXI.

IAcobus Moulin, Gallus, bubonem in inguine sentiens, statim chirurgum quendam extrensem consuluit, qui ipsi haustum vini stibiati exhibuit, quo epoto æger domum discessit; nam adeo fortis adhuc erat ut ipsemet chirurgum adiret. Non diu post maximo animi deliquio obrutus fuit. Ego aduocatus, cum quidnam assumpsisset ignorarem, & pulsum iam pene deficientem sentirem, ipsum breui morituram prædixi. Cum ab illo discederem, obuiam mihi venit dictus chirurgus, qui ex hospitio ægri me exeuntem videns, rogabat quomodo valeret Iacobus Moulin? quærebam, unde sciret ipsum ægrotare? iam ante horam, respondit, aut circiter, ad me veniens; conquestus fuit se exiguum quendam tumorem valde dolorificum in inguine sentire, utque grauius malum præueniri posset, exhibui uncias duas vini vomitiui, quo in plurimis morbis cum maximo fructu uti solemus inter milites. Egregie vero (inquiebam) rem egisti, iam inuise ægrum, & vide cum quanto fructu etiam huic illud vinum exhibueris. Ipse adauctor ægrum accessit, & astantibus dixit nihil periculi metuendum esse, se tale medicamentum ægro exhibuisse, quo solo unica die morbus pestilens in totum sanaretur. Interea dum lecto adstat, æger aliquantum ad se rediens, bis terve vomuit. Iam (inquiebat chirurgus) & morbus euictus, & omne periculum superatum est. Nec de morbo fefellit præsagium, nam paulo post inter vomendum æger ipsam quoque animam euomuit, morbo scilicet tam egregie superato, ut nullum periculum foret illum unquam rediturum. Pudibundus chirurgus non sine astantium calumniis & dicteriis discessit.

QVam egregie Capitanei consulunt militum rebus, quando talibus ineptissimis & nasutis bardis, seu potius homicidis, eorum curandorum prouinciam imponunt; qui ne in pauperiorum militum curatione diutius detineantur, qualibet periculosissima medicamenta ipsis exhibere non erubescunt, cum hoc dicto: *hinc aut cita mors venit, aut victoria lata*. Profecto: si vires dicti ægri in principio conservare tuissent, simulque venenum pestilens (quod à robusta natura iam foras pelli incipiebat) ab interioribus visceribus per conuenientia antidota & sudorifera expulsum esset, procul dubio magna sanationis spes affulsisset; cum nunc è contra, per vomitorii violentiam & stibii venenositatem, iam à pestilenti veneno grauata viscera obrui, & deficere necessario debuerint. Quapropter nunquam eorum consilium audiendum arbitramur, qui ut perniciosum hostem expellant, alium non minus exitiosum in auxilium assumunt, & intra mœnia sua admittunt, qui duo, dum alter in alterius perniciem laborat, facile durante pugna ipsam urbem incendio consumunt.

HISTORIA CXII.

IN ædibus generosissimi viri Domini de Nassau, equitum Capitanei, mense Iunio quatuor ex famulitio peste laborauerant, quorum duo mortui fuerant. Domus bis terve

illa a flate expurgata est. Domina tamen de Nassau (quæ cum tota familia Hagam-Comitis confugerat, interea dum maritus cum cohorte castra sequeretur) his expurgationibus nondum satis contenta, mense Nouembri duas tresve Hollandicas purgatrices Haga-Comitis Noniomagum misit, quæ tam post quintum ab ultimo ægroto mensem totam domum adhuc semel more Hollandico curiosissime expurgarent. Hæ omnia linteamina, aliasque res quæ commode lauari poterant, lauarunt, reliquam omnem supellectilem Soli & aperto aeri exposuerunt, atque euentilarunt, omnem immunditiem curiose detergentes: modum denique totam a summi tecti cacumine usque ad imum, non tantum scopis simpliciter expurgarunt, sed etiam aqua undique abluerunt, & muros noua calce induxerunt seu cealbarunt. Postea sordes expurgatas in fumarium proiecerunt. Ex his sordibus gallinæ forte aliquid nutrimenti quæsiuerunt, illique se immerserunt & inuoluerunt, atque hinc omnes contagium contraxerunt, & peste correptæ mortuæ sunt; aliis autem in pectore & dorso carbunculi eruperunt, aliis sub alis tumores protuberarunt, atque ita omnes gallinæ, circiter viginti numero peste interierunt.

MVltoties aranearum telis, aliisve ædium sordibus pestilens venenum diu harere, & maxime necessariam esse domuum peste infectarum curiosissimam expurgationem, ex prædicta historia satis liquet. Hæc autem expurgatio ut melius peragatur, sequenti modo instituenda est: Primò apertis undique (præcipue versus Aquilonem & Orientem) fenestris tota domus à summo ad imum scopis diligenter est mundanda, omnesque aranearum telæ ac reliquæ sordes (ne caminis quidem prætermissis) curiosissime expurgandæ, atque una cum lecticarum stramentis in unum cumulum omnia illa longius extra domum projicienda, & igne comburenda sunt. Deinde rursus tota domus (imprimis verò lectica omnesque anguli secretiores) aqua abluenda, & per aliquot dies rursus euentilanda est. Postea luculenti ignes in singulis strui possunt. Tertiò omnes parietes calce noua obducendi sunt, & tabulata omniaque pauimenta, item lectica, tentoria, cistæ, abaci, mensæ, scamna, aliaque lignea supellex aceto & aqua simul mistis abluenda est. Deinde suffumigia (qualia *lib.* 2. *cap.* 5. descripsimus) incubiculis & cœnaculis bis terve accendere oportet. Circa vestes, aliaque stamina quæ tomentis rationem habent, maior expurgationis cura requiritur, cum in iis negligentius expurgatis venenum pestilens sæpe diu latere possit; quod præter quotidianam experientiam, manifesto exemplo docet Forestus *lib.* 6. *in schol. ad obseruat.* 22. de muliere quæ ex Zelandia è domo peste infecta quædam vestimenta Alckmariam attulerat, eaque ibidem Soli exposuerat, in quibus septem pueri colludentes, omnes peste infecti & mortui fuerunt. Quapropter ut huiusmodi pericula euitentur, oportet ut omnia linteamina, etiam illa quæ diu in arcis nitida conclusa fuerunt, conuenienti modo cum lixivio lauentur, etiam stragulæ & lectorum tegmina, imprimis illa quibus ægri usi fuerunt, omnesque lanceæ vestes quæ absque damno lauari possunt. Quæ verò commode lauari nequeunt, ut tapeta, vestes sericeæ holosericæ, lecti, chartæ, libri, aliaque similia, illa multis diebus Soli & ventis aquilonaribus exponenda, & diligenter agitanda, concutienda, sustigianda, & abstergenda sunt; nam a ventis perflatus & multum agitatus pestifer vapor, illis rebus forte inhærens, non potest non imminui ac dissipari; unde Mercurialis laudat Martinum Farinum, quod libro de Peste doceat, pannos atque parietes spatio viginti dierum, si perflentur & emundentur, ab omni contagio mundari. Denique post illarum rerum longiores euentilationes, singula conuenientibus suffumigiis perfumiganda sunt; etiam particulatim in singulis cistis suffumigium aliquod accendendum est, antequam supellex in iis deponatur. His omnibus ita peractis, & singulis rebus suis locis repositis, domum ab omni venenata pestilenti labe satis emundatam esse, credibile est. Vt autem certo sciri possit an pestilens contagium satis expurgatum sit, nonnulli hoc experimento

utuntur

utuntur: Panes recentes è furno extractos, & adhuc calentes, in duas partes diuidunt, eosque in medio cubiculi viginti quatuor horis deponunt; si venenum adhuc in conclaui latuerit, eo temporis spatio illum panem mucescere & putrescere dicunt, ac propterea postea caute vel aquis immergendum, vel alte sepeliendum esse. Alii ova recentia concutiunt, eaque in patella aperta in conclaui viginti quatuor horis relinquunt, si quid veneni supertuerit, intra illud tempus ova corrumpentur, summumque fœtorem contrahent. Verum nos talia experimenta flocci facimus, nec quicquam certi continere arbitramur: nam panem atque ova in cubiculo non infecto, nonnunquam ratione alterius non venenatæ causæ, posse corrumpi, & in cubiculo infecto interdum absque corruptione per aliquod tempus manere posse, credimus. Quantum ad gallinas quæ à sordibus contagium contraxerant, illud in tota hac peste nusquam alibi vidimus, præterquam in illa sola domo. Aues tamen interdum etiam peste corripi liquet ex eo Forestus & Sennertus referunt ex Ioachimi Schylleri libro de Peste Britannica, aves sub arboribus peste correptas & interemptas passim repertas fuisse, & abiectus sub alis ciceris instar habuisse.

HISTORIA CXIII.

FIlia Petri de Botsel, iuvencula circiter viginti annorum, bubonem pestilentem in inguine percepit, præter quem nullum aliud magni momenti malum in corpore sensit. Ipsa morbum celare cupiens, tacitè Matthiam Aquisgranensem (qui ex professo cucurbitularum encheiresi vacabat) adijt, & sex vel octo cucurbitulas cum scarificatione pedibus imponi curauit. Extractis paucis sanguinis uncijs, animo deficiens concidit: ad se rediens de maxima cordis anxietate conquesta fuit. Statim à duobus viris robustis domum delata & in lectum deposita est, ubi tantis & tam crebris animi deliquijs corripiebatur, ut parentes, ipsam iam iam morituram existimantes, me vocarent. Iussi ut acetum cum spiritu vini naribus odorandum offerrent, & huius misturæ subinde cum cochleari aliquantum exhiberent:

Rec. *Aquæ cinnamomi, & theriacalis, vini albi, syrupi de limonibus, ana unc. j. Misceantur.*

Huius usu aliquantum ad se rediit, & confessa est se bubonem sensisse, ac propterea cucurbitulas pedibus imponi curasse, eumque bubonem iam fere totum euanuisse. Tunc manu imposita locum ipsemet exploraui, sed nihil aliud quam exiguam quandam & profundam duritiem deprehendere potui. Præscripsi sudoriferum statim calide exhibendum, à quo quidem mediocriter sudauit, sed absque ullo leuamine. Sequenti die maxima cordis anxietate pressa est, & animi deliquia subinde reuertebantur. Iussi ut pulli decoctum, quod casu paratum habebant, pauco vini & succi citri admisto, exhiberent: sumpsit tria quatuorve cochlearia, eaque statim reuomuit. Tunc prioris misturæ interdum cum cochleari aliquantum datum est, sed frustra, nam illo die circa vesperam in diuturniore deliquio exspirauit.

MVltum interest in curatione pestis, ut ægri vires in quam maxima heri potest integritate conseruentur, & venenum pestilens foras protrudatur: cum autem à sanguinis detractione vires ciuitissime dejiciantur, nullique venenum quod extra vasa est introrsum in vasa trahatur, ab illa necessario abstinendum est: nam quantacunque curiositate illa detractio peragatur, illam tamen nunquam in peste profuisse, ab experientia testantur Parœus, Fallopius,

Gesne-

Gesnerus, Dodonæus, aliique magni Practici. Sic etiam in hac nostra peste sanguinem plurimis infelicissime detractū fuisse vidimus. Quapropter Zacutum Lusitanum aliosque audiendos non esse existimamus, qui hac in parte rationem & quotidianam experientiam solā quorundam veterum auctoritate euertere nituntur, haud secus ac si veteres, Dii, & non homines fuissent, & propterea quod multa insignia scripta ediderint, in nullis errare potuissent. Plus nobis sapere videntur illi, qui doctissimorum Medicorum monumenta prudenter perlegunt, atque inde eorum experientiam quidem addiscunt, sed interea tamen magis propriis oculis, quam aliorum scriptis confidunt, & oculati speculatores aliorum errores corigere malunt, quam sequi.

HISTORIA CXIV.

PAter Augusti, monachus, peste correptus fortiter vomuit, quem vomitum medicamentis conuenientibus sedaui. Postea exhibui tria sudorifera, aliaque nonnulla alexipharmaca, à quibus leuamen secutum est. Quinta morbi purum sanguinem minxit, & paulo post extinctus est.

SIc etiam adhuc alium Sacerdotem eodem fere tempore cum sanguinis mictu vitam finisse vidimus. Erat illa sanguinis mictio certissimum mortis præsagium, idque malum nullis medicamentorum auxiliis curari poterat; in cuius pessimi symptomatis medicatione in principio huius pestis multoties frustra laborauimus: cum autem neque ægrorum vires, neque temporis breuitatem unquam curationem admittere animaduerteremus, postea hoc symptomate apparente, ægris nulla medicamenta dedimus, sed eosdem Deo commisimus, nullum enim euadere vidimus.

HISTORIA CXV.

GErardus ab Hattem, famulus pistoris, mense Decembri peste correptus anthracem habuit in sura cruris sinistri: febricula aderat nec ardore, nec aliis symptomatibus grauis: urina sanorum urinæ plane similis: æger tamen abiecto animo erat, alta suspiria ducebat, & de recuperanda sanitate omnino desperabat: quietus iacebat, & tacebat fere semper, qui alioqui satis loquax esse solebat. Exhibui tria alexipharmaca, à quibus mediocriter sudauit, sed absque leuamine. Carbunculus maiorem molem acquisiuit, sed nullo circulo rubro circumscriptus est, quod signum mihi plane displicuit. Postea adhuc variis aliis antidotis usus est, sed omnibus frustra. Die morbi sexta, cum pulsum explorarem, qui exilis, creber & inæqualis erat, neruorum quendam tremorem sensi: urina tamen in eodem statu laudabilis, cum bona hypostasi erat. Prædixi mortem, quæ sequenti nocte post eruptionem exanthematum prælagii veritatem confirmauit.

VAlde fallaces erant illæ febriculæ pestilentes quæ sine grauibus symptomatibus inuadebant; nam postquam ægros fallaci spe per aliquot dies aluissent, eosdem tandem præter expectationem trucidabant. Causam fuisse arbitror, quod venenum pestilens in ipsius cordis substantiam magis, quam in humores violentiam suam exerceret, & cordis humidum radicale magis depopularetur, quam aliorum humorum putredinem induceret. Quod in prædicto ægro ipsa urina docuit, quæ toto morbi decursu adeo laudabilis fuit, ut nulla putredinis indicia in illa conspicerentur, cum tamen exilis, creber & inæqualis pulsus cordis grauiter affecti indicium exhiberent.

HI-

HISTORIA CXVI.

FAmulus Domini Couper, Vice Capitanei equitum, iuvenis robustus, cum se pestè correptum sentiret, & iam in brachio carbunculum haberet, ut malum celaret, chirurgo Egmundo Anglo rem clanculum indicauit, qui ipsi ad citiorem curationem pulueris passauant drachmam unum cum hausta ceruisiæ exhibuit. Hinc post sesquihoram alui enormis deturbatio, & deinceps continua fluxio secuta est, ægrique res intra viginti horas adeo deiectæ sunt, ut vix loqui posset. Postridie ad ipsum inuisendum vocatus sum una cum dicto chirurgo, qui se ex præstantissimorum Medicorum decreto curationem à purgatione bene incepisse arbitrabatur. In extremitate illa constituto ægro, hanc potionem exhibui:

Rec. *Trochisc. de terra sigillata, scrup. j. ſ. cornu cerui usti, scrup. j. theriacæ, scrup. iv. aquæ theriacalis, unc. ij. Misceantur pro hausta.*

Hunc quidem assumpsit, sed post horæ quadrantem rursus euomuit. Idem medicamentum reiteratum est, sed absque emolumento, nam ingraueſcente colliquatiuo alui fluxu, circa vesperam sanguis deiiciebatur, & æger sequenti nocte cum illo fluxu è turbulenti mundi fluctibus ad tranquillitatis portum delatus est.

INnumeros huiusmodi errores commiserunt varii Chirurgi, qui licet ineptissimi sint & medicinæ maxime ignari, sibi ipsis tamen & populum multum persuadent, seque fere solos sapere existimant, (quæ opinio non Noviomagensibus, sed etiam plurimis Belgii aliarumque regionum Chirurgis familiaris est) & unica fidelia omnes parietes dealbare soliti, etiam unico medicamento omnium morborum, & uno unguento omnium fere vulnerum atque ulcerum curationem peragere tentant. Sic etiam dictus ille Egmundus Anglus pestiferos curaturus, aliis pulverem passauant, aliis vinum stibiatum exhibebat, multis quoque sanguinem detrahebat; idemque cum illo nonnulli alii Chirurgi satis imprudenter & impudenter faciebant: quare? quia illorum natutorum scientiæ limites ulterius non extendebantur; morbi causas, ægroti dispositionem, temperiei rationem, commoda medicamenta, aliaque ad curationem scitu necessaria ignorant, neque illa scire studebant, sed ægrorum nummis potius quam eorum sanitati & propriæ scientiæ inhiantes, quidvis temere audebant. Verum si mortui hac peste horum bardonum auara temeritate occisi, adhuc vociferari possent, credo totum Noviomagum tanto clangore repletum iri ut & incolæ obsurdescerent, & aues præ terrore urbem longius fugerent. Fortasse nonnullis laudandus videbitur ille curationis ordo, qui a purgatione principium ducit, propterea quod Auicenna, Auenzoar, Oribasius, Mercurialis, aliique magni Medici illud ipsum quoque suadeant: verum oportet ut auctoritates illorum Medicorum (qui etiam homines fuerunt, & non Dii; & quamvis doctissimi, interdum tamen errare, & aliquid scribere potuerunt quod experientiæ contrariatur) rationi & experientiæ postponantur; qua de re pluribus egimus *lib. 3. cap. 4. annot. 1.*

HISTORIA CXVII.

PEtrus Schram, peste correptus carbunculum in scroto habuit, qui circiter per dimidiam scroti partem se extendit, & tandem post varia exhibita & imposita medicamenta antbrace ad separationem deducto, magna scroti pars excidit, ita ut testicu-

lus

ſus in ſua vagina pendens nudus conſpiceretur: quod ſcroti foramen commodorum topicorum uſu poſtea rurſus coaluit.

DVrante hac peſte ter quaterve carbunculos in labiis pudendi muliebris, ſed rariſſime in virorũ ſcroto enatos vidimus; quod tamen olim in crudeliſſima Athenienſi peſte ſæpius contigiſſe, liquet ex eo quod Thucydides refert, nonnullos genitalibus exſectis, oculis excauatis, manibus pedibuſque truncatis vitam redemiſſe.

HISTORIA CXVIII.

VXor Seuerini de Kuyck, 14 Decembris maxima debilitate correpta eſt, ita ut ſæpius animo linqueretur: aderat parua febricula, abſque aliis ſymptomatibus, peſtilve indiciis: urina ſanorum urinæ ſimilis cum laudabili hypoſtaſi, pulſus creber & parvus erat cum inæqualitate. Exhibitis aliquot alexipharmacis ſudoriferis, aliiſque vires corroborantibus medicamentis, nullum leuamen ſecutum eſt: morbus toto quatriduo in eodem ſtatu permanſit. Poſtea tandem carbunculum in medijs lumbis percepimus, ſed circulo rubro non circumſcriptum; cui topicum conueniens bis de die renouandum imponi curauimus. Die ſeptimo ægra paulo melius habere viſa eſt, pulſus etiam aliquanto fortior fuit: cœpit parum iuſculi ſorbere. Die undecima ad priorem debilitatis ſtatum relapſa eſt. Interea carbunculus magnam molem acquiſiuit. Vtebantur ægra quotidie, modo his, modo illis antidotis, modo iuſculis ad virium reſtaurationem. Verum his omnibus non obſtantibus eodem fere modo (ut nunc paulo melius, nunc peius ſe haberet) continuauit morbus uſque ad diem vigeſimum ſextum, qua die, nempe 9 Ianuarii anno 1637, miſeriarum finem impoſuit. Carbunculus ad tantam molem exceuerat, ut integræ manus latitudinem multum excederet.

RAriſſime febres peſtilentes ad tãtum tempus producebantur, illud tamen in nonnullis factum fuiſſe vidimus: de quibus febribus agens Galenus 3. *de criſibus cap.* 4. inquit: *Debiles & paruæ febres quandoque valde malignæ ſunt*. Cauſa eſt, quod venenum peſtilens vel debili qualitate, vel exigua quantitate firmiter ſe inſinuet ipſius cordis ſubſtantiæ, atque ibidem hærens humorum graues putredines (a quibus moleſtiſſima ſymptomata procedunt) non inducat: accedente quoque eo, quod humores in nonnullis ita diſpoſiti ſint, ut putrefcendum vel venenum peſtilens recipiendum minus apti exiſtant. Atque tunc venenum ſolius cordis calidum nativum paulatim corrumpens, hominem lente occidit, eodem modo ſicut Galenus dicit venena, quæ debili qualitate, vel exigua quantitate exhibentur, interdum lente, & non niſi poſt aliquod tempus occidere.

HISTORIA CXIX.

FAmulus Antonii de Tricht, Pharmacopœi, menſe Iulio peſte laborans in horto decumbebat, in domuncula incuruis quidem lateribus ſurſum contecta, ſed atque parietibus, & undique circumcirca aperta, quam tamen vel is tunc undique inuiſitarant: Ægro ſanato lectus, vela, reliquaque ſupellex inde rurſus ablata fuit. Anno ſequenti menſe Martio ipſe Pharmacopœus inſtrumentum aliquod hortulanum in eadem domuncula caſu quæreus, cum ſtramen, cui ægri quondam lectus impoſitus fuerat (quod ibi adhuc

huc relictum, & autumnō totaque hyeme vento, pluviis, niuibus ac frigori expositum fuerat) dextro pede ab uno saltem in alterum latus dimoueret, statim situosum quendam fœtorem naribus percepit, & paulo post acrem ac pungentem dolorem in inferiore cruris parte prope pedem sensit, haud secus ac si aqua feruida se combussisset. Sequenti die magna vesica ibidem excitata visa fuit, qua pertusa effluxit aliquantum aquæ nigricantis, & sub illa vesica carbunculus pestilens latens inuentus est, qui vix duabus septimanis postea sanari potuit. Patiens tamen nec febricitauit, nec reliquo corpore male valuit.

HIusmodi plura exempla Nouiomagi visa sunt, quod scilicet pestilens inquinamentum per aliquot mēses fomiti inhærens, postea aliquibus adhuc communicatum sit. Sed obseruandum quod ab illo contagio silente alioqui peste inducto, nulla illius ulterior alicuius momenti propagatio facta fuerit. Interim hoc exemplo Medicorum doctrina de contagio in fomite latente satis confirmatur. Mirum tamen est, hoc contagium tanto tempore in prædicto stramine potuisse subsistere, utpote quod tota hyeme ventis & pluviis expositum fuisset. Concordans enim est Marsilii Ficini, Mercurialis, aliorumque variorum Medicorum opinio, fomitem spatio viginti vel pluriū dierum, à ventis perflatum, durare non posse, sed imminui & deleri necesse esse: attamen contrarium interdum contingere ex prædicta historia liquet. Fomitem verò conclusum, alioue modo quietum manentem, diutissimè pestilentem vaporem continere, & integris viribus seruare posse, communis est opinio. Sic Forestus, *lib. 6. obseruat. 22.* refert exemplum contagii pestilentis in tela aranei diu asseruati. Alexander Benedictus scribit, in urbe Veneta culcitram quandam multis annis pestiferam malignitatem retinuisse, eaque tandem excussa, seruos adstantes protinus subita peste correptos fuisse. Sennertus, *lib. 4. de febr. cap. 3.* refert, anno 1542, spatio viginti duarum septimanarum Vratislaviæ 5900 homines peste mortuos fuisse, ab eoque tempore pestilens contagium in linteo circiter annis quatuordecim conclusum hausse, quo tandem anno 1555, Laubani explicato, pestis excitata fuit, quæ per contagium vicinis etiam urbibus & locis communicata est. Verum quia hæc sunt præter nostras obseruationes, nec quidquam conueniunt cum nostra experientia, etiam superant nostram fidem: quid autem hac de re sentiendum sit, diximus *lib. 1, cap. 8. annot. 1. probl. 1. & eusdem lib. cap. 10, annot. 10.*

HISTORIA CXX.

CApitaneus Brauver anno 1638, mense Augusto, cum nusquam in tota Geldria pestis communiter grassaretur, hac lue correptus decubuit in pago Bemmel. Varios carbunculos habuit, & remediis serius admissis, tandem obiit. Ego cum hunc ægrum prima vice inuisissem, statim ab ipso contagium contraxi, & ingens carbunculus cum maximo dolore in manu sinistra mihi obortus est, quem commodorum topicorum applicatione postea feliciter sanauimus: neque à principio usque ad finem mali reliquo corpore male valui, nec febrem, nec vllum malum symptoma sensi, nec alio antidoto vsus sum quam tabaci fumo. Ab eodem illo Capitaneo etiam contagione infectus fuit miles quidam qui ipsi inseruiebat, cui etiam, vt mihi, in manu sinistra carbunculus prorupit, quem postea topicis etiam curauimus: cumque etiam hic reliquo corpore non ægrotaret, & ex consuetudine tabaco satis copiose uteretur, huic quoque alia antidoti non dedimus.

GRauissimè errare illos, qui pestem sine febre non dari, arbitrantur, meo ipsius exemplo satis edoctus sum; nam etsi in aliis ægrotis exigua aliqua febricula forte indicium

Medici subterfugere posset, in me ipso tamen febriculam etiam minimam facile percepissem. Idem in se ipso quoque expertus fuit Platerus, nam *prax. tract. 2. cap. 2.* refert sibi ipsi in manibus & socero Chirurgo in pedibus pustulam Pestilentialem citra febrem vel aliam noxam natam fuisse: quod ipsum repetit. *cap. 17. & Observationum lib. 2.* Sic quoque Forestus *lib. 6. Observat. 10*, inquit: *Vidimus sed paucissimos, anthracem in membris ignobilioribus, sine febre, qui facillime ab initio restituebantur.* Ex praedicta historia etiam liquet error Plateri aliorumque, qui negant pestis communis causam de novo à Deo immitti, sed à contagio initio sumpto propagari: nam si solum contagium pestem generalem facere posset, quare non ab hoc aegro talis pestis inducta est; qui me quidem & militem contagio infecit, sed nos nullos alios.

TRACTATVS DE VARIOLIS & MORBILLIS.

CAPVT I.

De Variolis & Morbillis in genere.

QVandoquidem Arabes, plurimiq; magni Medici, historiæ pestis morborúmque contagiosorum & epidemiorum subiungunt historiam variolarum & morbillorum, nos similiter, eos duces sequuti, tractatui nostro de peste, variolarum & morbillorum descriptionem subjecimus.

Hoc autem primo capite (antequam de singulis his morbis speciatim agamus) pauca quædam in genere præfari necesse est, de utriusque morbi nominibus, prima origine, natura, subjectis, & differentiis.

Nominum aliqua varietas occurrit apud scriptores medicos. Græcis usitata fuere τὰ ἀνθυμάτα & ἐξανθήματα vocabula (hæc amœo veteres Latini vno verbo *Papulas* dixere: Alzarauius sua lingua *Algigram* & *Alasmom*, Mercurialis verò *Efflorescentias* nominat) per quæ non semper intellexerunt duos distinctos morbos, sed frequenter unum eundemque. Alii ἐξανθήματα duplex genus constituerunt: unum in quo pustulæ eminentiores in cute erumpunt: alterum in quo saltem color cutis mutatur. Atque prius illud nonnulli speciatim ἀνθύματα, latini *Variolas*, quasi paruos varos, nominarũt, cui etiam *Papularum* nomen proprie adscribendum putant. Posterius verò ἐξανθήματων nomine donarunt, & Latini etiam *exanthemata* & *morbillos* appellarunt. Notandum interea, *exanthemata* proprissime nominari illas maculas purpureas quæ in pestiferis ægris frequenter apparent (de his egimus *in tractatu nostro de peste, lib. 1. cap. 7. 14. & 15. & lib. 3. cap. 13. & lib. 4. histor. 57. & 77.*) postmodũ autem à multis Medicis hoc nomen etiam, sed minus proprie, morbillis fuisse assignatum. Quidquid sit, hodie nullum amplius dubium, nullaque ambiguitas de nominibus superest, cum Medici per ἀνθύματα & *Variolas* passim intelligant pustulas illas eminentes in cute erumpentes & suppurantes, per totum corpus conspicuas: & ἐξανθήματα seu *Morbillos* no-

minant

nent maculas rubicundas, cutem nonnihil exasperantes, & nonnunquam minimis tuberculis, instar seminum milii, conspersas.

De horum morborum prima origine magnus est dissensus inter Medicos. Sunt enim qui antiquissimum iis ortum, à prima mundi origine, adscribunt, eosque ipsi quoque Hippocratis Galeno, & aliis antiquis Græcis notos fuisse tradunt. Mercurialis verò, Liddelius, aliique multi, illos antiquis Græcis prorsus incognitos fuisse, & Arabum ætate primo innotuisse, ac propterea ab his primam eorum perfectam descriptionem exhibitam esse, iudicant, cum Græci fere nihil speciale de iis scriptum reliquerit. Sed horum posteriorum opinio minus verosimilis videtur, cum Græcorum ἐκτυμάτων & ἐξανθημάτων descriptiones à nostris variolis & morbillis parum discrepent, ut liquet ex Hippocratis, *lib. 3. epid. sect. 3. text. 57.* in curatione Sileni: Cum Arabes quoque illos morbos tanquam nouos non describant, quod, procul dubio, fecissent, si illos Græcis incognitos fuisse scivissent vel putassent. Adde; quod licet Græci in suis scriptis speciatim de his morbis non tractent, sicut Arabes, sed eorum historiam ordini istorum morbórum epidemiorum, qui per modum crisis solvuntur, annumerent & immisceant, tamen inde non bene concludi illos iis minimè cognitos fuisse, utpote cuius contrarium ex eo in primis liquet, quod multa nobiscum communia scribant, quæ tam naturam, tum curationem eorum spectant.

Hi morbi non sunt unum, sed duplex morbi genus: quippe sunt morbi intemperici, quod ex calore præter naturam & febre notissimum est: atque etiam morbi prava conformationis, quia adsunt tumores & continui solutiones.

Referuntur autem ad febres acutas malignas, contagiosas, epidemias, & pestilentes (etsi non sint tam exitiosi quam pestis) quia inter quatuordecim dies plerumque terminantur, aut saltem quadragesimum non transcendunt; malignitatis participes sunt, per contagium propagantur, & frequenter, instar pestis, epidemice grassantur.

Solis hominibus bellum indixerunt, quippe à nullo Medico hactenus observatum est, ulla alia animalia his morbis affligi.

Præterea non modò solis, sed fere omnibus hominibus communes adeo sunt, ut pauci moriantur, qui vivi ab iis non aliquando tentati fuerunt. Hinc dicebat Auenzoar, *cap. ult. suæ medic.* miraculum esse, si aliquis homo viuens ab his morbis immunis exadat, idque potius Dei beneficio adscribendum esse, quam alteri causæ. Hoc ipsum quoque innuens Thomas VVillis, *lib. de febr. cap. 16.* sic inquit: *Conuenit homini, omni, soli, & semel variolis vel morbillis affici: si forte quispiam in tota vita immunis degerit, aut alius in hos affectus sæpius inciderit, sunt hæc rara & inusitata Naturæ eventa, quæ communi obseruationi minime derogant: quin omnino ratum sit, quod nimirum cuncti & soli homines sint variolis & morbillis obnoxij, atque unica plaga ijs absolvi soleant.*

Partes quæ in his morbis afficiuntur, sunt, vel totum corpus, ratione febris: vel partes externæ, scilicet cutis, ratione pustularum & macularum, in ea conspicuarum: vel interdum etiam partes internæ, ventriculus, intestina, pulmo, iecur, renes, &c. quas subinde non minus quam cutem, variolis obsideri, docuit cadauerum variolis mortuorum sectio.

Hi autem morbi, etsi eiusdem malignitatis participes sint, in his tamen differunt. 1. Quod, cum sanguinis ab illa malignitate infecti duplex sit excrementum, unum crassum, alterum tenue, ex crasso variolæ, ex tenui verò morbilli generentur. 2. Quod in illis, propter istam materiæ diuersitatem tubercula elevata & purulenta fiant, in his verò duntaxat maculæ, vix cum aliqua cutis eleuatione, & sine ullo pure appareant. 3 Quod illæ sanatæ foueas ac cicatrices, hi verò nullam fæditatem relinquant.

Verum, quia in febre petechiali etiam maculæ erumpunt, quibus Medicus facile decipi posset, notanda est harum ab iis quæ in principio variolarum & morbillorum prodeunt, differentia; quæ est. 1. Quod primæ maculæ quæ in variolis & morbillis conspiciuntur, sint illoridi rubicundi coloris, & exiles, ac postea dilatentur, maximeque appareant in facie & manibus: petechiæ verò sint rubri obscurioris coloris, sæpe versus purpureum inclinantis, & a principio aliquanto latiores, exacteque rotundæ, & nullæ fere erumpant in facie & manibus,

sed copiosæ in pectore & dorso. 2. Quod variolarum & morbillorum maculæ tertio quartove die à febris, inuasione plerumque erumpant criticè, & cum leuamine ægri: petechiæ verò, etiam die septimo apparentes, plerumque symptomaticæ sint, & ægrum reddant deteriorem. 3. Quod hæ oriantur instar morsuum pulicum, variolarum verò & morbillorum nullam cum morsibus pulicum similitudinem habeant.

CAPVT II.

De Variolis in Specie.

Variolæ sunt pustulæ suppurantes, in summa cute erumpentes ac conspicuæ (rarò internas partes occupantes) cum febre continua, à peculiari maligna humorum fermẽtacea effervescentia ortæ.

Pueris maxime familiares sunt, minus frequenter iuvenes, rarissimè senes inuadunt.

In cute sola ut plurimum subsistunt, ac interdum naribus & faucibus etiam erumpũt, natura totam malignam materiam à centro ad peripheriam propellente. Quo in opere si, vel ob debilitatem, vel ob materiæ morbificæ copiam, vel ob specifice fermentationis non sufficientem, factique celerem progressum, impediatur aut hæsitet, tunc nonnunquam etiam œsophagus, pulmo, iecur, lien, ventriculus, intestina, uterus, pluraque interiora viscera, sordidissimis, ulculculis, non minus quam cutis, obsidentur, ut in variis post mortem dissectis cadaueribus apparuit: ut patet ex Fernelii *lib. 2. de abdit. cap. 12.* & Parei *lib. 19. cap. 1.* aliorumque plurium scriptis ac testimoniis.

Interim de cute notandum, quod licet in ea passim dispersæ conspiciantur, non tamen æquali quantitate ubique in ea erumpant: quippe communiter maiore semper magnitudine & copia in facie, pedibus, ac manibus, quam in aliis partibus prodeunt. Huius effectus rationem, admodum plausibiliter hepati imprimis adscribit Lazarus Riverius, propter cuius à maligna hac ebullitione conceptam calidiorem intemperiem vitiosos putridosque humores cũ sanguine magis ad illas (quas emunctoria hepatis appellat) quam ad alias partes propelli putat: eodem modo sicut calidiore hepate præditi solent facies rubedine & pustulis laborare, cæloremque intensum in volis manuum & plantis pedum sentire. Huius rei alias, sed nimis longe petitas, rationes adducit Mercurialis, *lib. de morb. pueror. cap. 2.* Dicta Riuerii ratio magnam habet veri similitudinem. Sciendum tamen interdum contigere posse, ut per errorem variolæ in dictis partibus maiore copia, quam in aliis, erumpere videantur, etsi res ita se non habeat, quia in illis continuo visui obiiciuntur, & maiorem molestiam pariunt, quam in aliis.

Nulla ætas sibi immunitatem ab iis promittere potest: pueri tamen multo frequentius iis infestantur, quam adultiores; propterea quod illorum dispositio debilior specificæ malignitati minus resistat, & ad peculiarem, quæ hic contingit, ebullitionem aptior esse videatur. Senectus multo maiorem ab his libertatem sibi vendicat, quam aliæ ætates. Præterea facilius inficiuntur illa corpora quæ cum infectis aliquam analogiam habent; atque hinc consanguinei se mutuo magis inficiunt: quod ipsum in peste à nobis obseruatum, & notatum est, *tract. de pest. lib. 1. cap. 4. & annot. 6. nec non cap. 11. annot. 4.*

Quolibet anni tempore grassantur, sed imprimis Vere & Autumno, præcipue si hyems tepida & humida, vel æstas pluviosa & austrina, multorumque fructuum fugacium usus præcesserit.

Modò sporadicæ, modò epidemiæ sunt, interdum etiam ad tempus silent. Cum autem epidemiæ sunt, tunc quoque aliis plerisque morbis adiunguntur, in iis scilicet qui antea variolis nunquam laborarunt.

A materia crassiore, seu viscidiore, cui illa mali-

malignitas inhæret, cum sanguine specifico modo fermentante, oriuntur, atque hinc in pustulas maiusculas purulentas attolluntur.

In hac fermentatione putat Thomas VVillis, *lib. de febr. cap.* 15. sanguinis aliquas portiones cum veneno coagulari, & sic simul cum eo foras expelli. Hoc tamen minus verosimile videtur, nam etsi corrumpantur, tamen non coagulantur, cum portiones sic coagulatæ, ob nimiam crassitiem ægre foras propelli possent. Sed hæc ebullitio fere simili modo peragitur ut in cereuisia fermentante, in qua nulla fit humoris coagulatio, sed multæ spirituosæ particulæ per fermentaceam effervescentiam in cereuisia fortiter agitatæ, eiusque viscidioribus particulis intricatæ & inuolutæ, sursum tendunt, & cereuisiæ superiori innatant, aut e vase spumosæ erumpunt, sed minime coagulantur, nam sunt valde subtiles & spirituosæ, sicut non tantum ex forti odore, sed etiam ex eo liquet, quod ex isto cereuisiæ flore dilstillato elicitatur spiritus fortis, instar spiritus vini.

Semper iis adiungitur febris, plerumque mitis, modò paulo maior, modò minor, eaque putrida, ut liquet ex euacuatione critica per pustulas, quæ sine putredinosa ebullitione omnino fieri nequit; nam ubi corrupti & vitiosi humores à bonis separantur, ibi necessario adest aliqua putredo, seu putredinosa effervescentia. Inueniuntur quidem nonnulli, qui scribunt, etiam sine febre variolas fieri posse, sed minime verum est: horum autem error ex eo procedit, quod nonnunquam in infantibus aut pueris illa febris ante eruptionem variolarum adeo mitis sit, ut iis vix aliquod obseruabile incommodum faciat: nam quod aliquanto magis inquieti, aut somnolenti sint, aut alimenta aspernentur, vel minus alacres existant, hoc nutrices facile dentitioni, aut ventis dolori, aut vermibus intestinorum, adscribunt, & sic erumpentibus variolis, has sine ulla febre prorupisse putant & dicunt; cum potius ab illis ipsis parua ista febris non fuerit satis animaduersa.

Hæc autem febris ad nullum febrium genus commodius referri potest, quam ad Synocham putridam: in hac enim fit sanguinis in vasis putredinosa ebullitio, cum æquali calore per totum morbi decursum, & tandem critica vitiosorum humorum expulsio.

Variolæ suas habent differentias, etsi pauci Medici earum meminerint. Aliæ enim sunt majores ac purulentæ, quæ frequentissimæ, & nostratibus Belgis κατ' ἐξοχὴν, *de Pocken*: aliæ minores, quæ iisdem *de Steen-pocken* appellantur, & hæ sunt tuberula quædam parua, sine multo pure, sparsim, sed minime copiosa in cute erumpentia, sine grauibus symptomatibus: aliæ denique sunt claræ & maiusculæ, instar aquæ vel crystalli resplendentes, & aquosum quendam liquorem cõtinentes, nostratibus *VVint-pocken*, & quibusdam *VVater-pocken* dictæ. Præter has adhuc aliæ sunt differentiæ, quatenus variolæ sunt magnæ vel paruæ, paucæ vel copiosæ, profundæ vel superficiales, contiguæ vel seiunctæ, albæ vel rubicundæ, liuidæ, violaceæ, alteriusque coloris, molles vel duræ, eleuatæ vel depressæ, tardè vel citò erumpentes, externæ vel internæ.

CAPVT III.

De Variolarum Causis,

VAriolarum causa sunt vel internæ, vel externæ, & de utriusque magnus est dissensus inter præstantissimos Medicos; qui tanto acrius de iis disputant, quanto inutilior est earum inquisitio, nam à qualicunque causa oriantur, curatio eadem est.

Auicennas & plerique Arabes, primi accuratiores huius morbi descriptores, causam materialem referunt in impuritatem sanguinis materni in muliere imprægnata restagnantis, quo fœtus in utero nutritus fuit: quam labem tam diu in corpore delitescere scribunt, donec specifica aliqua de causa (efficiente scilicet) ad fermentaceam effervescentiam excitata, ac in sanguinis massam effusa, eam totam similiter effervescere & ebullire faciat, sicque illud inquina-

quinamentum minutis quibusuis corporis particulis ab ortu inhærens secernat, secretumque, una cum ab eo inquinatis sanguinis particulis, ad ambitum corporis propellat, & has pustulas ibi excitet: eodem modo sicut in musto per fermentaceam ebullitionem heterogeneæ partes à vini homogeneis separantur. Auenzoar ab Auicenna nonnihil diserepare videtur, quippe animaduertens fœtum in utero viz, salua vita, impuro sanguine menstruo restagnante nutriri posse, dicit illum non nutriri sanguine menstruo, verum alio sanguine bono per se, sed tamen à contubernio sanguinis menstrui magnopere eius labe inquinato. Et quia in utero omnes homines necessario tali siue menstruo, siue alio inquinato, sanguine nutriri, ex prima illa partium nutritione impuritatem illam contraxerunt, hinc Arabes iudicant, omnes homines variolis obnoxios esse, propterea quod illa impuritas aliquando è partibus rursus separanda venit. Et si specifica illa fermentacea effervescentia in prima variolarum inuasione satis fortiter peragatur, tunc illam impuritatem penitus euacuari, & sic hominem, in quo hoc contingit, reliquo vita tempore à variolis prorsus immunem viuere (eodem modo sicut cum butyrum è lacte aceleente semel valida concussione separatum est, postea nulla agitatione rursus butyrum ex eo separari potest) si verò illa effervescentia non satis fortiter procedat, tunc totam illam impuritatem non expelli, atque sic hominem illum ex labis istius reliquiis, alias quacunque de causa rursus fermentantibus, secundò, & interdum etiam tertio, rarissime quarto in eundem morbum incidere posse.

Arabum sententiam fortiter defendit Duncanus Liddelius, *lib. 3. de febr. cap. 8.* eamque sequuntur Fracastorius, Amatus, Forestus, aliique plurimi Medici, & inter eos etiam nouissime Thomas Willis, *lib. de febr. cap. 15.* ubi, præter aliorum rationes, ad maiorem confirmationem etiam hæc addit. *In utero*, inquit, *mulieres (secus ac in aliis pleriſque animalibus) generatur fermentum quoddam, quod sanguinis massæ communicatum, ipsi vigorem ac πνευματωσιν conciliat, ac deinde statis periodis turgescentiã, & sanguinis superflui excretionem procurat: tempore autem concepsus, cum omnino fluere desistunt menstrua, plurimum huius fermenti fœtui impenditur, eiusque particulæ cæteris quibuscunque heterogeneæ, velut extraneum quoddam, humorum ac sanguinis massæ confunduntur: cui inuolutæ & ab inuicem separatæ, diu delitescunt: postea tamen aliquando à causa euidente commotæ, cum sanguine fermentescunt, ipsique ebullitionem, ac deinde congelationem inducunt, è quibus varia huius morbi symptomata oriuntur.*

Dictam Arabũ sententiam omnino reiicit Gentilis, & non credit fœtus in utero nutriri impuro aliquo sanguine: non credit etiam adultis & senibus, cum variolis corripuntur, illam impuritatem tot annis potuisse superesse, & per sudores, febres, scabiem, aliosve intercedentes morbos, aut per luis Venereæ curationem (in iis qui ea laborarunt) atque etiam in mulieribus per menstrua, tanto temporis interstitio non euacuatam fuisse.

Gentilem sequitur Mercurialis, qui insuper statuit variolas esse morbum hæreditarium, atque hinc nullum fere hominem ab iis immunem esse posse, quia omnes nascuntur ex parentibus hoc vitio tentatis, hancque suam sententiam plurimis egregiis rationibus stabilire nititur, quas tamen omnes efficaciter destruit Daniel Sennertus, *lib. 4. de febr. cap. 12.*

Fernelius, in variolarum productione aliquid occulti obseruans, præter varias rationes à Gentile aliisque propositas, statuit illas oriri à causa quadam cœlesti & occulta, cui cum infantes & pueri minus resistant, quam adulti, hinc fieri dicit, quod illi frequentiores variolis laborent, quam hi. Hanc Fernelii opinionem splendide refutat Mercurialis, *lib. de morb. puer. cap. 2.*

Sennertus, *loco citato*, concedit à certa quadam ac determinata putredinosa humorum ebullitione variolas oriri & propelli, sed hanc ebullitionem à tribus causis prouenire statuit, scilicet ab aere maligno, à sanguine materno, & vitioso alimento: atque in sequentibus admodum laborat in latiore explicatione huius suæ, nec non Arabum, & Fernelii sententiæ.

Verum, ut ingenue fatear, nulla harum sententiarum mihi placet. Non Arabum, qui præter rationes a Gentile a latas, etiam hæc accedit, quod cum illud è sanguine materno contractum

tractum inquinamentum communiter omnibus hominibus in esse statuatur, non posset quispiam ab hoc morbo exculatus vel immunis esse, quod repugnat experientiæ, cum multi usque ad altissimum senium vixerint, antequam obiecint, qui nunquam variolis fuere tentati, quales in sola nostra familia plures cognouimus (ut patruum & patrem meum fere nonagenarios, auiam octogenariam, cognatos duos octogenarios, & nonnullos alios) quales etiam alios plurimos in aliis familiis enumerare possem. Ad hæc, si menstrui sanguinis impuritas fœtui communicata, variolarum causa sit, quare illas non producit in ipsis mulieribus quibus menstrua præter Naturæ ordinem subsistunt, & præcipue in iis quibus illa toto vitæ tempore non fluxerunt, quæ tamen fœcundæ fuerunt, sæpiusque pepererunt, quarum plurima exempla inueniuntur apud Trincauellium, Guainerium, Bertinum, Marcellum Donatum, Ioubertum, Fabricium, aliosque? Præterea illud priuatum cuiusque inquinamentum ægerrime per contagium alios inficere, vel aliorum in corpore latens, inquinamentum ad similem ebullitionem incitare posset. Si dicas, quod possit, tunc da, quæso, rationem, quare non omnes adstantes, & ægris variolis inseruientes, eorumque fœtores diu perferentes, variolis inficiantur, cùm nunquam iis antea laborauerint? quare illud contagium hactenus etiam me, iam fere septuagenarium, non contaminauerit, qui millenos variolis laborantes inuisi, eorumque fœtores satis diu perpessus sum, & ulcera tractaui? quare nonnulli ex eo, quod saltem eminus aliquem variolis obitum viderint, illidem etiam corripiantur, cum contagium, seu inficiens illud miasma ab ægro effluens, per tam longum interstitium ab ægro ad sanum transferri, hunc que sic inficere, alios verò proxime adstantes illæsos relinquere posse, omnem rationem superet? Non capio etiam illud quod Thomas Willis ad sententiæ huius confirmationem addit, scilicet, priuatum illud inquinamentum aliqua de causa commotum cum sanguine fermentescere, aptique ebullitionem, ac deinde coagulationem inducere. Nam cum ebullitio semper maiorem faciat attenuationem, non percipio quomodo illa eadem deinde possit facere coagulationem. Præterea, si talis spontanea coagulatio post ebullitionem necessaria foret, ergo Medici in principio curationis male adhiberent attenuantia diaphoretica, utpote quibus illa coagulatio impediretur; & postea iidem etiam male præscriberent incrassantia, lentes, tragacanthum, ficus, &c. utpote quæ illam coagulationem nimiam facerent; atque etiam minime necessaria forent, si sanguis ille post ebullitionem sponte coagularetur: utrumque tamen repugnat experientiæ, cum & illa, & hæc in curatione feliciter adhiberi doceat usus.

Non etiam arridet Fernelii sententia, nam ille occultas illas cælestes causas passim, pro more suo, in morbis occultis à syderum influentiis deducit: sed quam incerta, imò quam frivola sint illa omnia quæ ab his influxibus, tam ab Astrologis, quam à Medicis deducuntur, & dicuntur, abunde liquet ex iis quæ supra his scripsimus, *in tractatu nostro de peste, lib. 1. cap. 8. annot. 1. problem. 2.*

Neque Sennerti opinio nobis probatur, quia ille quidem tres vitiosæ fermentationis causas proponit, sed per illas non potest explicari specificum illud malignum quod variolis inest, & quare per vitiosam fermentationem à tribus illis causis excitatam speciatim variolæ potius & magis producantur, quam aliæ febres putridæ, malignæ, aut pestilentes, vel etiam scabies, herpetes, cancri, aliave similes morbi.

Quantum ad variolarum causas externas & procatarcticas, à quibus interni humores moventur, illarum primarias Medici statuunt esse, 1. Aëris peculiarem dispositionem & prauam qualitatem: quo pertinent temporis anni mutationes insigniores, ut Veris & Autumni constitutio calida & humida, vel hyemis etiam austrina & tepida. 2. Sanguinis & humorum perturbationem, quo pertinent, corporis nimia agitatio, balnea crebra, ira, terror, crapula, &c. 3. Contagium, nam per illud morbum hunc propagari experientia manifestum facit: è corpore enim infecto exeunt continua effluvia, quæ ab iis corporibus suscepta, statim, instar veneni, cum sanguine fermentescunt, & semina eiusdem affectus latentia, ipsiusq; homogenea suscitant, & in huius morbi ideam disponunt, hæcque effluentia miasmata non solum immediato

diato contactu, sed etiam ad distans communicantur. Verum per tales causas, talemque aeris qualemcumque manifestum, sive bonam, sive vitiosam qualitatem aut dispositionem, & humorum perturbationem, aut per contagium nondum innotescit, nec explicatur specificum illud malignum quod in variolis adesse animadvertitur, & quare illud magis in his quam illis subiectis, & his quam illis temporibus operetur. Nam multoties fervidæ, vel humidæ, aut calidæ simul & humidæ extiterunt constitutiones: multoties etiam diuturnus victus pravus (ut in annonæ caritate, & urbibus obsessis) continuatus, & hinc magna corporum cacochymia genita est, multique fuerunt qui crapulis diu indulserunt (quas tanquam primariam aliquam causam adducit Th. Willis) & tamen nullæ fuerunt generatæ variolæ: contra verò multoties temperatissimo cœlo, & frigidissima hyeme epidemice grassatæ sunt, & victu optimo magis quam pravo utentes, atque euchyma potius, quam cacochyma corpora infestarunt: nonnunquam etiam primitus, nullo alio prægrotante, aut miasma aliquod communicante, quinimo etiam per solum terrorem, & per solam imaginationem productæ sunt, absque ullius contagii suspicione.

Itaque, cum per omnes illas causas à Medicis propositas, neque specificæ malignitatis, quæ variolis, vera ac specifica essentia, neque peculiaris ac determinata sanguinis corruptio, neque specificæ fermentationis causa & modus, innotescat, aut explicari possit, ego potius dicendum arbitror, causas variolarum proximas, cum internas, tum externas quæ interiores specificè movent, occultas esse (sicut ipsius quoque pestis causæ occultæ sunt) & à nobis explicari non posse: præstabilius enim censeo hic confiteri scientiæ nostræ infirmitatem, quam per multas ambages & vanas conjecturas, nullo fundamento innitentes, tandem crassam ignorantiam prodere. Quis enim tantæ rei le veram & perceptibilem rationem daturum promittet? hæc quippe sunt ex illis arcanis, quorum causas nos exactè scire noluit altissimus Conditor.

CAPUT IV.

De Signis Diagnosticis.

VAriolæ non facile dignoscuntur priusquam pustulæ ipsæ malum prodant: iis autem aliquo modo apparentibus, tunc visu facile innotescunt, Sed cum ad curationem bene instituendam plurimum interfit, ante pustularum eruptionem, imminentes variolas prænoscere, harum signa imprimis observanda & inquirenda veniunt.

Quæ imminentes variolas indicant, varia sunt. Febris modò intensior, modò remissior, cum pulsu paruo, crebro, inæquali, & calore plerumque non multum ardente. Cordis oppressio, cum anxietate, eiusdemque palpitatio subinde recurrens; interdum etiam syncope. Capitis dolor. Delirium. Nonnunquam epilepticæ convulsiones. Sternutatio crebra. Somnus solito grauior, & inquietus. Insomnia de fulminibus, igne, & flammis. Euigilationes cum terrore. Respiratio difficilior, cum crebris suspiriis. Oscitatio crebra. Dorsi lumborumque dolor, & pulsatio in spina. Totius corporis grauitas & lassitudo. Punctorius quidam sensus, & quasi pruritus in cute, atque etiam in naribus. Facies rubicunda. Oculorum cargo, splendor, & pruritus. Lacrymæ inuoluntariæ. Interdum narium hæmorrhagia. Tumor faciei. Os siccum. Vox rauca. Tussicula sicca. Extremorum tremor. Maculæ exiguæ rubicundæ in cute. Hæc autem omnia signa certiora erunt, si variolæ multos infestent, vel communiter grassentur, vel contagii suspicio adsit, & æger forte aliis variolosis adfuerit, vel eos mulserit, vel ab occursu varioloti exterritus fuerit. Ex urinis nullum certum imminentium variolarum signum desumitur, quia in hoc morbo plerumque urinis sanorum similes sunt.

Si, præter cutem, etiam partes interiores à

variolis obsideantur, tunc quales illæ fuerint, ex actionum læsione dignoscitur. Sic ventriculum ab iis infestari, liquet ex vomitu & cardialgia: intestina, ex ventris torminibus & alui fluxu purulento: pulmonem, ex difficili respiratione: renes, ex urina cruenta: & sic de cæteris.

CAPVT V.

De Signis Prognosticis.

VAriolæ, quia morbis acutis annumerantur, ut dictum *cap.* 1. habent, sicut alii morbi acutiores, quatuor tempora; & si cursus morbi conuenienter procedat, terminantur intra quatuordecim dies: quos si excedant, indicium est, aut debilitatis naturæ, aut valdè magnæ copiæ materiæ morbificæ, aut utriusque. Tempus ebullitionis plerumque quatuor diebus absoluitur: horum primus est principium, secundus augmentum, tertius status, quartus initium declinationis, quo tempore febris & symptomata remittere solent. Idem quartus dies, qui est declinatio ebullitionis, etiam solet esse principium eruptionis variolarum: augmentum verò ad septimum protrahitur: status undecimo die viget; à quo usque ad decimum quartum, est declinatio, eoque tempore variolæ siccantur, quæ exsiccatio interdum ad vigesimum usque protrahitur. Si morbus secundum hunc ordinem conuenienter procedat, de felici euentu bene sperare licet: sin verò è contra, hunc ordinem non seruet, sed eum peruertat, de sinistro euentu omnino metuendum est.

Exitus autem seu euentus morbi, an salutaris, an verò exitialis futurus sit, prælagitur ex collatione virium ægri, cum magnitudine morbi. Vires ægri colliguntur ex tolerantia, & omnibus actionibus. Magnitudo morbi colligitur ex febris & symptomatum magnitudine atque ex ipsis etiam pustulis. Si ægri vires tantæ sint, ut quatuor morbi tempora sustinere valeant, felix: at si a febris & symptomatum magnitudine ita obruantur, ut vix ad statum usque sustinere possint, infelix erit euentus. Ex iis igitur quæ variolas comitantur, & sequuntur, de euentu iudicandum est; cuiusmodi sunt, variolarum qualitas, magnitudo, numerus, figura, color, tempus & modus eruptionis, locus, febris magnitudo, varia symptomata, & ægri facilis difficilisve tolerantia.

Bona signa prognostica sunt hæc. In principio, ante aliquarum macularum eruptionem, larga narium hæmorrhagia. Cita variolarum eruptio, & hinc mox febris, aliorumque symptomatum imminutio. Variolæ primo rubræ, hinc albicantes, molles, eminentes, rotundæ, copia mediocres, & distinctæ, non contiguæ, Vox libera, & respiratio facilis. Ex his duobus ultimis multum ad salutem pollicetur Eustachius Rudius, *lib. 3. de medend. morb. cap.* 31. *Vt exactius*, inquit, *salutem & mortem præsagire possimus, respirationem & vocem perpendere oportet: dum enim duo hæc bene se habent, salus res est; indicant enim materiam procul à nobilibus, & præsertim spiritalibus partibus, expulsã.*

Mala prognostica sunt hæc. Febris, cũ grauibus symptomatibus, post eruptionem variolarum permanens. Variolæ tardè prodeuntes, & lentè maturantes; paruæ & paucæ, durę, depressæ, post eruptionem rursus euanescentes, vel subsidentes: item liuidæ, violaceæ, purpureæ, nigricantes, duplices in medio, nigra macula notatæ, interiores partes occupantes. Maioris mali prælagium augent, magna virium debilitas: cardialgia: vomitus, singultus, ingens sitis: summa anxietas, & inquietudo magna, lipothymiæ crebræ: delirium: altus sopor, aut nimiæ vigiliæ: convulsio quasi epileptica: pectoris, & faucium angustia: respirandi difficultas: raucedo: cibi auersio: deglutitio impedita: alui fluxus & dolor: menstruorum fluxus extra periodi tempus: urina cruenta: extremorum frigus. His duo adhuc addenda: 1. si in eadem familia multi ex variolis moriantur: 2. si lenes iis corripiantur.

Qui autem ex variolis moriuntur, plerumque aut suffocantur, præcisa à pustulis spiritus via: aut syncope deficiunt: aut alui profluvio

eruento, vel non eruento pereunt.

Si variolæ interiora viscera obsederunt, peripneumoniam, tabem, iecoris & renum exitiosas ulcerationes, aliaque lethalia mala inducent.

Si oculos occupent, sæpe ophthalmiam diuturnam, sinum, fistulam lachrymalem, ægilopem, caruncularum anguli ablumptionem, caliginem, albuginem, & non rarò cæcitatem generant.

Si post eas in auribus aut naribus disruptas hyposarcosis oriatur, audiendi, vel odorandi sensu ægrum priuant.

In facie si integram magnam crustam, instar larvæ, efficiant, & deponant, indicium est, secuturas fœdi coloris maculas, & turpes cicatrices.

CAPVT VI.

De curatione prophylactica, seu præseruatoria.

IN hoc morbo, non minus quam in peste, curatio duplex requiritur, φυλακτικὴ & θεραπευτικὴ. De prophylactica curatione pauci Medici scripserunt: vel quod illam fortassis minus necessariam esse existimauerint vel quod paucissimi sani super ea Medicos consulere soleant. Interim tamen, quandoquidem magnus Arabs medicus Auenzoar illam, bona cum ratione, hic non minus necessariam iudicat, quam in peste, & plurimi existunt (præsertim adulti & iam seniores, ut & aulici, de pulchritudine sua præ aliis valde solliciti) qui sibi de hoc morbo admodum metuunt, tam propter vitæ periculum, quam propter foueas, cicatrices, aliasve turpitudines, quas in facie frequenter relinquit, etiam nos de prophylactica curatione primo breuiter agemus, antequam ad therapeuticam accedamus, quia tutius & præstabilius est hunc morbum arcere, quam iam hospitantem expellere, atque hinc præseruatio etiam necessaria est, imprimis cum morbus aeris vitio grassatur, & contagio multum proserpit.

In præseruatione autem instituenda, omnium primo habenda est ratio aeris, utpote cuius vitio morbus hic plurimum propagatur, eoque mediante etiam plerumque contagiosa miasmata aliis communicentur. Hic aer, si vitiosus esse putetur, corrigendus est, non luculentis ignibus, sicut id fieri solet in peste (ne nimis excandefcant corpora) sed suffumigiis, ex baccis iuniperi, thure, mastiche, benzoino, succino, rosmarino, corticibus citri & aurantiorũ, ligno iuniperino, laurino, aliisque similibus: maxime autem conducit cubicula aceto, aut oxycrato conspergere, aut in iis subinde fumum vaporosum excitare aceto in lapidem ignitum infuso; atque etiam per pyxidem perforatam acetum cum spongia et impositum naribus odorandum obtulere. Vt nec suauecolentia valde frangrantia, ita nec fœtida hic laudanda, at solum acetum omnibus aliis suffumigiis præterendum censemus, utpote quod non tantum vitia aeris corrigit, eique inhærentia miasmata extinguit, verum etiam odore cerebrum partesque spiritales firmat, & in sanguine putredinosam efferuescentiam impedit. Præterea, ut contagiosa per aerem volitantia miasmata melius euitari possint, inunguendum ut pueri, aliique qui nunquam variolis laborarunt, fugiant, non solum ægros variolis aut morbillis iam infectatos, verum etiam illos qui talibus ægris inseruiunt, aut cum iis aliquo modo conuersantur, imo & ipsas ædes in quibus decumbunt.

Cibis utendum boni succi & facilis digestionis eorumque condimenta frequenter præparanda sunt cum acetosa, agrestis, aceto, succo limonum & aurantiorum, uuis crispis immaturis, ribesiis rubris, cerasis morellis, aliisque acidis. Abstinendum autem à cibis duræ digestionis, aut praui nutrimenti: item ab acribus, multum aromaticatis, valde salsis, tum siccatis, allijs, cæpis, fructibus horariis, &c. In usu ciborum modus seruandus est, ut enim magna fames, ita & nimia satietas nocet.

Potus

Potus sit pisana, aut cereuisia nostra tenuis, vino assueris etiam vinum tenue modica quantitate concedendum: delicatulis subinde etiã julebi dari possunt, ex decocto hordei, succo citri, syrupo morellorum, violarum, limonũ, aliisve similibus, grato sapore præditis, concinnati. Abstinendum autem à vino forti, spiritu vini, cereuisia Gedana, aliove quocunque potu forti ac fumoso, item ab ebrietate & crapula.

Exercitia corporis mediocria sint, euitando valde grauia magnumque æstum excitantia, & nimiam quietem.

Somnus etiam moderatus sit oportet,

Imprimis etiam excernendorum ratio habenda est, & procurandum ut præter solitas quotidianas alui deiectiones, corpora à superfluis humoribus, ad minimum semel singulis, septimanis, clementer euacuentur, idque pilulis Rufi, vel pilulis ex aloe rosata, solis sennæ, rhabarbaro, tamarindis, aliisve similibus medicamentis in adultis, at in pueris, syrupo de cichoreo cum rheo, aut syrupo passularum corinthiacarum laxatiuo, aliove simili, abstinendo à catarcticis fortioribus, quæ humores totumque corpus turbant. Præterea in virginibus adultioribus, & mulieribus etiam curandum ut menses statis periodis fluant, nisi in his eas fluere prohibeat ingrauidatio: item, ut in aliis quoque, quibus hæmorrhoides per interualla fluere consueuerunt, ille fluxus more consueto procedat.

Plethoricis, aliisve quibus sanguis abundat, aut calidior esse videtur, vena secanda est, si modò ætas venæsectionem ferat, & nihil aliud sit, quod illam prohibeat.

Animi summa tranquillitas, cum animositate coniuncta, hic plurimum conducit: maxime autem fugere, oportet eius motus vehementiores, imprimis iram, metum, & terrorem, multamque de variolis, earumque fœditate cogitationem.

CAPVT VII.

De curatione therapeutica, & primo de diæta.

IN curatione eorum qui variolis iam laborant, ad duos præcipue scopos collineandum. Primus est, naturæ in expultione materiæ morbificæ supperias ferre, omniaque impedimenta amouere, quæ illam hac in parte impeditam reddere possent. Alter est, accidentia tollere, & præcauere ne in illa expultione partes internæ, aut externæ grauem noxam contrahant. Vt hi scopi impetrentur, in usum vocanda veniunt tria Medicinæ instrumenta, Diæta, Chirurgia & Pharmacia.

Diæta in hoc morbo exactissima est habenda ratio, quia per illam solam bene institutam curatio frequenter absoluitur; & errores in ea commissi morte puniuntur.

Imprimis hic aeris habenda est ratio. Decumbat æger in cubiculo, bene clauso & à ventis libero, ut facilius respirare queat, simulque fœtentes vapores melius discuti & minus molestiæ ei exhibere possint. Aer autem sit tepidus, & ab eo frigus omni studio arceatur: si hyems sit, aut frigida tempestas, extructis luculentis ignibus aer calefaciendus est. Maxime autem cauendum ut nullum frigus ad decumbentis ægri lectum perueniat: quippe si ad illum sudantem, vel in humido tepore iacentem minimum aliquod frigus accedat, vel ille ipse, sese iactando, aut tegumenta abiiciendo denudet, aut sudorem dispellat, facillime contingit, ut, cum magno suo damno, iam erumpentes variolæ retrocedant & euanescant, vel subsidant, quod summopere periculosum est. Hac eadem de causa etiam oportet, ut ægri ante decimum quartum diem indulia non mutent, ne per illam mutationem frigus aliquod suscipiant, & variolæ retrocedant, quemadmodum illud cum plurimorum deplorando exitio contigisse vidimus. Præstat ut indulia à sudore madida in lecto à corporis ægri calore rursus sponte paulatim exiccentur, & æger per aliquot dies sudor ac variolarum erumpentium fœtores patienter ferat, quam ut maximo suo

periculo sordida linteamina mutet, & alia nitida assumat. At si fortè contigerit, ut necessaria aliqua de causa indusium ut & lodices mutare necesse sit, tunc procurandum ut rursus talia dentur linteamina, quæ vel ab ipso ægro ante suum morbum, vel ab alio sano per aliquot dies gestata fuerunt: nam semper observauit nitida & recenter lota linteamina ægris nocuisse (hoc ipsum etiam notaui in peste, & scripsi, *tract. de pest. lib. 2. cap. 3. annot. 6. & lib. 4. histor. 29.*) quod à fœtore saponis, quam aliquo modo redolent, fieri suspicor. Præterea diligenter observandum, ut induendum indusium sit bene ad ignem calefactum, utque, dum induitur, quam minimum frigidi aeris ad ægrum accedat. Quidquid sit, linteamina non mutare, semper profuisse, at illa ante decimum quartum diem mutare, semper plus minus nocuisse animaduertimus. Non est autem quod quis hic metuat istum aliqualem fœtorem, quem à sudoribus & ruptis pustulis linteamina contrahunt, quoniam hunc nullis ægris noxium fuisse, millies obseruauimus.

Denique & hoc notandum existimamus, scilicet variolosis capita arctis capitiis, aut strictis linteaminibus non esse obuoluenda: hinc enim duo incommoda oriuntur. 1. Calore sic in capite nimis adaucto, longe plures variolæ facie & capite erumpunt, quam eo leuiter contecto. 2. Variolæ sub strictis capitis integumentis enatæ, semper maiores, depressæ, & valde latæ fiunt, imò sæpe sub illis strictis tegumentis adeo ulcerantur, ut postea cum molestia curatæ foueas admodum indecoras in fronte relinquant. Atque hinc ego communiter caput quidem laxis capitiis contegere, & a frigore defendere, sed non arctè aut strictè ligare iubeo.

Ciborum conueniens administratio ad curationem plurimum quoque facit. Victus in principio conuenit tenuis, præcipue a morbi exortu usque ad diem septimum vel decimum quartum: sique constare debet ex pulticula hordeacea, aut emulsione facta ex amygdalis dulcibus & seminibus quatuor frigidis maioribus in decocto hordei, vel ex iusculis tenuibus pullorum aut ouillis, aliqua refrigerandi vi (per adiectionem lactucæ, endiuiæ, portulacæ, &c.) donatis: abstinendo tamen ab ipsis carnibus, ut & ab ouis & piscibus, aliisque cibis mali succi, aut difficilis coctionis; item à quibusuis rebus acidis, salsis, acribus, pinguibus, & ab aromatibus, allijs, cœpis, aliisque similibus valde calidis. Si æger sit infans & lactans, tunc cibi conuenientes nutrici sunt præscribendi. Post eruptionem verò, cessante febre, & pustulis suppuratis crustisque cadentibus, solidiores cibi concedendi sunt; quales sunt carnes pullorum gallinaceorum, agninæ, vitulinæ, oua sorbilia, &c.

Potus sit ptisana, vel cereuisia tenuis, non acida; multi pro potu laudant aquam decoctionis limaturæ cornu cerui: abstinendum autem à vino (nisi syncopes metus sit) omnique forti, calido, ac fumoso potu. Quam noxius autem sit vini usus, notauit Forestus, *lib. 6. obseruat. 41. Mulierculæ quædam*, inquit, *& imperitum vulgus sine delectu, pueris ex variolis & morbillis decumbentibus vinum Gallicum rubrum propinabant, quamvis febri ardenti corriperentur: perperam etenim sibi persuasum habebant, hoc modo melius per cutem exire variolas. Hinc factum ut quam plurimi, qui tale vinum astringens bibissent, subito morirentur, motu naturæ inhibito, quo minus foras protruderentur; ac febre aucta capitis dolorem incurrebant, delirio subsequente mox extinguebantur, & aliqui horum non sine periculo euadebant.* Idem simile quid etiam repetit *in scholio obseruat. 46. & obser. 49. in scholio.*

Hic obiter notandum quod de dulcibus in victu scribit Mercurialis: *Potissimum autem cauendum est*, inquit, *à dulcibus omnibus, & in potu, & in cibo*: addit, quod Auenzoar scribat, eos qui dulcibus utuntur, vix posse seruari. Verum hæc eius opinio non conuenit cum praxi, qua docemur, glycyrrizam, ficus, iuiubas, passulas, saccharum, syrupum vulgarem, similiaque dulcia, materiam morbificam citius coquere & versus exteriora propellere: ergo dulcia non obesse: excipi tamen debent vina dulcia, quæ cum fortia sint, eorum usu caput offenderetur, calor valde increscceret, & febris augeretur. Præterea ipsemet Mercurialis aliquanto post scribit, quod soleat ficus aridas concedere pro cibo.

Somnus

Somnus sit moderatus, & æger corpore quiescat.

Excreta alui si sponte & naturaliter procedant, bene est. Si verò dura & constipata fuerit alvus, ante septimum diem non facile citanda est, idque non nisi notabili aliqua necessitate urgente: quoniam dura alvus variolarum eruptionem non impedit; at si medicamentis prorumpatur, facillime exitiosus alui fluxus succedit: quod etiam notauimus *lib. 3. de pest. cap. 4. annot. 1. 2. 3. 4. & libro 4. hist. 13. 19. 35. 63. 116.*

Fugiendæ sunt omnes curæ, & vehementes animi perturbationes, imprimis timor, terror, tristitia, & ira. Verum de *ira* videtur Mercurialis aliter sentire, & putare quod illa conducere possit, nam sic inquit: *Neque ægre ferendum est quod ægri interdum irascantur, quia ira nonnihil confert ad extrudēdos humores in superficiem corporis.* Sed utinam etiam non conferret ad incrementum caloris & febris.

CAPVT VIII.

De Auxilijs Chirurgicis.

PRimarium chirurgicum auxilium hic est venæsectio (de topicis foris adhibendis, aliisque similibus infra dicturi sumus, *cap. 12.*) de qua inter celebriores Medicos nobilis quæstio incidit, scilicet, an illa in huius morbi curatione conueniat, nec ne.

Auicenna, *1. 4. tract. 4. cap. 10.* venæsectionem instituere suadet, ante eruptionem, atque etiam, in magna repletione, post earum eruptionem. Rases, *lib. 10. de re med. cap. 18.* solummodo ante eruptionem vult phlebotomiam institui. *Si priusquam erumpant,* inquit, *incidat in aliquem sic affectum medicus, sanguinem dico, si nihil obstet, vel per venam apertam, vel per cucurbitulam cum scarificatione agglutinatam, detrahat: omnino enim sanguinis copia minuenda est.* Forestus, *lib. 6. obser. 47. in scholio*, scribit hoc auxilii genus mirificè prodesse solere, inprimis in plethora, modò adhibeatur in principio, antequam variolæ egrediantur: & *obseruat. 46.* scribit, illos quibus vena sic tempestiue secta fuerat, citius fuisse curatos. Amatus Lusitanus, *cent. 3. curat. 16. aliisque locis*: refert exempla puerorum qui sanguine tempestiue per venæsectionem aut cucurbitulas detracto, euaserunt, cum alii plurimi morirentur, qui hoc remedii genus non admiserant. Nicolaus Fontanus, *resp. & curat. medic. lib. 1.* scribit, se in variolis semper felicissime uti venæsectione, Sennertus, *de febr. lib. 4. cap. 12.* in pueris a venæsectione prorsus abstinendum censet, propterea quod eorum vires illam non ferant: sed in adultis, modo sint valde plethorici, eam institui posse iudicat, scilicet mox in principio, ante quartum diem, aut saltem priusquam variolæ erumpant, dum vires adhuc constant, ut sic natura oneris parte leuata, quod reliquum est facilius euincere possit: ast post quartum diem, vel ubi maculæ aliquæ iam erumpere incipiunt, tum ab ea penitus abstinendum existimat. Sententiæ Sennerti subscribit doctissimus VVillis. Sunt tamen alii nonnulli hodierni magni practici, qui non solum ante, verum etiam post variolarum eruptionem, in plethoricis venam secandam, sicque ebullitionem sanguinis nonnihil inhibendam iudicant.

Vt dubium hoc commode decidatur, primo considerandæ veniunt duo morbi tempora, unum ante, alterum post variolarum eruptionem: & secundo videndum, quidnam ipsa natura in singulis illis temporibus per spontaneam sanguinis euacuationem feliciter aut infeliciter moliatur, ut sic Medicus, qui est Naturæ minister, in sua artificiali sanguinis euacuatione per phlebotomiam instituta, eius felicem actionem sequi, infelicem verò euitare possit. Illud autem à longa experientia Medicis omnibus notissimum est, si ante variolarum eruptionem lasga contingat narium hæmorrhagia spontanea, illam feliciter, & cum ægri leuamine fieri, tuncque febrem imminui, & variolas facilius ac minore copia erumpere. At ve-

rò si post variolarum eruptionem talis spontanea hæmorrhagia contingat, illam admodum infeliciter, & in exitium ægri fieri. Ex hac Naturæ operatione plus satis docetur Medicus quidnam in artificiali sanguinis euacuatione faciendum sit; scilicet, venæsectionem ante variolarũ eruptionem in plethoricis feliciter instituí posse; sed valde infeliciter post earum eruptionem. Ratio est, quia ante earum eruptionem, Natura per sanguinis detractionem parte oneris leuata, quod reliquum est, facilius expellit: atque sic plerumque obseruaui, facta in plethoricis tali tempestiua venæsectione, variolas non modo facilius & sine magna molestia, verum etiam longe pauciores erumpere, & citius maturari: quod ipsum diu ante nos quoque notauit Forestus, *lib. 6. obseruat. 16.* At si post eruptionem instituatur phlebotomia, tunc naturam in materiæ morbificæ coctione & expulsione modò occupatam, plurimum debilitari, & ab illo opere auocari, cum tanto ægri damno, ut plerosque, in quibus hoc ab aliis tentatum fuerat, interiisse notauerim. Atque hinc discipulis meis inculcare soleo, ut satis tempestiue ad ægrum vocati, ante ulla variolarum erumpentium signa, venam secent, si necesse sit, aut utile videatur: sed postquam aliqua minima earum indicia, vel punctula rubra in cute apparere incipiunt, tunc à venæsectione prorsus abstineant, utque tunc alexipharmacis potius diaphoreticis aliisque appropriatis naturam in incepta expulsione adiuvent.

Venam autem tempore necessitatis secari volo in ætate paulo adultiore, quæ ad venæsectionem apta est, eamque ferre potest, sed in puerili ætate, ante annum septimum vel octauum, mihi non probatur venæsectio, quamvis illam laudent Auenzoar & Auerroes eamque se feliciter instituisse glorientur, multi Itali, Galli, & Hispani, ac inter cæteros etiam Amatus Lusitanus, *cent. 1. curat. 10. & 3, curat. 16. & 5. curat. 52. ac 96.* si illis in istis calidis Regnis Italia, Gallia, & Portugallia, hoc tortallis bene cesserit, fieri potest: saltem in his nostris regionibus Belgiæ puerulis non sine periculo vena secatur.

Sic etiam Trincauellio, *de curand. morb. lib. 2. cap. 10.* hæc puerorum venæsectio non probatur, quia sæpe malus rei euentus sequitur, & si aliquando bene succedat, id potius fortunæ, quam rationi attribuendum dicit.

Eustachius Rudius, *lib. 3. cap. 13.* Duncanus Liddelius, *lib. 3. de febr. cap. 9.* & Bauderonus, *prax. med. tract. 2. cap. 3.* volunt & iubent, ut si pueris variolæ non satis cito erumpant, hirudines famelicæ dorso, natibus, & coxis admoueantur: vel harum loco partibus iisdem cucurbitulæ cum leui scarificatione, primo aut secundo die admoueantur. Sed hoc consilium, ob duas rationes, prorsus improbandum censeo. 1. Quia maxime damnosum est primis diebus corpus denudare (quod in hirudinum & cucurbitularum admotione necessario fieri deberet) & sic aeri frigido accessum præbere, quo variolarum eruptio maxime impeditur. 2. Quia periculosum est per sanguinis extractionem puerorum vires prosternere, quæ alioqui per se nimis facile collabuntur.

CAPVT IX.

De remediis pharmaceuticis, & primo de purgantibus.

REmedia pharmaceutica duplicia sunt, alia quæ purgant, alia quæ variolas expellunt.

De purgantibus haud parua lis & dissensio est inter practicos, scilicet an non ab iis incipienda sit curatio, & in ipso principio pars materiæ per purgantia sit euacuanda, ut sic natura, isto onere leuata, reliquum quod super est commodius & facilius expellere possit. Hæc purgantia multi probant, multi improbant. Qui illa probant, in eo conueniunt, quod à catarcticis fortioribus abstinendum esse unanimiter censeant: sed lenioribus utendum putant, ut foliis sennæ, rhabarbaro, pilulis Ruffi, pil. ex aloe, manna, cassia, tamarindis, aliisque quæ alvum clementer lenire, & præcipue talibus,

quæ

quæ simul nonnihil refrigerare valent: alii potius, cum Auerrhoe, nulla etiam qualiacunque lenientia per os exhibenda, sed solis potius clysteribus ac suppositoriis, urgente necessitate, alvum subducendam iudicant: atque sic hi non longe absunt ab eorum sententia qui alvum planè non mouendam existimant; inter quos est Nicolaus Florentinus, qui apparentibus variolis etiam ab ipsis clysteribus abstinendum censet. E contra tamen Thomas VVillis, nescio certe quo fundamento, solis purgantibus non satis contentus, etiam ad emetica procedere audet.

Nos ad controuersiæ decisionem dicimus, quod Medicus hac in parte rationem & experientiam sequi debeat. Ratio docet, naturam in bono cœpto opere non esse turbandam, nec contrario aliquo motu impediendam, aut ab isto opere auocandam: quod fieret, si motus ille quem natura molitur à centro ad peripheriam, per purgantia inuerteretur à peripheria ad centrum. Experientia docet, semper in hoc morbo feliciter mouere materiam morbificam à centro ad peripheriam (*quòd autem natura vergit, eo ducere oportet, per vias lege naturæ conuenientes*) & motum huic contrarium esse infelicissimum, siue sponte, siue arte procedat, atque omnes alui qualescunque turbationes, & vomitiones, esse maximè damnosas, imò ut plurimum exitiosas: quia expulsionem variolarum mox impediunt, & faciunt etiam ut quæ modò expulsæ erant statim euanescant, vel subsidant, ægrique summis anxietatibus obruti, collabentibus citissimè viribus, breui extinguantur.

Præterea etiam docet, quod lenientia qualiacunque medicamenta, quantum vis mitia, facillimè in hoc morbo perniciosum alui fluxum promoueant (hoc ipsum etiam in peste notauimus, *tract. de peste, lib. 3. cap. 4. eiusque annot. 1. 2. 3.*) & quod melius expellantur variolæ, si alvus primis diebus parum aut nihil deiciat, quam si aut sponte, aut arte liquida euadat, & frequenter defluat. Hac de causa etiam iubet Auicenna, ut in processu & fine modicè astringentibus conseruetur alvus ne fluat. Idem quoque sentiunt Rasis & Auenzoar, nec non inter neotericos Fracastorius, Mercurialis, Hollerius, ac denique Lazarus Riuerius, qui, *lib. de febr. sect. 3. cap. 2.* hac de re sic loquitur: *Variolis apparere incipientibus, purgatio futura est perniciosa; tum etiam si maxima vigeat malignitas, ut in constitutione epidemica, quando plurimi pueri ex eo morbo intereunt; atque hinc satius est omnino a purgatione abstinere, quia in morbis valde malignis & pestilentibus purgatio in principio morbi instituta, valde noxia est.* Ac proinde ego Medicis auctor esse velim, ut primis aliquot diebus de aluo lenienda aut soluenda non admodum solliciti sint: vel si forte necessaria aliqua de causa illam subducendam esse iudicent, ut eum in finem nulla saltem purgantia aut lenientia per os exhibeant, sed eam in adultis per clysterem emollientem, & in infantibus ac pueris per suppositorium ex solo melle subducant. Longa enim praxis me docuit, hanc esse tutissimam curationis viam, aliosque qui aliter curationem instituere voluerunt, plurimos, imo plerosque suos ægros infeliciter occidisse.

CAPVT X.

De pharmacis diaphoreticis, & variolas expellentibus.

OMissa itaque ad tempus purgatione, & de necessitate venæsectionis deliberatione habita, Medico ad ægrum vocato statim considerandum venit, an natura in expulsione sufficienter fungatur suo officio, nec ne.

In priore casu non opus est eam multis medicamentis adiuvare, præcipue si nulla grauia symptomata adsint, nam leuia facile sponte euanescent, & variolæ satis erumpent, si duntaxat externum frigus arceatur, & æger in leni diaphoresi, seu mitri calore primis tribus quatuorve diebus seruetur. At verò si, æger fortè sit aliquis ex magnatibus, aut magnatum liberis, qui sibi huiusmodi solis verbis Medici vix satisfieri patiuntur, tunc exhibendum est aliquantum lapidis bezoartici, cum magisterio perlarum, aut

oculorum

oculorum cancri, vel essentia corallorum, additis paucis granis croci, aliudve simile, quod naturam in suo opere turbare nequit, & interim adstantibus satisfacere possit.

In posteriore casu, scilicet, si natura in expulsione non satis videatur suo officio perfungi posse, sed auxilio opus habere, concurrendum est ad illa remedia, quæ naturam hoc in opere iuvare possunt.

Inter expellentia autem, quæ ipso primo Medici accessu exhibenda veniunt, sunt pleraque illa diaphoretica & alexipharmaca, quę in principio ad pestem exhibenda diximus, *tract. de peste. lib. 3. cap. 5.* è quibus Medicus ea seligere debet quæ præsenti ægro magis profutura iudicabit: quippe alia infantibus & pueris, alia adultis, alia robustis, alia debilibus, alia graviter, alia leuiter febricitantibus, sunt magis conuenientia. Pro robustis generosa pharmaca sunt theriaca & diatcordium, cum salibus absinthii, cardui bened. aliisve. Pro pueris & delicatulis imprimis eligenda talia quæ non valde ingratum saporem habent, concinnata ex speciebus liberantibus cornu cerui, coralliis margaritis, croco, confectione alkermes, de hyacintho, aliisve similibus. Inter alia autem nullum aqua nostra theriacali (*tract. de peste, loco citato* descripta) efficacius inueni, quæ non est ingrati saporis, atque hinc vel sola, vel cum pauxillo grati alicuius syrupi mixta, facile infantibus & pueris exhiberi potest.

Si igitur variolæ sponte non satis prorumpant, primo exhibendum est aliquod sudorifegum, hoc vel simili aliquo modo præscriptum.

Rec. *theriacæ Andromachi drach. j. salis cardui ben. scrup. j. ſ.*
aquæ cardui ben. unc. ij. misce, fiat haustus.

Rec. *diascordij Fracastorij, theriacæ, ana drach. ſ.*
extracti cardui ben. salis absinthij, ana scrup. j.
decocti cardui ben q. ſ. misce, fiat haustus.

Rec. *diascordij, drach. j. cornu cerui usti, corallii rubr. præparati, ana scrup. j.*
aquæ nostræ theriacalis, unc. j. ſ.
syrupi de rosis siccis, unc. ſ.
misce, fiat haustus, in metu alui fluxus.

Rec. *aquæ theriacalis unc. j. vel unc. j. ſ.*
sacchari perlati drach. j. misce fiat haustus, pro pueris delicatulis.

Rec. *confect. de hyacintho, diascordij, cornu cerui usti, ana scrup. j.*
misce, fiat bolus.

Rec. *pulueris liberantis, scrup. ij. croci gr. iiij. cornu cerui usti scrup. j. misce fiat pulvis.*

Rec. *margaritarum præpar. corallii rubri præpar. cornu cerui usti, ana drach. j. manus Christi scrup. ij.*
fiat pulvis, cum aliquo liquore exhibendus.

Rec. *seminis aquilegiæ, raparum, ana scrup. j. ſ.*
nasturtij, scrup. j fiat pulvis pro vulgaribus.

Rec. *stercoris ouilli recētis drach. vj. aut unc. j. vini albi tenuis, decocti hordei, ana unc. j. ſ. misceantur, & stent per duas tresve horas, tunc colentur, cum leui expressione, & colatura detur pro haustu, qui potenter variolas propellit.*

His, aliisve similibus formulis sudorifera præscribi, & commode exhiberi possunt, neque ad hoc negotium opus est multas operosas compositiones præscribere, sicut nonnulli Medici (imprimis illi qui ex Paracelsi schola prodierel) id magno fastu moliuntur, quippe pauca huic indicationi satisfacere possunt.

Cum æger sudorificum assumpsit, stragulis aliisve tegumentis bene contegendus, sicque ad sudorem impellendus est: cauendum tamen ne nimiis tegumentis intectus, aut in hypocausto calido decumbens, nimium sudando in lypothymiam incidat, sicut enim in alijs rebus, ita etiam in hoc sudore modus seruandus est.

Hic obiter notandum, quod Fracastorius, Io. Paschalis, Forestus, Riuerius, aliique multi, ad meliorem variolarum prouocationem, commendent ut ægri sudaturi contegantur stragulis rubris, propterea quod speciatim rubrum illum colorem aliquid singulare ad variolarum prouocationem, præ cæteris coloribus, conferre; aut sudorem talibus rubris stragulis prouocatum, etiam in eliciendis foras variolis efficaciorem esse, sibi imaginentur, vel quod inspectionem rubri coloris, humores extrorsum mouere putent, sicut id scribunt, Valescus de Taranta, *lib. 7. cap. 15.* & Duncanus Liddelius, *de febr. lib. 3. cap. 9.* Verum omnes mihi errare videntur,

dentur, qui à rubro colore stragulorum aliquid singulare expectant: non enim color, sed calor stragulis prouocatus ad variolarum expulsionem facit: illorum autem error hinc primam originem sumpsisse videtur, quod olim, & etiã tempore auorum & attauorum nostrorum (ut videmus in nostra familia ex istis stragulis quæ hæreditate ab illis ad nos peruenerunt) optima & crassiora stragula rubro colore tingebantur, tenuiora alijs coloribus, atque hinc cum illius temporis Medici ægros sudaturos bene contegi videbant, tussile ut stragulis rubris, id est, melioribus & crassioribus, contegerentur: hoc non satis perspicientes medici posteri, putarunt antecedentes Medicos rubris stragulis ægros suos contegi voluisse, quia ex rubro colore aliquid singulare & notabile produisse obseruassent, quod variolas foras eliceret.

Cum æger iam bene, pro virium ratione, sudauit, nonnihil detegendus est, ita ut à magno sudore aliquantum releuetur: interim tamen in tepore aliquo subhumido, leu lenti ac blanda diaphoresi per diem unum aut alterum est detinendus, usque dum variolæ satis bene propulsa fuerint; cauendo tamen ne à nimio calore vires prosternantur. Sic quoque Forestus, *lib. 6. observ. 44.* ægros in aere mediocriter calido vertari, & corpus vestibus stragulisque ita munire iubet, ut in leui quadam diaphoresi seruentur, unice cauendo, ne nimijs tegumentis ac stragulis iniectis, vel in hypocaustis calidis, calor corporis nimium augeatur, sicque febris magis increscat, & æger syncope correptus suffocetur. Hoc ipsum etiam bene monet Duncanus Liddelius, *de febr. lib. 3. cap. 9.*

Vt autem durante illa leni diaphoresi, variolarum propulsio citius & melius succedat, solent vulgò nostrates ficus conciscas in cerenisia tenui decoquere, & hoc decoctum ægris tepidum pro potu exhibere, idque semel pleruinque successu. Forestus, *lib. 6. obseruat. 41.* illud simplex ficuum decoctum admodum extollit, idque passim omnibus pueris exhibet, Leonellus non in cerenisia tenui, sed in sero lactis ficus decoquit, eoque decocto commode utitur. Sunt qui pueris alacrioribus ficus commedendas concedant, neque id male, dummodo ventriculus eas sufferre valeat. Ficus enim quocumque modo in usum vocatæ hic plurimum conducunt: ratio hæc est, quia sicut cataplasmatibus incoctæ vel admistæ, & suppurandis tumoribus foris impositæ, crudos humores coquunt, & maturationem accelerant, ita etiam illas in decocto assumptas vel commestas cito variolas propellere, earumque etiã citam maturationem efficere, quotidiana experientia docet. In harum tamen usu hoc unicè obseruandum, ut nec illæ, nec earum decoctum detur talibus ægris quibus alvus iam liquida est, aut nimium fluit, aut in quibus alui fluxus aduenturus metuitur, nam ad hunc fluxum procliuibus facile pernicioſum fluxum concitarent. Medici frequenter, non simplex illud ficuum decoctum, sed aliud magis compositum in eundem usum præscribunt: hoc fere modo.

Rec. *hordei mund. unc.* j. *glycyrrizæ rasæ drach.* ij.
cicerum rubr. unc. j. ſ. *sem. raporum, fœniculi, ana drach.* ij *ficus n.* xvij.
aquæ q. ſ. fiat ſ. art. decoctum ad lib. ij.

Huic decocto nonnulli carduum benedictum & scordium, alii lentes & passulas minores, semen apij, aquilegiæ, napi, alii alia nonnulli adiciunt.

Ex Auicenna & Rasè hæ duæ desumuntur decoctiones, Medicis posteris usitatæ & plurimum laudatæ:

Rec. *laccæ ablutæ, drach.* v. *lentium excortic. drach.* vij.
gummi tragacanthæ drach. iij.
aquæ q. ſ. fiat decoctio ad lib. j. ſ.

Rec. *ficuum drach.* vij. *lentium excortic. drac.* iij.
laccæ drach. ij. ſ. *tragacanthæ, sem. fœniculi, ana drach.* j.
aquæ lib. j. ſ. *coque ad remanentiam tertiæ partis.*

Potest tale decoctum etiam paulo aliter præscribi:

Rec. *uvarum paſſul. mund. unc.* ij.
caricarum, n. x. *lentium mund. unc.* iv.
laccæ, drach. j. ſ. *sem. fœniculi, drach.* iij.
sem. apij, drach. j. ſ. *croci, ſcrup.* j.
aquæ lib. iij. *coquantur ad lib.* ij.

Garcias Lopius simile decoctum hoc modo præscribit:

Rec. *caricarum, n. x. iuiubarum sine nucleis, n. xv.*
lentium decortic. unc. ij. sem. fæniculi, anisi, apij, cydoniorum, ana drach. ij.
laccæ, tragacanthæ, rosarum, santalorum, ana drach. ij. aquæ q. s.
coquantur s. art. adde colaturæ croci pulverisati drach. ß.

In hisce decoctis Cardanus, Io. Bapt. Sylvaticus, Amatus Lusitanus. Septalius, aliique nonnulli, lentes & tragacanthum improbant. Sennertus illa decocta sic composita per solam experientiam approbat, eo quod plurimi Medici illis feliciter usi fuerint, rationem non addit. Hanc ego nunc adiungam, estque hæc, quod ebullientem sanguinem nonnihil incrassent, eumque ad citiorem variolarum maturationem disponant: ac proinde illis, non tam in ipso morbi principio ad solam variolarum expultionem, sed paulo post principium, ad earum simul expulsionem & citiorem maturationem, utendum censeo, sicut de ficubus modo dictum.

Sunt nonnulli qui talia decocta distillant, & aquam ab iis distillatam ægris exhibent. Verum hi in chymia prorsus stolidi sunt, & nesciunt quod lacca, ficus, lentes, tragacantha, aliaque primaria eorum ingredientia viscida & dulcia, in distillatione per alembicum non transcendant, atque hinc ex bono & efficaci decocto fiat aqua prorsus ineffica.

Si feruor non sit admodum intensus, tunc decocto ficuum etiam magno commodo adiiciuntur radices helenii, utque quæ expultionem feliciter promouent: nonnulli etiam flores calendulæ adiiciunt.

Loco talium decoctionum pro delicatioribus (ubi magna morbi vis, & ingens necessitas non urget) præscribuntur gratæ emulsiones.

Rec. *amygdalarum dulc. mundat. unc. j.*
sem. 4. frig. excortic. ana drach. j. ß.
napi, aquilegiæ, cardui ben an. drach j.
aquæ hordei q. s. fiat emulsio ad lib. j.
cui adde, sacchari albissimi, aut pro ditioribus, manus Christi perl. unc. ß. vel q. s. ad gratum dulcedinem, misce, fiat emulsio.

Rec. *sem. cardui ben. excortic. aquilegiæ, napi, ana drach. ij. melonum, drac iij.*
aquæ fæniculi, & cardui ben. ana unc. iij.
fiat emulsio, addendo manus Christi q. s. ad dulcedinem, misce, pro infantibus & pueris.

Germani omnes huiusmodi emulsiones cõficiunt cum aquis distillatis, acetosæ, boraginis, cardui ben. scabiosæ, &c. sed nos iis paruas vires adscribimus, & solum decoctum hordei, quod maturationem aliquo modo promouere potest, pluris facimus.

Si qui cordatiores conditis uti velint, illa hoc modo præscribi possunt.

Rec. *rad. helenij condit.*
conserua boraginis,
violarum, ana unc. ß.
syrupi helenij, q. s.
misce, f. conditum.

Rec. *pulpæ passularum maiorum, ficuum.*
corticum aurantiorum condit.
conseruæ rosarum, ana drach. vi.
syrupi aurantior q. s.
misce, f. condit.

Rec. *pulveris liberantis, drach. ß.*
cornu cerui usti, drach. ß.
corticum citri condit.
nucum iugland. condit.
conseruæ flor. calendul. ana drach. vi.
syrupi nuc. iugland. q. s.
misce, fiat conditum.

Chymici extollunt suas solationes, magisteria, essentias, perlarum, corallorum, cornu cerui, aliasque, vano magis titulo, quam re, celebratione dignas, utpote in quibus in hoc morbo multa præstanda promittuntur, sed pauca promissa præstantur, & quæ magis vendentium lucrum, quam ægrotantium salutem spectare videntur.

Omnibus prædictis medicamentis, si magnus sit febris ardor, adici possunt aliqua refrigerantia: ut si decoctis addantur, borago, cichoreum, lactuca, violaria, endiuia, bugloſſa, rosæ, sem. 4. frigid. maiora, &c. conditis verò, conserua violarum, rosarum, nymphææ, pul. diatragacanthi aut diamargariti frigidi, trochisci,

chisci, de spodio, aliaque similia.

Præter interna medicamenta, Bauderonus, *prax. tract. 2. cap. 3.* ad sudoris promotionem & citiorem variolarum expulsionem, etiam præscribit epithemata, fomenta, emplastra, olea pulsibus illinenda, aliaq; similia foris adhibenda. Verum hæc omnia plus damni, quam utilitatis adferre, & sudoris prouocationem, per aeris ventilationem, magis interturbare & impedire, quam promouere possunt.

In horum omnium usu communis multorũ Medicorum error notandus venit, qui in eo consistit, quod suis medicamentis immisceant, acetosam, uvas crispas imaturas, fructus berberis & ribesiorum, poma, succum, & syrupũ de limonibus, tamarindos, aliaque acida, idque ad mitigandum, ut inquiunt, feruorem, & ebullitionem inhibendam. Profectò hi tota errant via: mitigent, si velint, per acida feruorem, & inhibeant effervescentiam in inflammationibus, febribus ardentibus & tertianis, aliisque similibus sanguinis fermentationibus vitiosis, sed non in hoc morbo, qui per aliquem caloris excessum atque ebullitionem ad crisim & materiæ morbificæ expulsionem ac maturitatem adducendus, sicque finiendus est. Acida quia calorem & ebullitionem sulphuream, qualis hoc morbo adest, infrigunt (quemadmodum alias salsam promouent) & materiæ morbinæ necessariam coctionem ac maturationem, simulque expultionem hic impediunt, & pectori plurimum obsunt, adeo noxia sunt, ut vix quidquam damnosius præscribi possit.

CAPVT XI.

De partium corporis, præ cæteris magis afflictarum, & primo de internarum, curatione.

POst generalem curationem, quæ imprimis totius corporis conseruationem & vitam spectat nunc etiam pauca quadam dicenda sunt de speciali curatione aliquarum partium, quę nonnunquam in hoc morbo magis quam alię affliguntur; propterea quod materia morbifica, aut iis speciatim magis infesta sit, aut maiore copia & impetu ad illas decumbat.

Partes autem plus aliis afflictæ, sunt vel internæ, vel externæ.

Internæ præcipuæ sunt, pulmo, ventriculus, intestina, hepar, & renes: quas affectas & graviter lasas esse, ex actionum lasione deprehenditur, ut etiam alibi dictum.

Lusi autem his partibus, una vel pluribus, speciatim magis afflictis, maximum ægris periculum incumbat, & pauci hic detenti à morbo resurgant ac seruentur, tamen quia non omnes moriuntur, sed aliqui adhuc sanantur, oportet ut Medicus qualemcunque potest curationem, etiam in desperatis hisce casibus, instituat, sicque cautam mali, quantum potest, imminuat, ex symptomata lenitat, ac denique vel ægro sanitatem restituat, vel mortem leniorem procuret.

Omnibus hisce partibus seu visceribus afflictis in genere succurrit decoctum lentium, laccæ, & tragacanthæ, *præcedente capite* ex Auicenna descriptum: lacca enim tecur, lienem & renes tuetur, lentes intestina roborant, tragacanthum partes spirituales defendit.

Peculiariter verò pulmoni laboranti conueniunt dulcia, utpote quæ maturationem promouent, tussim leniunt, & sputa facilitant: qualia sunt, syrupus de tussilagine, de glycyrriza, de iuiubis, papaueris erratici, violaceus, rosaceus, diatragacanthum frigidum, diapenidium, glycyrrizæ pulvis & succus, conserua rosarum, boraginis, violarum, aliaque similia, ex quibus, pro re nata, modò linctus, modò trochisci, modò condita conficiuntur; vel iisdem etiam decocta pectoralia, ex hordeo mundato, tussilagine, althea, violaria, ficubus, passulis, iuiubis, aliisque confecta, dulcorantur.

Ventriculi vomitum & cardialgiam principio potenter sedat theriaca. Postea sæpe exhibenda est talis emulsio.

Vel sumit lac chalybeatum cum aqua rosacea tristum, cui interdum myrrhæ aliquantillum admiscet, ad pruritum & dolorem leniendum. Ego omnium optimum esse comperio si crocus puluerisatus misceatur cum lactis dulcis crema, superius lacti innatante, hacque mixtura palpebris cum pluma illinatur, eiusque etiam nonnihil caruncula in angulo maiori admoueatur. quo ipso, addito pauxillo fiet albi, etiã feliciter utor ad curationem, cum oculi modo læsi sunt.

Si forte palpebræ à variolis præseruari nequeant, tunc frequenter contingit, ut ab iis valde intumescant, ita ut oculi ob illum tumorem omnino claudantur. In eo casu notandum, palpebras, non obstante isto tumore, singulis diebus semel aut bis, digitis à se inuicem dimouendas, & nonnihil aperiendas esse, ut sic liquor intus subsistens effluat, qui alioqui intra palpebras crassescens albuginem parit. At si forte ob tumoris magnitudinem commodè aperiri nequeant, prius fouendæ sunt cum spongia molli, intincta in iure vetuccino, aut tepido decocto fol. althææ, flor. rotarum pall. melilot, & seminis fœnugraci: eoque totu aliquandiu adhibito, admotis digitis apertio palpebrarum tentanda est. Si post detumescentiã, & hinc liberam palpebrarum apertionem, nebulæ albugineæ in oculis ortæ, vitum obfuscantes, obseruentur, saccharum candum albũ subtilissime puluerisatum, per pennam scriptoriam à pluma resciſſam, in oculos subinde inflandum est: quo tolo illas nebulas sæpe feliciter sustuli. At si forte duriores exarserint, & oculos planè excæcent, tunc isti saccharo candido addenda est quarta aut sexta pars lapidis calaminaris subtilissime cum saccharo puluerisati: tali puluere albuginosæ illæ nebulæ egregiè tolluntur, vitusque restituitur. Si à variolis oculi ulcerentur, curandi erunt hoc collyrio.

Rec. *cerussæ lotæ drach. iij. sarcocollæ drach. j. gummi tragacanthi scrup. j. opij, gr. ij. cum mucilagine tragacanthæ in aqua plantaginis extractæ, fiant trochisci, qui usus tempore dissolvendi sunt in lacte mulierbri, vel aqua rosacea.*

Faciei medicatio, non minus quam oculorum, partim in præseruatione, partim in curatione consistit.

Præseruatio ea de causa non instituitur, ut variolæ in facie prorsus non erumpant (si enim illic earum eruptio impediretur, forte labes illa alias interiores partes, ut cerebrum, meninges, oculos, aliaue, grauius feriret) sed ut decidentes & exiccatæ variolæ quam minimas foueas & cicatrices relinquant. Hunc in finem, varia excogitata sunt topica. Nonnulli erumpentibus iam variolis totam faciem identidem fouent cum decocto illo in quo pisa ad summam mollitiem excocta sunt. Alii faciem pluma bis de die illinunt cum oleo rosarum, egregio successu. Forestus laudat oleum amygdalarum dulcium, Riuerius verò oleum nucum. Alii lardum in camino fumatum, & in forcipe ignito seu ab igne candente allatum, seu totum, & liquatum aqua rosacea exceptum, instar mollis unguenti, feliciter illinunt; hocque magni practici Timanni Gesselii ordinarium erat. Alii porci maiculi recens mactati omentum in veru ad ignem allant, & distillantem pinguedinem suppositа aqua rosacea excipiũt, eamque toti faciei illinunt; & mox faciem totam contegunt eiusdem porci lardo in tenues laminæ concisso: hæc bis de die renouant, usque ad perfectam variolarum maturationem (quæ sic longe mitius maturantur) & usque dum decidant: hoc dominarum aulicarum secretum est. Certe hæc omnia non contemnenda, sed egregia, atque nonnunquam in usum vocanda existimo, præcipue in iis ditioribus & magnatibus qui, non imaginantur Medicum magno aliquo molimine plus præstare posse, quam Naturam proprio conamine. Interim, ego ordinariè meis ægris consilium do, ut in principio molli spongia foueant totam faciem cum iure carnis vetuccinæ ad summam mollitiem coctæ, ablata pinguedine (hæc enim cutem nonnihil denigrat, vel obfuscat) idque aliquoties de die repetant, usque ad variolarum maturationem, postea vero reliquum totum negotium naturæ committant: imo multis suadeo ut ab ipso principio negotium naturæ committant: imprimis si variolæ non valde magnæ & copiosæ sint. Præterea & hoc maximè commendo, ut caueant ne variolas scalpendo detrahant

trahant, experientia enim docet, eos quibus variolæ sponte, vel sine apertione exiccantur ac decidunt, paucioribus minoribusque vestigiis & cicatricibus deformatos euasisse: quòd ipsum etiam notarunt Garcialopius, & Forestus, *lib. 5. obseru. 30. in scholio.*

Verum hic iam examinandus venit aulicorum mos, qui de pulchritudine sua magis solliciti præ aliis existentes, solent variolas maturas acu aurea aperire, & sic pus educere, antequam (ut inquiunt) cutem profundius erodat (hoc ipsum etiam facere iubent Arabes, multique Medici neoterici) & sic profundas foueas faciat. Dicendum hanc apertionem prorsus damnosam existere (hoc ipsum etiam bene notauit Riuerius) & semper à nobis compertum esse, post illam vestigia valde profunda & fœda relicta fuisse. Hanc experientiam quoque gemina suffulcit ratio. Nam *primo*, apertio seu perforatio illa non potest aut debet institui, nisi cum variolæ iam factæ sunt maturæ & albæ; atqui cum pure albo & cocto existente, omnis ab eo acris feruor & potentia cutem carnemve ulterius exedendi, abiit, imò & pustulæ sponte exiccari incipiunt, omnino frustra superuacaneum illud apertionis opus acu aurea instituitur, cum ulterioris erosionis nullus metus amplius superfit. *Secundo*, per illam apertionem educto pure, tunc cauitates mox ab ambiente aere exiccantur, & indurescunt, unde fit, ut subtrahta caro altius succrescere, eaque ulterius replere nequeat: at si variolæ non aperiantur, sed pus in iis paulatim sponte exiccari permittatur, tunc subtrahta caro mollis seruatur, tantumque succrescit, ut ante omnimodam pustis exiccationem vestigia carne repleantur, ita ut tandem delapsis exiccatis variolis, vix amplius ullæ foueæ superstites maneant. Hæc eadem posterior ratio etiam docet, omnino impediendum esse, ut ægri variolas purientes unguibus scalpendo non dilacerent, aut ante exiccationem detrahant; certa enim experientia docet, tali modo semper fœdas cicatrices & profunda vestigia relinqui. Atque hinc in pueris & infantibus illius rei exactam curam haberi mando, & eorum manus linteaminibus obuolui, vel caligis indui, vel fasciis ita ligari iubeo, ut eas faciei admouere, in eaque variolas scalpere non possint. Hoc ipsum etiam monens Auctor *libri de proprietatibus rerum*, sic inquit: *Caueat autem nutrix vel Medicus, tam in puerulo, quam in adulto, ne talium pustularum vesiculæ, nec propter pruritum, nec propter aliud, rumpantur, seu aperiantur, maxime circa faciem: quod si perforentur variolæ, perpetuis temporibus vestigia apparebunt.* Illud etiam sibi ab experientia constare scribit Forestus, *loco citato.*

Apertas variolas Arabes aqua salis (hanc etiam laudant Io. Paschalis, Eustachius Rudius, & alii.) multi decocto santalorum, rosarum rubr. plantaginis, myrtillorum, & lanicule abluunt: sed tales ablutiones reiiciendæ sunt, cum cauernulas variolarum nimis cito exiccent, sicque carnem succrescere impediant, & hinc profundiores foueæ remaneant.

Contingit interdum ut à variolis superstites remaneant exulcerationes quædam fœdæ, cutem erodentes. Has Amatus primo lauat hoc decocto.

Rec. *florum rosarum rubr. myrtillorum, fol. lentisci, summitatum quercus, tamarisci, ana par. æq. aquæ q. s. fiat decoctum, quo ulcerationes lauentur, & linteo absterso hunc puluerem inspergit.*

Rec. *thuris, mastichis, rosarum rubr. sarcocollæ, ana part. æq. fiat pulvis subtilis.*

Forestus in eodem casu, præter unguentum camphoratum, etiam utitur hoc unguento de plumbo, descriptionis Montignanæ, quod etiã valde commendat Duncanus Liddetius.

Rec. *plumbi usti unc. ii. lithargyri unc. i. ceruſæ lotæ, acetis ana unc. ſ. olei roſacei unc. iii. mellis roſacei unc. i. vitel. ouorum n. iii. myrrhæ unc. ſ. ceræ, q. ſ. fiat ſ. art. unguentum.*

Sanatis variolis maculæ rubicundæ aliquamdiu superstites manent, ad quarum citiorem sublationem nonnulli eas bis terve de die lauant cũ decocto lupinorum & fabarum, in quo aliqui etiam coquunt radices arundinis & abrotanum: alii utuntur aqua distillata florum fabarum & figilli Salomonis, admiscendo aliquantum succi limonum: alii maculas abluunt cum aqua millefiorum, id est, stercoris vaccini: Io. Paschalis commendat lotionem cum aqua rosmarini:

rò si post variolarum eruptionem talis spontanea hæmorrhagia contingat, illam admodum infeliciter, & in exitium ægri fieri. Ex hac Naturæ operatione plus satis docetur Medicus quidnam in artificiali sanguinis euacuatione faciendum sit; scilicet, venæsectionem ante variolarũ eruptionem in plethoricis feliciter instituí posse; sed valde infeliciter post earum eruptionem. Ratio est, quia ante earum eruptionem, Natura per sanguinis detractionem parte oneris leuata, quod reliquum est, facilius expellit: atque sic plerumque obseruaui, facta in plethoricis tali tempestiua venæsectione, variolas non modo facilius & sine magna molestia, verum etiam longe pauciores erumpere, & citius maturari: quod ipsum diu ante nos quoque notauit Forestus, *lib. 6. obseruat. 16.* At si post eruptionem instituatur phlebotomia, tunc naturam in materiæ morbificæ coctione & expulsione modò occupatam, plurimum debiliari, & ab illo opere auocari, cum tanto ægri damno, ut plerosque, in quibus hoc ab aliis tentatum fuerat, interiisse notauerim. Atque hinc discipulis meis inculcare soleo, ut satis tempestiue ad ægrum vocati, ante ulla variolarum erumpentium signa, venam secent, si necesse sit, aut utile videatur: sed postquam aliqua minima earum indicia, vel punctula rubra in cute apparere incipiunt, tunc à venæsectione prorsus abstineant, utque tunc alexipharmacis potius diaphoreticis aliisque appropriatis naturam in incepta expulsione adiuvent.

Venam autem tempore necessitatis secari volo in ætate paulo adultiore, quæ ad venæsectionem apta est, eamque ferre potest, sed in puerili ætate, ante annum septimum vel octauum, mihi non probatur venæsectio, quamvis illam laudent Auenzoar & Auerroes eamque se feliciter instituisse glorientur, multi Itali, Galli, & Hispani, ac inter cæteros etiam Amatus Lusitanus, *cent. 1. curat. 10. & 3. curat. 16. & 5. curat. 52. ac 96.* si illis in istis calidis Regnis Italia, Gallia, & Portugallia, hoc fortassis bene cesserit, fieri potest: saltem in his nostris regionibus Belgiæ pueruli non sine periculo vena secatur.

Sic etiam Trincauellio, *de curand. morb. lib. 2. cap. 10.* hæc puerorum venæsectio non probatur, quia sæpe malus rei euentus sequitur, & si aliquando bene succedat, id potius fortunæ, quam rationi attribuendum dicit.

Eustachius Rudius, *lib. 3. cap. 13.* Duncanus Liddelius, *lib. 3. de febr. cap. 9.* & Bauderonus, *prax. med. tract. 2. cap. 3.* volunt & iubent, ut si pueris variolæ non satis cito erumpant, hirudines famelicæ dorso, natibus, & coxis admoueantur: vel harum loco partibus iisdem cucurbitulæ cum leui scarificatione, primo aut secundo die admoueantur. Sed hoc consilium, ob duas rationes, prorsus improbandum censeo. 1. Quia maxime damnosum est primis diebus corpus denudare (quod in hirudinum & cucurbitularum admotione necessario fieri deberet) & sic aeri frigido accessum præbere, quo variolarum eruptio maxime impeditur. 2. Quia periculosum est per sanguinis extractionem puerorum vires prosternere, quæ alioqui per se nimis facile collabuntur.

CAPVT IX.

De remediis pharmaceuticis, & primo de purgantibus.

REmedia pharmaceutica duplicia sunt, alia quæ purgant, alia quæ variolas expellunt.

De purgantibus haud parua lis & dissensio est inter practicos, scilicet an non ab iis incipienda sit curatio, & in ipso principio pars materiæ per purgantia sit euacuanda, ut sic natura, isto onere leuata, reliquum quod super est commodius & facilius expellere possit. Hæc purgantia multi probant, multi improbant. Qui illa probant, in eo conueniunt, quod à cathartícis fortioribus abstinendum esse unanimiter censeant: sed lenioribus utendum putant, ut solius sennæ, rhabarbaro, pilulis Ruffi, pil. ex aloe, manna, cassia, tamarindis, aliisque quæ alvum clementer leniunt, & præcipue talibus,

quæ

quæ simul nonnihil refrigerare valent: alii potius, cum Auerrhoe, nulla etiam qualiacunque lenientia per os exhibenda, sed solis potius clysteribus ac suppositoriis, urgente necessitate, alvum subducendam iudicant: atque sic hi non longe absunt ab eorum sententia qui alvum planè non mouendam existimant; inter quos est Nicolaus Florentinus, qui apparentibus variolis etiam ab ipsis clysteribus abstinendum censet. E contra tamen Thomas VVillis, nescio certe quo fundamento, solis purgantibus non satis contentus, etiam ad emetica progedere audet.

Nos ad controuersiæ decisionem dicimus, quod Medicus hac in parte rationem & experientiam sequi debeat. Ratio docet, naturam in bono cœpto opere non esse turbandam, nec contrario aliquo motu impediendam, aut ab isto opere auocandam: quod fieret, si motus ille quem natura molitur à centro ad peripheriam, per purgantia inuerteretur à peripheria ad centrum. Experientia docet, semper in hoc morbo feliciter mouere materiam morbificam à centro ad peripheriam (*quò autem natura vergit, eo ducere oportet, per vias lege naturæ conuenientes*) & motum huic contrarium esse infelicissimum, siue sponte, siue arte procedat, atque omnes alui qualescunque turbationes, & vomitiones, esse maximè damnosas, imò ut plurimum exitiosas: quia expulsionem variolarum mox impediunt, & faciunt etiam ut quæ modò expulsæ erant statim euanescant, vel subsidant, ægrique summis anxietatibus obruti, collabentibus citissimè viribus, breui extinguantur.

Præterea etiam docet, quod lenientia qualiscunque medicamenta, quantum vis mitia, facillime in hoc morbo perniciosum alui fluxum proritent (hoc ipsum etiam in peste notauimus, *tract. de peste, lib. 3. cap. 4. eiusque annot. 1. 2. 3.*) & quod melius expellantur variolæ, si alvus primis diebus parum aut nihil deiiciat, quam si aut sponte, aut arte liquida euadat, & frequenter defluat. Hac de causa etiam iubet Auicenna, ut in processu & fine modice astringentibus conseruetur alvus ne fluat. Idem quoque sentiunt Rases & Auenzoar, nec non inter neotericos Fracastorius, Mercurialis, Hollerius, ac denique Lazarus Riuerius, qui, *lib. de febr. sect. 3, cap. 2.* hac de re sic loquitur: *Variolis apparere incipientibus, purgatio futura est perniciosa; tum etiam si maxima vigeat malignitas, ut in constitutione epidemica, quando plurimi pueri ex eo morbo intereunt; atque hinc satius est omnino a purgatione abstinere, quia in morbis valde malignis & pestilentibus purgatio in principio morbi instituta, valde noxia est.* Ac proinde ego Medicis auctor esse velim, ut primis aliquot diebus de aluo lenienda aut soluenda non admodum solliciti sint: vel si forte necessaria aliqua de causa illam subducendam esse iudicent, ut eum in finem nulla saltem purgantia aut lenientia per os exhibeant, sed eam in adultis per clysterem emollientem, & in infantibus ac pueris per suppositorium ex solo melle subducant. Longa enim praxis me docuit, hanc esse tutissimam curationis viam, aliosque qui aliter curationem instituere voluerunt, plurimos, imo plerosque suos ægros infeliciter occidisse.

CAPVT X.

De pharmacis diaphoreticis, & variolas expellentibus.

OMissa itaque ad tempus purgatione, & de necessitate venæsectionis deliberatione habita, Medico ad ægrum vocato statim considerandum venit, an natura in expulsione sufficienter fungatur suo officio, nec ne.

In priore casu non opus est eam multis medicamentis adiuvare, præcipue si nulla grauia symptomata adsint, nam leuia facile sponte euanescent, & variolæ satis erumpent, si duntaxat externum frigus arceatur, & æger in leni diaphoresi, seu miti calore primis tribus quatuorve diebus seruetur. At verò si, æger fortè sit aliquis ex magnatibus, aut magnatum liberis, qui sibi huiusmodi solis verbis Medici vix satisfieri patiuntur, tunc exhibendum est aliquantum lapidis bezoartici, cum magisterio perlarum, aut

oculorum

oculorum cancri, vel essentia corallorum, additis paucis granis croci, aliudve simile, quod naturam in suo opere turbare nequit, & interim adstantibus satisfacere possit.

In posteriore casu, scilicet, si natura in expulsione non satis videatur suo officio perfungi posse, sed auxilio opus habere, concurrendum est ad illa remedia, quæ naturam hoc in opere iuvare possunt.

Inter expellentia autem, quæ ipso primo Medici accessu exhibenda veniunt, sunt pleraque illa diaphoretica & alexipharmaca, quę in principio ad pestem exhibenda diximus, *tract. de pest. lib. 3. cap. 5.* è quibus Medicus ea seligere debet quæ præsenti ægro magis profutura iudicabit: quippe alia infantibus & pueris, alia adultis, alia robustis, alia debilibus, alia graviter, alia leviter febricitantibus, sunt magis conuenientia. Pro robustis generosa pharmaca sunt theriaca & diatcordium, cum salibus absinthii, cardui bened. aliisve. Pro pueris & delicatulis imprimis eligenda talia quæ non valde ingratum saporem habent, concinnata ex speciebus liberantibus cornu cerui, coralliis, margaritis, croco, confectione alkermes, de hyacintho, aliisve similibus. Inter alia autem nullum aqua nostra theriacali (*tract. de peste, loco citato* descripta) efficacius inueni, quæ non est ingrati saporis, atque hinc vel sola, vel cum pauxillo grati alicuius syrupi mixta, facile infantibus & pueris exhiberi potest.

Si igitur variolæ sponte non satis prorumpant, primo exhibendum est aliquod sudorifeum, hoc vel simili aliquo modo præscriptum.

Rec. *theriacæ Andromachi drach. j. salis cardui ben. scrup. j. f.*
aquæ cardui ben. unc. ij. misce, fiat haustus.

Rec. *diascordy Fracastorij, theriacæ, ana drach. f.*
extracti cardui ben. salis absinthij, ana scrup. j.
decocti cardui ben q. f. misce, fiat haustus.

Rec. *diascordy, drach. j cornu cerui usti, coralli rubr. præparati, ana scrup. j.*
aquæ nostræ theriacalis, unc. j. f.
syrupi de rosis siccis, unc. f.
misce, fiat haustus, in metu alui fluxus.

Rec. *aquæ theriacalis unc. j. vel unc. j. f.*
sacchari perlati drach. j. misce fiat haustus, pro pueris delicatulis.

Rec. *confect. de hyacintho, diascordij, cornu cerui usti, ana scrup. j.*
misce, fiat bolus.

Rec. *pulueris liberantis, scrup. ij. croci gr. iiij. cornu cerui usti scrup. j. misce fiat puluis.*

Rec. *margaritarum prepar. coralli rubri prepar. cornu cerui usti, ana drach. j. manus Christi scrup. ij.*
fiat puluis, cum aliquo liquore exhibendus.

Rec. *seminis aquilegiæ, raparum, ana scrup. j. f.*
nasturtij, scrup. j fiat puluis pro vulgaribus.

Rec. *stercoris ouilli recētis drach. vj. aut unc. j. vini albi tenuis, decocti hordei, ana unc. j. f. misceantur, & stent per duas tresve horas, tunc colentur, cum leui expressione, & colatura detur pro haustu, qui potenter variolas propellit.*

His, aliisve similibus formulis sudorifera præscribi, & commode exhiberi possunt, neque ad hoc negotium opus est multas operosas compositiones præscribere, sicut nonnulli Medici (imprimis illi qui ex Paracelsi schola prodierel) id magno fastu moliuntur, quippe pauca huic indicationi satisfacere possunt.

Cum æger sudorifcrum assumpsit, stragulis aliisve tegumentis bene contegendus, sicque ad sudorem impellendus est: cauendum tamen ne nimiis tegumentis intectus, aut in hypocausto calido decumbens, nimium sudando in hypothymiam incidat, sicut enim in alijs rebus, ita etiam in hoc sudore modus seruandus est.

Hic obiter notandum, quod Fracastorius, Io. Paschalis, Forestus, Riuerius, aliique multi, ad meliorem variolarum prouocationem, commendent ut ægri sudaturi contegantur stragulis rubris, propterea quod speciatim rubrum illum colorem aliquid singulare ad variolarum prouocationem, præ cæteris coloribus, conferre; aut sudorem talibus rubris stragulis prouocatum, etiam in eliciendis foras variolis efficaciorem esse, sibi imaginentur, vel quod inspectionem rubri coloris, humores extrorsum mouere putent, sicut id scribunt, Valescus de Taranta, *lib. 7. cap. 15.* & Duncanus Liddelius, *de febr. lib. 3. cap. 9.* Verum omnes mihi errare videntur,

dentur, qui à rubro colore stragulorum aliquid singulare expectant: non enim color, sed calor stragulis prouocatus ad variolarum expulsionem facit: illorum autem error hinc primam originem sumpsisse videtur, quod olim, & etiã tempore auorum & attauorum nostrorum (ut videmus in nostra familia ex istis stragulis quæ hæreditate ab illis ad nos peruenerunt) optima & crassiora stragula rubro colore tingebantur, tenuiora alijs coloribus, atque hinc cum istius temporis Medici ægros sudaturos bene contegi videbant, suffisse ut stragulis rubris, id est, melioribus & crassioribus, contegerentur: hoc non satis perspicientes medici posteri, putarunt antecedentes Medicos rubris stragulis ægros suos contegi voluisse, quia ex rubro colore aliquid singulare & notabile produisse obseruassent, quod variolas foras eliceret.

Cum æger iam bene, pro virium ratione, sudauit, nonnihil detegendus est, ita ut à magno sudore aliquantum releuetur: interim tamen in tepore aliquo subhumido, seu leni ac blanda diaphoresi per diem unum aut alterum est detinendus, usque dum variolæ satis bene propulsa fuerint; cauendo tamen ne à nimio calore vires prosternantur. Sic quoque Forestus, *lib. 6. observ. 44.* ægros in aere mediocriter calido versari, & corpus vestibus stragulisque ita munire iubet, ut in leui quadam diaphoresi seruentur, unice cauendo, ne nimijs tegumentis ac stragulis iniectis, vel in hypocaustis calidis, calor corporis nimium augeatur, sicque fœtis magis increscat, & æger syncope correptus suffocetur. Hoc ipsum etiam bene monet Duncanus Liddelius, *de febr. lib. 3. cap. 9.*

Vt autem durante illa leni diaphoresi, variolarum propulso citius & melius succedat, solent vulgò nostrates ficus conciliias in cerevisia tenui decoquere, & hoc decoctum ægris tepidum pro potu exhibere, idque fœtui pleruinque successu. Forestus, *lib. 6. obseruat. 41.* illud simplex ficuum decoctum admodum extollit, idque passim omnibus pueris exhibet, Leonellus non in cerevisia tenui, sed in sero lactis ficus decoquit, eoque decocto commode utitur. Sunt qui pueris alacrioribus ficus commedendas concedant, neque id male, dummodo ventriculus eas sufferre valeat. Ficus enim quocumque modo in usum vocatæ hic plurimum conducunt: ratio hæc est, quia sicut cataplasmatibus incoctæ vel admistæ, & suppurandis tumoribus foris impositæ, crudos humores coquunt, & maturationem accelerant, ita etiam illas in decocto assumptas vel commestas cito variolas propellere, earumque etiã citam maturationem efficere, quotidiana experientia docet. In harum tamen usu hoc unicè obseruandum, ut nec illæ, nec earum decoctum detur talibus ægris quibus alvus iam liquida est, aut nimium fluit, aut in quibus alui fluxus aduenturus metuitur, nam ad hunc fluxum procliuibus facile pernicioſum fluxum concitarent. Medici frequenter, non simplex illud ficuum decoctum, sed aliud magis compositum in eundem usum præscribunt: hoc fere modo.

Rec. *hordei mund. unc.* j. *glycyrrizæ rasæ drach.* ij.
cicerum rubr. unc. j. ſ. *sem. raporum, fœniculi, ana drach.* ij *ficus n.* xvij.
aquæ q. ſ. fiat ſ. art. decoctum ad lib. ij.

Huic decocto nonnulli carduum benedictum & scordium, alii lentes & passulas minores, semen apij, aquilegiæ, napi, alii alia nonnulla adiciunt.

Ex Auicenna & Rasi hæ duæ desumuntur decoctiones, Medicis posteris usitatæ & plurimum laudatæ:

Rec. *laccæ ablutæ, drach. v. lentium excortic. drach.* vij.
gummi tragacanthæ drach. iij.
aquæ q. ſ. fiat decoctio ad lib. j. ſ.

Rec. *ficuum drach.* vij. *lentium excortic. drac.* iij.
laccæ drach. ij. ſ. *tragacanthæ, sem. fœniculi, ana drach.* ij.
aquæ lib. j. ſ. *coque ad remanentiam tertiæ partis.*

Potest tale decoctum etiam paulo aliter præscribi:

Rec. *uvarum passul. mund. unc.* ij.
caricarum, n. x. lentium mund. unc. iv.
laccæ, drach. j. ſ. *sem. fœniculi, drach.* iij.
sem. apij, drach. j. ſ. *croci, ſcrup.* j.
aquæ lib. iij. *coquantur ad lib.* ij.

Garcias Lopius simile decoctum hoc modo præscribit:

Rec. *caricarum, n. x. iuiubarum sine nucleis, n. xv.*
lentium decortic. unc. ij. sem. fœniculi, anisi, apij, cydoniorum, ana drach. ij.
laccæ, tragacanthæ, rosarum, santalorum, ana drach. ij. aquæ q. s. coquantur s. art. adde colaturæ croci pulverisati drach. ß.

In hisce decoctis Cardanus, Io. Bapt. Sylvaticus, Amatus Lusitanus, Septalius, aliique nonnulli, lentes & tragacanthum improbant. Sennertus illa decocta sic composita per solam experientiam approbat, eo quod plurimi Medici illis feliciter uti fuerint, rationem non addit. Hanc ego nunc adiungam, estque hæc, quod ebullientem sanguinem nonnihil incrassent, eumque ad citiorem variolarum maturationem disponant: ac proinde illis, non tam in ipso morbi principio ad solam variolarum expultionem, sed paulo post principium, ad earum simul expultionem & citiorem maturationem, utendum censeo, sicut de ficubus modo dictum.

Sunt nonnulli qui talia decocta distillant, & aquam ab iis distillatam ægris exhibent. Verum hi in chymia prorsus stolidi sunt, & nesciunt quod lacca, ficus, lentes, tragacantha, aliaque primaria eorum ingredientia viscida & dulcia, in distillatione per alembicum non transcendant, atque hinc ex bono & efficaci decocto fiat aqua prorsus inefficax.

Si fervor non sit admodum intensus, tunc decocto hcnum etiam magno commodo adiciuntur radices helenii, utque quæ expultionem feliciter promouent: nonnulli etiam flores calendulæ adiiciunt.

Loco talium decoctionum pro delicatioribus (ubi magna morbi vis, & ingens necessitas non urget) præscribuntur grata emulsiones.

Rec. *amygdalarum dulc. mundat. unc. j.*
sem. 4 frig. excortic. ana drach. j. ß.
napi, aquilegiæ, cardui ben an. drach j.
aquæ hordei q. s. fiat emulsio ad lib. j.
cui ad fe. sacchari albissimi, aut pro dilutioribus, manus Christi perl. unc. ß. vel q. s. ad gratam dulcedinem, misce, fiat emulsio.

Rec. *sem. cardui ben. excortic. aquilegiæ, napi, ana drach. ij. melonum, drac iij.*
aquæ fœniculi, & cardui ben. ana unc. iij.
fiat emulsio, addendo manus Christi q. s. ad dulcedinem, misce, pro infantibus & pueris.

Germani omnes huiusmodi emulsiones cõficiunt cum aquis distillatis, acetosæ, boraginis, cardui ben. scabiosæ, &c. sed nos iis parcas vires adscribimus, & solum decoctum hordei, quod maturationem aliquo modo promouere potest, plutis facimus.

Si qui cordatiores conditis uti velint, illa hoc modo præscribi possunt.

Rec. *rad. helenij condit.*
conserue boraginis, violarum, ana unc. j.
syrupi helenij, q. s.
misce, f. conditum.

Rec. *pulpæ passularum maiorum, ficuum.*
corticum aurantiorum condit.
conserue rosarum, ana drach. vi.
syrupi aurantior. q. s.
misce, f. condit.

Rec. *pulueris liberantis, drach. j.*
cornu cerui usti, drach. ß.
corticum citri condit.
nucum iugland. condit.
conserue flor. calendulæ, ana drach. vi.
syrupi nuc. iugland. q. s.
misce, fiat conditum.

Chymici extollunt suas solationes, magisteria, essentias, perlarum, corallorum, cornu cerui, aliasque, vano magis titulo, quam re, celebratione dignas, utpote in quibus in hoc morbo multa præstanda promittuntur, sed pauca promissa præstantur, & quæ magis vendentium lucrum, quam ægrotantium salutem spectare videntur.

Omnibus prædictis medicamentis, si magnus sit febris ardor, adiici possunt aliqua refrigerantia: ut si decoctis addantur, borago, cichoreum, lactuca, violaria, endiuia, buglossa, rosæ, sem. 4. frigid. maiora, &c. conditis verò, conserua violarum, rosarum, nymphææ, pul. diatragacanthi aut diamargariti frigidi, trochisci,

chiſci, de ſpodio, aliaque ſimilia.

Præter interna medicamenta, Bauderonus, *prax. tract. 2. cap. 3.* ad ſudoris promotionem & citiorem variolarum expulſionem, etiam præſcribit epithemata, fomenta, emplaſtra, olea pulſibus illinenda, aliaq; ſimilia foris adhibenda. Verum hæc omnia plus damni, quam utilitatis adferre, & ſudoris prouocationem, per aeris ventilationem, magis interturbare & impedire, quam promouere poſſunt.

In horum omnium uſu communis multorũ Medicorum error notandus venit, qui in eo conſiſtit, quod ſuis medicamentis immiſceant, acetoſam, uvas criſpas immaturas, fructus berberis & ribeſiorum, poma, ſuccum, & ſyrupũ de limonibus, tamarindos, aliaque acida, idque ad mitigandum, ut inquiunt, feruorem, & ebullitionem inhibendam. Profectò hi tota errant via: mitigent, ſi velint, per acida feruorem, & inhibeant effervescentiam in inflammationibus, febribus ardentibus & tertianis, aliiſque ſimilibus ſanguinis fermentationibus vitiotis, ſed non in hoc morbo, qui per aliquem caloris exceſſum atque ebullitionem ad criſim & materiæ morbificæ expulſionem ac maturitatem adducendus, ſicque finiendus eſt. Acida quia calorem & ebullitionem ſulphuream, qualis hoc morbo adeſt, infrigunt (quemadmodum alias ſalſam promouent) & materiæ morbificæ neceſſariam coctionem ac maturationem, ſimulque expulſionem hic impediunt, & pectori plurimum obſunt, adeo noxia ſunt, ut vix quidquam damnoſius præſcribi poſſit.

CAPVT XI.

De partium corporis, præ ceteris magis afflictarum, & primo de internarum, curatione.

POſt generalem curationem, quæ imprimis totius corporis conſeruationem & vitam ſpectat nunc etiam pauca quædam dicenda ſunt de ſpeciali curatione aliquarum partium, quę nonnunquam in hoc morbo magis quam alię affliguntur; propterea quod materia morbifica, aut iis ſpeciatim magis infeſta ſit, aut maiore copia & impetu ad illas decumbat.

Partes autem plus aliis afflictæ, ſunt vel internæ, vel externæ.

Internæ præcipuæ ſunt, pulmo, ventriculus, inteſtina, hepar, & renes: quas affectas & graviter laſas eſſe, ex actionum læſione deprehenditur, ut etiam alibi dictum.

Etſi autem his partibus, una vel pluribus, ſpeciatim magis afflictis, maximum ægris periculum incumbat, & pauci hic detenti à morbo reſurgant ac ſeruentur, tamen quia non omnes moriuntur, ſed aliqui adhuc ſanantur, oportet ut Medicus qualemcunque poteſt curationem, etiam in deſperatis hiſce casibus, inſtituat, ſicque cauſam mali, quantum poteſt, imminuat, ac ſymptomata leniat, ac denique vel ægro ſanitatem reſtituat, vel mortem leniorem procuret.

Omnibus hiſce partibus ſeu viſceribus afflictis in genere ſuccurrit decoctum lentium, laccæ, & tragacanthæ, *præcedente capite* ex Auicenna deſcriptum: lacca enim iecur, lienem & renes tuetur, lentes inteſtina roborant, tragacanthum partes ſpiritales defendit.

Peculiariter verò pulmoni laboranti conueniunt dulcia, utpote quæ maturationem promouent, tuſſim leniunt, & ſputa facilitant: qualia ſunt, ſyrupus de tuſſilagine, de glycyrriza, de iujubis, papaueris erratici, violaceus, roſaceus, diatragacanthum frigidum, diapenidium, glycyrrizæ puluis & ſuccus, conſeruæ roſarum, boraginis, violarum, aliaque ſimilia, ex quibus, pro re nata, modò linctus, modò trochiſci, modò condita conficiuntur; vel iiſdem etiam decocta pectoralia, ex hordeo mundato, tuſſilagine, althea, violaria, ficubus, paſſulis, iujubis, aliiſque confecta, dulcorantur.

Ventriculi vomitum & cardialgiam principio potenter ſedat theriaca. Poſtea ſæpe exhibenda eſt talis emulſio.

Rec. amygd. dulc. mundat. unc. j.
sem. 4. frigid. maior. ana drach. j. ſ.
sem. lactucæ, aquilegiæ, ana drach. j. ſ.
sem. papaveris albi drach. ij. ſ.
aquæ hordei, q. ſ. fiat emulſio ad lib. j.
cui admiſce, ſyr. de papauere drach. ij.
ſyr. de boragine unc. ſ.
miſceantur.

Foris in regione ventriculi cum magna ſpongia facienda eſt fomentatio, ex decocto maluæ, altheæ, menthæ, ſaluiæ, meliſſæ, maioranæ, flor. roſarum, chamomillæ, melilloti, ſem. anethi, & cumini. Poſt fotum, ad maiorem corroborationem illinendum eſt hoc linimentum.

Rec. olei menthæ, anethi, ana unc. j.
nucis moſcatæ expreſſi, drach. j. ſ.
ſpicæ, philoſophorum, ana drach. j.
miſce, fiat linimentum.

Poſt inunctionem imponendus hic ſaccul⁹ ſiccus, vel vino calido irroratus, vel in vino nonnihil excoctus, & leuiter expreſſus.

Rec. ſol. maioranæ, roſmarini, ſaluiæ,
flor. melilloti, roſarum, ana m. ſ.
ſem. anethi, leuiſtici, cumini,
nucis moſcatæ, ana drach. j.
gariophyllorum ſcrup. ij.
fiat puluis groſſus, ex quo inter duo lintea
fiat ſaculus ſ. art. interſutus.

Inteſtinorū tormina & alui fluxum ſedant theriaca, mithridatum, diaſcordium, cornu cerui uſtum, oculi cancri puluerizati, terra ſigillata, corallum rubrum, conſerua roſarum rubrarum, decoctum primum ex Auicenna cap. præcedente deſcriptum, vel tale amygdalatum,

Rec. ſem. papaueris albi drach. iij.
amygd. dulc. mundat. unc. ij.
decocti hordei. q. ſ.
fiat emulſio ad lib. j. adde
ſyrupi de papauere,
de roſis ſiccis, ana drach. iij.
miſce, fiat amygdalatum.

Hepati laboranti conueniet ſimile amygdalatum, additis ſeminibus quatuor frigidis maioribus: vel conducet etiam decoctum hordei cum roſis & ſantalis rubris dulcoratum cum ſyrupo papaueris erratici, roſarum, & violaceo: aut præſcribendum conditum, ex corticibus citri conditis, conſerua roſarum, boraginis, violarum, & puluere triumſantalorum, addito ſyrupo papaueris erratici.

Renes ſi ſanguinem cum urina profundant, præſcribenda erit talis emulſio.

Rec. amygdalarum dulc. mundat. unc. j. ſ.
ſem. 4. frigid. maior. ana drach. j.
ſem. papaueris albi drach. iij.
decocti hordei q. ſ. fiat emulſio ad lib. j.
in qua diſſolue, tragacanthæ puluerizatæ
ſcrup. ij.
ſyrupi papaueris erratici, de roſis ſiccis,
de ſymphyto, ana unc. ſ.
miſce, fit amygdalatum.

Liddelius in hoc caſu commendat puluerem ſuccini, aut trochiſcorum de carabe, vel alkekengi, cum emulſione ſeminum quatuor frigidorum maiorum datum.

Hæc ſunt primaria quæ adhiberi & præſcribi queunt in dictis illis periculoſiſſimis caſibus, ubi viſcera interiora grauiter ſunt afflicta, ſecundum quam methodum Medici adhuc plura alia ſimilia effingere poſſunt, & debent, non enim in maxima neceſſitate & mortis periculo ſtatim pro deplorato derelinquendus eſt æger (hoc foret præter Chriſtianam charitatem) ſed oportet ut Medicus ſua faciat, reliqua Deo committat, qui etiam alias plurimos deſperatos ægros ſanitati reſtituit.

CAPVT XII.

De externarum partium curatione.

EXternæ partes, quæ plus cæteris affligere ſolent, ſunt manus & pedes, os & fauces, nares, aures, oculi, & facies.

In eruptione variolarum, aut dum matureſcere incipiunt, interdum ingens dolor aut pruritus ægrotantes affligit in volis manuum & plantis pedum, eo quod denſior illarum partium cutis eruptionem impediat. Huic ſymptomati

medeor.

medeberis, si partes illas in aqua calida, vel in aqua cũ lacte dulci mixta, vel in decocto emolliente diu foueas: qua de re etiam infra aliquid notauimus, *cap. 13. de morbillis*.

Si magna copia variolarum in ore & faucibus eruperit, molesta inde fieri solet respiratio & deglutitio. Hinc os frequenter colluendum, & fauces gargarizandæ sunt cum decocto ficuũ simplici: vel si forte magnus feruor, aut inflammatio adsit, poterit illud hoc modo præscribi.

Rec. *hordei mundat. unc.* i. *s. ficus conscissas, n.* xvii.
passularum mundat. unc. i. *s. fol. altheæ, violariæ, endiuiæ, lactucæ, ana m.* i. *s. flor. rosarum pallid. m.* i. *sambuci, m. s. aquæ q. s. fiat decoctum ad lib.* ii.
pro collutione oris.

Cum iam maturæ sunt variolæ, ad faciliorem deglutitionem & citiorem variolarum ruptionem, subinde deglutienda est pilula, magnitudinis nucis auellanæ, ex butyro recenti insulso, saccharo obuoluta: hæc enim mirabiliter faucium tumentes variolas dissoluit. Si hoc tamen non succedat, variolæque integræ remaneant, & magna respirandi deglutiendique difficultas plurimum urgeat, tunc parua spongia bacillo firmiter alligandа, eaque syrupo violaceo intincta, fortiter in fauces intrudenda est, ut sic variolæ illic vi disrumpantur & angustia dissoluatur. Facta disruptione, gargarizandum est cum decocto hordei plantaginis, & rosarum rubr. dulcorato cum melle rosaceo & syrupo de symphyto.

Nares, ut à variolis defendantur, sæpe acetum naribus odorandum obiiciendum est. Sic etiam scribit Forestus, Benedictum Fauentinum, ante earum eruptionem, ægris odorandum dedisse acetum in quo rosæ coxerant: aceti odorem commendant quoque Liddelius & Riuerius. Variolæ autem si in naribus copiosæ eruperint, cum pluma subinde illinendæ sunt oleo amygdalarum dulcium. Si verò in crustas durtuleulas abeant, narcisque obstruant, sicque molestam respirationem efficiant, tunc butyrum recens insulsum naribus infarciendum est, quo crustæ mirabiliter emollitæ excidere, & sic obstructio breui dissolui solet. Suadent quidem alii, ut ægri hæc vel illa decocta naribus attrahant; sed illud pueri facere nequeunt, & in adultis etiam, propter obstructionem, peragi non potest: verum solum butyrum, naribus aliquoties immissum, totum negotium feliciter absoluit, ita ut aliis opus non sit. Si verò in naribus exulceratio contingat, linimento ex oleo de vitellis ouorum & succo plantaginis, in mortario plumbeo subactis, curabitur: cui, si magis siccandum sit, etiam aliquantum unguenti de tutia admiscendum est.

Aures si doleant vel pruriant, curandum ne manibus contrectentur; & si fluant, ut sæpe solent, dimittendum est, & curandum ut apertæ maneant. At si dolor urget, spongia immergenda est decocto fol. altheæ, flor. chamomillæ, meliloti, rosarum, sem. fœnugraci, anethi, & cumini, eaque tepens auri aliquamdiu imponenda.

Oculorum medicatio partim consistit in præseruatione, partim in curatione. Vt oculi à magna variolarum copia præseruentur, nonnulli palpebras sæpe lauant cum aqua rosarum & plantaginis, in qua nonnihil tutiæ præparatæ infusum, aut pauxillum fiet albi & camphoræ admixtum fuerit. Bauderonus eundem in finem hoc collyrium præscribit.

Rec. *fol. rubi, plantaginis, rosarum rubr. ana m.* i.
coquantur in aqua fabrorum, ad unc. iii.
in colatura dissolue
croci scrup. i. *camphoræ. gr.* v.
albumen unius ouí, misceantur.
huius aliquot guttulas singulis fere horis oculis instillat, & linteola eodem madida palpebris imponit, & ægrum à magno lumine remotum in loco obscuro detinet.

Liddelius hoc præscribit.

Rec. *aquæ rosarum unc.* ii. *plantaginis unc.* i. *pulu. sem. sumach. drach.* ii. *misce, ad ignem lentum calefiant, colentur cum forti expressione: adde colaturæ, camphoræ scr.* i. *croci, gr.* v. *misce, fiat collyrium*.
quo cum tenui linteo oculi sæpe madefiant.

Mercurialis hoc componit.

Rec. *aquæ rosarum, plantaginis, ana unc.* i. *sumach. unc. s. macerentur per noctem*.
& cum modico albuminis ouí, fiat mistura.

Vel

Vel sumit lac chalybeatum cum aqua rosacea mistum, cui interdum myrrhæ aliquantillum admiscet, ad pruritum & dolorem leniendum. Ego omnium optimum esse comperio si crocus puluerisatus misceatur cum lactis dulcis crema, superius lacti innatante, hacque mixtura palpebris cum pluma illinatur, eiusque etiam nonnihil caruncularum in angulo maiori admoueatur. quo ipso, addito pauxillo fiet albi, etiã feliciter utor ad curationem, cum oculi modo læsi sunt.

Si forte palpebræ à variolis præseruari nequeant, tunc frequenter contingit, ut ab iis valde intumescant, ita ut oculi ob illum tumorem omnino claudantur. In eo casu notandum, palpebras, non obstante isto tumore, singulis diebus semel aut bis, digitis à se inuicem diuouendas, & nonnihil aperiendas esse, ut sic liquor intus subsistens effluat, qui alioqui intra palpebras crassescens albuginem parit. At si forte ob tumoris magnitudinem commodè aperiri nequeant, prius fouendæ sunt cum ſpongia molli, intincta in iure veruecino, aut tepido decocto fol. altheæ, flor. rotarum pall. meliloti, & feminis fœnugraeci: eoque totu aliquandiu adhibito, admotis digitis apertio palpebrarum tentanda est. Si post detumescentiã, & hinc liberam palpebrarum apertionem, nebulæ albugineæ in oculis obortæ, visum obfuscantes, obseruentur, saccharum candum albũ subtilissime puluerisatum, per pennam scriptoriam à pluma resciſſam, in oculos subinde insiandum est: quo tolo illas nebulas sæpe feliciter sustuli. At si forte duriores euaserint, & oculos planè excæcent, tunc isti saccharo candido addenda est quarta aut sexta pars lapidis calaminaris subtilissime cum saccharo puluerisati: tali puluere albuginosæ istæ nebulæ egregie tolluntur, visusque restituitur. Si à variolis oculi ulcerentur, curandi erunt hoc collyrio.

Rec. *cerussæ lotæ drach. iij. sarcocollæ drach. j. gummi tragacanthi scrup. j. opij, gr. ii. cum mucilagine tragacanthæ in aqua plantaginis extractæ, fiant trochisci, qui usus tempore dissolvendi sunt in lacte muliebri, vel aqua rosacea.*

Facies medicatio, non minus quam oculorum, partim in præseruatione, partim in curatione consistit.

Præseruatio ea de causa non instituitur, ut variolæ in facie prorsus non erumpant (si enim illic earum eruptio impediretur, forte labes illa alias interiores partes, ut cerebrum, meninges, oculos, aliasve, grauius feriret) sed ut decidentes & exiccatæ variolæ quam minimas foueas & cicatrices relinquant. Hunc in finem varia excogitata sunt topica. Nonnulli erumpentibus iam variolis totam faciem identidem fouent cum decocto illo in quo pisa ad summam mollitiem excocta sunt. Alii faciem pluma bis de die illinunt cum oleo raparum, egregio successu. Forestus laudat oleum amygdalarum dulcium, Riuerius verò oleum nucum. Alii lardum in camino fumatum, & in forcipe ignito seu ab igne candente allatum, seu totum, & liquatum aqua rosacea exceptum, instar mollis unguenti, feliciter illinunt; hocque magni practici Timanni Gesselii ordinarium erat. Alii porci maiculi recens mactati omentum in veru ad ignem allant, & distillantem pinguedinem suppolita aqua rosacea excipiũt, eamque totã faciem illinunt; & mox faciem totam contegunt eiusdem porci lardo in tenues laminæ conciſſo: hæc bis de die renouant, usque ad perfectam variolarum maturationem (quæ hic longe mitius maturantur) & usque dum decidant: hoc dominarum aulicarum secretum est. Certe hæc omnia non contemnenda, sed egregia, atque nonnunquam in usum vocanda existimo, præcipue in iis ditioribus & magnatibus qui, non imaginantur Medicum magno aliquo molimine plus præstare posse, quam Naturam proprio conamine. Interim, ego ordinariè meis ægris consilium do, ut in principio molli spongia foueant totam faciem cum iure carnis veruecinæ ad summam mollitiem coctæ, ablata pinguedine (hæc enim cutem nonnihil denigrat, vel obfuscat) idque aliquoties de die repetant, usque ad variolarum maturationem, postea vero reliquum totum negotium naturæ committant: imo multis suadeo ut ab ipso principio negotium naturæ committant: imprimis si variolæ non valde magnæ & copiosæ sint. Præterea & hoc maximè commendo, ut caueant ne variolas scalpendo detrahant

trahant, experientia enim docet, eos quibus variolę sponte, vel sine apertione exiccantur ac decidunt, paucioribus minoribusque vestigiis & cicatricibus deformatos euasisse: quòd ipsum etiam notarunt Garcialopius, & Forestus, *lib. 2. obseru. 30. in scholio*.

Verum hic tam examinandus venit aulicorum mos, qui de pulchritudine sua magis solliciti præ aliis existentes, solent variolas maturas acu aurea aperire, & sic pus educere, antequam (ut inquiunt) cutem profundius erodat (hoc ipsum etiam facere iubent Arabes, multique Medici neoterici) & sic profundas foueas faciat. Dicendum hanc apertionem prorsus damnosam existere (hoc ipsum etiam bene notauit Riuerius) & semper à nobis compertum esse, post illam vestigia valde profunda & fęda relicta fuisse. Hanc experientiam quoque gemina suffulcit ratio. Nam *primo*, apertio seu perforatio illa non potest aut debet institui, nisi cum variolæ iam factę sunt maturę & albę; atqui cum pure albo & cocto existente, omnis ab eo acris feruor & potentia cutem carnemve ulterius exedendi, abiit, imò & pultulę sponte exiccari incipiunt, omnino frustra superuacaneum illud apertionis opus acu aurea instituitur, cum ulterioris erosionis nullus metus amplius supersit. *Secundo*, per illam apertionem educto pure, tunc cauitates mox ab ambiente aere exiccantur, & indurescunt, unde fit, ut subtrahta caro altius succrescere, eaque ulterius replere nequeat: at si variolę non aperiantur, sed pus in iis paulatim sponte exiccari permittatur, tunc subtrahta caro mollis seruatur, tantumque succrescit, ut ante omnimodam pustis exiccationem vestigia carne repleantur, ita ut tandem delapsis exiccatis variolis, vix amplius ullæ foueę supersitites maneant. Hęc eadem posterior ratio etiam docet, omnino impediendum esse, ut ęgri variolas purientes unguibus scalpendo non dilacerent, aut ante exiccationem detrahant; certa enim experientia docet, tali modo semper fœdas cicatrices & profunda vestigia relinqui. Atque hinc in pueris & infantibus illius rei exactam curam haberi mando, & eorum manus linteaminibus obuolui, vel caligis indui, vel fasciis ita ligari iubeo, ut eas facile adnouere, in eaque variolas scalpere non possint. Hoc ipsum etiam monens Auctor *libri de proprietatibus rerum*, sic inquit: *Caueat autem nutrix vel Medicus, tam in puerulo, quam in adulto, ne talium pustularum vesiculæ, nec propter pruritum, nec propter aliud, rumpantur, seu aperiantur, maxime circa faciem: quod si perforentur variolæ, perpetuis temporibus vestigia apparebunt*. Illud etiam sibi ab experientia constare scribit Forestus, *loco citato*.

Apertas variolas Arabes aqua salis (hanc etiam laudant Io. Paschalis, Eustachius Rudius, & alii.) multi decocto santalorum, rosarum rubr. plantaginis, myrtillorum, & sanicułę abluunt: sed tales ablutiones reiiciendæ sunt, cum cauernulas variolarum nimis cito exiccent, sicque carnem succrescere impediant, & hinc profundiores foueę remaneant.

Contingit interdum ut à variolis supersitites remaneant exulcerationes quædam fœdę, cutem erodentes. Has Amatus primo lauat hoc decocto.

Rec. *florum rosarum rubr. myrtillorum, fol. lentisci, summitatum quercus, tamarisci, ana par. æq. aquæ q. s. fiat decoctum, quo ulcerationes lauentur, & linteo absterso hunc puluerem inspergit.*

Rec. *thuris, mastichis, rosarum rubr. sarcocollæ, ana part. æq. fiat puluis subtilis.*

Forestus in eodem casu, præter unguentum camphoratum, etiam utitur hoc unguento de plumbo. descriptionis Montignanę, quod etiã valde commendat Duncanus Liddelius.

Rec. *plumbi usti unc. ii. lithargyri unc. i. ceruſæ lotæ, aceti ana unc. ſ. olei roſacei unc. iii. mellis roſacei unc. i. vitel. ouorum n. iii. myrrhæ unc. ſ. ceræ q. ſ. fiat ſ. ars. unguentum.*

Sanatis variolis maculę rubicundę aliquamdiu supersitites manent, ad quarum citiorem sublationem nonnulli eas bisterve de die lauant cũ decocto lupinorum & fabarum, in quo aliqui etiam coquunt radices arundinis & abrotanum: alii utuntur aqua distillata florum fabarum & sigilli Salomonis, admiscendo aliquantum succi limonum: alii maculas abluunt cum aqua millefiorum, id est, stercoris vaccini: Io. Paschalis commendat lotionem cum aqua rosma-

rini:

rini: Mercurialis celebrat aquam distillatam ex duobus pedibus vituli, totidem limonibus, & pauxillo serpentariæ: alii inungunt unguentum rosaceum, aut pomatum, cui oleum tartari admixtum est. Sed ego in praxi à longo tempore observaui, illas citius sponte euanescere, si omnino nihil adhibeatur, nam aer externus easdem post exulceratas variolas de nouo regeneratam paulatim exsiccat & indurat, & sic paulatim etiam imminuitur macularum istarum color, imò tandem penitus euanescit, ubi noua illas cutis cum reliqua priore cute æqualem duritiem adepta est. Ac proinde ego communiter nullas lotiones aut inunctiones eum in finem præscribo, cum illas cutis indurationem & macularum sublationem potius tardare, & solum aerem externum optimum macularum remedium esse comperiem. Si tamen auditis quibusdam Domicellulis sine aliquo remedio topico satisfieri nequeat, illis commendo lotionem ex aqua fabarum, cui pauxillum aquæ tartari (vulgo male appellant oleum) vel succi limonum admixtum sit, vel lotionem ex lacte virginali.

Ad superstites cicatrices & relicta vestigia tolenda, multi axungiam humanum, aut fœtum veruecinum, alii multa alia inungenda & imponenda præscribunt. Bauderonus, *prax. tract. 2. cap. 3.* hæc proponit. *Conducit*, inquit, *aqua melissæ cum terebinthina distillata. Itidem confert pinguedo asini cum oleo liliorum liquata: & oleum ouorum, & de later. bus. Sanguis leporis aut tauri calide admotus cauitates impiet. Itidem cerussa sullum saltum & calefactum, si fricentur vestigiorum cauitates, cutem æquant. Itidem valet axungia anseris, anatis, aut gallinæ, & cinis ungularum arietis, aut capræ, aut putaminum ouorum, ad cutis asperitatem delendam.* Idem ad tubercula eminentia æquanda hæc præscribit.

Rec. *olei liliorum, axungiæ anseris, & asini, ana unc. i. unguenti citrini unc. ſ. misce pro litu tuberculorum hora somni, per multos dies continuando.*

Die sequenti mane lauetur facies hoc decocto.

Rec. *rad. liliorum albor. unc. ii. rad. ari, vel serpentariæ unc. i. malum citrium in frusta diuisum, n. i. furfuris macri M. i. aquæ q. ſ. coquantur pro lotione faciei tepide mane.*

Forestus præ multis aliis hoc unguentum prædicat.

Rec. *olei amygdalarum dulcium, liliorum albornm, ana unc. i. pinguedinis capi, drach. iii. pulveris rad. pæoniæ, iridis Florent. litbargirij auri, ana scrup. ſ. sacchari candi scrup. j.*

His omnibus in calido mortario bene mistis, & per linteum expressis, inunge dicta loca mane & sero: postea verò aqua è pedibus vitulinis distillata, aut aqua millefiorum bene abluantur.

Verum hæc omnia plerumque frustra fiunt, nã ubi semel exsiccatæ sunt variolarum foueæ, & cicatrices nimis cauæ vel eleuatæ constant, tũc omnino fixæ permanent, nec unquam ullis topicis immutantur. Verum si nimis rubicundum aliumve fœdum colorem habeant, ille per lac virginale, aliaque ad maculas delendas modò præscripta, fortassis aliquantum imminuetur, aut penitus tolletur, sed ulterius in foucarum curatione & repletione nihil proficietur. His adde, quod axungia humana, veruecina, asinina, anserina, aliæque variæ, cutis splendorem adeo obfuscent, & subnigricantem reddant, ut longe maiorem, quam ipsæ variolarum cicatrices & foueæ, fœditatem inducant.

CAPVT XIII.

De Morbillis.

MOrbilli sunt maculæ, seu tubercula parua, rubra, in cute eruumpentia, non suppurantia, cum febre continua, à sanguinis peculiari fermentatione orta.

Differunt à variolis accidentaliter, seu secundum magis & minus: quia variolæ in altum exsurgunt & suppurantur; morbilli verò vix in molem conspicuam attolluntur, & non suppurantur:

rantur: atque hinc etiam hi citius & minore cum periculo, quam variolæ, finiuntur (errant qui in his maius periculum subesse putant, quã in variolis) & frequentissime pueros, rarius ætate grandes, aut senes, aut qui prius variolis laborarunt, corripiunt: variolis enim qui laborarunt, illi plerumque (& si non semper) à morbillis excusantur; sed hi tamen nihil immunitatis ab illis promittunt.

Cutem & epidermidem habent pro subiecto in quo erumpunt & conspiciuntur: an verò similiter, sicut variolæ, internas quoque partes nonnunquam obsideant, merito dubitandum, imò vix credendum censeo, cum illud a nullis Medicis hactenus compertum sciam.

A subtiliore, calidiore, & sicciore humore sanguineo subbibioto, specifico modo fermentante, oriuntur, atque hinc citò egrediuntur, & non assurgunt in pustulas, aut alicuius momenti tumores, sicut variolæ, sed paruæ in principio exortæ, fiunt maculæ rubræ ac latæ, cum leui aliqua cutis asperitate. Post septimum fere diem, imò frequenter citius, sine ulla exulceratione euanescunt, nullo sui vestigio superstite, nullaque fœditate relicta.

Causa eadem censetur cum causa variolarũ, sed differentia horum morborum in eo consistit, quod materia è qua generantur, in variolis crassa, sanguinea, & humida sit, unde hæ in pustulas assurgunt; in morbillis verò tenuis, siccior, & subbibiola existat, ut modò dictum.

Plerumque semel duntaxat unum hominem prehendunt, neque tam frequenter bis aut ter redeunt, sicut variolæ, quoniam horum materia, ob longe maiorem tenuitatem, prima inuasione, ut plurimum tota dissipatur & consumitur. Videantur super hac re quædam *præcedente cap.* 3. *in sententia Arabum.*

Febris iis adiungitur, sicut variolis, imò à febre oriuntur, cuius quasi critica euacuatio sunt.

Signa diagnostica imminentes morbillos indicantia, eadem sunt quæ variolas imminentes præsagiunt, descripta *præcedente cap.* 4. Præsentes morbillos vltus dijudicat.

Prognostica sunt, si citò appareant, cum febris, anxietatis, aliorumque symptomatum imminutione, & per tres quatuorve dies in statu persistant, postea verò paulatim euanescant. Mala sunt, si tarde erumpant, grauia symptomata adsint, & primo die rursus dispareant. Porrò multa alia prognostica cum variolis cõmunia habent descripta *præcedente cap.* 5.

Curatio in principio à variolarum curatione non differt, quippe datis sudoriferis appropriatis *præcedente cap.* 10. descriptis) ægri ad sudores sunt impellendi, & in leni diaphoresi, usque ad perfectam eruptionem, seruandi: omne frigus ab iis arcendum, & decoctum hordei, glycyrrizæ, cicerum ac ficuum, sæpius exhibendum, hoc enim morbillos non minus feliciter, quam variolas expellit. Hac methodo procedendum, usque dum rursus sponte & salutariter euanescant.

Nullis hic topicis opus est. Interdum tamen contingit, ut ingens, molestissimus, & intolerabilis pruritus ac punctio in plantis pedum, & volis manuum accedat (hoc symptoma etiam in variolis interdum acriter urgere, dictum *præcedente capite*) ad cuius symptomatis mitigationem certo experimento conducit, si pedes & manus continuo detineantur in aqua calida: tali enim modo pruriginosa illa punctio optime sedatur, & morbilli in plantis pedum & volis manuum melius emergunt. Hoc experimentum fuit olim arcanum Nicoli Florentini, à quo illud mutuatus est Basius Astarius Papiensis, *lib. de curand. febr.* Hac de re singularem obseruationem habet Forestus, *lib. 6. observ.* 42.

Morbillis finitimus est, eandemque fere originem ac causam agnoscit, & similem curationem requirit, alius affectus, qui Belgis *rooden jonck, roodhont, & rootgront*, appellatur; quem Philippus Ingrassias, *de tumor. p. n. tom* 1. dicit Neapolitanis vocari *Rossaniam, & roßalia*; Forestus, *lib. 6. obseru.* 59. *Purpuram & Rubores* nominat. de hoc loquitur Halii Abbas, *lib. 8. theoric. cap.* 14. *Est species*, inquit, *aliqua, quæ vocatur Rubeola, quæ ex sanguine calido ac subtili, & non multum malo oritur, & hæc species cum ad statum peruenerit, similis fit milij grano, aut paulo maior, & eius color rubeus, nec aperiuntur pustulæ, sed insensibiliter discutiuntur & euanescunt.*

In hoc affectu maculæ rubræ & quasi ignit.

sæpe exilibus tuberculis, instar milii seminis, interspersæ, cum vix effatu digno tumore, per universum corpus, quasi parva quædam erysipelata, erumpunt in principio morbi, id est, primo, secundo, tertio, quartove die. In statu verò universum corpus rubrum & quasi ignitum apparet, aliis magis, aliis minus, ac si universali erysipelate laboraret. In declinatione rubor ille imminuitur, & maculæ latæ, ut in principio, iterum apparent, quæ tandem quinto, sexto, septimo, octauo vel nono die evanescunt, epidermide squamularum adinstar decidente.

Malum hoc ut plurimum infantes & pueros, rarò adultos infestat, & sicut morbilli, plerumque solam cutem cum epidermide occupat, ac facile curatur, imprimis si frigus externum ab ægris arceatur. Contingit tamen nonnunquam, & si rarius, etiam internas partes ab eodem (sicut in variolis quoque interdum accidit) obsideri, magno ægri periculo: tunc febris intensa, calor maximus, & sitis ingens existit, ac sæpe pulmonum, faucium, aliorumque viscerum inflammationes, una cum difficili respiratione, summa anxietate, deliriis, hypochondriorum tensione, aliisve prauis symptomatibus, accedunt: qua de re notabilem talis ægri historiam describit Sennertus, *lib. 4. de febr. cap. 12.*

TRACTATVS DE VARIOLIS & MORBILLIS.

AD majorem perfectionem, & solidiorem antedictorum confirmationem, aliquot ægrorum, qui in praxi nobis occurrerunt, Historias subjungemus, non plane communes, sed imprimis tales, in quibus singulare quid notari potuit.

HISTORIA I.

ANno 1640. post ver humidum ac tepidum secuta est Æstas fervida & mediocriter sicca, qua febres tertianæ, cum continuæ, tum intermittentes, multos invaserunt. Circa medium mensis Iulii variolæ & morbilli grassari cœperunt; qui morbi, sed maxime variolæ, mense Augusto magna incrementa sumpserunt, & sic usque ad finem istius anni continuarunt, plurimosque è medio sustulerunt: imò quibus dictis illis mensibus alii contingebant morbi, illis morbilli, sed longe frequentius variolæ, breui adiungebantur.

Varios hoc tempore vidimus, qui cum variolas copiosissimas habuissent, vix ab iis sanati, paulo post in idem malum reciderunt, atque illis ista secunda vice sæpe multo maiore copia eruperunt, quam prima: imò aliqui visi sunt qui intra spatium sex mensium ter copiosissimis variolis laborarunt, quod alioqui rarò solet contingere, imprimis tam paruo temporis spatio.

Hi

Hi morbi à febre continua, in alijs maiore, in alijs minore, initium sumebant, cum pulsu plerumque oppresso, paruo, crebro, & inæquali. Vt plurimum graua aderant symptomata, ingens anxietas, cordis oppressio, oris siccitas, extremorũ tremores, deliria, &c.

Multis post primum aut secundum, sed pluribus non ante tertium, quartum, vel quintum diem variolæ prodibant. Quibus tardius apparebant, illi periclitabantur, multique moriebantur, nam à morbi violentia sæpe primis diebus adeo debilitatæ erant vires, ut tandem apparentibus variolarum prænunciis rubris maculis, natura nimis debilis eisdem satis propellere non posset.

Qui sanguinem vomitu, aut tussi reiiciebant, aut urinas cruentas mingebant, illi fere omnes moriebantur, & ex sexcentis talibus vix unum euasisse nouimus: in his quippe interiora viscera variolis obsessa adeo corrumpebantur, ut nunquam integritati restitui possent.

Quibus in ore, lingua, palato, faucibus, aspera arteria, & œsophago variolæ magna quãtitate erumpebant, his ante earum maturationem & disruptionem deglutitio & respiratio valde angebantur, indeque etiam nonnulli fuerunt suffocati.

Qui in morbi principio ab imperitis purgabantur, illi maxima ex parte moriebantur. Cum alvo dura ac constipata melius erumpebant variolæ & morbilli, quam cum fluida.

Aqua nostra theriacalis ad primos sudores mouendos in pueris plus profuit, quam ullum aliud diaphoreticum. Huic in adultis theriaca vel diascordium admiscebatur.

Post sudores potus decoctionis ficuum variolas admodum (1.) propellebat, imprimis si glycyrriza, carduus benedictus, scabiosa, ciceres rubri, aliaque similia adiecta forent: Ab eo tamen abstinendum erat si alvus lubrica existeret.

Vulgares & rustici stercus ouillum & caballinum, in vino vel cereuisia tepide maceratum, & per linteum colatum suis ægris exhibebant felici successu, hinc enim sudores & variolæ insigniter expellebantur.

Magna curationis pars in eo consistebat, si frigus ab ægris summa cura arceretur (2.)

Annotationes.

1. DEusu & viribus ficuum, earumque in curatione horum morborum utilitate, & decoctis ex iis componi solitis, supra latius egimus *cap.* 12. Avicenna de earum viribus, *lib.* 4. *fen.* 1. *tract.* 4. *cap.* 10. ita loquitur. *Aqua ficuum est bona valde: ficus enim sunt vehementis expulsionis ad exteriora, & illud est unum de causis euasionis à nocumento variolarũ.*

11. Hoc ipsum de frigore etiam notavit Auicenna, *loco citato*: *Cum incipiunt*, inquit, *variolæ apparere, tunc fortassis erit infrigidatio causa erroris magni, ex eo quod retinet superfluitatem interius, & defert eam ad membra principalia, cum eo quod non sit eis possibile exire & apparere, & accidit inquietudo, & angustia, & fortasse accidit syncope. Imò oportet ut inueniantur superfluitates in huiusmodi dispositione, cum eis quæ faciunt ebullire, & aperiunt oppilationes, sicut fœniculum, & apium cum saccharo, & succus eorum, aut decoctio radicum & seminum.*

HISTORIA II.

FIlia Ioannis Crasselt, octo annos nata, variolis laborabat, quæ primis tribus diebus per totius corporis cutem copiosissimæ epullularunt. Quarta die accessit raucedo cum tussicula & ventris dolore. Febris à principio huc usque in eodem fere statu permansit. Sexta die diarrhœa purulenta cum torminibus intestinorum sequebatur, atque

etiam per tussim purulenta & sanguinea multa eiiciebantur. Medicamentis nihil iuuantibus & viribus prostratis, octaua die obiit. Eodem plane modo extincta fuit filia Nicolai ab Heruelt.

IN his egris, procul dubio, variolæ etiam interna viscera, intestina & pulmonem, obsederunt, & fortassis etiam hepar, aliaque plura, quorum, affectiones in hoc morbo lethales esse solent. Quod autem interiora viscera interdum variolis corripiantur, illud ad autopsia docet Fernelius, *lib. 2. de abdit. cap. 12. Sæpe,* inquit, *deprehensum, quosdam ab interitu fuisse dissectos, quibus iecur, lien, pulmones, omniaque interiora, haud secus atque cutis, fœdissimis papulis manantibus scaterent.* Illud ipsum quoque notauit Paræus, *lib. 19. cap. 1.* mihi, inquit, *& Richerdo Huberto chirurgo videre licuit in duabus puellis, quarum una quatuor, altera septendecim annos nata erat: utrique enim ex morbillis (putat variolas) mortuæ & dissectæ interiora viscera crustosis pustulis, his similibus quæ in cute emergunt, obsita visa sunt.*

HISTORIA III.

VXor Iacobi de Claer, mulier 30 annorum, febri correpta fuit non violenta, cum quadam soporositate, cardialgia, capitis grauitate & subinde leni aliquo intercurrente delirio: quia autem variolæ tunc grassabantur, suspicatus sum ei variolas subsecuturas, utpote quibus nunquam laborauerat. Ad curationem igitur, alvo clystere subducta, sudoriferum dedi.

Rec. *theriacæ, diascordij Fracast. ana drach. ſ.*
salis absinthij scrup. j. aquæ theriacalis unc. ij.
misce fiat hausſus.

Hoc sumpto bene sudauit: sed morbo in eodem statu permanente, illud ipsum postridie reiteratum est, pari euentu, nam etiam ab isto sudore morbus non est immutatus. Tunc hoc decoctum bibendum præscripsi, & ægram per triduum in leni diaphoresi seruari iussi, quod facile pertulit, nam erat bonæ indolis & Medico valde obediens.

Rec. *Hordei mundat. radicum fœniculi, ana unc. j.*
rad. belenij, unc. ſ. glycyrrizæ rasæ, drach. ij.
cicerum rubr. unc. j. ſ. herb. scabiosæ, man. ſ.
sem. fœniculi drach. j. ſ. ficus n. xvij.
aquæ q. ſ. fiat ſ. art. decoctum ad lib. ij.

Cum nec tunc quidem ulla variolarum indicia apparerent, iterum alvum clystere subduxi, & postridie venam in brachio secari iussi. Die tertia rursus assumpto sudorifero, mediocriter sudauit, & exinde per decem dies continuauit in usu prædicti decocti. Postea, quia febris, cum anxietate, rursus aliquantum increscere videbatur, & somnus grauior, magisque turbulentus fieret, rursus dedi superius medicamentum diaphoreticum, addendo *extracti cardui benedicti unc. ſ.* Cum ab hoc fortiter sudasset, cœperunt in cute passim apparere prænunciæ variolarum, maculæ rubræ: ægra rursus in leni diaphoresi per biduum continuavit, decoctum ante memoratum pro potu bibens, eoque tempore variolæ admodum elevatæ sunt, & simul febris cum aliis symptomatibus paulatim evanuit. Toto morbi tempore in victu usa fuit iusculis tenuibus: alvum alternis diebus sponte semel euacuabat.

In

IN hac ægra prope modum desperaueram de variolarum eruptione, & me in iudicio meo deceptum putaueram, nunquam enim tã tarde, scilicet vigesimo die, earum eruptionem futuram credideram: nec adeo seram eruptionem unquam in aliis videram. Hinc patet vere dixisse Hippocratem, remedia quæ bene adhibentur non esse mutanda quosque nulla alia urgens indicatio illa mutare cogat.

HISTORIA IV.

FIlius Eduardi VVilmer, decem annorum, cum febricitaret, eique variolæ in variis corporis partibus apparere inciperent, ad eum vocatus fuit Egmundus Anglus, chirurgus, qui ægrum ab anxietate, qua premebatur, liberaturus, medicamentum aliquod purgans exhibuit. Hinc breui multum adaucta anxietas, & grauis diarrhœa, cum summa virium prostratione, subsecuta est, Variolæ protinus delituerunt, & æger sequente nocte obijt.

HIppocrates, *sect.* 1. *aphoris.* 22. sic inquit: *Quo natura vergit, eo ducere oportet, si vergat, per vias lege naturæ commodas.* In variolis autem natura vergit à centro ad peripheriam, eamque viam ad materiæ illius malignæ fermentantis & ebullientis euacuationem cõmodam esse, iam multis seculis docuit experientia. Quapropter Medicus in curatione huius morbi illud imprimis aduertere debet, ut naturam vel sponte suum opus peragere sinat, vel si debilis videatur, eam in sua actione adiuvet; non verò salutarem eius motum alio contrario motu interturbet, & ad exteriores partes salutariter declinantem malignam materiam, ad interiores & nobiliores introrsum retrahat. *Talia* enim, (inquit Hippocrates, 4. *aphoris.* 2.) *educenda è corpore, qualia sponte prodeuntia utilia: quæ verò contrario modo prodeunt, cohibenda.* At euacuatione per inteſtina, non educuntur talia qualia educere oportet, neque ea procedunt secundum salutarem naturæ motum, nec per vias lege naturæ commodas, ergo in hoc morbo, per inteſtina medicamentis euacuatio non est promouenda, & si sponte procedat, citissime est cohibenda. Hinc etiam Rates, *de re med. lib.* 10. *cap.* 18. sic inquit: *Summe cavendum, ne cui post eruptionem exanthematum, sive sublimium, sive latorũ, alvus medicamentis subducatur, prompte enim dysenteriam concitant præsertim in eminentioribus ecthymatis. Quod si alvus lubrica nimis fuerit cohibeatur.* Sic quoque Auenzoar variolis & morbillis laborantibus nulla purgantia exhibebat, neque ventrem movendum esse dicebat, nisi glandibus infectis, si alvus sponte non flueret. Hæc ignorauit dictus chirurgus Egmundus, atque hinc per suam inscitiam istum ægrũ occidit: quemadmodum illud etiam plurimis aliis contingere solet, qui doctos Medicos cõtemptui habentes, malunt ab huiusmodi ignaris agyrtis & homicidis mortem auro, quam à veris prudentibus Medicis sanitatem ægre coemere.

HISTORIA V.

DVæ sorores, domicellæ iuvenes, una 24. altera 26. annorum, grassantibus variolis sibi admodum metuebant ab hoc morbo. Contigit fortunæ, ut ijs ad templum ituris, eminus in platea in conspectum veniret puer quidam (ad minimum triginta passibus ab ijs distans) qui à variolis sanatus iam foras prodibat, faciem totam rubris maculis, à pustulis in ea residuis adhuc obsitam habens: à quo ambæ adeo exterritæ fuerũt, ut se iam variolis infectas esse putarent. Hinc ego statim ad ipsas inuisendas vocatus, accessi, hunc que metum multis rationibus discutere annixus fui: utque ipsis melius satisfa-

ter, utrique medicamentum clementer purgans præscripsi, à quo conuenienter fuerunt purgatæ: uno die interposito, utrique venam in brachio secari, & bono animo esse iussi: utque se melius, & certo certius ab hoc morbo præseruatas esse crederent, in victu omnia illa prohibui, quæ ad morbi huius suscitationem aliquid conferre posse videbantur: apozemata quoque aliqua ex cichoraceis, aliisque refrigerantibus, bibenda dedi: porrò mandaui ut ambulationibus, & gratis amicorum visitationibus ac colloquijs, alijsque quibuscunque remedijs dictam conceptam imaginationem ex animis suis excuterent: Sed frustra hæc omnia fuere tentata, quippe iam altis radicibus illa modò erat impressa & infixa, ut eradicari non posset. Postquam sic per quatuordecim dies sanæ vixissent, de ambulassent, alios inuisissent, & interea semper de variolis cogitassent, tandem, sine ulla contagionis occasione, ambæ simul febre correptæ fuerunt. Cum iam utrique ad curationem sudoriferum dedissem, sequenti die paruæ maculæ rubicundæ in facie & manibus apparuere, eæque dato decocto ficuum, breui altiores factæ in variolas desciuerunt, quæ toto corpore, & imprimis in facie, copiosissimæ eruperunt, sicque febris, anxietas, aliaque symptomata desierunt, atque ipsæ, nec sordida linteamina spatio quatuordecim dierum mutantes, nec ullum in dieta errorem committentes, sed exacte ad meum præscriptum ordinem viuentes, ut nec variolas scalpendo detrahentes, cum valde exigua defœdatione sanatæ sunt.

QVam stupendæ sint imaginationis vires (de quibus egregium librum conscripsit Thomas Fienus) in multis experimur: hæc quippe, mediantibus animi motibus, sæpe mirabilia præstat: qua de re pluribus egimus *in nostro tract. de peste, lib. 1. cap. 8. annot. 1. & lib. 2. cap. 7. annot. 9.* Sic etiam in hisce duabus Domicellis ex continua firmaque cogitatione per antecedentem terrorem inducta, tam fortiter illa variolarum idea animo, & hinc spiritibus ac humoribus fuit impressa, ut ab ea tandē in his aptitudo & dispositio ad variolas fuerit genita. Memini me eodem anno inuisisse nobilem Germanum, qui somniauerat, se inuitū ad ægrotum quendam variolosum, valde deturpatam faciem habentem, protractum fuisse, quod somnium tam firmiter animo eius impressum hasit, ut nullo modo illius cogitatio discuti vel abigi potuerit: tanus vixit per tres fere septimanas: tunc in febrem incidens variolis copiosissimis pertusus est.

HISTORIA VI.

PHarmacopœus fortis, vir circiter 30 annorum, cum aliquando domum cuiusdam ciuis ingressus, illic ex improuiso inueniret ac conspiceret ægrum tota facie variolis obsessum, a fœditatis illius adspectu nonnihil inhorruit, & sic discessit. Paulo post, ut hanc conceptam phantasiam discuteret, vinum copiosius ad hilaritatem bibit, & tribus quatuorve sequentibus diebus genio, cum aliis, liberaliter indulsi.; sed interim tamen cogitationem illam, de fœdo illius ægri adspectu, à se excutere non potuit, quamvis alioqui esset homo admodum intrepidus. Sexta die febri corripiebatur, cum summa anxietate, somno maxime inquieto, & subinde leui aliquo delirio: hanc, post bis sumptum sudoriferum, tertia die sequebantur maculæ rubræ, variolarum prænunciæ, quæ spatio 24 horarum copiosissimæ prodierunt, qua eruptione febris, omniaque symptomata euanuerunt, & æger post tertiam septimanam sanitati restitutus, rursus foras prodiit.

NVllis meticulosis auctor esse velim, ut ad peste aut variolis laborantes accedant: nam si talis variolosi visio huiusmodi virum intrepidum tantopere moverit, quanto magis afficeret

afficeret meticulosum? Quæri iam posset, an hic pharmacopœus contagio fuerit infectus, an verò alia de causa morbum contraxerit? Cõtagium minimè culpandum videri, ex eo patet, quod hic intrepidus vir aliàs plurimis aliis variolosis diutius adfuerit, sine ulla sui lasione. Causa potius fuisse videtur repentina illa conturbatio animi & spirituum, quam ex improviso fœdi istius ægri variolosi conspectu concepit, & exinde continua cogitatione fovit: ex qua idea in corpore talis dispositio enata fuit, quæ tandem variolas produxit. Si iam aliquis clarè possit explicare quomodo res illa peragatur, ille nobis erit magnus Apollo.

HISTORIA VII.

IVvencula viginti duorum annorum, plethorica, bene colorata, subpinguis, febri mitiore correpta, præter magnas anxietates, & leuia intercurrentia deliria, toto bidui spatio frequentes & validas patiebatur convulsiones epilepticas & subinde graues lypothymias, ita ut adstantes eam suffocatione uterina laborare & repente morituram existimarent. Ego aduocatus, cum menstruam periodum ante octiduum præcessisse intellexissem, alvum clystere subduci, & eadem die etiam brachii venam secari iussi. Circa vesperam hoc sudoriferum dedi.

℞. *Theriacæ Androm. drach. j. cornu cerui usti,*
extracti cardui ben. salis eiusdem, ana scrup. j.
aquæ theriacalis, cardui ben. ana unc. j. olei succini, gut. iiij.
misce, fiat haustus.

Hoc assumpto, ea nocte fortiter sudavit, cum summo levamine, neque convulsiones, aut lipothymiæ redierunt. Postridie passim ubique in cute apparere cœperunt maculæ rubræ, variolarum prænunciæ. Pro potu dedimus hoc decoctum.

℞. *Rad. helenii, glyc. yrrizæ rasæ, ana drach. iij.*
hordei mundat. unc. j. cicerum rubr. unc. j. s.
sem. fœniculi, drach. ii. ficus, n. xvi.
passularum mundat. unc. i. s. aquæ q. s.
fiat decoctum ad lib. ii.

Hinc variolæ copiosissimæ prodierunt, omnibusque cum febri symptomatibus protinus cessantibus, quarta septimana sanitati restituta, & quasi e Cerberi faucibus erepta, rursus foras prodiit.

IN hoc morbo pessimi ominis sunt tales convulsiones epilepticæ ac lypothymiæ, & nisi variolæ citò erumpant, maximum periculum metuendum venit, quippe facile posset æger ab iis enecari ante variolarum eruptionem. Neque id mirum: nam malignum hoc inquinamentum cor graviter affligit, ut ex febri, anxietate, & lipothymiis patet, necessario adhuc maius periculum metuendum est, si etiam alterum primarium ac animale viscus, scilicet cerebrum, non minus affligat.

HISTORIA VIII.

RVtgerus Schorer, adolescens quatuordecim annorum, filius natu maximus hospitis mei Isaaci Schorer, mense Septembri febri & variolis correptus fuit, eaque toto corpore copiosissimas habuit. Cum ille iam conualescens ad decimum quartum

tum diem peruenisset; eius frater Isaacus Schorer, duodecim annorum, isdem valde copiosis correptus fuit. Cum hic ad decimum sextum diem peruenisset, variolæ inuaserunt eorum sororem Mariam Schorer, decem annorum. Cum & hæc conualescens ad diem decimum quartum peruenisset, variolis copiosissimis correpta fuit altera filia domus, priorumque soror, natu minima, Machtilda Schorer, octo circiter annorum. Interea duo filii, priores hoc morbo detenti, pristinam sanitatem consecuti sunt, & foras exierunt. Cum ultima illa Machtilda Schorer, circiter viginti diebus cubiculo inhæsisset, rursus secunda vice febri & variolis correptus fuit Rutgerus Schorer, & eo fere sanato Isaacus Schorer, hoc que fere persanato Maria Schorer, & tertia post hanc septimana Machtilda Schorer. Atque sicut prima vice morbus ordine à natu maiore ad natu minimam descenderat, sic etiã, tam breui illo interstitio interposito, rursus eundem ordinem obseruauit secunda vice, nec unquam duo simul illo morbo correpti fuerunt; & quod mirandum, omnes illi quatuor tam illæsi ab hoc morbo euaserunt, ut eorum nemo à variolarum foueis aut cicatricibus in facie defœdatus fuerit, quod magna ex parte impetratum putari debet, per summam quam in curatione (nam erant nostri domestici, in quos singulis fere horis oculi conuertebantur) adhibuimus diligentiam.

RArò variolæ bis terve eundem hominem inuadunt, propterea quod communiter in prima inuasione totum illud specificum malignum inquinamentum, sanguini partibusque inhærens, per fermentaceam ebullitionem segregatum, excutiatur. Quæ effervescentia si non satis valida fuerit, tunc interdum contingit ut corpus ab illo inquinamento prima vice non omnino depuretur, atque hinc post aliquot annos ex residua parte, noua aliqua occasione rursus in actum suscitata, variolæ iterum gignantur. Sed quod tali ordine quatuor eiusdem viri liberos, à natu maiore ad minimum prehenderint, idque tam breui interiecto spatio bis, & singulis vicibus copiosissimæ erupesint, hoc alias in praxi nunquam nobis videre contigit. Si forte prima vice paucæ epullulassent, aliqua de inquinamenti reliquiis, propter debilem fermentationem non sufficienter sequestratis, suspicio fuisse potuisset, sed tam cum propter variolarum tam prima, quam secunda vice toto corpore prorumpentium immensam copiam, illa suspicio penitus tollatur, quorsum, quæso, alio huius rei causam referemus, quam ad occultum & inexplicabile quid, quod in variolis non minus quam in peste latet? & quorsum alio etiam illud, quod ego ipsemet, qui iam fere septuagenarius sum, non solum cum his, sed cum mille etiam aliis variolosis diu multumque conuersatus, & nunquã tamen variolis infectatus fuerim, cum illud contagium quoslibet alios tam facile inficere soleat?

HISTORIA IX.

VIrgo viginti trium annorum, plethorica & fortis, cum repente in magnam febrẽ, summæ anxietati coniunctam, incideret, suo marte assumpsit drachmam theriacæ cum pauxillo vini: hinc sudore copioso prouocato, mox simul copiosissimi per toto corpore eruperunt variolæ, sed febris anxietasque, non modo non imminutæ, sed graviores factæ fuerunt. Tunc meum consilium, at nimis sero, imploratum fuit, quippe propter virium magnam prostrationem, vix quidquam remedii adhiberi potuit. Dedi tamen bis oculorum causa præparat. drachmam unam cum pauxillo decocti hordei, & sulebum gratum præscripsi. Sexta die, matutino tempore, menstrua copiosa, extra periodum, fluere cœperunt, & eadem die, quæ hactenus eluatæ fuerant variolæ, subsederunt:

ac

ac depressæ euaserunt: febri autem, cum anxietate, plurimum adaucta, ægra sequenti nocte, viribus omnino collapsis, extincta est.

HOc eodem tempore adhuc duæ aliæ iuvenculæ variolosæ, præter expectationem erumpente extra periodi tempus menstruo fluxu, breui perierunt. Id quod in hoc morbo etiam alias multoties à nobis obseruatum, cum valida sit sanguinis, ebullitio, & copiosissimæ variolæ prosiliunt, sine febris & symptomatum imminutione, tunc pessimum, imò lethale signum esse, si menstrua extra periodi tempus erumpant, tales enim ægrotæ vix unquam seruantur, quamvis etiam septimo, aliove critico die illa eruptio contingat. Imò & hoc notauimus, si durante illa variolosa ebullitione menstrua quoque erumpant tempore debito & ordinariæ periodi, tales ægras etiam tunc maximè periclitari, earumque multas mori, licet ab illa euacuatione aliquod insigne leuamen sperari posse videatur.

HISTORIA X.

ANna de Durenburch, iuvencula viginti annorum, febricula, cum anxietate correpta fuit: aderant etiam capitis grauitas, cum inclinatione ad somnum, subinde leue aliquod delirium, pauor in somno, & sitis mediocris. Assumpto diaphoretico, & sudore copioso prouocato, mox apparuerunt variolæ. Postea sequentis decocti quater, quinquies aut sexies de die haustum bibit.

Rec. *hordei mund. unc. i. rad. belenij drach. v.*
glycyrrizæ rasæ drach. ii. cort. aurantior. drach. iii.
herb. scabiosæ man. i. s. fem. fœniculi drach. i.
sem. q. frigid. maior. ana scrup. iv.
ficus pinques, n. xv. passularum mund. unc. i. s.
aquæ q. s. fiat apozema ad lib. ii.

Cum huius decocti usu variolæ iam satis essent expulsæ, iussi ut cum molli spongia iuri vetuccino tepido intincta totam faciem sæpe fomentaret: sed cum illud casu haberi non posset, & illa tamen topicum aliquod ad faciei præseruationem à me peteret, iussi ut totam faciem bis de die illineret cum oleo raparum veteri. Hoc facto, variolæ in facie non deuenerunt adeo magnæ, ut in reliquo corpore, citius etiam maturuerunt, & crustis tandem sponte decidentibus, nullæ omnino foueæ in facie remanserunt. Continuata fuit hæc inunctio usque ad sanationem.

SI variolæ non sint magnæ & contiguæ, ad præcauendas foueas plerumque nihil adhibere, sed naturæ totum negotium committere solemus, utpote, quæ illud plerumque melius absolvit sua sponte, quam Medici arte, dummodo ipsimet ægri pustulas scalpendo non detrahant, sed exiccari & sponte decidere permittant: hoc quotidiana docet experientia, quippe mileni optime sanantur sine ullis foveis aut vestigiis, quibus nulla topica sunt adhibita: multi etiam sunt qui varia topica sine iudicio adhibuerunt, & longe peiores foveas retinuerunt, quam si absque illis topicis naturæ negotium commisissent. Verum si variolæ sint valde magnæ & contiguæ in facie, aut si tales fuerint ægri qui sibi non patiuntur satisfieri (hoc familiare est domicellis virgunculis, pulchritudini suæ studentibus) nisi medicus aliquod topicum adhibeat, tunc talia sunt præferibenda quæ leniunt & emolliunt pustularum crustas, in usque contentam materiam ad citiorem maturitatem perducunt. Eum in finem oleum raparum frequenter inunxi, felici successu, sic enim nulla, vel pauca & exigua variolarum vestigia relicta

fuisse, sapius comperi, quod, tanquam magnū secretum, mihi aliquando communicatum fuit ab insigni medico practico Harlcampio. Forestus, *lib.* 10. *observ.* 57. variolis inungit oleum amygdalarum dulcium, donec exsiccentur, atque ita scribit nulla vestigia relinqui, idque remedium sibi adeo placere dicit, ut nullum aliud præstantius reperit, cum odorem non habeat, & neque pueris neque adultis molestum sit. Imprimis autem in hoc casu cauendum ne exsiccantia in principio, aut etiam postea adhibeantur, hæc enim ulteriorem puris maturationem inhibent & crustas touealque exsiccando, nouæ carnis generationem impediunt: quæ de re miserandum exemplum scribit Forestus, *lib.* 10. *observ.* 45. *Cum quidam* inquit, *triginta annorum, variolas incurrisset, ac butyrum prius in sartagine ad nigredinem coctum* (tunc valde exiccat) *ex mulierculæ cuiusdam consilio accepisset, & totam faciem eo obleniisset, facta est crusta admodum fœda, totam faciem exulcerans, ita ut unum oculum perdiderit, & nisi ego commoda adhibuissem remedia, alterum quoque oculum non retinuisset. Propterea animaduertimus quosdam sæpissime nullis adhibitis huiusmodi remedijs, melius conualuisse. Et ideo quamvis auctores scribant, quædam maturatiua esse apponenda, id cū diligenti cautione faciendum.*

HISTORIA XI.

DOmicella nobilis octodecim annorum, cum minus bene valeret, me vocari iussit: Leuiter febricitabat, & conquerebatur de cordis anxietate (hinc alta sæpe suspiria ducebat) & capitis grauitate, cum inclinatione ad somnum. Propter præsentem constitutionem, qua variolæ grassabantur, mox mihi incidit suspicio de variolis. Hinc cum mihi dixisset se alvum ea die deiecisse, atque etiam à menstrua periodo longius abesse, sine mora venam brachii incidi, & sanguinis uncias octo (nam erat plethorica) extrahi curaui. Hinc se aliquantum leuatam dicebat. Post horas decem à venæsectione, cœperunt in pectore & manibus paucæ & paruæ quædam maculæ rubræ apparere. Exhibui circa vesperam hoc diaphoreticum.

Rec. *theriacæ Andr. diascordii Fracast. ana drach. ſ.*
salis absinthii, confectionis de hyacintho, ana scrup. i.
aquæ theriacalis, cardui ben. an. unc. i.
misce, fiat haustus.

Hinc cum tota nocte mediocriter sudasset, postridie compertum est variolas aliquanto altiores epullulasse, & febrem, cum anxietate, fere totam euanuisse. Decoctum ficuum ex cerenisia tenui dedimus pro potu. Atque sic illa his paucis fuit persanata, & in facie non nisi tres quatuorve, & reliquo etiam corpore valde paucas habuit variolas.

QVid de venæsectione in hoc morbo sentiendum, & quando illa instituenda sit, suprà latius explicauimus *cap.* 8. Illud autem in ea obseruaui, num plethoricis tempestiue instituatur ante ullam variolarū eruptionem, tunc longe facilius, multoque pauciores eas erumpere, & facilius sanari. Ac proinde, in iis præcipue, qui de suæ faciei pulchritudine admodum solliciti sunt, eam tempestiue instituere utilissimum censeo, cum sic pauciores variolæ & minores in facie procedant. Sed quia Medicus plerumque vocatur, cum iam variolæ erumpere incipiunt, hinc fit quod venæsectio raro institui possit.

HISTORIA XII.

FIlius Nicolai ab Herrelt mense Augusto ægrotare cœpit: febricitans erat, cum magna prochnitate ad somnum. Cum autem in principio vocarer, & mihi statim de variō-

variolis suspicio foret, aquam theriacalem, cum lapidis bezoartici & croci pauxillo, exhibui (alia ingrati saporis dari non poterant, quia puellus erat trium annorum) & ad oculorum præseruationem iussi, ut crocum cum lacte muliebri miscerent, eoque palpebras circum circa illinerent. Amita (quæ ægri curam habebat) me absente crocum maiore, quam solet, quantitate lacti admiscuit; eoque non oculos tantum, verum totam quoque faciem munxit bis de die. Horribilis profectò pueri, à croco ita flauescentis, erat aspectus. Interim puellus satis bene sudauit, & exinde adhuc ter cochleare aquæ theriacalis assumpsit, atque in mediocri calore seruatus fuit, & decoctum ficuum simplex (quod amabat) pro potu bibit. Postridie minimæ quædam rubræ maculæ hic illic in cute videri cœperunt: tertia autem die variolæ per totum corpus magna copia eruperunt, excepta facie, in qua nullæ omnino, imò ne minima quidem earum signa apparuerunt, unde tamen puer se peius non habuit, cum reliquo corpore satis copiosæ epullularent: Febris erumpentibus variolis mox euanuit, & sic tandem hic puellus, facie à variolis prorsus immuni & illæsa seruata, integræ sanitati restitutus fuit.

CRocus leuiter astringendo, aliquantum repellit & exsiccat, an verò ob hanc facultatem foris adhibitus variolarum eruptionem impediat: vel an ob aliud specifici & occulti quid, quod ei fortè inest, ille effectus incertus dubio: interim effectum ipsum vidimus, non solum in illo puello, sed etiam in tribus quatuorve aliis, nam dicti ægri amita, cum illum eventum aliis mulierculis hic illic narrasset, fuerunt etiam aliæ, quæ in suis ægris illud ipsum experimentum tentarunt, simili felici successu: an felix ille euentus semper successus sit, alias, data occasione, experiemur.

HISTORIA XIII.

NObilissima Domina Lucas, Angla, domicellam iuvenculam, fratris sui filiam, domi suæ alebat, sex septemve annorum. Cumque illa febricitare, anxia & soporosa esse inciperet, meo consilio, pauxillum puluerис liberantis, cornu cerui usti, lapidis bezoartici, & croci, cum aquæ theriacalis uncia una exhibitum fuit, quo sudor satis bene processit, cum aliquo leuamine. Pro potu bibit decoctum cornu cerui crudi (quemadmodum illud pro gelatinis præparari solet) & subinde etiam decoctum ficuum simplex. Interim Domina Lucas (quæ inter mulieres magnates erat Medicastra aulica) totam ægræ nostræ faciem quotidie bis terve lauauit cum aqua illa cinnamomi, quam communiter venduntnostri pharmacopœi (hæc constat ex cinnamomo in aqua boraginis distillato) eamque in continuo calore, satis diligenter seruauit. Die secunda circa vesperam rubræ maculæ hic illic apparere, & die tertia variolæ copiosæ erumpere cœperunt, excepta facie, in qua ne una quidem videri potuit. Illa dicta ami facieі lotionem adhuc per aliquot dies continuauit. Interim euanescente post eruptionem febre, nostra ægra feliciter fuit sanata, nec ei ullum variolarum vestigium in facie superstes relinqui potuit.

ILla ipsa idem illud consilium dedit dominæ Couper, quæ cum etiam tribus suis liberis, variolis laboraturis, similiter faciem cum aqua cinnamomi lauisset, etiam nullæ variolæ in facie eruperunt. An ille successus semper adeo felix sequuturus sit, plurium ægrum experientia notum fiet. Sed interim considerandum venit, an non, in facie sic inhibita variolarum eruptione, metuendum sit, illas meningibus aut cerebro aliquoe gravius malum illaturas.

HISTORIA XIV.

DOmicella Ruchabor iuvencula 24. annorum adeo pulchra, ut multis admirationi esset, mense Augusto, febri & variolis correpta fuit, eique totum caput mirabiliter intumuit. Cum ex meo præscripto variis medicamentis usa fuisset, & variolæ per totum corpus copiosissimæ erupissent, faciemque valde obsedissent, & tandem febris cessasset, & caput rursus detumuisset, atque ego iussissem ut faciem cum iure vervecino sæpe fomentaret: illa his non contenta, ut pulchritudinem suam magis illæsam conseruaret, ex consilio quarumdam mulierc ularum, variolas maturas acu aurea sibi aperiri curauit, & pus expressit. Sed quo, quæso, euentu? tandem illa, quæ nullas foueas superstites futuras sibi persuaserat, persanata faciem innumeris foueis ac vestigiis admodum deformatam retinuit, ita, ut è formosissima valde deformis euaserit, & hunc stultum perforationis factum millies deplorauerit.

QVamvis multi Medici, ut faciem à cicatricibus ac foueis præservent, variolas maturas acu aurea aperire iubeant, tamen experientia millies edocti sumus, tunc multo plures foveas relinqui, & curationem multo melius peragi, si acus & manus non admoueantur. Hinc Sennertus, *lib. 4. de febr. cap. 72.* sic inquit: *Tutissimum plerumque est, præcipue ubi sanies alba & proinde cocta apparet, rem totam naturæ committere, cum experientia docuerit, eos quibus variolæ sponte apertæ & exsiccatæ sunt, minore cum deformitate, & minoribus reliquis vestigiis, sanatos fuisse.* Cum Sennerto consentit Gregorius Horstius, *part. 2. lib. 1. in append.* Quam periculosum autem sit variolis manus & topica adhibere, docet Forestus, *lib. 6. observ.* exemplo iuvenculæ. *Cum malum*, inquit, *in declinatione iam esset, atque ipsa linimenta exsiccantia faciei adhibenda, mihi proponere, suadebam, ut ab iis abstineret, totumque negotium naturæ committeret, cum sanies alba concocta a variolis per se ruptis effluueret, & imperavi ne digitis crustas auelleret, & ut à frictione abstineret, quanquam pruritū sentiret. Verum cum a vellicando variolas non abstineret, quibusdam non maturis; deinde cum ex mulierc ularum consilio ad exsiccationem pinguedinem seu cremorem lactis adhibuisset, facies crusta obducta est admodum fœda, & vestigia relicta fuere, atque oculis rubedo oborta est, qua postea vix curari potuit, & tota vita adhæsit.* Ratio quare apertis variolis tanta mala contingãt, supra videatur, *cap. 12.*

HISTORIA XV.

DOmicella nobilis, 20 annorum, cum consodali variolis laboranti paulisper adfuisset, aliquod ab ea contagium suscepisse videbatur. Eadem vespera caput ipsi graue, & ventriculus inappetens euasit, cum lassitudine ponderosa totius corporis. Postridie febricitans inuenta fuit: prædixi variolas expectandas esse. Dedi mox haustum diaphoreticum, à quo bene suadauit, & in leni diaphoresi illam tota insequente nocte detineri iussi. Tertia die, matutino tempore, illam toto quidem corpore bene contectam, sed pedes à lecto pendulos, & vasi subiecto in lacte dulci calido usque ad suras immissos habentem, inueni. Hoc fecerat ex mulierc ularum quarundam consilio, qui ipsi persuaserant, si pedes in lacte calente balnearet, tunc nullas variolas faciem inuasuras. Continuauit in isto lactis balneo tota die, usque ad vesperam. Interea variolæ illa eadem die erumpere cœpe-

cœperunt, sed nusquam maiore copia prodierunt quam in facie, atque sic illud consilium, de pedibus in lacte balneandis, prorsus inutile inuentum est. Ægra tamen in cæteris meum consilium secuta, bene persanata est, & in facie non valde multas foueas à variolis retinuit, atque exinde lacteum illud consilium millies irrisit.

FElix in eo fuit hæc ægra quod ista balneatio ipsi non male cesserit, quia quantumvis bene contecta foret, tamen per illam ventilationem facillime ad ægram frigus aliquod accedere, eique magnum damnum inferre potuisset. Memini me postmodum illud ipsum balneum in aula Baronis de Brederode, adhibitum vidisse in domicella quadam pedisequa, variolis laboratura, sed pari, ut in priore, successu, atque exinde illud in ista aula omnem fidem perdidit, quam etiam apud me nunquam habuit, & si illud à multis mulierculis admodum laudari audiuerim.

HISTORIA XVI.

MEnse Octobri, duo filii N. Romburch, œnopolæ, ætatis sex, & octo annorum, febricorrepti fuere. Parentes postridie singulis exhibuerunt theriacæ drach. ſ. unde sudor mediocriter prouocatus: pro potu dederunt decoctum ficuum simplex in cerevisia tenui factum. Tertia die aliquæ maculæ rubræ, & exinde variolæ copiosissimæ toto corpore eruperunt, earumque etiam multæ oculorum palpebras obsederunt, atque hinc illæ adeo tumidæ enatæ sunt, ut oculi penitus occluderentur. Tunc meum consilium petitum est. Cum pueri, pro ratione temporis morbi mediocriter sese haberent, nullum medicamentum exhibere, necesse visum fuit: solummodo iussi ut parentes per mollem spongiam ter quaterve de die oculos tepide fouerent, cum decocto altheæ, flor. meliloti, rosarum, fœnugræci, &c. & digitis semel aut bis de die palpebras à se invicem dimouerent, sicque oculos nonnihil aperirent, ut sub iis collectus liquor effluere posset. Sed parentes hoc neglexerunt, stulto amore metuentes se filijs illa contrectatione aliquem dolorem inducturos. Die decimo quarto, variolis iam ad maturitatem deductis, detumuerunt etiam palpebræ, & oculi aperti sunt, sed obseruatum ambos filios esse plane cæcos, & ab illo liquore tot diebus intra occlusas palpebras detento, viscidoque facto, pelliculam ante pupillam & iridem fuisse enatam, quæ instar velaminis cuiusdam fere totum oculum contegebat. Hic inexpectatus casus admodum contristauit parentes. Præscripsi hunc puluerem.

Rec. *sacchari candi albissimi drach.* ii.
lapidis calaminaris ferup. i.
fiat pulvis subtilissimus.

Hunc à chirurgo bis terve de die per pennam scriptoriam à pluma resciſſam, in oculos insufflari iussi. A parvo dolore hinc excitato palpebræ frequentius sursum deorsumque motæ; & sic pelliculæ illæ paucis diebus detritæ, ac cum lachrymis foras elapsæ fuerunt, ita ut exinde nullum visus impedimentum his pueris amplius superfuerit.

ILlud multoties nobis in praxi videre contigit, quod ob palpebras à variolis tumidas atque occlusas huiusmodi pelliculæ in oculis enatæ fuerint, sed illas, quia foris pupillæ obharent, tali puluere semper facile detrimus, si mox à principio detumescentiæ palpebrarum & apertionis oculorum adhiberetur. At si aliquamdiu expectatum fuerit, & pelliculæ ab aere externo tam magis exsiccatæ & induratæ sint, tunc tam leui medicamento non facile cedunt, sed acrioribus utendum, & maiore cum molestia ac dolore illud vitium tollendum est. Duo

igitur

igitur hic obseruanda veniunt. 1. Vt palpebræ tumidæ, etiam inuitis ægris, quotidie semel atque iterum digitis à se inuicem dimoueantur, & sic liquori intus contento exitus concedatur. 2. Si forte illic pelliculæ enatæ fuerint, ut earum curatio non diu differatur, sed citò instituatur, antequam ab externo accedente aëre indurentur.

HISTORIA XVII.

MEnse Octobri, ad pagum Bemmel, cum chirurgo, vocatus, ad inuisendum rusticum in pectore vulneratum, casu apud eundem inuenimus puerulum octo annorum, febricitantem, ac summa anxietate pressum: cumque ibi nulla medicamenta nobis ad manum essent, suasi ut sumerent unc. j. stercoris ouilli recentis, idque per duas treuve horas macerarent in cerevisia tenui, & postea colaturam calidè exhiberent, sicque puerum contegerent, & sudores prouocarent. Dicebam me postridie eo rediturum, & alia medicamenta allaturum. Sequenti die reuersus intellexi puerum ab illo haustu egregie sudasse, cumque illum propius adspicerem, videbam ipsi morbillos valde copiosos erupisse, ab eaque eruptione febrem fere euanuisse, & magnam anxietatis partem recessisse. Iussi ut eum in calore seruarent per triduum aut quatriduum, omneque frigus ab eo arcerent. Atque ita, sine ullis aliis remediis, sanitati restitutus est.

IN hoc pueo variolas expectaueram, sed prodierunt, morbillis quorum prima curatio cum variolis eadem est. Stercus ouillum recens hos & illas æque potenter expellit, ac proinde in utroque casu valde utiliter exhibetur, præcipue iis in locis, ubi alia medicamenta ad manum non sunt. Inueniuntur qui huic præferunt stercus caballinum, eodem modo exhibitur: sed ouillum longe efficacius esse docet sapor, quo sal nitrum, seu potius specificum aliquod sal diaphoreticum ei copiosius inesse, gustu manifestum fit.

HISTORIA XVIII.

IVuenis 26. annorum, fortis & plethoricus, post gravia pilæ & gladiatorii ludi exercitia, atque intermistas vini potationes, incidit in febrem vehementissimam, cum magna siti, oris ariditate, summa anxietate & inquietudine, aliisque grauibus symptomatibus. Huic, post iniectum clysterem venam secari iussimus; iulebos ad sitim, atque apozemata & condita refrigerantia præscripsimus. Tertia die purgatus est, haustu ex infusione foliorum sennæ & rhabarbari, cum admixto electuario diapruno: hinc quinque sexve sedes habuit. Ardore autem cum febri permanente, quarta die iterum vena secta est. Quinta & sexta die continuatum in usu iulebi, apozematis, & conditi refrigerantis. Nox quæ sextam diem sequebatur, adeo gravis erat, ut vix ulla spes vitæ superesse videretur, & iam moriturus putaretur. Septima die circa meridiem, undequaque per totum corpus morbilli critice eruperunt: hinc febris, cæteraque urgentia symptomata tantopere remiserunt, ut ager sequente nocte aliquantum dormiverit: eaque sequentibus duobus diebus sensim in totum evanuerunt. Decima die imminui cœperunt morbilli, & duodecima penitus disparuerunt. Sic ille æger, qui iam cum Charonte de naulo paciscí videbatur, præter multorum expectationem sanitati restitutus fuit.

Prin-

PRincipium huius morbi tale erat, ut nulla morbillorum suspicio subesset, atque hinc æger, tanquam febri ardente laborans, à nobis tractatus fuit, qua tamen febris tandem per criticam morbillorum euacuationem feliciter finita fuit.

HISTORIA XIX.

IVuenis fortis, febri valida correptus est, cum pulsu crebro, parvo, & inæquali, magna anxietate, capitis gravatiuo dolore, soporositate, somno turbulento, & leni aliquo delirio. Postposita alui subductione, libenter venam secuissem, cumque id permittere nollet, circa vesperam dedi hoc sudoriferum.

℞. *Theriacæ, scrup. ij. diascordii Fracast. scrup. j. ſ.*
confect. alkermes, extracti cardui ben.
salis absinthii, ana scrup. j. aquæ nostræ
theriacalis, cardui ben. ana unc. j. misce, fiat haustus.

Cum hinc bene sudasset, & tamen morbus in eodem statu permaneret, postridie illud ipsum reiteratum, & ab eo rursus bene sudatum fuit, tuncque rubræ maculæ paruæ, variolarum prænunciæ in cute passim apparere cœperunt: febris tamen, aliaque symptomata, etsi aliquantillum imminuta viderentur, tamen perstiterunt. Suasi ut æger in leni diaphoresi conseruaretur, & subinde huius decocti haustum biberet tepide.

℞. *Cicerum rubr. unc. j. ſ. hordei mundat. unc. j.*
herb. scabiosæ, m. j. ſ. ficus pingues n. xvi.
passularum mundat. unc. ij. aquæ q. ſ.
fiat decoctum ad lib. ij.

Hinc intra biduum variolæ maxima copia undequaque eruperunt, & elatiores euaserunt, febri tamen & anxietate permanentibus, ita ut æger omnino de vita periclitari videretur. Hac de causa necessarium duxi, superius sudoriferum rursus exhibere. Hinc sudore paulo majore prouocato, & decocto ficuum insuper per biduum continuato, die septimo, præter expectationem toto corpore inter variolas passim apparuerunt morbilli, atque tunc febris, aliaque symptomata mitiora euaserunt, ac paulatim in totum desierunt, ægerque quarta ab exordio morbi septimana feliciter sanatus, rursus foras prodiit.

HOc in tota mea praxi me tantum bis terve vidisse memini, scilicet quod variolis adiungerentur morbilli: ex qua tamen obseruatione liquet, etsi ambo hi morbi ratione inquinamenti aliquid commune habeant, tamen ratione subiecti, cui illud inquinamentū inhæret, eos etiam aliquid distincti & diuersi habere: quænam alioqui causa fuisset, quod in hoc ægro totum inquinamentum cum variolarum expulsione non fuisset euacuatum? Interim hoc mirandum subest, quare morbilli, subtiliori seu tenuiori materiæ inhærentes non eruperint priores, ante variolas, cum materia tenuior ad eruptionem magis prompta & apta videatur, quam crassior.

HISTORIA XX.

NObilis Batauiensis, febri correptus fuit, cum pulsu forti, sed valde inæquali, item cum summa anxietate, siti inquietudine, leni delirio, & leuibus extremorum conuulsiuis motibus. Alui clystere subducta, venam secari iussi. Circa vesperam ab assumpto

assumpto sudorifero fortiter sudauit. Morbo autem in eodem statu permanente, postridie reiterato sudorifero, rursus fortiter sudauit. Hinc symptomata nonnihil remiserunt, sed æger cœpit conqueri de molesta punctione seu pruritu in cute totius corporis. Paulo post animaduersum est, hic illic magnas rubras maculas, amplitudinis, alias daleri imperialis, alias dimidiæ manus, plus minus, in cute apparere, quæ quasi igneæ conspiciebantur, & hic illic exilibus pustulis, instar milii seminis, interspersæ erant. Hæ maculæ unius diei spatio coierunt, & per totum corpus extensæ fuerunt, ita ut totum ruberrimo floridо colore excandesceret. Interea febris & symptomata euaserunt mitiora. Triduo post, generalis illa totius rubedo imminuta fuit, & maculæ ad priorem inuasionis statum redierunt, atque exinde intra tres dies penitus euanuerunt, & sic æger, decidente per squamulas totius corporis cuticula, sanitati restitutus fuit.

HIc affectus, quem Forestus *purpuram*, & *rubores* nominat, morbillis finitimus est, & curatione ab iis non distat: at subiectum cui vitiosum eius inquinamentum, inhæret, feruidius est, quam subiectum morbillorum, verum æque facile discutitur, neque exiles pustulæ suppurantur, sed à calore dissipantur.

OBSERVATIONES ET CVRATIONES MEDICÆ.

OBSERVATIO I.

Peripneumonia.

DOminus La Fontaine, nobilis Gallus, vir circiter 30 annorum, plethoricus, vini non copiosi, sed meracioris amans, 10 Nouembris cubitum iturus, de anhelitus difficultate cœpit conqueri, sine ullo tamen in pectore dolore: paulo post rubor faciem, imprimis malas prehendit, oculi quoque tumidi & inflammati apparuere. Illa spirandi difficultas intra duas horas tam opere adaucta fuit, ut vix amplius anhelitum trahere potuerit, sed iam suffocationem metueret. Quapropter media circiter nocte me per famulum excitari iussit, se iam iam moriturum inquiens, nisi præsenti aliquo remedio succurrerem. Ego tam ex rubore faciei, spatisque paucis, spumosis & floridis, quam ex maxima spirandi difficultate, quæ erat sine dolore, cum aliqua in pectore grauitate, iudicaui affectum hunc peripneumoniam esse, eoque magis, cum ex pulsu etiam febrem vehementem adesse perciperem. Quapropter statim è basilica dextri brachii sanguinis libram extrahere iussi: a qua venæsectione magnum leuamen sentit. Pro potu quam sitiebat

sitiebat valde) dedi ptisanam, ex solo hordeo mundato & pauco glycyrrizæ cum aqua cocta. Interea sequens enema parabatur, quod hora sexta matutina iniectum fuit.

℞. *decocti emollientis unc. x. electr. diacatholici, diaphanici, ana unc. i.*
salis communis drach. i. olei violacei unc. ii.
misce, fiat enema.

Hinc bis satis multa deiecit. Cum verò anhelitus difficultas adhuc valde grauis esset; circa horam decimam è brachio sinistro sanguinis libram extraximus. Sanguis mediocriter bonus apparebat, præterquam quod in superficie spumam flauescentem satis multam haberet. Deinde præter ptisanam aliquoties de die etiam huius apozematis haustum bibit.

℞. *hordei mundati drach. vi. glycyrrizæ rasæ drach. j. ſ.*
herb. endiuiæ, acetosæ ana m. j. violariæ m. ij.
flor. papaueris rheados pug. ij. sem. 4. frig. maior.
lactucæ, ana drach. ij.
passul. corinth. unc. ij. aquæ communis q. ſ.
coquatur S. art. ad lib. ij. in colatura dissoluantur
syrupi papaueris rheados, violacei, de limonibus, ana unc. i.
misce, fiat apozema.

Pro nutrimento iuscula cum cheræfolio, endiuia, hordeo mundato, & simsibus cocta præscripsi. Postridie, cum æger plura clysmata admittere nollet, medicamentum laxans exhibui, à quo alvum quater magno cum leuamine deposuit. Interea anhelitus multo facilior, febris quoque mitior euasit. Prædictum apozema sequentibus diebus quinquies reiteratum fuit. Die morbi septima copiosissimo spontaneo sudore profluxit, atque ita morbo criticè soluto, febris cum anhelitus difficultate cessauit, & æger paulatim pristinæ sanitati restitutus fuit.

Annotatio.

GAlenus 4 de loc. affect. cap. 9. inquit: *Quando cum spirandi difficultate, cui angustia & grauitas comunicta est, acuta quoque febris inciderit, is affectus inflammatio pulmonis est.* Hæc autem inflammatio modo per se oritur, modo anginæ vel pleuritidi succedit, dum è faucibus, aut è latere humor κατὰ μετάστασιν repentè in pulmones defertur. Vnde Hippocrates, *A morbo laterali inflammatio pulmonis, malum.* Periculosum enim est, morbum acutum alteri acuto superuenire, vel eundem sequi. Quæ verò peripneumonia non ex alio morbo, sed ex sese primam ducit originem, fit ex tenui bilioso que sanguine copia matore in substantiam pulmonis excusso, quam circulari potest, atque ibidem inflammato. Hanc peripneumoniam minus frequentem esse tradit Cornelius. Multo quoque rarior est pleuritide, à qua differt, quod ille morbus cum acutissimo, pulmonia verò cum exiguo & grauativo dolore inuadat, propterea quod ille membranam pleuram exquisitò sensu præditam, hæc verò ipsum pulmonem obtusò sensu donatum inflammet ac distendat. In reliquis, nempe febri acuta, difficili respiratione, aliisque variis signis, ut & causa mali ac curatione fere conueniunt. Præter dictam peripneumoniam alia frequentior datur, quæ à priore tum symptomatum magnitudine, tunc causâ multum differt, utpote inducta, vel à pituita in pulmone coacervata ac tandem putrescente; vel à tenui & acri multaque distillatione, confertim è cerebro in pulmones, illapsa, atque ibidem ardore præter naturam excandescente, ac febrem inducente, ægrosque tussi, spirandi difficultate, & lentâ febre sensim conficiente, sine cruenta expuitione.

Peripneumonia acutum malum est, quod (teste Celso lib. 4. cap. 7.) plus periculi, quam doloris habet.

Hoc autem malum non ſemper totos pulmones, ſed interdum aliquem eorum lobum tantummodo apprehendit, quod in peripneumonici aperto cadauere ſe didiſſe teſtatur Iacotius. Sic etiam Ioubertus de affect. thorac. cap. 7. inquit: *In pulmonia non eſt neceſſe totum pulmonem inflammari, quin ſæpiſſime unus aut alter lobus tantum id patitur, ut infinitorum cadaverum apertio nos docuit.* Illud ipſum Hippocrates etiam clariſſime ſcripſit in Coac. prænot. ubi ex ſignis mali differentias cognoſcere docet, his verbis: *In pulmonis inflammatione ſi lingua tota alba fiat aſpera, ambæ pulmonis partes inflammatione vexantur: quibus verò dimidiata lingua, qua parte id apparet, inflammatio affligit. At quibus quidem ad unam clauiculam dolor ſubit, iis una ſuperior pulmonis ala laborat: quibus verò ad ambas clauiculas dolor extenditur, ambæ ſuperiores pulmonis alæ laborant: quibus ad mediam coſtam, media: quibus verò ad quam partem pulmo extenditur dolor permeat, inferna ala laborat: quibus una tota pars laborat, quæ ei parti reſpondent omnia ægrotant. &c.*

Veræ peripneumoniæ, præter alia, certiſſimum & proprium ſignum eſt, maxillarum rubor (teſtibus Gal. 1. de loc. affect. Paulo Ægineta lib. 3. cap. 30. Auicenna lib. 3. fen. 10. tract. 4. cap. 11.) cum acuta febri & anhelitus tumana difficultate, nullum vel exiguum dolorem grauativum coniunctum habente. Quæ omnia cum in prædicto noſtro ægro apparerent manifeſtiſſimè, non erat de ipſo morbo dubium: qui morbus ſeptima die cum magno ſpontaneo ſudore diſparuit, quemadmodum in vera peripneumonia illud plerumque fieri notauit Foreſtus lib. 16. in ſcholio obſeruat. 16. Quamvis etiam (teſte Ætio) in iunioribus non raro per copioſam narium aut menſtruorum hæmorrhagiam ſalubriter finiri ſoleat: quod tamen video negare Io. Riolanum partic. method. med. ſect. 2. cap. 2.

Gregorius Horſtius lib. 3. obſeruat. 7. peripneumoniam ſeptimo die fluxu critico ſolutam fuiſſe obſeruauit: quod tamen à ratione alienum videtur, cum alui fluxus, ſecundum Hip. 6. aphoriſ. 16. huic morbo damnoſus exiſtat, utpote quo materia morbifica in thorace contenta nequit euacuari, cum à viſceribus thoraci inclusis non detur via ad inteſtina. Dicendum naturam interdum occultas, nobis ignotas, ſibi quærere vias, per quas noxiam atque moleſtam ſaburram euacuat (ut cum in empyemate pus thoracis euacuatur per urinas) atque illud etiã in peripneumonia fieri & materiam ad inteſtina interdum deferri poſſe, licet id rarius contingat.

Huius morbi curatio pleuritidis curationi ſimillima eſt, atque in ea primas partes tenet venæſectio, aliquoties pro virium & morbi magnitudine repetita, adiunctis deinde lenientibus, aut clyſteribus, aliiſque tum expectorantibus, tum febris calorem extinguentibus medicamẽtis. Feſtinanda autem eſt curatio, nam niſi huic malo citius occurratur, breui vel ſuffocat ægrũ, vel in empyema aut phthiſim abit, pulmonum enim ſubſtantiam corrumpere ſolet. Sic Iacotius refert ſe aperuiſſe cadauer pulmonia occiſum, cuius pars pulmonis ſuperior in gangræna abierat. Riuerius quoque cent. 1. obſeruat. 60. aperto cadauere mulieris hoc morbo extinctæ, uniuerſam pulmonis ſubſtantiam materia purulenta refertam, & mediaſtinum ſero ſanguineo plenum inuenit.

OBSERVATIO II.

Odontalgia.

Filia N. de intolerabili dentium dolore conquerebatur, qui per aliquot menſes continuos durauerat, nec ullis topicis aliiſque aſſumptis medicamentis diſpelli potuerat. Conſului ut per aliquot dies cubitum iturã, deglutiret duas pilulas, piſi magnitudinis, ex ſola aloe lucida confectas, nec quicquam ſuperbiberet. Hoc cum ter quaterve feciſſet, dolor ceſſauit, neque deinceps redit.

Inter-

Interdum orificium ventriculi superius viscosis ac frigidis, vel biliosis humoribus obsitum odontalgiæ causa existit, partim propter magnum illius consensum cum cerebro per nervum sextæ coniugationis; partim quod tunc nimia humiditate laxum nec satis occlusum multos crudos frigidosque vel biliosos & acres vapores, ad cerebrum transmittat. In tali casu frigidi illi ac viscosi & biliosi humores optime inde exturbantur, vel vomitoriis vehementioribus, vel medicamentis detergentibus amaris, diutius loco affecto adhærentibus: atque ea de causa pilulas ex aloe siccas sine potu vesperi post cænam deglutire iussi, ut hoc pacto œsophago immorantes, in eoque liquefactæ, diutius orificio ventriculis adhærerent: idque melius detergerent: quæ enim ieiuno stomacho bibuntur medicamenta, ad fundum ventriculi statim subsidunt, atque in eiusdem orificii superioris affectibus minus prosunt. Sic quoque Auicenna lib. 5. canon. tit. de pil. aggregat. catapotia caput expurgantia, noctu à cœna, interposita hora una aut altera, exhibere consulit.

OBSERVATIO III.

Febris Pestilentialis.

Mercator quidam Gallus, ad diuersorium accessit, qui, cum non satis bene valeret, statim cubitum properabat, existimans se ex longi itineris molestia illam mutationem subiisse. Postridie autem malo ingraueſcente, rogauit me hospita ut ipsum inuiserem, & anne peste (quæ multa loca inuaserat) infectus esset, diligenter animadueterem. Valde debilis erat, cum pulsu paruo, crebro & inæquali: febris non tam calore (qui admodum vehemens non erat) quam malignitate offendere videbatur. Intellexi etiã ex ægro ipsum pridie ante aduentum male valuisse, atque hunc esse tertium morbi diem. Cum autem nec bubones, nec carbunculos aliave pestis indicia usquam animaduerterem, illum non tam vera peste, quam pestilenti febre laborare iudicaui. Curationem statim à venæsectione auspicatus sum, qua (enemate aluo prius subducta) sanguinis circiter unc. xv. vel xvi è mediana dextri brachii extractæ sunt, qui sanguis (quod mirum) maxima ex parte albicabat, ita ut vix sanguis esse videretur; cum refrigeratus esset, qui prior effluxerat, instar lactis, totus mucilaginis modo coagulabatur, ac virescentis coloris erat, in eoque tantum pauciſſimi rubri grumi in fundo reperiebantur: qui posterior effluxerat, etiam magna ex parte ex albo virescebat, sed inferius aliquantum obscurè rubri sanguinis deponebat, qui vix coagulabatur: Magnum leuamen hæc venæsectio induxit. Interea pro potu dedi ptisanam, cui cortices citri & fructus tamarindorum incocta erant. Propter magnam sanguinis corruptionem postridie venæsectionem repetendam esse dixi; quo audito æger anxietatis (qua valde premebatur) impatiens, obnixe rogauit, ut eadem die illud fieri curarem. Ipso igitur sic petente (nam sanguinis missionem Galli fortiter ferunt) circa vesperam eiusdem diei ex altero brachio adhuc sanguinis circiter libram extraximus: qui prior effluebat, etiam valde albicabat, posterior ruber erat. Reficiebantur vires iusculo pulli cum acetosa & malo citreo cocto. Sequenti tota nocte admodum anxius, debilis, & inquietus fuit, ita ut ipsum morituram putarent astantes. Verum Natura tanto iam onere leuata, quod reliquum erat malignitatis, postridie (qui erat morbi dies quartus) fortiter & feliciter expulit per sudorem criticum spontaneum, quo æger circa meridiem vehementer profluxit, simulque rubicundæ pustulæ, paruæ instar milii seminis, immensa copia undique proruperunt, ita ut à capite usque ad calcem totius corporis cutis iisdem arctissime contecta foret. Hac felici crisi febris plane disparuit, & æger deinceps se iusculis reficiens, ac

ptisanam pro potu sumens, intra paucos dies pristinam valetudinem & vires deperditas recuperauit. Totius autem corporis cuticulam mutauit, priore per exiguas squammulas nõ sine magno prurita decidente.

MAgna sine dubio malignitas tantam humorum corruptionem induxisse debuit, qua sanguis tam breui tempore adeo immutatus fuit, ut amisso colore naturali rubro iam albus euaderet. Huiusmodi sanguinem ex ipsa vena primo instar lactis albicantem, postea leuiter rubrum prosilientem, adhuc semel mihi videre contigit Bellouaci, in agro simili maligna febre laborante, qui sanguis tunc temporis cum summa admiratione plurimis spectandus offerebatur. Huiusmodi autem febres malignæ seu pestilentes in plurimis Galliæ partibus eo tempore ferociter dominabantur, & ab aeris communi ac graui infectione excitabãtur: quarum naturam & curationem vide paulo infernus obs. 24. ubi historiam omnino similis febris quæ nostrates inuasit, describemus latius.

OBSERVATIO IV.

Gonorrhœa.

IOannes de Laurier, mercator Pictauiensis, viduus, circiter sexagenarius, mense Iunio meum consilium petiit ad Gonorrhœam, qua iam per aliquot menses laborabat, cui & lumborum grauis dolor aderat. Examinato casu, ex variis indiciis percepi nullam adesse virulentiam, sed tantum a violentiore veneris usu, debilitatis vasis seminariis, malum esse contractum. Quapropter diætam modice calefacientem ac siccantem, cibos euchymos & multi nutrimenti, assos potius quam elixos, vini rubri meracioris modicum potum, aliaque nutrientia & corroborantia præscripsi. Deinde corpore cathartico mitiore bis expurgato, ut viscosæ cruditates è seminariis viis, ante aliorum medicamentorum usum, prius exturbarentur, singulis matutinis temporibus, & à prandio circa horam quintam salis prunellæ *scrup.* ij. s. cum haustu vini rubri exhibui, unde urina copiosior profluxit. Cum autem illud per octiduum continuasset, sanatus fuit, nec aliis medicamentis, quibus postea uti decreueram, opus habuit. Lumbos his diebus manè & vesperi inunxerat hoc unguẽto:

℞. *unguenti Martiati drach.* vj. *olei vulpini unc.* ß.
olei terebinthina drach. ij. *olei nucis moscatæ expressi drach.* j.
misce fiat unguentum.

GOnorrhœa, secundum Galenum, Paulum, Aetium, & alios, est inuita & præter voluntatem seminis excretio. Huius alii duas, alii tres, nos verò quatuor differentias statuimus.

Prima fit ob feruorem renum ac seminis copiam, & pollutio appellatur: fit cum aliqua voluptate & coitus erectione, in quo ab aliis gonorrhœis differt, quod horum neutrum aliis adsit: curatur autem sanguinis missione, tenui diæta, alimentis ac medicamentis refrigerantibus, exsiccantibus & leniter astringentibus. Huius gonorrhœæ exempla & curationes describit Forestus *lib.* 16. *obseruat.* 11. & 17.

Secunda fit ob malorum vel corruptorum humorum & phlegmatis à cerebro, hepate, aliove viscere ad vasa spermatica alluvionem, quorum inde laditur retentrix facultas, & sic illi humores una cum semine putidi effluunt. Hæc ut viris rarior, sic fœminis admodum frequens & difficilis curationis existit, nec sanari potest, nisi prius sublato vitio illius visceris, quod huiusmodi humores eò transmittit.

Tertia fit à nimio Veneris usu, quo nimis delassatæ & exhaustę partes spermaticę refrigerantur, flaccescunt, crudoque ac frigidos humores colligunt, unde debilitata earum coctrix

&

& retentrix facultas materiã seminalem nec satis coquere, nec retinere valet. Hanc facile incurrunt seniores Veneri minus assueti, qui huius oblectamenti occasionẽ rariorem nacti, omnes neruos isti agriculturæ tam strenuè intendunt, ut totius corporis vires debilitent, & destructo partium seminalium robore, postea talem gonorrhœam cum lumborum imbecillitate incurrant. Hæc curatur alimentis & medicamentis corroborantibus, calefacientibus ac leniter astringentibus, quibus tamen omnibus detergentia quædam & diuretica necessariò præmittenda sunt, ut urinariæ ac seminariæ viæ à crudis viscidis ac frigidis humoribus, ibidem coacervatis, primò bene liberentur, quo facto deinde curatio facilius succedit, ut apparuit in prædicto nostro ægro tali gonorrhœa laborante.

Quarta, quam fœdam virulentamque appellant, è congressu cum lue venerea infectis contrahitur, cuius luis sæpe prodromus, sæpe fidelis comes existit, utpote eandem cum lue causam agnoscens, non nisi curata prius lue tutò & bene sanari potest. In hac virus album & subcitrinum malè olens è vasis seminariis sine sensu distillat, ac non raro penis cannam excedit, unde tunc dolores in colis tentigine & mictione, ulcera quoque & caruncvlæ in meatu urinario nascuntur. Si autem virulentus ille fluor præter rationem supprimatur, plerumque abscessus colligit, vel circa testiculos, qui inde valde intumescunt, vel circa vesiculas seminarias, unde bubones venerei. Multoties etiam virus introrsum ascendens, & hepar aliaque viscera inficiens toti corpori venereum luem citissime communicat.

OBSERVATIO V.

Ambustio.

VIggerdus Simonis, super luculentum ignem in cacabo bonam resinæ quanticatem liquefaciebat, eaque, cum nimis efferuescceret, forte flammam concepit: hanc extinguere, & puluinari cacabum obturare volens, improuidus nimis ambas manus resinæ liquefactæ bullienti & iam incensæ totas immersit, easque vehementer combussit: illud ipsum uxori, eandem flammam etiam extinguere volenti euenit: tandem flamma extincta, de immenso manuum ex ambustione dolore uterque grauiter conquerebatur. Præsentaneum hic remedium necessarium erat, cumque nihil ad manus haberemus, forte venit mihi in mentem atramenti scriptorii, quod paulo ante ad meos usus ipsemet confeceram, cuius integrum cantharum plenum in museo habebam: illud in ollam effudi, eique manus suas ambo immergebant, atque ita aliquamdiu lauabant & fouebant; quod cum per semi horæ spatium fecissent, omnino cessarunt ardor & dolor, nullis vesiculis prodeuntibus, nec ullum ex tam vehementi ambustione incommodum retinuerunt.

OBSERVATIO VI.

Palpebræ occlusio à Vulnere.

IVvencula quædam rustica ex alto ceciderat, atque à casu isto magnum vulnus in supercilio dextro receperat, interiore nempe parte versus oculum, quo vulnere os cranii denudatum conspiciebatur; & supercilio tranuersim præcisopalpebra superior supra inferiorem propendebat. Chirurgus quidam vulnus, quam citissimè curauerat, sed post sanationem nunquam ipsam palpebram superiorem eleuare, oculumque aperire potuit, quod tamen facile digito admoto faciebat. Multa ad huius mali subiationem à variis chirurgis

(qui

(qui singuli perfectam sanationem promiserant) adhibita fuerant topica; quibus omnibus nihil proficientibus, tandem post aliquot menses meum auxilium petitum fuit. Cum loci m affectum inspexissem, vidi malum esse incurabile, ac proinde consului ne quicquam amplius imponerent, Ipsa nih lominus aliorum consilio, qui magnam spem dabant) per totum fere annum modo hæc, modò illa applicuit, quibus omnibus nihil proficientibus, tandem desiit.

PRæcisus hic erat palpebræ musculus rectus, quo palpebra eleuatur. Adhæc iciolus chirurgus in principio labia vulneris ad se inuicem non satis adduxerat, hinc postea cicatrice crassa inducta, non potuit musculus ille officio suo amplius fungi, quod malum omnino incurabile esse, nemo non facile iudicare poterit anatomiæ peritus.

OBSERVATIO VII.

Dysuria.

FIliolus Ioannis N. famuli Domini Dolre, puellus quinque annorum, per aliquot menses urinam cum summo dolore difficulter & miserrime reddiderat, quę inter mingendum etiam sæpe supprimebatur, Parentes modò chirurgorum, modo anicularum, modo circumforaneorum consilio varia exhibuerant & foris applicauerant, quibus omnibus nihil proficientibus, tandem mense decembri meum consilium imploratum fuit. Ego, corpore cum puluere diacarthami & syrupo de cichoreo cum rheo leniter expurgato, sequentis apozematis sæpius de die haustum exhibere iussi, quod puer doloris impatiens satis auide bibit:

℞. *radicum ononidis, eryngy, glycyrrizæ rasæ, ana unc. ſ.*
florum chamomillæ m. ij.
sem. urticæ, apij, anisi, ana drach. ij.
ficuum ping. n. vij. lactis dulcis, aquæ communis, ana lib. ij.
coquantur ſ. art. ad tertiæ partis consumptionem, deinde colentur.

Cum per biduum hoc apozemate usus fuisset, multam viscidam & valde tenacem pituitam una cum urina quotidie excreuit, eoque decocto adhuc bis reiterato, à molesto illimo hoc affectu in totum fuit liberatus.

DYsuria seu urinæ difficultas varias causas habet, inflammationem, abscessum, vesicæ calculum, hypostasim, frigidam vesicæ & sphincteris intemperiem, crassos & viscidos humores, vel urinæ permistos, vel vesicæ eiusque sphincteri pertinaciter adhærentes, aliaque similes; inter quas tamen frequentiores sunt duæ posteriores. Omnes autem singulatim non tantum difficilem reddunt mictionem, verum etiã urinam interdum planè supprimunt, ut nonnunquam etiam contigit prædicto puerulo; quẽ illi, qui calculos secant, etiam viderant, eumque calculo laborare, ac sectionem necessario quamprimum instituendam esse iudicauerant. Ego autem non à calculo, sed à crassa ac tenaci pituita vesicam eiusque exitum obsidente illud malum oriri iudicans (quemadmodum id pueris iunioribus sæpe contingere animaduerti) malui per medicamenta attenuantia, lenientia & diuretica curationem auspicari, cum talibus etiam calculi minores non raro expellantur. In hoc autem casu in puerulis, quibus ingrata medicamenta exhiberi nequeunt, solos flores chamomillæ cum ficubus in lacte dulci decoctos, sæpe magnum subsidium attulisse obseruaui, præcipue si statim post factam coctionem & colaturam

laturam, illi flores ita calidi etiam admoueantur pectini, decoctione interea pro potu exhibita. Foreſtus in ſimili caſu ſummopere laudat parietariam & cherefolium cocta, & cum butyro atque oleo ſcorpionum calide pectini admota, idque experimentum etiam in adultis raro fefelliſſe ſcribit *lib.* 25. *obſ.* 8. Kuſnerus ſolam parietariam in ſartagine cum oleo aſſatam commendat. Mercurialis allium contuſum & veſicæ impoſitum mirifice laudat. Amatus Luſitanus cæpam excauatam, oleo anethi impletam atque ſub cineribus coctam, piſtatam, & impoſitam magni facit.

OBSERVATIO VIII.

Menſtruorum Suppreſſio.

IOanna Elberti, iuvencula robuſta annorum circiter 24. menſe Ianuario conquerebatur menſtruas purgationes per quatuor menſes ſuppreſſas fuiſſe, atque hinc ſe iam peſſimè valere, ſiniſtri lateris ac capitis doloribus valde torqueri, ſuffocationibus interdum vexari, appetitum valde deiectum eſſe. Diæta prius attenuante & ealefaciente inſtituta, atque etiam prohibitis omnibus iis quæ frigidos, craſſos ac viſcoſos ſuccos generant, 6. Ianuarii corpus expurgaui cum electuario hieræ picræ. Deinde hoc apozema præſcripſi, de quo ter die hauſtum aſſumpſit:

Rec. *radicum leuiſtici, oſtrutij, fœniculi, petroſelini, valerianæ, ana unc. ſ.*
ligni ſaſſefras drach. iij.
herb. nepetæ, artemiſiæ, pulegij, menthæ albæ, matricariæ, ana M. j.
flor. chamomillæ, m. ſ.
ſem. leuiſtici, dauci, nigellæ, ana drach. ij.
bacc. lauri drach. j. ſ. tartari rhenani drach. vj.
paſſul. enuc. unc. ij. aquæ communis q. ſ.
fiat ſ. art. apozema ad lib. ij.

11. Ianuarij rurſus purgans exhibitum eſt, ex infuſione foliorum ſenæ & agarici, cui admixta fuit hiere picra. Poſtridie aliud apozema ſequenti modo confectum fuit quo utebatur ut priore.

Rec. *radic. oſtrutii, unc. j.*
helenii, valerianæ, apii, ana unc. ſ.
dictamni, ariſtolochiæ rotundæ, ana drach. iij.
herb. artemiſiæ, nepetæ, ſabinæ, matricariæ, rutæ, pulegii, ana m. j.
abrotani, flor. chamomillæ, ana m. ſ.
ſem. apii, nigellæ, leuiſtici, dauci, ana drach. j. ſ.
cicerum rubr. unc. j. ſ. aquæ communis & uini albi, ana part. æq.
fiat ſ. art. apozema ad lib. ij.

14. Ianuarii hoc etiam electuarium dedi, de quo ante hauſtum dicti apozematis ſumeret particulam magnitudinis auellanæ.

Rec. *ſpecierum diacurcumæ, cremoris tartari, trochiſcorum de myrrha, millepedum præparat. chalybis præpar. ana drach. j.*

Semin.

semin. apii, nepethæ, boracis venet. ana drach. ſ.
ſalis prunellæ, croci orient. ana ſcrup. i.
fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, cui adde
olei iuniperi, ſuccini, ana ſcrup. j.
aniſi, gut. vii. elect. hieræ picræ, unc. ſ.
ſyrupi conſervationis radic. helenii, q. ſ.
fiat ſ. art. electuarium.

Præterea cum etiam duritiem aliquam in inferiore ventre circa umbilicum ſentiret, tale ceratum imponendum præſcripſi.

Rec. *gummi opoponacis, Galbani aceto diſſolut. emplaſtri de cumino, de meliloto, ana drach. ij. caſtorii pulveriſati, drach. j.*
miſceantur & fiat magdaleum, de quo extende q. ſ. in corio rubro.

19 Ianuarii ſecta fuit ſaphæna ſiniſtri pedis, e qua ſanguis mediocriter effluxit. Etiam reiteratum fuit ultimum apozema, quo deinceps una cum electuario utebatur uſque ad 28 Ianuarii, quo tempore menſes ſatis magna quantitate fluere cæperunt, atque ægra poſtmodum bene valuit.

GRauiſſimorum malorum ſæpe cauſa exiſtit longa menſtruorũ ſuppreſſio, hinc enim præfocationes uterinæ & virginum decolorationes magna ex parte oriuntur, hinc cordis palpitationes, vertigines, articulorum, capitis, dorſi, lumborumque graues dolores, febres, ſyncope, tuſſes, difficiles reſpirationes, dolores quaſi colici nephritici que, ac denique malo nimis diu perdurante, etiam melancolicæ paſſiones, viſcerum tumores, & hydropes procedunt. Qua propter non eſt diu differenda curatio, verum citus inſtituenda, nam quo diutius menſes ſubſiſtunt tanto difficilius reuocantur. Huius autem morbi cauſa procedit ab anguſtia vaſorum uteri (non agimus hic de iis quibus non obſtruuntur, ſed deficiunt menſtrua, ut grauidis ratione nutritionis fœtus, lactantibus ratione diuerſionis ſanguinis ad mammas, ægrotantibus, valde emaciatis aut vetulis, ratione defectus ſanguinis) quæ rurſus varias cauſas habet, obſtructionem, conſtipationem, coalescentiam, compreſſionem & ſubſidentiam. Omnium autem frequentiſſima cauſa eſt obſtructio ab humoribus craſſis & viſcidis; quæ craſſities & viſciditas vel eſt in ipſo ſanguine, quando is frigidus nimis aut viſcidus generatur; vel ſanguini bono humores excrementitii pituitoſi aut melancolici permiſcentur, qui poſtea cum ſanguine ad uteri venas delati, eaſdem obſtruunt. Hæc autem obſtructio humorumque viſciditas, prout maior vel minor, diuturnior vel breuior fuerit, etiam curatio facilius vel difficilius, medicamentis imitioribus vel fortioribus peragitur. In noſtra autem ægra fortioribus uti neceſſe fuit, tam ratione anni temporis frigidiſſimi, quam magnæ obſtructionis: fructus enim horarios crudos, nec non cibos craſſos & viſcidi ac frigidi nutrimenti edere conſueta erat, unde magnam humorum craſſorum ac crudorum copiam accumulauerat.

OBSERVATIO IX.

Raucedo incurabilis.

RVſticus Hollandus in conflictu quodam aurigarum vulnus cultro inflictum recepit in colli latus dextrum circa iugulum. Vulnus a chirurgo cito curatum fuerat. Poſt aliquot deinde menſes ad me venit, rogans ut ipſi aliquod medicamentum præſcriberem pro maxima ſua raucedine, qua ſtatim ab accepto vulnere laborare cœpiſſet, &

& quam medicus ille, qui ipsum cum chirurgo tractauerat, nullis linctibus, tabellis, decoctionibus, aliisque medicamentis dispellere potuisset. Vox homini adeo exilis & rauca erat, ut vix, quid diceret, intelligi posset. Ego e vulneris loco animaduerti nervum recurrentem transuersim præcisum fuisse, per quem vocis efformandæ virtus defertur, hincque dimidiam vocalitatem deficere, quod malum cum nullis remediis restaurari posset, ægrum pro incurabili dimisi.

VOcis efformandæ virtutem deferunt nerui vocales, Galeno recurrentes dicti, à sexta coniugatione orti, & guttur perreptantes ad laryngem delati. Harum admirandam in vocis efformatione virtutem magno encomio decantat Galenus *lib. 7. de usu part. cap. 4. 13. & 16. & lib. 3. de loc. affect. cap. 7.* Horum nervorum curiosam demonstrationem exhibent Andreas Laurentius *lib. 4. anatom. cap. 17.* Realdus Columbus *anatom. lib. 8. cap. 2. & lib. 14.* de sectione viua. Caiparus Bauhinus *theat. anatom. lib. 2 cap. 19.* His neruis præcisis aphonum reddi tur animal, altero tantum præciso, semi vocale. In dicto rustico ab uno latere tantum præcisus fuit, atque hinc semiuocalis euasit; si in altero latere etiam præcisus fuisset, totus aphonus remansisset. Columbus loco citato in sectione viui canis huius nerui miram vim ad vocis efformationem eleganter demonstrauit. Omnium primus horum nervorum usum no ũ fecit Galenus, qui eundem tali historia confirmat *lib. 5. de usu part. cap. 6. Cum ex ceruice quidem chœradas* (id est strumas) *in profundo incumbentes excideret; unguibus eas euellens, imprudens ob ignorantiam simul neruos recurrentes distraxit, atque hoc pacto puerum liberauit a strumis, sed mutum reliquit. Quidam alius in alio puero sectionem faciens, ipsum similiter semimutum reddidit, læso videlicet altero duntaxat neruo. Mirabantur vero omnes, quo pacto neque aspera arteria, neque gutture affecto, vocem læsi contingeret, qui cum vocales neruos, me ostendente, conspicerent, mirari desierunt. Quibus igitur partibus vel materiæ, vel facultatis copia non transmittitur, actionem læsi probabiliter dixeris, parte ipsam faciente nequaquam læsa.* Similem historiam de scrophulis male incisis habet Auicenna 3. 4. *tract. 2. cap. 10. Homo quidam* (inquit) *errauit, cum perforaret quasdam scrophulas, & obmauit ramo neruorum reuersiuorum, quare destructa est vox.* Item 10. 3. tract. 2. cap. 1. *Fuit alius qui cum curaretur à scrophulis, incisus est ei unus duorum neruorum reuersiuorum, quare abscissa est medietas vocis.* Huiusmodi historiam etiam refert Amatus Lusitanus *cent. 2. curat. 70.* mulieris strumam in collo habentis, cui chirurgus ad resecandas radices sublimatũ indidit, cuius acrimonia alter recurrentium neruorum corrosus, & vox ex toto fere amissa fuit. Verum non tantum huius nerui dissectio, sed etiam refrigeratio vocem corrumpere solet, quod Galenus citato loco confirmat hac historia: *Equidem vocem vitiatam fuisse memini, adeo ut pene perderetur infrigidatis vehementer, neruis recurrentibus, cum per hyemem cervix fuisset incisa, quod cum intelligerem, calorificis remediis naturalem temperaturam neruis restituens, vocem reuocaui.* Auicenna 10. 3. tract. 2. cap. 1. similem habet historiam: *Homo cuius nerno reuersiuo accidit frigus, cum esset necessarium ut disco operiretur cum ferro, quare destructa est vox eius.* Gentilis in com. affirmat aliquod apostema in ea parte fuisse, quod debuit secari & expurgari; secto igitur apostemate & nudato nervo recurrente, cum præcipue ob hyemem valde frigidus esset aer, frigida intemperies in eo est introducta, indeque vocis vitium enenit. De vocis usu ac natura, & aphoniæ generatione legi poterunt, Aristoteles *de anima quæst. 3. art. 1.* Vitus Vidius *de curat. membr. cap. 20. Vesalius 7. de fabr cap. 4. ad 8.* Bilciola *lib. 10. hor rar. subc. tom. 1. cap. 22.* Baptista Codronchius *de vocis nat. lib. 1. & 2.* Aquapendens tract. de larynge.

Aaa OBS.

OBSERVATIO X.

Paralysis.

MIrabilem admodum vidimus paralyseos sanationem in Susanna Smicht, mulierem notissima, quæ soror erat æditui templi Montfortensis. Hæc in pueritia sextum agens annum, casu aliquo vehementer perterrefacta, illico incidit in totius corporis, excepto capite, paralysim. Tractata fuit à quibusdam illius temporis medicis & chirurgis, qui affectum, plurimis adhibitis medicamentis eo reduxerant, ut reliquis partibus restitutis, solummodo utrumque crus, à lumbis usque ad pedes, omnino paralyticum remaneret, ita ut deinceps nunquam amplius incedere nec deambulare potuerit. In tali statu miserrimam vitam duxit usque ad annum circiter quadragesimum quartum, quo tempore mirabiliter ab hoc morbo liberata fuit sequenti modo, mense Iunio, media nocte, acerrima ingruit tempestas, cum horribilibus tonitruis & fulminibus, a quibus illa præter consuetudinem gravissimè perterrefacta, ac simul etiam à deplorata ista paralysi subito liberata fuit. Sequenti manè cum omnium admiratione ante ædes suas liberrimè prodeambulabat, gratias agens Deo pro hac inexpectata sanatione. Millia hominum, non ex ipso tantum oppido & vicinis locis, verum etiam è longinquis ciuitatibus accurrunt, ac nemo non miratur miraculosam hanc sanationem. Ab aliis rogata, quomodo hæc curatio peracta fuisset; respondit se à tonitru & fulmine summopere perterrefactam fuisse, Deumque continuò adorasse: durante autem hac tam terribili tempestate, fratrem ædituum forte ad cubiculi sui ianuam (quæ intus occlusa erat) pulsasse, eamque vocasse, quo audito, se per pauimentum more solito proserpere & ianuam aperire voluisse, atque in eum finem duos baculos seu scipiones (nostratibus *kruckes*, Gallis *potentes* appellatas) quos cubitum proserpens semper ante lectum deponebat, quibus aliquo modo adhuc inniti poterat, quæsiuisse, sed eo in loco, ubi ab ipsa depositi fuerant, illos non inuenisse; tunc autem cum hos quæreret, ingens fulmen effulsisse, atque in ista luminis claritate se vidisse baculos illos ad alteram cubiculi partem miraculosè depositos; quapropter se parabat ut per pauimentum super cubitos proserpendo ad scipiones istos perueniret, utpote sine quibus se omnino eleuare non poterat. Cum verò iam pedes è lecto deponere vellet (quo tempore se aliquid vidisse & audiuisse aiebat, quod, quid fuerit, nulli unquam patefacere voluit) se sentisse quod iis insistere posset, atque ita sine ullo adminiculo ad cubiculi ostium accurrisse, idque aperuisse. Hæc illa ipsa nobis aliisque non semel narrauit. Frater autem æditus, qui sororem suam circiter per quadraginta annos adeo paralyticam cognouerat, cum ipsam nunc ostium aperire & alacriter deambulare vidisset, præ timore totus attonitus fere in syncopen incidisset. Postridie & sequentibus diebus dicta Susanna se omnium conspectui publicè exposuit. Ego quoque illam in miserabili illo paralyseos statu a prima pueritia multis annis cognoui ac millies inuisi, atque ipsam postea a tanto malo liberatam per quindecim pluresve annos bene sanam vixisse vidi.

HVius mirabilis curationis posset quidem manifesta dari ratio naturalis, nempe humorem illum à primo terrore nervis impactum, hoc ultimo vehementissimo terrore ab iisdem rursus excussum fuisse. Sed cum ægra se nescio quid nō vidisse & audiuisse affirmet, iudicium

iudicium penes lectorem relinquam: sibi fortassis quippiam imaginata fuit, quod tamen re ipsa nunquam extiterit. Interim huiusmodi improuisas paralyseos curationes etiam alias contigisse auctorum testimoniis constat. Sic Valleriola *lib. 2. obseruat. 4.* refert historiam ciuis Arelatensis, alterius partis resolutione plurimis annis affecti, & omni humana ope destituti, ut quem non operosa medicorum manus, non oportunè adhibita remedia, non cauta victus ratio obseruata, leuare tam diro morbo potuerant, qui tandem domo, in qua degebat, igne iam flagrante, eoque hoc incendii & mortis timore vehementissimè perculso, à deplorato morbo derepentè liberatus fuit, sensu motuque partibus resolutis restituto. Idem auctor ibidem aliam similem enarrat historiam sui consobrini utroque crure sex annis paralytici, qui tandem vehementi ac repentina ira in famulum percitus, à deplorato morbo subitò liberatus fuit, ac reliquam vitam sanam degit. Sic subitæ ac magnæ animi emotiones non tantum paralysim, sed alios quoque morbos curatu difficillimos vel arte incurabiles restituisse vitæ sunt. Testatur Herodotus Crœsi filium, natiuo linguæ ac vocis proferendæ impedimento affectum, cum Persidem quendam in Crœsum patrem irruere velle videret, ira & metu percitum mox vocalem euasisse, & dixisse. Homo ne perimus Crœsum, atque deinceps mutum non fuisse. Ita refert Valleriola loco citato se quartanarium studio in vehementem iram accensum, extemplo curatum vidisse, quum nullis antea medicamentis cessisset morbus.

OBSERVATIO XI.

Hæmorrhagia narium.

CArolus N. ceruisiarius, cum mense Octobri in nuptiis sororis suæ ebrius esset, ac saltaret dissolutius, inter choreas ex improuiso pronus cecidit in faciem. A graui casu vena in naribus disrupta & aperta fuit, hincque sanguis affatim & impetuosè largo ductu effluxit, haud minus quam si mediana brachii incisa fuisset. Oxycratum ceruici & collo circumiectum, naribus quoque & fronti applicatum, atque in nares infusum fuit, ligaturæ extremarum partium etiam iectæ, sed omnia hæc nihil profuerunt. Interea æger, tam à casu & ebrietate, quam ab ingenti sanguinis effluentis copia, animo linquebatur. Cum autem reliqua ista nihil iuvarent, nec chirurgus qui venam secaret ad manus esse, mãtile quadruplicatum aquæ frigidæ immergi iussi ac testibus circumponi; quod cum bis reiteratum esset, præter astantium opinionem hæmorrhagia substitit, æger ad se rediit, & simul etiam cessauit ebrietas.

OBSERVATIO XII.

Impetigo.

SCabie quadam sicca, seu fera impetigine laborabat Cornelius Ioannis, cum crustis siccis ac squamulis in cute, & pruritu intolerabili, quo maximè noctu, cum in lecto incalesceret, diu excabatur. Crustis autem ob pruritum unguibus scalpendo abrasis, subiacens cutis paucissimum eleuata, rubra valde sicca & aspera conspiciebatur, quæ paulo post rursus similes crustas seu squammas acquirebat. Vulgus ipsum lepra infectum esse putabat. Manum hoc imum ventrem, femora & crura adeo obiederat, ut propter siccas illas crustas seu squamas (horrendum visu) nuda cutis in iis partibus vix vspiam conspiceretur, brachia

& pectus etiam nonnullis in locis infecta erant. Ante biennium ex crisi febris quartanæ (qua mensibus quindecim curationem celeberrimi medici D. Gallii, aliorumque (qui omnes malum á lienis vitio induci existimauerant) consilio plurima tam interna quam externa remedia longo tempore frustra adhibita fuerant, malo non tantum non imminuto, sed magis ingraueſcente. Ego tandem in consilium vocatus, cum hominem robustum toto corpore, excepto hoc solo vitio, bene valere, nec ullum affecti lienis, hepatis, alterius ve visceris signum apparere animaduerterem, iudicaui per illam quartanæ crisin, omnibus noxiis & acrybus ac vitiosis succis è liene ad cutem excussis, lienem integræ sanitati restitutum, cutem verò hac sicca scabie altius infectam fuisse, nec causam huius mali amplius in liene verum in sola cute nunc altius fixam subsistere, eamque sic infectam cutem eadem labe, etiam quotidie succos & humores, in sui nutrimentum eò peruenientes, inficere, atque propterea malum adeo diuturnum esse: eodem modo sicut vas quod situm contraxit, inficit omne quod in illud effunditur vinum, etiam optimum. Iudicii mei veritatem probauit curationis euentus, nam secundum illud, non tam internis, quam topicis medicamentis hoc graue ac diuturnum malum debellare decreui, iisque non lenioribus, sed propter affectus magnitudinem & materiæ pertinaciam fortioribus, cùm multa alia antea ab aliis tentata nihil profuissent. In hunc finem, corpore prius cathartico purgato, Mense Martio hoc fomentum præscripsi, quo loca infecta per quinque sex ve dies quotidie bis tepidè foueret.

Rec. *radicum bryoniæ unc.* iij.
herb. absinthij, plantaginis, marubij albi, pimpinellæ,
centaury minoris, ana M. iij.
foliorum quercus, M. iv. *florum sambuci, M.* ii.
coquantur in aquæ communis q. s. ad lib. x.
addendo sub finem vitrioli Romani, unc. i.
aluminis, unc. i. s. *fiat fomentum.*

Statim post fomentationem, partibus linteo exsiccatis, inunctum est unguentum nostrum ad herpetem. Post sex dies omissa est fomentatio, & continuata sola dicti unguenti inunctio, qua sola intra paucas hebdomadas magna mali pars euanuit. Hoc unguento æger deinde tota æstate usus fuit, usque ad mensem Septembrem, quo tempore propemodum curatus erat exceptis tribus quatuor ve locis hac labe adhuc infectis, imperialis daleri magnitudinis, quæ huius unguenti usu non cedebant, sed nouas identidem squamosas crustas proferebant, quapropter 16 Septembris unguentum sequenti modo præparaui:

Rec. *mercurij viui drach.* i. s. *therebinthinæ, drach.* iij.
bene mixtis adde vitellum unius ou, unguenti populei drach. vj.
ung. nostri ad herpetem unc. i. s.
misce, fiat unguentum.

Ægrius euinci & extirpari potuerunt hæ mali reliquiæ, propterea diutius in huius unguenti (in quo mercurii viui quantitatem postea aliquantum adauxi) usu continuatum etiam antea fomentatio rursus aliquoties adhibita fuit, atque ita hoc fœdum & molestissimum, ab aliis pro desperato habitum, cutis vitium paulatim immigutum & euictum est, usque dum tandem circa finem mensis Nouembris omnino dispareret; ita ut æger reliquæ vitæ tempore ab eodem prorsus immunis fuerit.

Impo-

Impetigo, Græcis *Lichen*, aliis *Serpigo* à serpendo appellata, est cutis asperitas dura cum pustulis siccis & ingenti prurigine, ad vicina serpens & se extendens Galenus in Introductorio duas huius mali statuit species: *Impetiginis* (inquit) *duæ species sunt, quæ cutem molestant: una tolerabilis mitiorque est: altera effera, quæ difficilius tollitur. Squamulæ in his ex cute abscedunt, sub quibus locus rubicundior fereque exulceratus apparet.* Cornelius Celsus, qui nomine *Impetiginis* aliud malum intellexisse videtur, hanc Galeni impetiginem describit sub nomine *Papulæ*, eiusque similiter duas statuit differentias. *Altera* (inquit) *est in qua per minimas pustulas cutis exasperatur, & rubet leuiterque roditur: medium habet paulo leuius, tarde serpit: idque vitium maximè rotundum incipit, eademque ratione in orbem procedit. Altera autem est, quam ἄγριαν, id est, feram Græci appellant, in qua similiter quidem, sed magis cutis exasperatur, ulceraturque, ac vehementius & roditur, & rubet, interdum etiam pilos remittit. Quæ minus rotunda est, difficilius sanescit.* Quãtum ad mali causam, Galenus 5. de comp. med. sec. loc. Actius serm. 8. cap. 16. Ægineta lib. 4. cap. 3. impetiginem generari tradunt ex mixtis quibusdam humoribus, ex serosis nempe, tenuibus & acribus succis cum crassis mixtis. Sed melius nostro iudicio & dilucidius Galenus in Introductorio scribit, hunc affectum gigni à pituita salsa & flauabile, *unde* (inquit) *seu in salsuginum vasis fictilibus, ex cute secedunt squamæ.* Hi autem humores ad cutem transmissi, eandem corrumpunt, ut loquitur Auicenna: *ego addo*, quæ corruptio etiam postea bonis humoribus ad cutem, pro eius nutrimento, delatis, imprimitur, atque eo modo malum diuturnum euadit. Sic etiam mercurialis tom. 3. consult. med. 128 scribit sæpe usu venire, ut sola cutis habitum pravum nacta, totum sui alimentum corrumpat, atque in impura recrementa conuertat. Vt sequenti consult. 129. de tali scabioso agens inquit. *In uniuerso corporis ambitu pravus & (ut ita loquor) scabiosus habitus est insitus, merito cuius, quicquid alimenti etiam optimi ad illum defertur, protinus corrumpitur, atque in tetrum quendam nec non salsum & mordacem succum conuersum, pruritum illum assiduum, ulcuscula, simulque fædam illam á sperita tem inducit.* Huiusmodi autem humores cutem corrumpentes necessariò calidi sunt & salsi, atque hinc procedunt ardor, prurigo, & squamæ. Non tam periculosum quam molestum est hoc vitium, quod si inueteretur tantas radices agit, ut postea vix eradicari possit, imo, teste Galeno, facile in ploram & lepram transeat.

Mitior in principio lenioribus medicamentis sæpe sanatur, ut saliua ieiuna sæpius affricata, butyro tosto inuncto, vel oleo ouorum, tartari aut iuniperino, melle cocto, pice liquida, succo citri, &c. Quæ verò diuturnior & fera est, valentioribus indiget, ut sulphure, minio, lythargirio, cerula, vitriolo, sale fossili, ærugine, calce, alumine, nitro, helleboro albo, &c. quibus adde Mercurium vivum, sublimatum, & præcipitatum, utpote qui Mercurius maligniatem, malo huic comitem, proprietate occulta & manifesta extinguit. Sic Petrus Pachetus in obseruationis Riuerio communicatis, feram impetiginem nullis alijs remedijs curabilem, tandem sequenti unguento sanauit.

Rec. *unguenti rosacei unc.* iij.
præcipitati albi drach. iij.
misce pro unguento.

OBSERVATIO XIII.

Sphacelus crurum à Frigore.

Ebriorum imprudentiam grauia nonnunquam mala sequuntur, quod suo exemplo satis docuit robustus quidam iuvenis. Hic asperrima hyeme, cum intensissimè gelaret, media nocte bene potus domum venit, ac nemine co nante cubiculum suum ingressus, ubi nimia ebrietate obrutus in tabellatum concidit, atque ibidem prostratus, lecti & sui ipsius immemor, obdormiuit usque in sequentem diem. Cum euigilasset, nec pedis

pedes nec crura sentiit. Statim medicum auxilium imploratum èst. In pedibus & cruribus, etiam altissimè scarificatis nullus tactus sensus percipi potuit. Deinde etiam fomentationes calidæ, ex herbis calefacientibus in vino coctis, addito etiam spiritu vini, adhibitæ fuere, sed cum paruo fructu, nam pedes & dimidiata crura infra suras mortua mansere, calore innato frigoris violentia penitus extincto. Per triduum in fomentatione continuatum fuit. Die quarta partes emortuæ nigricare, ac instar cadaueris fœtere cœperunt. Vt æger seruari posset, ad extremum remedium perueniendum erat, nempe extirpationem, qua die sexta utrumque crus paulo infra suram in parte viua extirpatum est, atque eo modo æger, qui d instabat mortis periculum, sine pedibus effugit, nouoque modo postea supra genua ambulare didicit, atque egregia ebrietatis suæ præmia tota vitæ tempore secum tulit.

Simile exemplum etiam vidi Nouiomagi, anno 1636, in Dano quodam milite, qui cum frigidissimo tempore ebrius super scamno tota nocte obdormiuisset, manè expergefactus pedes non sentiit; sed fomentationibus calefacientibus per biduum adhibitis, calor pedum innatus, qui à frigore fere extinctus fuerat, restitutus est, exceptis pedum digitis, qui ad naturalem constitutionem reduci non potuerunt, sed emortui manentes, etiam putrescentes, à chirurgo omnes amputati fuerunt. Consultos igitur velim omnes potatores, ne tam imprudenter hyberno tempore somnum capescant, nisi prius se loco calido depositerint, & contra iniurias aeris bene muniuerint, ne somno vinoque sepulti, ob inimicum frigus tandem etiam terra sepeliantur.

OBSERVATIO XIV.

Obstructio lienis.

CAtharina N. mulier annorum quadraginta quatuor; toto anno lienis obstructione laborauerat; flatus in lienis regione obaudiebantur, eiusdem lateris, ob visceris ac vicinarum partium magnam distentionem, summis doloribus torquebatur, ita ut omnino in affectum latus incuruata incederet, tandem autem à continuis cruciatibus instar sceleti emaciata, amplius incedere non posset. Lienem multum intumuisse foris manibus percipi poterat: appetitus quoque deiectus erat. Ad huius morbi curationem mense Martio vocatus, primò corpus cathartico leniore expurgaui: à qua purgatione cum parum leuaminis sequeretur, biduo post sequens apozema præscripsi, quo viæ obstructæ aperiri, & materia morbifica præparari, simulque clementer subduci posset.

Rec. *radicum polypodij querni, taraxici, ana unc. j. fœniculi, beleníj, petroselini, cort. rad. cappar. tamarisci, ana unc. ſ. herbar. melissæ, fumariæ, trifolij palustris, summitatum lupuli, ana m. j. centaurii min. m. ſ. sem. fœniculi drach. ij. prunorum damasc. n. xi. passul. corinth. unc. ij. coquantur ſ. art. in aquæ communis q. ſ. in colatura macerentur per noctem herb. cochleareæ, nasturtij hyemalis, ana m. j. fol. sennæ mundat. unc. ij. semin. anisi drach. vi. fiat apozema ad lib. ij.*

Huius decocti matutinis temporibus haustum bibens, bis terve de die deiiciebat; sed nondum

dum sequebatur expectatum leuamen: quapropter euacuato apozemate rursus purgans medicamentum aliquanto fortius exhibere placuit, quod in hunc modum præscripsi:

Rec. *foliorum sennæ mund. unc. ſ. agarici albi drach. j.*
radic. hellebori nigri drach. ſ. tartari rhenani,
seminis anisi, ana drach. j. aquæ fumariæ q. ſ.
fiat per noctem infusione, addantur colaturæ electu. hieræ picræ,
diaphanici, ana drach. ij. misce, fiat hauſtus.

Hoc assumpto, primo excrementa communia deiecit: paulo post ingentem sentiit in latere sinistro dolorem, qui statim inde ad intestina translatus fuit, quo dolore tantopere debilitabatur, ut aliquoties animo linqueretur: non diu post deorsum excreuit aquam quandam (mirum visu) nigram, fere instar atramenti, tanta copia, ut eadem integræ tres matulæ replerentur ad summum. Hinc maximum sentiit leuamen, & sinistri hypochondrii dolores fere in totum euanuerunt. Quatridno post, illud ipsum purgans iterum exhibitum fuit, à quo rursus magnam aquæ nigricantis copiam deiecit, sed non tantam ut antè, neque etiã hæc erat adeo nigra ut prior, sed non absimilis lixiuio in quo fœminæ nostrates filamenta linea coxere. Post hanc euacuationem valde debilis erat, & tormina in ventre sentiebat, quapropter circa vesperam exhibui Mithridatii Democ. drach. i. cum olei anisi gut. v. in hausto vini calefacti. Post horum medicamentorum usum ægra mediocriter valuit, cumque iam adeo nausearet, ut vel solum medicamenti nomen horrorem incuteret, curationis reliquum usque ad mensem Martium differre coacti fuimus; interea ipsam diætæ conuenienti commisimus. Mense autem Maio rursus tria apozemata bibit, & ter quaterve purgata fuit, etiam electuario usa est, atque ita pristinæ valetudini prorsus restituta fuit.

HVic ægræ biennio antè, ratione ætatis, menstruæ purgationes defecerant, atque ex eo tempore lienis morbo paulatim magis magisque corripi cæperat, atque etiam tota melancolica euaserat. Ita ut credibile sit huius consuetæ euacuationis (qua etiam multa aliorum viscerum excrementa deturbari solent) defectum, fuisse causam accumulationis huius melancolici humoris in liene & vicinis partibus, utpote cui iam deerat consueta euacuationis via per uterum. Hinc non malè Sennertus praxeos lib. 3. *part.* 4. cap. 3. sic inquit: *Ad cumulandos vitiosos in liene humores faciunt consuetæ hæmorrhoidum vel mensium euacuationes suppressæ.* Sic & nos in praxi non semel vidimus post menstruorum detectum mulieres modò hos, modò illos graues morbos incurrisse, propterea nempe quod noxii humores, qui antea una cum menstruo sanguine euacuabantur, tunc intus retinerentur. Quapropter menstruorum purgationibus ob ætatem iam primo deficientibus medicamenta purgantia aliquoties sunt exhibenda, quibus illi excrementitii humores, antea per uterum euacuari consueti, iam protrahantur ad intestina.

Quantum ad nigras deiectiones, profectò mirum est quomodo illi melancolici humores in nostra ægra tanta copia coaceruari, tanto tempore sine maiore noxa in corpore retineri, & in tantam nigredinem (quæ atramento simillima erat) mutari potuerint. Deiectiones autem nigras periculosas & sæpe lethales esse docet Hippocrates 4 Aphorism. 21. 22. 23. 24. 25. Verum Petrus Salius Diuersus hic bene monet Medicos, ne semper huiusmodi deiectiones nigras timeant, cum sæpe omni periculo vacent. Si enim splen præter naturam sese habeat, limosa hæc materia plurima accumulatur circa viscera, in ventrique illis communibus, & si abundantior colligitur, etiam in mesenterio & circa pancreas, quæ totius corporis veluti sentinæ sunt, accumulatur, quæ tandem, cum grauis admodum naturæ fuerit, virtute expultrice vel sponte, vel medicamentis incitata, expellitur, hincque deiectiones fiunt nigerrimæ, cum salute ægri. Illa autem sic collecta melancolica mate-

materia, non ſemper per inteſtina, verum etiam per urinas interdum ſalubriter expellitur quod etiam aſſerit Mercurialis tom. 2. conſult. med. 49. *Neque verò mirari* (inquit) *debes, à me præ cæteris diureticæ commendari, quoniam lienoſos & melancolicos ichoroſum ſanguinem habere, & ratio docet, & Ariſtotelis in problematibus auctoritas, maximeque omnium Hippocrates, qui non ſolum id lib. epidem. 6. ſcriptum reliquit, verum etiam Brantis pugilis apud ipſum hiſtoria, qui à lienis tumore liberatus eſt urinæ profluvio, aperte demonſtrat: ut ob hæc omnia qui tumores lienis curant, in urinam provocandam incumbere debeant.* Huius rei notabilem hiſtoriam refert Antonius Valetius ad Hollerium de morb. intern. exercit. 40. *Noui ego* (inquit) *religioſum virum, quo cum quotidie familiariter verſor, cui ter aut quater in anno, maximè verè & autumno ineuntibus, intumeſcit lien, ac dum prominulus tumor inſtat, dolore hypochondrij infeſtatur, ſubluuidus toto ſit corpore, ſenſimque deterius habet. Sed tandem nigricantibus urinis atramento ſimilibus, erumpentibus per quinque aut ſeptem dies, priſtinam reſumit incolumitatem, tumore & grauitate hypochondrij euaneſcentibus. Iam à 12 aut 15 annis repetito iſtiuſmodi per interualla urinarum profluvio detinetur, cū ante turgidas, ſed minus apertas, habuiſſet hæmorrhoides.*

OBSERVATIO XV.

Vulnus tibiæ.

ANdreas Ioannis caupona, cum ebrius portam cubiculi ſui clauſam vi aperire vellet, pedem quam maxima vi potuit in ianuam intorſit, qua in medio diſrupta, crus cum impetu per foramen tranſiit, & lætum fuit in tibiæ medio paulo introrſum verſus ſuram, ſolutione non admodum lata, ſed uſque ad perioſtium pertingente; à contuſione pars quoque multum intumuit. Ignarus quidam chirurgus ipſum per aliquot dies tractauerat, tandem doloribus increſcentibus etiam meum conſilium petitum fuit. Totum crus valde intumuerat, & obſcurè ex liuido vireſcebat, cum doloribus acutiſſimis, ac iam ſphaceli prodromum gangrænam contracturum color ſatis demonſtrabat. Quod malum chirurgi inſcitia vel errore inductum fuiſſe ſtatim animaduerti; hic enim petia dura vulneri uſque ad perioſtium immiſſa, illud tam arcte obturauerat, ut nulla humiditas inde egredi poſſet: huic emplaſtrum defenſiuum (ex bolo aliiſque frigidis & aſtringentibus concinnatum) ad manus latitudinem impoſuerat: denique cruri, à genu uſque ad pedem, linteo oxycrato madefacta circumiecerat, totumque crus faſcia arcte ligauerat, atque tali modo inflammationem & tumorem impedire voluerat. Vulnus plane crudum erat & malè coloratum, ſine ulla digeſtione, & extracta petia tantum pauxillum ichoris aquoſi effluebat. Ego his omnibus abiectis, ut gangræna præueniri poſſet, vulnus ſpiritu vini ablui, nullam petiam immitti, ſed tantum linteolum quadruplicatum eidem imponi, ac toti cruri hoc fomentum calide circumduci curaui:

Rec. *herbarum betonicæ, thymi, abſinthij, ſaluiæ, hyſſopi, roſmarini, florum chamomillæ, ſambuci, melilotæ, roſarum, ana m. j. ſem. cumini, lentici, ana unc. ſ. bac. lauri drach. ij. vini albi q. ſ. coquantur ad lib. iij. adde colaturæ, ſpiritus vini lib. j.*

His impoſitis dolor ſequenti nocte multo mitior fuit, & multum aquoſi ichoris per vulnus effluxit. Crus intra biduum planè detumuit & ad naturalem colorem redit, pus quoque bene

bene coctum eiecit, atque deinde debito modo tractatum ad sanationem facile perductum fuit.

REs peregrinæ quæ vulneribus insunt, naturæ, consolidationem molienti, sunt inimicissimæ, præsertim si neruosum aliquod corpus, membranam aut tendinem vel periostium comprimat; hinc enim graues dolores, tumores, inflammationes, aliaque mala procedunt, ac proinde huiusmodi res eximendas esse Paræus, Pigræus, aliique chirurgi docent. Eodem modo etiam turundæ (quas & petias & tentas appellant) crassiores & duriores, quæ vulnus interius offendunt ac distendunt, atque simul etiam penitus obturant, vel neruos, membranas, aut periostia comprimunt, non sunt vulneribus immittendæ, utpote quæ naturæ operationes (nempe suppurationem, puris eiectionem, & consolidationem) potentissimè impediunt, atque dolores, inflammationes, aliaque mala generant. Sic in praxi, quorundam nasutorum chirurgorum inscitiâ hoc modo aliis crudelissimos dolores, atque hinc febres & syncopes, aliis convulsiones, aliis partium gangrænas & mortificationes inductas fuisse non semel vidimus: quemadmodum illud etiam huic nostro ægro contigit, cui præter alia grauia symptomata, iam gangræna imminebat, & nisi citò huic malo occursum fuisset, procul dubio, accedente sphacelo, vel cruris, vel forte etiam vitæ iacturam fecisset. Hinc Felix VVirtius lib. 2. chirurg. cap. 11. in vulneribus articulorum & manuum turundarum usum plane reiicit. Huius tamen opinionem refutauit Hildanus cent. 4. obseruat. 76. qui turundas etiam in neruosis partibus necessarias esse docet, ut nempe superiora vulneris labia aperta retineantur, & puri effluxus pateat. E qua doctrina patet ipsum tales laudare turundas, quæ interiores vulneris partes non offendunt, sed tamen superiores apertas retinent, sic nimirum ut puris effluxus pateat. In nostro autem ægro in his grauis error à chirurgo commissus fuerat, nam crassa & dura torunda interiores vulneris partes distenderat, ipsumque periostium compresserat, ac coctionem, nec non materiæ, saniei puriſque exitum impederat.

OBSERVATIO XVII.

Suppressio urinæ.

VXor Gerardi Antonii, sartoris, mense Maio puerpera erat, & iam tertiò à puerperio die lotium non reddiderat, unde vehementer angebatur, adeoque debilis erat ut vix amplius loqui posset. Obstetrix partum satis feliciter successisse, sed statim post eundem lochia suppressa fuisse, atque in puerperæ ventre inferiore ab altero latere adhuc aliquid duri latere & sentiri referebat. Hinc iudicaui vel alterum fœtum, vel molam, vel simile quid adhuc intus remansisse, quod os uteri & vesicæ comprimeret. Ad mali curationem, ut urina & lochia simul prouocarentur, hoc apozema præscripsi:

Rec. *radicum petroselini, ostrutii, valerianæ, eryngii,*
ononidis ana unc. ſ. *aristolochiæ rotundæ, glycyrrhizæ rasæ, ana drach. ij.*
foliorum ribesii nigri, artemisiæ, pulegii, nasturtii aquatici, ana m. j.
signis cum toto, m. ij. *sabinæ, florum chamomillæ, ana m. ſ.*
vini albi q. ſ. coquantur ſ. art.
fiatque apozema ad lib. j. ſ.

Rec. *dicti apozematis unc. iij.*
olei succini per descensum distillati gut. xx.
fiat haustus.

Hunc prima vice calidum assumpsit, eundemque cum post tres horas reiterasset, paulo post superuenientibus parturientium conatibus, peperit molam rotundam, magnitudinis capitis infantis, undiquaque oculos humanos perfectissimos habentem. Hac feliciter expulsa, statim urina & lochia satis copiosa subsequebātur, & ægra ab instanti periculo liberata fuit.

MOlæ variæ sunt, aliæ sine, aliæ cum fœtu: aliæ fœtui & mulieri valde damnosæ & molestæ, aliæ minus aliæ planè informes, aliæ formam alicuius rei referentes: aliæ vitales, aliæ non vitales, &c. Nunquam autem boni quid præsagiunt, licet enim interdum non obsint, plerumque tamen vel fœtui, vel matri, vel utrique graues noxas inferunt: quod nostra ægra suo exemplo satis edocuit, de cuius vita actum fuisset, nisi medicamenti vi mola educta, atque ita lochiis & urinis via data fuisset.

OBSERVATIO XVII.

Dysenteria.

GErardus Vossius, vicinus noster, dysenteria per aliquot dies laborauerat. Maximis intestinorum doloribus miserè cruciabatur, sæpe multa deiiciebat, quæ cruenta & mucco tenaci permixta erant omnia: nihil dormiebat: appetitus planè deiectus erat, vehementer sitiebat, febris aderat non admodum vehemens, sed continua. Licet æger iuvenis esset triginta annorum, & valde robustus, attamen his malis exagitatus adeo prostratus fuit, ut paucis diebus ad summam debilitatem peruenerit. Sexto Februarii, morbum curaturus, tale purgans exhibui, à quo multa biliosa deiecit:

Rec. *rhabarbari opt. aliquantum ustulati drach.* ij.
myrobalanorum Indorum, citrinorum ana drach. j.
folior. sennæ mundat. drach. iij.
sem. anisi drach. j. *papaueris albi drach.* ij.
aquæ plantaginis q. s. ebulliant per semi horam, adde colaturæ
electi. diaphœnici drach. j. ſ.
misce fiat haustus.

Vesperi post purgationem hunc bolum exhibui, à quo illa nocte per horam unam aut alteram quieuit:

Rec. *terræ sigillatæ, requiei Nicolai, ana scrup.* j.
mithridatij Damoc. scrup. ij.
misce, fiat bolus.

Postridie sequens apozema coctum fuit, de quo ter de die & semel nocte media haustum bibit.

Rec. *hordei mundat. unc.* j. *radicum bistortæ, tormentillæ,*
corticum granatorum, ana unc. ſ.
foliorum quercus, plantaginis, saniculæ,
pimpinellæ, alchimillæ, bistortæ, ana m. j.
seminis rosarum minimarum drach. vi.
capitum papaueris albi n. iij.
passularum cum acinis unc. v.
aquæ communis lib. iv.
coquantur ſ. art. ad medias; fit apozema.

Inter-

Intermediis horis etiam sæpe de die particulam huius comedit:

Rec. *nucis moscatæ, trochiscorum de terra sigillata, ana drach. ß.*
cornu cerui usti, corallí rubri præparati,
lapidis hæmatitis mastiches, ana scrup. j.
pulueriſatis adde, conſeruæ roſarum rubrarum unc. j. ß.
myuæ cydoniorum, rob. acaciæ, ana drach. iij.
requiei Nicolai drach. j. ß.
ſyrupi granatorum acid. q. ſ.
miſce, fiat conditum.

Sitim, quantum possibile erat, ferre iussi, cui legi eò facilius obtemperauit, quod post potum, imprimis ceruisiæ, semper maxima tormina sentiret, atque hinc etiam loco ceruisiæ, tale amygdalatum pro potu ordinario præscripsi:

Rec. *hordei mundati unc. j. ß.*
seminis roſarum minimarum unc. j.
papau. albi, plantaginis, lactucæ, ana unc. ß.
aquæ communis lib. iij. coquantur ad mediat.
Rec. *dictam colaturam, amygdalarum dulc. depilat. unc. v.*
ſem. papaueris albi drach. iij. 4 frigid. maior. ana drach. j. ß.
fiat ſ. art. amygdalatum, cui admiſce
ſyrupi de papauere unc. j. roſarum rubr. unc. j. ß.

9 Februarii mane exhibui rhabarbari parum ultulati & pulueriſati scrup. iv. cum pauxillo ceruisiæ. 10, ut & 13 Februarii apozema, 12 autem conditum reiteratum fuit. Atque his medicamentis fluxu cessante, æger paulatim conualuit, & vires deperditas conuenienti diæta recuperauit, verum adhuc diu post sanationem à quolibet potu male afficiebatur & magna intestinorum tormina sentiebat, quod malum etiam paulatim euanuit, nempe intestinis ab usu ciborum nouo mucco (priore humorum acrimonia abraso) rursus oblitis & inuestitis. Hoc ægro sanato, in iisdem ædibus paulo post idem morbus tres quatuorve alios inuasit, qui omnes simili fere modo curati fuerunt.

EOdem illo tempore Montforti per totum oppidum dysenteriæ inter vulgus passim grassabantur, multosque necabant, integræ quoque familiæ hoc morbo corripiebantur, quem propterea multi malignum & contagiosum esse iudicauerunt; sed malè, quia non contagii, sed temporis anni & diætæ ratione communis erat: causa enim mali hinc procedebat. Autumnus anni præteriti fuerat calidus & humidus, multosque in corporibus humores accumulauerat: hunc subsequebatur hyems admodum sicca & intensissime frigida, quod frigus cum asperrimo gelu longo tempore duravit, humoresque valde condensauit. Initio Februarii asperrima illa frigida tempestas subito in tepidam mutata est, qua humores à frigore condensati ad fluxum dissoluti fuerunt. Durante autem gelu, cum nihil neque carnium, neque piscium, aliorumque eduliorum recentium adveheretur, vulgares (ut isto in loco consueuerunt) toto illo tempore vescebantur carnibus & piscibus antiquis, salsis & fumo induratis etiam multis cæpis, & aromatibus calidis, aliisque similibus, quæ humoribus non paruam acrimoniam induxerunt, quibus tandem repentino calore ad fluxum dissolutis, tot passim dysenteriæ excitatæ sunt; non tamen alibi quam apud vulgares, qui tali diæta usi fuerant; diuites enim qui liberalius vixerant, ab hoc malo immunes erant. Hinc etiam euenit, quod ratione unius eiusdemq; diætæ, tres quatuorve in iisdem ædibus sæpe hoc morbo inficerentur, non autem ratione contagii, quod æque alios qui ipsos adibant, quam hos inuaderet.

OBSERVATIO XVIII.

Dysenteria.

PAncras Collert, iuvenis robustus annorum circiter 22. eodem tempore dysenteria quoque correptus fuit, cumque à medicinis esset auersus, forte quia valde erat auarus, noluit medicorum consilia petere, sed sibi ipsi medicus esse voluit. Viderat aliquoties me dysentericis in principio curationis medicamentum purgans exhibuisse, quapropter hoc meum consilium in suo ipsius morbo etiam sequi, & interim sumptibus parcere volens, ipsemet sibi tale purgans præparauit: sumpsit tabaci minutim incisi semi unciam, idque per noctem macerauit in cerusia tenui, manè parum coxit & colauit cum expressione, ac totam colaturam unico hausto ebibit. Paulo post summa anxietate usque ad animi deliquium correptus fuit, ita ut ipsum iam iam moriturũ crederent domestici. Eandem enormis vomitus & ingens per inferiora purgatio superuenit, magnaque variorum humorum, maximè bilis flauæ ac viridis, copia sursum deorsumque ejecta est, atque eo modo causa morbi violenter & simul euacuata, hoc unico hausto à dysenteria in totum liberatus fuit.

Sæpe (inquit Celsus) *quos ratio non restituit, temeritas adiuvat.* Liquet illud in prædicto iuvene, cuius temeritatem si qui forte debiliores sequi vellent, facile per effluxum ipsius animæ dysentericum alui fluxum sanarent. Nam tabacum tali modo sumptum, est medicamentum turbatorium vehementissimum, cuius violentiæ non est cuislibet resistere. Ac proinde ego non omnibus auctor esse velim ut huius experimenti periculum faciant. Si nonnullis robustissimis hominibus huius violentissimi medicamenti temeraria assumptio casu felicitèr cesserit, non in omnibus ille euentus sperandus est. Quod tamen tabacum in robustissimo iuvene dysenteriam sanauerit, non est à ratione alienum, nam maxima sua violentia totam mali causam simul euacuauit. Audiui etiam tunc temporis adhuc alios duos rusticos dysenteria laborantes, eodem experimento fuisse sanatos.

OBSERVATIO XIX.

Lochiorum Suppressio.

ANtonia mulier plethorica, fortis, circiter 23 annorum, primipara, post tertium à partu diem è lecto surgens, aeri frigidiusculo se nimis temere committit, unde lochiorum purgatio statim substitit, attamen ipsa bene valuit usque ad tertiam à partu septimanam, qua dolor vehemens latus sinistrum versus lienis regionem, ut & lumbos inuasit, seque ab ischio osse ad veras usque costas extendit. A dolore appetitus prostratus & vires multum deiectæ fuerunt. E pulsu tamen comperi nullam adesse febrem. 20 Septembris, mane tali hausto assumpto, mediocriter purgata fuit.

Rec. *rhabarbari optimi, drach. j.*
fol. sennæ mundat. drach. iij.
tartari rhenani, sem. anisi, gna drach. j. ſ.

aquæ

aquæ artemisiæ q. s. fiat infusio s. art. & addendo colaturæ
elect. hieræ picræ drach. j. s.
fiat haustus.

Post purgationem adeo abhorruit à medicamentis, ut nihil amplius assumere voluerit, ità ut hic subsistendum fuisset, nisi 22 Septembris ingens ab utero præfocatio ægram inuasisset, qua anhelitus meatu intercepto ferè suffocaretur, interdum animo linqueretur: tunc ægra, hinc doloribus cruciata, illinc mortis metu perculsa, se medicamenta quælibet ingratissima sumpturam promisit, dummodo ex iis aliquod leuamen sperari posset. Ad uterinam suffocationem imminuendam hoc decoctum dedi, cuius sæpius de die unam, duas, tresve uncias bibebat.

Rec. *fol. ruthæ m. j. seminis leuistici drach. vi.*
iulorum nucum unc. s. sem. carui, ameos ana drach. j.
decocti hordei q. s. coquantur ad lib. j. & colentur.

Huius usu suffocatio magna ex parte cessauit, sed interim dolores lateris magis magisque increuerunt, seque iam ad humerum usque extendebant, ita ut non parum de vita ægræ meuerem. 24 Septembris hoc apozema coctum fuit.

Rec. *radicum fœniculi, valerianæ,*
petroselini, ana unc. s. bryoniæ, drach. vi.
aristolochiæ rotundæ, diptamni, ana drach. ij.
ligni sassefras drach. iij. herbarum artemisiæ,
ruthæ, pulegii, matricariæ, sabinæ, nepethæ, ana m. j.
florum chamomillæ, m. s. seminis leuistici drach. v.
aquæ communis q. s. coquantur s. art. ad lib. ij.
in colatura macerentur per noctem,
folior. sennæ mundat. unc. ij.
agarici albi drach. j. s. sem. anisi drach. v.
manè leniter ebulliant & colentur
cum expressione, fiatque apozema.

Huius decocti bis de die (nam non facile mouebatur) nempe matutino tempore, & hora quarta vel quinta postmeridiana assumpsit uncias quatuor vel quinque, idque tepide, unde singulis diebus ter, quater vel quinquies admodum putida, fœda, nigricantia, tenacia, & valde viscosa excrementa, multosque flatus excreuit. Intermediis horis, propter suffocationes subinde redeuntes, interdum usa fuit de prima decoctione. Horum usu intra quatriduum dolores magna ex parte cessarunt. 29 Septembris saphæna in pede sinistro secta sanguinis bona quantitas cum maximo leuamine extracta fuit, eademque die ultimum apozema reiteratum est, quo sequentibus diebus tantum semel de die utebatur. His remediis à periculosissimo morbo euasit & conualuit.

PVerperæ sæpius graues in puerperio committunt errores, postea grauissimorum malorum causas, inter quos non minimus est ille quod viribus suis nimium confidentes, citius se aeri committant quam puerperii tempus permittit; unde tunc periculosissimi morbi succrescunt, lochiorum suppressiones, febres, suffocationes, aliique plurimi, quorum, præter quotidiana, apud auctores varia inueniuntur exempla, qualia describunt Cordæus comment. 3. ad lib. 1. de mulieb. Hipp. Solenander sect. 5. consil. 15. Valleriola lib. 5. obs. 10. Hildanus cent. 4. obseruat. 12. aliique varii. Sic etiã nos in praxi nõ semel vidimus hôc errore puer-

peris

peris grauiſſimos morbos fuiſſe inductos, quibus aliæ è viuis ſublatæ ſunt, aliæ in grauiſſimũ vitæ periculum coniectæ, aliæ graui alicuius partis afflictione toto vitæ tempore detentæ fuerunt. Non omnes adeo feliciter euadunt ſicut noſtra iam dicta ægra, interdum enim nimia debilitas, vel nauſea, vel febris, vel aliud quid medicamentorũ aſſumptionem prohibet, vel aſſumptorũ operationem inuertit aut impedit, atque tunc medicus omni ſua diligentia parum aut nihil prodeſſe poterit. Sic eodem anno, quo hanc ægram tractabam, Vltraiecti uxor cognati mei, mulier fortis, ob eundem errorem ſimili morbo laboravit, ſed nulla medicamentorum, à doctiſſimis medicis prudentiſſimè præſcriptorum, ope ſeruari potuit.

In talibus autem caſibus illud aliquoties obſeruaui, lochia paulo poſt partum ſuppreſſa, niſi intra tres quatuorve dies medicamentis citentur, poſtea medicorum ope, aut difficulter, aut omninò non poſſe promoueri, ſed gravium ſape morborum cauſas fieri, qui morbi interdum ſtatim, interdum poſt aliquot dies, interdum non ante tertiam quartamve ſeptimanam manifeſtantur: atque in horum curatione illud etiam notavi, in principio, viribus, adhuc conſtantibus, maximum ſubſidium adferi, partim per apozemata attenuantia & ſimul etiã laxantia, quibus humores copiá & qualitate peccantes ſimul præparari & per inteſtina euacuari poſſunt; partim per venæſectiones in pedibus: quem medendi modum non ſemel cum feliciſſimo ſucceſſu tentavi.

OBSERVATIO XX.

Nephritis.

DOmicella Caſſlager intolerabili paulo infra lumbos dolore per triduum vexata fuerat tam immaniter, ut quo ſe verteret neſciret: aderant ſimul vomitus & maxima inquietudo. Nephritis erat, & ſabulum vel calculus per ureterem deſcendens, hos dolores inducebat. Hic calculus ut citius & facilius expelleretur, hoc decoctum à me præſcriptum fuit:

Rec. *glycyrrizæ raſæ unc. ſ. herbar. petroſelini, althææ, chærefolii, maluæ, ſionis, fol. ribeſii nigri, ana m. j.*
florum chamomillæ m. j. ſ. ficuum ping. n. ix.
lactis dulcis, aquæ communis ana lib. j. ſ.
coquantur ad tertiæ partis conſumptionem, coletur, ſitque apozema.

Iſta die totum fere decoctum ebibit, & circa veſperam aliquot exiguos calculos cum bona ſabuli quantitate excernens, ab hoc malo liberata fuit.

MEdicamenta ſaxifraga calculos in renibus hærentes interdum comminuere, docet experientia: verum è renibus expulſos & in ureteribus iam hærentes calculos nulla medicamentorum vi confringi poſſe, præter experientiam, docet ratio, cum nullum medicamentum integris viribus eò peruenire queat, & maxima ſeri quantitas accurrens atque ibi ſubſiſtens, medicamentorum etiam vires impediat & infringat, ita ut nihil efficere poſſint. Proinde in calculi ex uretere promotione, diuretica ſimul etiam lenientia & emollientia admiſcenda ſunt, quæ ureteres lenire ſimul & emollire, atque ita calculo faciliorem deſcenſum præparare poſſunt. Tale eſt illud decoctũ quod noſtræ ægræ præſcripſeram. Tale eſt ſecretum Ioann. Bapt. Theodoſii, quo ſe minime deceptum, ſed ad calculi expulſionem & præſervationem

nem semper felicissime usum fuisse prædicat: estque hoc:

Rec. *fol. altheæ recent. m. j. ſ.*
butyri recentis unc. iij.
milles lib. ſ. bulliant aq. q. ſ.
ad tertias: de colatura bibatur mane & vesperi hausſtus calidus.

Tale est etiam illud tanti nominis secretum Foresti, quod plurimi medici maximi faciunt, & quo etiam ego interdum solo interdum quibusdam additis immutatò, sæpius feliciter usus sum. De quo ipse Forestus lib. 21. observat. 29. ita scribit: *Hoc meum secretum & arcanum ne nunc quidem reticere volo, ob communem ægrotantium utilitatem, ne illud audiam, quod servus ille nequam audivit à Domino suo, quod talentum sibi à Domino commissum sine fœnore sub terra condidisset. Ideo neque hoc arcanum posteritati iniquior apud me servare volui; estque hoc decoctum sequens:*

Rec. *sem. malvæ*
altheæ, ana drach. iij.
cicerum rubr. unc. iij.
sem. 4. frig. mai. ana drach. ij.
hordei mundati unc. ij.
caricarum pinguium n. ix.
sebestен. n. vii.
glycyrrizæ rasæ drach. j.
aquæ pluviæ lib. iiij.

fiat decoctio ad consumptionem medietatis; colatura usui reseruetur; qua ægri continuo utentes, calculos semper excernunt.

OBSERVATIO XXI.

Vermes.

Filiolo Antonij, puello trium annorum, imus venter valde intumuerat, & instar tympani tensus erat, ita ut hydropicus esse videretur: appetitum deiectum habebat, cum parua febricula, terrores in somno aderant, & digitis nares identidem perfricabat. Iudicauimus vermes crudosve humores, in prima ventris regione hærentes, hæc omnia mala inducere. Quapropter cum nihil omnino assumere vellet, & tamen sæpe biberet, cerusiam recentem ipsi pro potu dari iussi, cui tantum olei vitrioli admiscui, quantum ad leuem acorem sufficiebat. Hoc solo potu per duas treve septimanas continuato, venter omnino detumuit, nullos tamen lumbricos excreuit.

Oleum vitrioli dicto modo exhibitum, non modo putredines omnesque corruptiones tollere, verum etiam lumbricos ventriculi & intestinorum enecare ac consumere, & talibus malis infestatos ægros, etiam desperatos, sæpe præter expectationem restituisse, vidimus. Sic soror mea Cornelia, cum septem annorum ætatem attigisset, & intestinorum lumbricis immaniter torqueretur, plurimaque remedia frustra adhibita fuissent, rebus iam desperatis, cum mors indies expectaretur, tandem olei, vitrioli, cum cerusia dati, usu breui tempore restituta fuit. Idem etiam euenit Margaretæ Dolre, Mareschalei Montrotensis filiæ, aliisque pluribus. Propterea non sine ratione huius olei encomium plenis buccis exclamitant chymici. De quo, & de sulphuris, oleo Mindererus lib. de Peste cap. 15. ita scribit: *Nulla est putredo cuius vires non fragant, nulla infectio quam non superent, nulla humorum depravatio quæ per ista non superetur.*

OBSERVATIO XXII.

Ambustio.

Petrus Abstee Muskettam explodere volens, fortè posterius disrupta fuit machina, & quamvis à ferri fruſtis illæsus, tota tamen facie pyrii pulueris flamma grauiter combustus

ſtus fuit, plurimaque puluerís grana ipſi cuti impacta remanſerunt. His granis citò exemptis, ſtatim oculis parua lintea duplicata butyro bene ſalito inuncta impoſuimus, toti autem faciei cæpas crudas cum ſale in mortario contuſas applicauimus, quas ter prima die & ſemel ſequenti nocte renouauimus: quo cataplaſmate totum empyreuma inſigniter extractum fuit, etiam in ipſis oculorum palpebris (quas ad oculorum defenſionem butyro præmunieramus) nullæ veſiculæ excitatæ fuerunt, ita ut poſtea una aut altera inunctione ex unguento roſaceo & pomato, prorſus ſanatus fuerit.

IN combuſtione ſtatim omni ſtudio enitendum eſt ut empyreuma extrahatur, & puſtularum ac veſicularum exortus impediatur. Ad hoc efficiendum multa variaque commendantur. In leuiore combuſtione, illud parte læſa igni admota, vel in aquam calidam immiſſa atque in ea quam calidiſſimè fieri poteſt detenta, facile perficitur. In grauiore verò, efficaciſſimum remedium ſunt cæpæ crudæ cum ſale contritæ, quibus in grauiſſimis ambuſtionibus multoties egregia præſtiti. De his audiatur Paræus lib. 11. cap. 9. *Experiuntur* (inquit) *plebei homines, ambuſtæ leuiter partis ardorem vaneſcere & dolorem leuari, ſi partem ipſam ardentis candelæ, vel accenſarum prunarum ardori aliquamdiu admouerint, attractionem enim facit ſimiliudo: itaque ignis extrinſecus intrinſecum, & inuſtum a ſe partis ignem aum foras euocat, malis, quod intulerat & creauerat alexiterium eſt. Paratu etiam facile & expertum remedium eſt, ſi quis ſtatim a combuſtione cæpas crudas & cum ſale contritas dolenti parti apponat. &c.*

Hildanus tamen libro de combuſt. cap. 6. cæpas in faciei combuſtionibus minime conuenire, eaſque oculis damnum & iacturam haud exiguam inferre ſcribit. Quod verum foret, ſi cæpæ ipſius oculis imponerentur, aut ſi oculi ante cæparum applicationem primò aliis rebus non præmunirentur, quod nos linteis duplicatis vel triplicatis & butyro bene ſalitò munctis optime fieri arbitramur, eo quod butyrum ſalitum empyreuma extrahat ratione ſalis, & pinguedine ſua palpebras leniat ac defendat: minus autem conueniunt aquæ diſtillatæ, lac mulicbre, ouorum albumina, aliaque ſimilia, quæ ſtatim exiccatur & parti adeo ſtrmiter agglutinãtur, ut vix abſque excoriatione detrahi poſſint. In faciei combuſtionibus Hildanus potius utitur hoc unguento:

Rec. *Saponis Veneti, unc. j.*
olei amygdalarum dulc.
roſarum, ana unc. ſ.
mucilaginis ſem. cydonior.
cum aqua roſar. extractæ parum,
miſce fiat unguentum.

In aliis autem partibus ſcribit ſequens unguentum empyreuma potenter extrahere:

Rec. *Cæpæ crudæ, unc j. ſ.*
ſalis,
ſaponis Veneti, ana unc. ſ.
miſceantur in mortario, fiatque unguentum cum oleo roſarum & amygdalarum dulcium.

Præter hæc multa alia ſunt quæ empyreuma potenter extrahunt. Sic atramento ſcriptorio illud feliciter peractum fuiſſe, exemplo docuimus ante obſeruatione quintâ. Sola muria, linteis ea intinctis, ut & aqua calcis, idem faciunt. De muria ſic ait Lev. Lemnius lib. 2. occult. nat. cap. 9. *Muria, aut ſalſiſago præſentanea vi ambuſtis vim igneam, atque u entem fervorem extrahit, doloreſque intenſiſſimos placat ac mitigat, vel ex puluere bombardico, vel oleo, pice, aqua feruida, pruniſque accenſis, præſertim ſi tenui peplo ſalſiſagine imbuto partes foveantur; huiuſmodi enim irrigatione ignea vis eluitur, atque acerrimi cruciatus conſopiuntur.* Idem de muria quoque teſtatur Matthias Pactzerus lib. de Sale, cap. 26. Butyrum quoque multo ſale puluerifato mixtum, linteis inunctum, & ſic impoſitum, egregia præſtat. Verum hæc omnia in ipſo principio admouenda ſunt, antequam puſtulæ aut veſiculæ excitentur & excoriatio fiat, tunc enim hæc minus conueniunt, ſed curatio alio modo inſtituenda eſt.

OBSERVATIO XXIII.

Odontalgia.

Cornelia Iacobi, mulier robustâ, dentium dolore vehementissimo, cum dimidii capitis dolore laborabat. Huic tale vomitorium exhibui:

Rec. *Vitri antimonii pulverisati, gr. xij.*
vini albi, unc. v.
fiat maceratio per noctem, mane
coletur vinum per chartam
emporeticam, & detur pro haustu.

Hinc plurima biliosa, pituitosa, ac tenacia euomuit, aliquot etiam secessus habuit. Nocte sequenti bene dormiuit, & cessauit dentium dolor, neque redijt.

OBSERVATIO XXIV.

Febris Gallica, epidemia.

Anno 1635. æstas erat admodum calida & sicca: quo tempore regis Galliarum exercitus cum nostro coniunctus Louaniam obsederat, ubi milites magnam rerum, præcipuè panis & aquæ, inopiam patiebantur, atque hinc passim horarios fructus immaturos & crudos, carnes recenter mactatas & insulsas sine pane, alioſque mali nutrimenti cibos comederunt, simulque ex stagnis quibusvis biberunt, atque ita magnam crudorum & prauorum succorum copiam sibi ipsis in corpore accumulauerunt. At tandem fame sitique pene consumpti, obsidionem relinquere, & ob Schenckianum munimentum per insidias ab Hispano milite captum, in patriam nostram reuerti coacti fuere. Hue cum venissent, præter nostros etiam Gallorum peditatus maxima pars Nouiomagi (ubi tunc temporis habitare & praxin exercere cæpi) aliquamdiu remansit, atque inter illos milites febris quædam maligna & pestilens paucis diebus ante eorum aduentum grassari cæperat. Hic læti milites omnium rerum copia fruebantur, melliusque reficiebantur: sed, proh dolor, illa maligna febris intra paucos dies maxima sumpsit incrementa, & totum exercitum, præcipue Gallos, graui clade mulctauit; nam præter nostros, intra duos tresve menses hæc dira lues ad minimum tria millia funerum solis Gallis Nouiomagi crudeliter extorsit, nec minori sæuitia in castris ante Schenckianum munimentum, & alijs in locis inter nostros & Gallorum milites passim dominabatur: atque ab illis etiam ad ciues & incolas Nouiomagenses contagio delata, eorum ad minimum mille & plures paucis mensibus terræ deuorandos obiecit, nec minor etiam strages aliarum circumiacentium urbium ciuibus illata est, imò usque ad interiora patriæ nostræ penetralia malum hoc subijt. Quia autem febris hæc primo & grauissimè Gallos, infecerat, deinde autem reliquos, vulgariter *Febris Gallica*, à multis etiam *Morbus Gallicus* appellabatur.

Non parvum huic morbo aderat contagium, quod maximè per contactum & attractionem putridorum ac fœtidissimorum vaporum, sudoris, stercoris, & aliis communicabatur, ac proinde qui ægris inseruiebant vel diu aderant, eorumque fœtores suscipiebant, plurimi

eodem malo corripiebantur. Toti autem Nouiomago breui tempore contagium undique ingeſtum fuit hac imprimis de cauſa, quod ob tantum exercitum tota ciuitas militibus plena eſſet, ita ut ipſæ quoque plateæ & viæ publicæ undique militibus tam ſanis, quam ægris ad latera platearum decumbentibus, repletæ forent, atque hinc ſordes & excrementa tam ægrorum quam ſanorum in vias publicas proiecta ubique abundarent, nec quicquam, ob hominum ſibi inuicem occurrentium nimiam multitudinem, expurgari poſſet: ex hac enim fœtidiſſima colluvie eleuati maligni ac putidiſſimi vapores totum aerem, atque ita maximam totius ciuitatis partem contagio morboque infecerunt.

Febris huius cauſa non tam in ſpirituum, quam humorum maligna corruptione conſiſtebat, atque propterea non admodum impropriè peſtis in humoribus appellari poterat. A peſte autem in eo differebat, quod in peſte imprimis ſpiritus vitales, in hac febre humores maligno modo corrumperentur; præterea quod peſtis contagium aeri imprimis inhæreat & magis ad diſtans inficiat, huius verò febris contagium maximè per malignorum vaporum immediatum contactum & attractionem communicaretur: denique, quod peſtis longè acutior & periculoſior morbus ſit, & cum quo plures moriuntur quam euadunt, cum in hac febri longe plures euadant quam moriantur.

Febris hæc nonnullos acriter, plurimos autem leniter in ipſo principio inuadebat, aliis ſine, aliis cum leui frigore & rigore. Magnus, paulo poſt initium, in multis ſubſequebatur calor, cum ſiti vehementi, qui ardor, ſubinde breuibus internallis leuiter intermittens, ad ſeptimum plerumque diem, vel diutius continuabat. In multis etiam calor intenſus non percipiebatur, atque in iis cor magis ab humorum malignitate, quam à calore affici videbatur, namque & his vitalis facultas magis læſa erat.

In principio morbi ſtatim magna aderat debilitas ſeu ingens virium deiectio, nonnullis deliria, plurimis anxietates, multis capitis dolores, vigiliæ, omnibus ſitis cum maxima linguæ ſiccitate, multis quoque non diu poſt initium dyſenteriæ & diarrheæ malignæ, difficiliſſimæ curationis, ſuperueniebant. Pulſus plerumque valde creber, parvus & inæqualis ſentiebatur.

Diebus criticis ægri ſe ſemper peius habebant, paucisſimæ tamen criſes laudabiles fiebāt; videbatur natura velle moliri criſes, ſed propter humorum corruptorum copiam & malignitatem, viriumque ſummam deiectionem, perficere non poſſe. Criſes per ſudorem vel narium & menſtruorum hæmorrhagiam ſolæ morbum interdum, ſed ratius, ſoluebant, nam plerumque imperfectæ erant: per alui fluxum periculoſæ multiſque læthales erant. Nonnullis paruæ maculæ rubræ (Italis lenticulæ, puncticulæ & petechiæ appellatæ) per totum corpus in cute erumpentes, morbum mutabant, interdum in peius, ſed ſæpius in melius. Quibuſdam qui diu ægrotauerant, abſceſſus critici in aliqua parte ſalubri fiebant. Anthraces nuſquam apparebant. Glandulas quoque in inguinibus, poſt aures, vel ſub axillis nulli intumuiſſe, nihilque naturam per hæc emunctoria depoſuiſſe vidi.

Ab hac febre curati, multi bis terve recidiuas ſatis periculoſas ac ſæpe læthales facili de cauſa incurrebant, imprimis ſi ſe ipſos vel nimis citò aeri exponerent, vel in diæta leue aliquod vitium committerent.

In curatione huius febris primarium & maximum ſubſidium adferebatur ſanguinis miſſione, ter quaterve, imo in nonnullis ſexies ſeptieſve repetita: vidi etiam Gallos quibus à ſuis medicis quatuor dierum ſpatio iangais duodecies e brachiis ſatis magna quantitate detractus fuerit cum ſummo fructu: maximum enim leuamen à venæſectione ſentiebant ægri,

ægris, quod breui tempore adeo notum euasit omnibus, ut plurimi ægri etiam sine Medicorum consilio, sibi ipsis aliquoties venam secari curarent, atque ita multi à morbo liberarentur. Ita ut præcipuum huius mali remedium venæsectio re vera fuerit. Sed quod mirum videri posset, cum à sanguinis missione alioqui valde debilitentur vires, in hoc tamen morbo natura post extractum maiore copia sanguinem, à malignorum humorum grauamine manifesto leuari & vires resumere videbatur, omnesque ægri, etiam illi quibus vires ad extremum deiectæ erant, venæsectionem fortiter ferebant. Nulli remedio febres istæ magis cedebant quam sanguinis missioni. Sanguis duabus vel tribus primis vicibus extractus admodum corruptus erat in omnibus, nec in tanta istius temporis ægrotorum multitudine ullum me vidisse memini, cui sanguis laudabilis extractus fuit in principio; sed ut plurimum albicans, sæpe exliuido virescens apparebat, cui parum rubri sanguinis admixtum erat: muccilaginosus erat instar decocti pedum vituli: in plurimis coagulabatur, in multis etiam vix coagulabatur, febris nempe putredine magna ex parte consumptis, & hi maximè periclitabantur. Tertia quartave sectione sanguis erat laudabilior.

Accedentes igitur ad ægros, primò statim vel clystere iniecto, vel leui medicamine aluo parum citata, venæsectionem instituebamus quam citissimè fieri poterat, eamque, si vires permitterent, postridie repetebamus, extrahentes quaque vice à semi libra usque ad libram sanguinis, idque deinde adhuc ter quaterve (pro virium robore & febris magnitudine) uno, duobus aut tribus diebus interpositis, reiterabamus. Interea tamen temporis modò exhibitis medicamentis purgantibus, modò clysteribus subinde alvus citabatur, & quia malignitas morbo aderat, sudorifera & antidota sæpius dabantur, Iulebi & condita refrigerantia ac cardiaca, ut & apozemata refrigerantia & diureticam vim habentia non parum quoque proderant, præcipuè si admiscerentur talia, quæ simul etiam malignitati resisterent. In nimiis vigiliis (quæ admodum frequentes erant) & deliriis, tantum lene aliquod soporiferum temporibus illinebamus, narcotica enim per os nunquam tuto exhiberi poterant.

FEbres malignæ & pestilens quomodo sine vera peste dari possint, & quid ab ea differant, latius docuimus in tractatu nostro de Peste, lib. 1. cap. 12. annot. 4. 5. Sunt autem hæ febres variæ, neque semper ab eadem causa procedunt, neque eodem modo invadunt, neque eandem curationem admittunt. Interdum solius aeris infectiones, interdum humorum ex praua diæta aliave causa pessima corruptiones, interdum rerum putridarum & corruptarum nocentissimæ exhalationes, interdum temperamentorum aëris & corporum pravæ dispositiones, vel singula hæc seorsim, vel aliqua ex his coniuncta, vel omnia simul huiusmodi epidemias febres generare valent, à quarum causarū varietate etiam earum, ut & curationis varietas maximè dependet: atque hinc est quod huiusmodi febres malignæ ac pestilentes vix unquā bis ibi plane similes visæ sint. Fracast. lib. 2 & 3 de morbis contagiosis, describit febrem petechialem, quæ multum differebat ad hac nostra febre, nam ab aeris certa infectione originem sumpserat, & maximè spiritibus, non autem humoribus, bellum indixerat, atque inprimis curabatur antidotis, venæsectiones verò nocebant. Contra, hæc nostra humoribus magis inimica quam spiritibus, venæsectione præcipue sanabatur. VVierus lib. obseruat. medic. etiam mentionem facit febris malignæ & pestilentis, quæ circa Rhenum tractum crudeliter grassabatur: sed illa quoque longè diuersa fuit ab hac nostra, quod docuit curatio, nam scribit se comperisse in his venæsectionem admodum periculosam fuisse. Ab hac nostra febre etiam multum differunt illæ quas Forestus lib. 6. obseruat. 4. 5. & 6. describit, in quibus neque eadem aderant symptomata, neque curatio venæsectionem repetitam admittebat. La-

zarus Riuerius, vir doctiſſimus centur. 1. obſer. 17. unum adfert exemplum febris malignæ, quæ in multis cum hac noſtra conueniebat, & quinquies iterata venæſectione curata fuit; cui non multum abſimilem etiam nos in Gallia quondam vidimus anno 1632. cuius antea mentionem fecimus obſeru. 3. Verum ut quo modo ægri hac iam dicta maligna febre laborantes optimè tractati fuerint, melius innoteſcat, iam his proximis obſeruationibus unum aut alterum exemplum ex millibus ſubjiciam.

OBSERVATIO XXV.

Febris Maligna.

HErmannus Thomas, piſtor, prædicta febre maligna correptus fuit 5 Septembris; cum ingenti æſtu & magna virium deiectione ab ipſo morbi principio (nam febris hæc omnibus ægris ſtatim vires potenter deiiciebat) pulſus erat, creber, nec parum inæqualis; ſitis quoque maxima, cum linguæ magna ariditate. Totum corpus æqualiter affectum eſſe videbatur, ac proinde nullum uſpiam dolorem ſentiebat, de ſola maxima cordis anxietate querebundus. Prima morbi die circa veſperam ipſum inuiſens, ſtatim clyſterem emollientem inici curaui, à quo alvum ter exoneravit. Ad ſitim hunc iulebum pro potu dedi:

Rec. *aquæ cardui benedicti,*
boraginis, acetoſæ, ana lib. j.
ſucci citri recenter è pomo expreſſi, ſyrupi de acetoſitate citri,
violacei, robi ribeſiorum rubr. ana unc. j.
olei ſulphuris q. ſ. ad gratum acorem,
miſce fiat iuleb.

6 Septembris tempore matutino è vena mediana dextri brachii ſanguinis libram venæſectione extraximus, cum ſummo leuamine. Sanguis erat valde corruptus, cuius dimidia ſuperior pars ex liuido virelcebat & muccilaginoſus erat, inferior nigricans vix coagulabatur, ſerum quoque virelcebat. Poſtridie dolorem in gutture ſentiebat, qui ſine tumore erat, ad quem ſedandum gargariſma conueniens præſcripſi. Etiam mane ſumpſit medicamentum leniter purgans, à quo quinquies excreuit. Ad ſitim utebatur interdum ceruiſia tenui, interdum iulebo dicto. 8 Septembris, febre in eodem ſtatu permanente, ſanguinis unc. x. è ſiniſtro brachio extraximus, qui corruptus erat ut prior. 9 Septembris mane hoc ſudoriferum datum eſt:

Rec. *diaſcordij Fracaſtorij drach. j.*
confectionis de hyacintho,
extracti cardui bened. ſalis rutbæ, ana ſcrup. j.
aquæ theriacalis cardui ana unc. j.
olei vitrioli gut. ix.
miſce, fiat hauſtus.

Hinc bene ſudauit, ſed tamen continua febris (quæ ſingulis diebus per aliquot horas tantum pauxillum remittebat) debilitas, dolor gutturis, ſitis & oris ſiccitas in eodem ſtatu pene aderant, quibus etiam vigiliæ fere continuæ aderant. Poſt prandium huius apozematis cuos hauſtus bibit, eoque etiam ſequenti die uſus fuit.

Rec. ru-

Rec. *radic. cichorei, graminis, asparagi, ana unc. j.*
belenij, eryngij, petroselini, ana unc. ſ.
herbar. acetosæ, cardui ben. boraginis,
centaurij minoris, scordij, scabiosæ, ana m. j.
pomum citri integrum, in talcolos dissectum.
sem. 4. frig. maior. ana drach. j. ſ.
fruct. tamarindorum,
tartari rhenani, ana drach. vi.
passularum corinth. unc. j. ſ.
coquantur in aqua communis q. ſ. ad lib. ij.
adde colaturæ syrupi de limonibus unc. iii.
misce, fit apozema.

11 Septembris, præmisso enemate emolliente, rursus sanguinis uncias septem è dextro brachio cum euphoria extraximus, à qua venæsectione febris multum minuebatur. 12 Septembris mane ab assumpto priore antidoto rursus copiosè sudauit. Post meridiem apozemate usus fuit. Sequenti die, cum alvus non satis responderet, hunc pulverem dedi, quem cum pauxillo sui iulebi mixtum assumebat, atque inde ter alvum exonerabat:

℞. *rhabarbari optimi drach. j.*
cremoris tartari drach. ſ.
fiat pulvis.

Hic pulvis 16 Septembris reiteratus fuit. Intermediis autem diebus, ut & sequentibus tribus, utebatur antedicto apozemate, & interdum particulam huius conditi comedebat.

℞. *pulveris liberantis drach. j. ſ.*
diatrium santalorum scrup. ij.
confectionis de hyacintho scrup. j. ſ.
cortic. aurantiorum condit. rob ribesiorum rubr.
pulpæ tamarindorum, ana unc. ſ.
syrupi de limonibus q. ſ.
misce, fiat conditum.

A 12 Septembris febris indies magis magisque minuebatur, ita ut 19 Sept. ægèr iam expers febris videretur, neque angeretur, neque sitiret amplius, sed cibi appetentior esset. Tunc in victu fortè leviore aliquo errore commisso, 22 Sept. recidiuam passus est, febrisque magna cum vehementia redit. Hinc rursum præmisso clystere, statim è sinistro brachio sanguinis semi libram extraximus, cum tanto levamine, ut hac una venæsectione febris fere in totum supprimeretur. Postridie manè sumpto antidoto copiosissimè sudavit, atque illo, & sequentibus tribus quatuorve diebus apozemate antedicto cum condito utens, à morbo in totum liberatus fuit. Durante hac curatione, diæta tenui nutritus fuit, ex iusculis cum acetosa, borragine, pomis citri, hordeo mundato, uvis immaturis, & similibus paratis. Interdum cervisia tenui, interdum tenuissima (quam *scherrebier* appellant) interdum iulebis pro potu utebatur, læpe intolerabilem sitim tallebat cum pulpa tamarindorum, vel masticando fructum pomi citri saccharo immersum, vel linguæ imponendo folium sempervivi majoris detracta exteriore pellicula in aqua maceratum,

OBS.

OBSERVATIO XXVI.

Febris Maligna.

GErtruda Coets juvencula circiter 24. annorum, eadem maligna febre correpta fuit 8. Septembris vesperi (qui erat morbi dies quartus) ad illam vocatus, inveni ægrã adeo debilem, ut vix loqui posset, singulis momentis animo linquebatur, ob malignos vapores cor obruentes. Pulsus erat omninò parvus creber, & inæqualis, calor tamen non admodum intensus, cum materia morbifica malignitate magis quam calore infestaret. Statim hoc sudoriferum exhibui.

℞. *lapidis bezoar. or. scrup. ſ.*
diascordij Fracast. mithridatii Damoc.
confect. de hyacintho, ana scrup. j.
aquæ cardui ben. unc. j.
misceantur pro hausto.

Quamvis ob debilitatem non diu sudaret, tamen hinc valde levata fuit. Ad sitim hunc iulebum præscripsi.

℞. *aquæ cardui ben. meliſſæ, acetosæ, scabiosæ, ana lib. ſ.*
cinnamomi unc. j. succi citri recenter expressi unc. j. ſ.
syrupi de limonibus, violacei, ana unc. j. ſ.
olei sulphuris q. ſ.
misce, fiat iuleb.

6 Septembris mane alvus suppositorio citata est; post duas abinde horas è vena mediana dextri brachii sanguinis lib. ſ. extraximus, qui valde corruptus, mucilaginosus, è pallido virescens erat, cum sero viridi, parum boni sanguinis in fundo continens. Non obstante magna virium debilitate, fortiter tulit venæsectionem, indeque magnum levamen sentiit. Huius conditi subinde particulam comedit:

Rec. *pulv. liberantis drach. j. salis prunellæ scrup. j.*
rob ribesiorum rubr. pulpæ tamarindorum,
conservæ rosarum, ana unc. ſ.
confect. de hyacintho drach. j. ſ.
syrupi de limonibus q. ſ.
misce fiat conditum.

Postridie in iisdem continuatum est. Cervisiam tenuem olei vitrioli paucis guttis acore levi donatam pro potu ordinario bibit. 11 Septembris ultimum sudoriferum rursus sumpsit, indeque levamen aliquod sentiit. 12 Sept. febris, anxietas & debilitas rursus augeri videbantur, quapropter è brachio sinistro extraximus unc. vi. qui corruptus erat ut prior. Ab hac venæsectione magnum levamen successit. Libenter apozemata & alia quædam medicamenta præscripsissem, sed quia per se delicatula erat, & iam à morbo valde nauseabunda, fere nihil assumere potuit. 13 Septembris rhabarbari pulverisati drachm. j. cum cremoris tartari drach. ſ. cerevisiæ tenui immiscuimus, atqui ita non sine molestia exhibuimus, undeter alvum exoneravit. Postridie paulo melius habuit, & antedicto condito usa est, febris valde exilis evasit. 18 Septembris in summam recidit debilitatem. Tunc hanc mixturam in cochlearij exhibui, à qua aliquantum levari videbatur.

Rec. *la*

Rec. *lapidis bezoar orient. ſcrup. ſ.*
confect. de hyacintho ſcrup. j.
aquæ cinnamomi drach. j. cardui drach. ij.
miſceantur.

19 Septembris, iterum è brachio dextro ſanguinis unc. v. extractæ ſunt: quâ venæſectione febris admodum mitigata fuit. Illa & ſequenti die continuatum eſt in uſu conditi & iulebi: Hoc tempore etiam in conſilium aduocatus fuit D. Gisbertus Coets, vir doctiſſimus & Arnhemii medicus primarius, qui inter cætera tanquam expertum & conuenientiſſimum remedium commendauit ſuam aquam theriacalem, quam Carbunculi aquam nominabat, & inſtar magni ſecreti celabat. Huius aquæ illius conſilio bis terve de die offerebatur ægræ cochleare unum. 21 Septembris, febre rurſus ingraueſcente, hoc antidotum dedi:

Rec. *ſalis abſinthij confectionis de hyacintho, ana ſcrup. j.*
lapidis bezoar orient. gr. xij.
aquæ carbunculi cardui, ana unc. ſ.
miſceantur.

Idem illud 22 & 23 Septemb. mane & veſperi reiteratum fuit. 24 Sept. immiſſo ſuppoſitorio vix ſemel alvum deiecit. Veſperi hoc ſumpſit.

Rec. *lapidis bezoar or. gr. xii.*
margaritarum præparatarum ſcrup. j.
aquæ carbunculi unc. ſ.
miſceantur, & dentur e cochleari.

Sequenti die è maſſæ pilularum Ruffi gr. xii. duas pilulas deglutiuit, à quibus circa veſperam bis deiecit: quæ pilulæ 28 Septembris reiteratæ ſunt, ut & 2 Octobris. Intermedio autem tempore continuatum fuit in uſu conditi, iulebi, & aquæ carbunculi, & tenui victu ex iuſculis nutriebatur ægra. Atque his tandem integræ ſanitati reſtituta fuit.

OBSERVATIO XXVII.

Febris maligna.

HEnricus ter Koelem, prædicta maligna febre correptus, 4 Septembris meum conſilium expetiit. Inveni hominem valde anxium, ac debilem, cum pulſu paruo & inæquali, abſque intenſo tamen calore. Vena ter ſecta, clyſteribus iniectis, medicamentis laxantibus, ſudoriferis, putredini ac malignitati reſiſtentibus; & confortantibus ſæpius exhibitis, tandem à morbo liberatus fuit. At cum ſe nimis cito aeri & diætæ temerariæ committeret, 28 Septembris recidivam priore morbo periculoſiorem incurrit. Rurſus poſt venam bis ſectam, aliaque multa exhibita medicamenta, tandem 16 Octobris per totum corpus maculæ rubræ & nonnullæ purpureæ magna copia undique in cute eruperunt, atque ab his paulo poſt ceſſauit febris, & ægro vires intra octiduum mediocriter reſtitutæ ſunt. Verum cum ipſe debilitatis ſuæ ignarus, & viribus ſuis nimium confidens, 28 Octobris ſemel tantum foras exiſſet, ſecundam recidiuam incidit valde periculoſam, propter vires priore morbo nimium labefactatas. Febris maligna violentia corpus iam debile exagitavit: nihilominus venæſectione rurſus cum ſummo leuamine inſtituta, multiſque medicamentis feliciter exhibitis, tandem 10 Nouembris copioſiſſimo ſpontaneo ſudore profluxit, atque inter ſudandum in latere ſiniſtro ſuper quintam, ſextam & ſeptimam

coſtam,

costam, tumor quidam rubicundus apparere cæpit, qui postridie ad pugni magnitudinem protuberauit. Ita febris planè cessauit, & morbus per sudorem & abscessum feliciter iudicatus est. Tumor autem ille valde durus erat, qui cum cataplasmatibus emollientibus & maturantibus quinque diebus non matureſceret, & æger de interiore partis affectæ dolore tam conquèreretur, summopere timui materiam aliquam, prope membranam pleuram inter costas hærentem iam maturuisse, quæ facile, apostemate ante exteriorem maturationem introrsum disrupto, & pure ad interiora effluente, grauius aliquod malum inducere posset. Quod periculum ut præuenirem, licet forinsecus nulla maturationis signa visu vel tactu percipi possent, tumorem per chirurgum ab inferiore, scalpello ad sesqui digiti latitudinem sursum iuxta costas immisso, aperiri iussi; quo facto iudicium me non fefelliſſe apparuit, effluxit enim pus maturum & album: atque ita magnum hoc ab apostemate imminens periculum euasit æger, & tumore postmodum à chirurgo persanato, pristinam valetudinem recuperauit.

OBSERVATIO XXVIII.

Dysenteria maligna.

EOdem tempore quo prædicta febris tam crudeliter grassabatur, etiam dysenteriæ malignæ, multisque lethales, plurimos inuadebant. Post mucum intestinorum statim ægri sanguinem excernebant, non quidem solum & purum, sed humori cuidam albo, viscoso & tenaciſſimo permixtum, qui instar picis aut viſci rebus omnibus firmiſſimè adhærebat, & in longiſſima filamenta extendi poterat. Ægris aderant ventris tormina intolerabilia, febris continua, cordis summa anxietas, vires maximè debiles, sitis ingens, totalis appetitus deiectio, vigiliæ continuæ, & nonnullis urinæ ardores. Quibus licuus ille viscosus & albus, sanguinolentis deiectionibus permixtus, valde tenax erat, plurimi moriebantur, at quo minus tenacitatis adesset, eo melius euadebant. Qui in deiiciendo flatus simul excernebant, de iis magna recuperandæ valetudinis spes erat. Illi qui ægris diu aderant iisque inseruiebant, à communi contagioso fœtore sæpe eiusdem mali participes fiebant. Difficillimæ curationis erant hi fluxus, in quorum curatione venæsectio parum aut nihil proderat: sæpe quoque nec purgantibus, nec astringentibus, nec sudoriferis, aliisque remediis, in huiusmodi morbis adhiberi solitis, quicquam proficiebatur.

EAdem illas lues hoc ipso tempore in castris nostris ante Schenckianum munimentum innumeros infecit, & plurimos occidit; cum Medici castrenses omnes in curatione huius mali omnia tentarent, sed pauca prodessent, tandem à medicis quibusdam Italis (qui cum Gallorum exercitu huc venerant) auxilium inuentum est, quo postea innumeri curati fuerant. Primò purgabant ægros cum rhabarbaro: deinde sumebant ceræ drach. j. ℈ vel drach. ij. hancque minutim inciſam in lactis dulcis unc. iv. vel v. aliquantisper coquebant usque dum perfectè liquefacta foret, atque tunc illud lac quam calidiſſime bibendum dabant, (calidiſſime sumi necesse est propter ceram quæ in lacte tepido coagulatur, ita ut bibi non possit) si prima vice non subsisteret fluxus, etiam secunda & tertia repetebant. Cum autem plurimi in castris hoc morbo laborarent, tantum ceræ albæ breui tempore consumtum fuit, ut pharmacopæi Emericenses in tota ciuitate nihil amplius haberent, sed illam bona quantitate aliunde coëmere coacti fuerint. Etsi autem cera rarius exhibeatur per os, tamen nouum

geme-

remedium non est, nam Dioscorides lib. 2. cap. 105. scribit eam ulcera implendi vim habere, & dysentericis in sorbitionibus dari. Sic Valleriola lib. 3. Observ. 4. refert dysentericum desperatum tali remedio fuisse restitutum: pomum integrum excauatum cera citrina mūdissima impleuit, & indito operculo prunis assandum admouit, donec cera liquesceret & pomi substantiæ, admisceretur, idque pomum ante omnem cibum ægro edendum aliquot diebus dedit. Idem Valleriola adhuc præstabilius fore putat si cera tali modo liquescat & assetur in malo cydonio ut medicamentum simul astrictoriam & glutinatoriam vim habeat. Quercetanus idem remedium parat ex pomo curtipendulo excavato, & ceræ albæ ac gummi Arabici ana drach. j. repleto: quo remedio feliciter usus fuit Greg. Horstius Lib. 4. Obs. 18. Solenander lib. 4. consil. 9. torturem ceræ unc. j. infarcit, & in aqua coquit, postea carnem edendam & iusculum cum pane sumendum porrigit. Alii pullum columbinum cera infarctum & assum, comedere iubent.

OBSERVATIO XXIX.

Dysenteria.

MArcellus Bor, vir robustus, annorum circitèr quadraginta, prædicta dysenteria etiam correptus fuit. 9. Octobris ipsum purgaui cum rhabarbaro. Deinde iulebos, condita, pulueres, & apozemata refrigerantia, incrassantia & astringentia, sudorifera quoque, aliaque conuenientia medicamenta conuenienti modo & tempore exhibui: verum hæc omnia nihil profuerunt, ita ut tandem viribus ægri ad extremum deiectis ipsum pro desperato haberem, neque per biduum in tali statu viuere posse crederem. Cum autem vehementer sitiret, & aquam frigidam appeteret, iussi in desperato casu illam magna quantitate & frigidam ægro offerri, ut hoc copiosiore aquæ potu causa morbifica (si fortè fieri posset ab intestinis abluueretur, eiusque acrimonia vi frigoris retunderetur. Æger itaque tota illa nocte aquam putealem frigidam magna copia (nam maximè sitiebat) ad libitum bibit, quæ in principio raptim intestina transibat, & magna tormina inducens per inferiora defluebat; postea minora tormina faciebat; circa matutinum tempus intestinorum dolores fere nulli erant, & deiectiones multo rariores: circa meridiem æger in somnum prolapsus, per aliquot horas quietè dormiuit; ante vesperam fluxus omnino subsitit, atque ita hic æger, qui iam cum Charonte de naulo pacisci putabatur, conuenienti postmodum diæta refectus, conualuit, inperato hoc remedio à morbo desperatissimo liberatus.

DE aquæ frigidæ potu in dysenteria vix loquuntur medici recentiores: est tamen remedium in cholerica dysenteria non alienum, nam humiditate sua abluit intestina, eaque ab omni humorum acrium saburrha liberat, & interna ulcera emundat; præterea frigiditate sua obtūdit bilis calorem & acrimoniā, atque intestinorum ulcera astringit. Frigidæ potum etiam veteribus in hoc morbo ignotum non fuisse liquet. Actius tetrab. 3. sermon. 1. cap. 45. sic inquit: *In potu a principio quidem pluvia aqua utendum est; quod si pluvia optima non adsit, fontana utemur.* Com. Celsus lib. 4. cap. 15. hæc scribit: *Si pluribus diebus remedia alia non iuverunt, vetusque iam vitium est, aquæ bene frigidæ potio assumpta ulcera astringit, & initium secundæ valetudinis facit.* Similiter etiā Paulus aliique veteres frigidæ potionis in dysenteria graui meminerunt. Inter recentiores Amatus Lusitanus cent. 2. curat. 56 etiam dysenteriam biliosam frigidæ copioso potu curatam vidit.

Aliàs quoque sæpe euenit, ut optimis remediis nihil proficientibus, interdum simplex ali-

quod deſperatas dyſenterias curauerit. Sic ex relatu plurium capitaneorum intellexi, cum anno 1624 Breda ab Hiſpano milite obſeſſa eſſet, & dyſenterię in urbe grauiter dominarentur, nec ullum huic malo remedium excogitari poſſet, cum omnia medicis nota auxilia nihil prodeſſent, tãdem caſu novum aliquod inuentum fuiſſe, quo plerique ſanati ſunt, nempe ſericum duplici rubro carmoſino colore tinctũ, in tenuiſſima filamenta pexum, & in vino macceratum: hoc vino cum ſcrup. ß. vel ſemi. drach. pulueris eiuſdem ſerici aliquoties aſſumpto, innumeri reſtituti ſunt. Noui quendam dyſentericum pro deſperato tam habitum, quicum meſpila cruda maiore copia deuoraſſet, præter ſpem conualuit. Alius quidam puluere oſſium humanorum aliquoties cum vino rubro aſſumpto ab incurabili fluxu liberatus eſt. Solum oleum oliuarum aſſumptum, vel cum pane albo toſto ei intincto comeſtum, multoties egregia præſtitit. Teſtatur Hollerius hederæ terreſtris ſuccum propinatum plurimos à morte liberaſſe. Foreſtus lib. 22. obſeru. 35. ſcribit ſe aliquando expertum fuiſſe, in hoc caſu nihil præſtantius contuliſſe, quam ſtercus canum ſola oſſa vorantium cum lacte chalybeato exhibitum. Hoc remedio refert Fuchſius ſe uno anno plus quam centum dyſentericos curaſſe. Riuerius centuria tertia, obſeruat. 84. ſcribit dyſentericum quendam uſum fuiſſe ſolo decocto pimpinellæ, cum aqua & butyro confecto, atque intra triduum curatum fuiſſe. Bruyerinus lib. 11 de re cibaria cap. 22. de ſe ipſo dyſenteria laborante ita ſcribit: *Nos grauiſſime tentati pene à medicis deplorati iacebamus; exitium enim ſuperabat opem, nullaque auxilia videbantur morbum lenire, nedum tollere. Tandẽ conſilio anus cuiuſdam ſorba cruda largiſſime vorans, poſtridie vim propemodum omnem terminalem, ſenſi depulſam: indeque firmata alvo, ab Orco (ut ita dixerim) reuocatus & priſtinæ valẽtudini reſtitutus, veriſſimè expertus ſum Cornelij Celſi dictum, videlicet, temeritatem plerumque efficere in morbis, quod prudentia nequiverit.*

OBSERVATIO XXX.

Phthyſis.

LVdouicus Guilhelmi, nauta, circiter 34 annorum & mediocriter robuſtus, febri maligna aliquamdiu laborauerat, à qua (adiuvante ſummo Numine) ipſum feliciter curaueram. Menſe Octobri, quarta poſt dictæ febris ſanationem hebdomada, maxima tuſſi correptus fuit, à catharro acri & ſallo ad pulmones deſcendente. Paulo poſt ſanguinem bona quantitate tuſſiendo reiecit: non diu poſt hoc ſanguinis ſputum etiam puris ſputum inſecutum eſt. Præter hæc admixtus erat his reiectionibus ſpumoſus quidam muccus albus viſcoſus & tenaciſſimus, qui magna quantitate puri & ſanguini permixtus quotidie reiiciebatur. Huic morbo etiam parua aderat febricula, ſed non continua. Æger totus extabeſcebat, & adeo raucus euadebat, ut vix loqui poſſet amplius. Conquerebatur de interno grauatiuo ſiniſtri pulmonis dolore, totumque quod exſcreabat ex illo pectoris latere aſcendere ſe ſatis ſentire dicebat. Decubitus in dextrum latus moleſtus erat. Interdum tuſſiendo ferè ſuffocabatur, propter tenaciſſimam materiam gutturi inhærentem. Ad huius morbi curationem multa variaque longo tempore adhibui remedia, quibus cathatti ſiſti, tuſſis imminui ac leniri, expectorationes promoueri, & pulmo exſiccari atque ſanari poſſet: apozematibus pectoralibus, exſiccantibus & vulnerariis, decoctis guaiaci, chynæ & ſalſæparillæ, puluere Haly contra tabem, linctibus, aliiſque variis conuenientibus medicamentis diu fruſtra uſi ſumus. Tandem his omnibus nihil proficientibus, & ulcere quotidie in peius abeunte, cum ægrum iam ab omni remediorum uſu auerſum, corpore ad extremam

mam maciem ſceleti inſtar tabefactò, viribuſque magis magiſquè deficientibus, viderem, à medicamentorum uſu aliquamdiu abſtinere coacti fuimus. Interim ad virium refectionem & ſuſtentationem quotidie ter (nempe manè, meridie & veſperi) lactis caprilli recens mulcti & adhuc tepidi, hauſtum bibere iuſſi, incipiendo à minore quantitate, & paulatim aſcendendo ad lib. j. pro doſi. Hujus lactis uſum cum per duas treſve ſeptimanas continuaſſet, cœpit tuſſis multum imminui & pulmo exſiccari, parum quoque reiecit & indies fortior euaſit æger. Continuando autem in eiuſdem uſu uſque ad tertium menſem, ulcus pulmonis plane conſolidatum fuit, & à periculoſiſſima tabe feliciter euaſit æger, neque deinceps multis annis quicquam mali in pectore percepit. Poſt duodecim vero annos à catharrorum acrium defluxu in idem malum relapſus eſt, cumque ego tunc Noviomagi non habitarem, & alii Medici non ſatis conuenientia medicamenta adhiberent, totus emaciatus & tabefactus obiit.

PEriculoſus admodum morbus eſt vera phthiſis, à qua pauciſſimi ſanantur: nonnunquam longo medicamentorum uſu malum ad tempus leniri, & vita aliquanto longius extendi poteſt, ſed perfectam ſanationem ratò conſequuntur ægri, quam tamen in prædicto feliciter obtinuimus, qui totis undecim poſt curationem annis, bene ſanus vixit. Lac autem ad phthiſeos ſanationem plurimum prodeſſe, Galeni Rhaſis aliorumque veterum & recentiorum Medicorum teſtimoniis ſancitum eſt. De hoc Sennertus praxeos lib. 2. part. 2. cap. 12. ita ſcribit: *commodiſſima autem hic ſunt medicamenta, quæ omnibus ſcopis ſatisfaciũt, ulcus nimirum conſolidant, corpus emaciatum inſtaurant, caloremq; febrilem mitigant. Inter quæ primas facile lac tenet, & quo, ut Galenus 3. de med. facult. cap. 16. & de cibis boni ac mali ſucci cap. 4 & 5 method. med. cap. 12. & 7. meth. med. cap. 6. docet, curandis phthiſicis vix quid præſtantius datur.* Paulo poſt addit. *Inter alimenta autem præcipue primum locum lac obtinet. Optime enim corpus nutrit, ſanguini bonam materiam præbet, acrimoniam vitioſorum humorum temperat, ſerioſa ulcus abſtergit, caſeoſa conſolidationi inſerit, butyracea humectat & corporis exſiccationi reſiſtit.* Eodem modo de lacte etiam loquitur Riuerius praxeos lib. 2. cap. 6. Verum in uſu lactis hæc varia conſideranda veniunt. 1. quibus non conueniat. 2. quando & quomodo dandum ſit. 3. qua quantitate. 4 quomodo ſit corrigendum. 5. quale lac conueniat. 1. Quibus lac non conueniat docet Crato (conſil. à Schenkio collect. 86.) his verbis: *Obſervent autem medici practici tres conditiones in exhibitione lactis: quarum prima eſt, ne capitis adſit imbecillitas & dolor, iis enim non conuenire Hippocratico oraculo monemur. Secundò, ſi febris non ſit magna, vix enim fieri poteſt, quin febrienti lac in ventriculo non corrumpatur. Tertio, ſi non ſit βαρβορυγμὸς, id eſt, ſi viſcera flatu non diſtendatur. In his cum cautione exhibendum.* Hoc ipſum quoque docet Sennertus locis citatis.

2. Dandum lac vacuo ventriculo & mundato ventre, alioqui facile aceſcit & corrumpitur. Ex ipſa autem mamma ſugendum, vel recens mulctum adhuc calidum ſumendum eſt; nam refrigeratum facile ſiſtim contrahit; ſi verò coquatur, nimis craſſum, viſcoſum, & ingratum redditur. Poſt eius aſſumptionem æger neque ſtatim dormiat, neque alium cibum vel potum (imprimis vinum, acetum potum acidulum, vel ſimile quid) ſumat, antequam lac bene concoctum fuerit, ne in ventriculo corrumpatur.

3. Quantitas primò ſit exigua, unciarum quatuor vel quinque, ut ventriculus paulatim aſſuefcat, deinde augeri poteſt ad lib. ſ. & ad lib. j. Ea enim quantitate ſemper dandum eſt, ut à ventriculo bene ferri & concoqui poſſit. Ideoque à minori quantitate ad maiorem accedendum, & primò quotidie ſemel, deinde bis, tandem ter dandum.

4. Ne autem lac in ventriculo coaguletur aut aceſcat, aliquid ſaccharo admiſceri poteſt (Riuerius ſaccharum roſaceum admixtum laudat) quod tamen neceſſe non eſt, ubi coagulatio non metuitur. Alii medici etiam mel admiſceri volunt, ſed illud nos improbamus.

5. Vltimo etiam aliquis lactis delectus habendus

berdus est. *Lac humanum* (inquit Mercurialis) *cæteris melius esse, nullus in controuersiam vocabit*. Hoc enim naturæ corporis nostri maximè cognatum esse extra dubium est, cuiusque usu se phthisicum perfectè sanasse refert Zacutus Lusitanus prax. admir. lib. 1. obseruat. 120. qualem curationem etiam refert Valleriola lib. 5. obseruat. 5. Sic etiam Platerus lacte muliebri ex ipsis mammis exfucto aliquos restitutos se vidisse refert, ex iisque unum non solum conualuisse, verum etiam tantas vires recepisse, ut, ne lac sibi in posterum deficeret, nutricem denouo impregnauerit. Post humanum lac, est asininum, bubulum & caprinum. Asininum lac est serosius, tenuius, & ad ulcus abstergendum commodius. Lac bubulum est minus serosum, & magis nutriens. Lac autem caprinum non multum differt ab humano lacte plurimum nutrit siccat & consolidat. Huius usu noster æger optimè sanatus fuit.

OBSERVATIO XXXI.

Vomitus.

DOminus de Guade, centurio in exercitu regis Galliarum, vehementi vomitu fere per triduum laborauerat, vomitoria aliaque ipsi data remedia nihil profuerant. Tertia morbi die, Medicus Gallus qui ipsum tractabat, videns ægrum præ vomitus violentia iam fere deficere, meum quoque consilium petiit. Vidi ea quæ vomuerat esse pituitam quandam spumosam (quam falsam esse testabatur ipse æger) cui parum bilis permixtum erat; non tamen valde multa vomebat, sed pauca, sæpe, & cum violento conatu. Exhibuimus bis terve bonum haustum decocti hordei cum pauxillo mellis ad leuem dulcedinem, idque tepidè; quod cum singulis vicibus cum multa tenaci pituita mixtum reuertisset, tandem dedimus aquæ cinnamomi cum vino distillati unc. ſ. cui olei cinnamomi guttas tres admiscuimus; quo assumpto cæpit melius habere: post sesqui horam illud ipsum reiteraumus. Interea ventriculi regioni hoc cataplasma impositum fuit calidè.

Rec. *foliorum mentha, melissæ,*
florum rosarum rubr. ana m. ſ. macis drach. ſ.
gariophyllorum, nucis moscatæ masticbes, olibani,
styracis cal. benzoini, ana scrup. ij.
fiat pulvis, cui adde fermenti acidi unc. iij.
aceti rosacei q. ſ.
fiat pasta mollis sine coctione.

His paucis enormis ille vomitus cessauit.

Alteri molestissimum vomitum, qui per totum diem durauerat, cohibui, exhibendo bis hunc haustum.

Rec. *vini albi ad ignem calefacti unc. ij.*
olei gariophyllorum gut. j.
cinnamomi gut. ij.
misce, sit hausius, quem sumat calidissime.

Ventriculi regioni calidè inungebatur oleum nucis moscatæ.

VOmitus vel inducitur per cõsensum aliarum partium, ut fit in vulneratione meningum cerebri, in nephritide, &c. qui vomitus cessat curato illo morbo cuius est symptoma. Vel excitatur ab humoribus copia vel acrimonia ventriculi tunicas stimulantibus, itaque

aut

aut bilioſis & calidis, aut pituitoſis, ſalſis & frigidis, aut melancholicis ſalſis, aut ſanguineis extrauaſatis & in ventriculo corumpentibus, aut nimia copia in illum irruentibus. In principio curationis, vomitus adhuc magis promouendus eſt, ut ventriculus eluatur & a mali cauſa liberetur, nam ſecundum Hippocratem, vomitus vomitum curat. Hoc facto, ventriculus roborandus eſt, vel frigidis, vel calidis medicamentis, prout cauſa mali calida frigidaue fuerit. In cauſa calida conueniunt iulebi cum ſucco granatorum, cydoniorum, citri, & oleo vitrioli confecti. Solus ſuccus cydoniorum crudus ad cochleare unum aut alterum ſumptus, hunc vomitum miraculosè ſiſtit. Exterius conueniunt fotus cum ſpongia aceto roſaceo aut ſambucino calido imbuta. Aut malum cydonium aſſatum & cataplaſmatis forma calidè impoſitum. Aut fermentum acidum cum ſucco menthæ & aceto mixtum & applicatum, quod vomitum citiſſime ſedat, & à Villanouano plurimum commendatur. Odoramenta quoque ex aceto, camphora, & ſimilibus plurimum prodeſſe poterunt.

In cauſa frigida, ventriculus calidioribus roborandus eſt, ut vino, aqua vitæ Matthioli, aquâ cinnamomi, oleo cinnamomi, nucis moſcatæ, macetis, gariophyllorum, ſpiritu vitrioli, & ſimilibus diſtillatis. Inter ſimplicia conueniunt omnes herbæ ſtomachales calidæ & aromata, etiam foris caſtorium, ſtyrax, ladanum, benzoe, galbanum, tacamacca, olibanũ, oleum nucis moſcatæ & macetis &c. quibus adde mala cydonia, maſtichem, aliaque aſtringentia. His non proficientibus, Falloppius (de medic. purg. ſimpl.) hoc experimentum ſcribit: *Quod ſi non ceſſat nauſea, arripiat mordicus cæpam communem bis vel ter, & non mandat, ſed mordeat tantum ipſam primis dentibus, & videbitis quod omnino quieſcet nauſea ſtatim, etiamſi ventriculus eſſet debillimus. Et ſcietis quod iſtud auxilium eſt ita præſtans, ut nullum ego inuenerim hac in re præſtantius.* His ſi non ſedetur vomitus, ad narcotica deueniendum, inter quæ in cauſa frigida primas tenet philonium Romanum ad drach. j. exhibitum. At in calida cauſa magis conueniunt pilulæ de ſtyrace, & laudanum opiatum.

OBSERVATIO XXXII.

RVſticus Groesbecenſis (quem propter ſtaturæ proceritatẽ ironicè parvum Ioannem vulgo appellabant) quadragenarius & fortis, ante biennium in lignis ſecandis feſtinantior, caſu a ligni fruſto diſiliente lætus fuerat in cruris dexteri muſculo tibiæo antico, vulnere quidem non lato, ſed ad periotium uſque pertingente: quod vulnus primo patu fecerat, poſtea vero nullis medis conſolidari potuerat, ſed remanſerat inſtar fonticuli, natura plurimos excrementitios humores per illud continuò excernente; hinc ſæpe inflammationes, aliaque moleſtias ruſticus patiebatur. Tandem cum menſe Septembri caſu ligna cuidam chirurgo Nouiomagenſi vendidiſſet, atque illi crus ſuum ſpectandum exhibuiſſet, chirurgus illud iam biennale vulnuſculum (quod, ut multi tales ſcioli ſolent, parui faciebat) cito conſolidare promiſit. Alter mali pertæſus, conditionem lætus accepit. Tunc ille ſtatim, non purgato corpore, neſcio quæ non unguenta cum petris immiſit, & emplaſtra impoſuit, quorum pinguedinem perioſtio vicinia ægerrimè tulit, hinc, ut & a prauis humoribus horum uſu iam intus ſubſiſtentibus, totius cruris grauis inflammatio cum ingenti tumore & dolore intolerabili intra triduum acceſſit, ita ut iam de gangræna metus foret. Tunc meum conſilium petitum eſt. Ego ſtatim, amotis illis omnibus, ut & oxycratio, quod toti cruri circumiectum erat, abiecto, vulnus cum ſpiritu vini optimè eluere & balſamum peruvianum, paucis camphoræ granis ei admixtis, tepidum infundere, toti autem cruri ſpiritum vini cum linteis circumponi curaui. Corpus etiam cathartico purgaui, & poſtea die venam ſecare iuſſi, ac diætam conuenientem præſcripſi. His non ſine moleſtia, cuneſcente

scente inflammatorio tumore, crus intra sex dies ad priorem statum reductum fuit. Verum cum postea adhuc nonnullis in locis noua inflammationis rudimenta (quibus etiam antea infestari solitus erat) subinde apparerent, toti cruri emplastrum griseum (ad cuius singulas uncias admiscueram camphoræ scrup. ii. circumpositum, quod ter renouatum tribus septimanis continuis adhæsit, eiusque usu inflammationum istarum reditus omnino impeditus fuit. Interea tamen ut vulnus etiam curaretur, iussi primo in eiusdem cruris altero latere cauterio potentiali fontinellam inuri, unde vix extracta eschara natura magno impetu excrementitios illos humores, per vulnus euacuari consuetos, hac noua via euacuauit, atque ita vulnus intra paucos dies solius balsami peruviani camphorati usu coaluit. Fontinellam autèm toto vitæ tempore apertam retinere suasi. Crure tali modo iam persanato, iterum de nouo rusticus conquerebatur malo, uxori suæ ingratissimo, nempe de Veneris tanta imbecillitate, ut ne minimum quidem stimulum ad illam sentiret, hoc malum durante cruris curatione sibi aduenisse dicebat. Ego statim suspicabar hunc languorem ab usu camphoræ (quam balsamo & emplastris immiscueram) procul dubio inductum fuisse, ac proinde ab eius usu postea abstinui, & electuarium diasatyrionis rustico utendum dedi, ac simul diætam ex cibis bene nutrientibus calidioribus, cum aromatibus, porris, cæpis, aliisque similibus coctis præscripsi, quibus intra paucos dies adeo restitutus fuit, ut exinde solito modo dictam agriculturam exercuerit.

Discant hinc chirurgi iuniores, ne suæ scientiæ nimirum tribuentes certitudinis, huiusmodi tibiarum, etiam exigua, vulnera parui faciant, multò minus ea festinanter consolidare nitantur, ne sua inscitia gangrænã & sphacelum inducentes, ægros vel cruce, vel vita priuent. Primò igitur circumspiciant prudenter, an natura iam à longo tempore non sit consueta humores excrementitios per illud vulnus euacuare, atque tunc non ante factam diuersionem, per fontinellam aliumve modum, curatio est incipienda. Deinde locum affectum bene examinent, anne periostium, nervus, vel simile quid, quod pinguia unguenta terre nequit, prope adsit, & qualia tunc conueniant topica. Denique totum corpus ante inceptam curationem bene expurgent, ut illo aliisque conuenientibus modis omnem prauorum humorum affluxum (qui facilis est ad partem declivem) impediant.

In huius rustici curatione etiam camphoræ, in extinguenda Venere, miras vires obseruauimus; cuius odorem & fumum per nares attractum venereos stimulos intringere etiam docet vernicu us,

Camphora per nares castrat odore mares.

Verum illud vix unquam crediderim, quod cruribus in posita hanc operationem exhibuit. Illud ipsum tamẽ antea etiam fratri meo contigisse memini, in curatione antiquis ulceribus infestati cruris Domini Eduardi, qui cum emplastrum quoddam camphoratum per duos menses cruri impositum gestasset, Venerem simul quasi extinctam, & uxorem non parum querebundam habuit, qui etiam usu calidorum medicamentorum & diætæ multum nutrientis & calidæ, non invita uxore, pristino vigori restitutus est. Propter eximias has camphoræ virtutes, monachi quidam in Belgio, qui exactiorem vitam agere volunt, eandem in cerussia sua, qua pro potu ordinario utuntur, macerandam suspendunt, ut tali potu carnalia desideria supprimant, & venereas insidias subterfugiant. Hinc Noviomagi aliquando ridiculam vidimus historiam, in fabro quodam lignario, qui cum in monasterio quodam territorii Clivensis (in quo camphoram tempore quadragesimæ cerussis suis immacerabant monachi) tabulati conficiendi gratia, per tres quatuorve septimanas commoratus fuisset, tandem domum reuersus uxori minus gratus hospes aduenit, nam ne minimum quidem ad Venerem stimulum sentiens, agellum suum incultum relinquebat; quod tamen impedimentum postea calidorum usu brevi sublatum fuit, ipse interea tum opere detestabatur illud monasterium

neq. e

neque deinceps in eo quicquam amplius fabricare voluit. Hanc venerem extinguendi facultatem nonnulli frigiditati & siccitati camphoræ attribuunt, sed malè, nam & sapor, & inflammabilitas illam non frigidam, sed calidam esse manifestissime testantur: ac proinde illa peculiaris facultas potius proprietati cuidam nobis occultæ asscribenda videtur, qualis etiam inesse creditur agno casto, menthæ, & rutæ, quæ tamen omnia licet etiam calida sint, Venerem tamen (experientia id docente) inhibent. Sennertus siccitati camphoræ dictam facultatem tribuit, verum ne sic quidem rem acu tetigit, cum multa alia sint tali & maiori siccitate prædicta, quibus huiusmodi facultas non inest: Venerem enim siccitas non extinguit sola. Iulius Scaliger exercit. 104. sect. 8. camphoram venerem non extinguere experimento canis edocere nititur, sed male, cum alia sit canis alia hominis constitutio, propter quam diuersitatē licet eadem operatio in utroque non succedat, inde tamen aduersus notissimam experientiam conclusionem facere temerarium est.

OBSERVATIO XXXIII.

Dolor Capitis.

VXor capitanei Schayck, mulier fortis, quadragenaria, intolerabili capitis dolore per tres menses laboraverat. Varia multorum in castris adhibita remedia nihil profuerant. Tandem mense Septembri meum consilium petiit. Ego præscripta conuenienti diæta, & corpore cathartico expurgato, hanc cucupham præscripsi.

℞. *Foliorum maioranæ rosmarini, ana p. ij.*
salviæ, florum rosarum rubr. meliloti, ana p. j.
masticbes, olibani, nucis moscatæ, ana scrup. ij.
gariophyllorum, scrup. j. ſ.
fiat pulvis grossus, è quo cum serico
rubro & bombace fiat ſ. art. cucupha.

Hac capiti imposita, intolerabilis ille dolor imminui cœpit, & paucis diebus totus euanuit. Ipsa tanti faciebat hanc cucupham ut in Frisiam (ubi habitabat) proficisci volens, adhuc duas similes sibi à pharmacopœo parari curaret, quarum alteram sibi ipsi servare volebat, alteram cognatæ suæ, simili dolore sæpe vexatæ, donare.

OBSERVATIO XXXIV.

Suppressio Menstruorum.

IOanna N. iuvencula Plethorica, robusta, circiter 24. annorum menstruas purgationes per tres menses suppressas habuerat, quæ suppressio primò inducta fuerat à copiosiore lactis pressi crudi ac frigidi potatione. Hinc decoloratio faciei, appetitus deiectio, nausea, dolores capitis, aliaque similia mala scaturiebant. 1. Octobris postquam diætam conuenientem præscripsissem, corpus expurgavi cum infusione foliorum sennæ & agarici, cui hieram picram admiscueram. Postridie hæc præscripsi.

℞. *Radicum aristolochiæ rotundæ, drach. ij.*
dictamni, ostrutii, valerianæ, ana unc. ſ.

folio-

foliorum nepetha, pulegii, abrotani,
sabinæ, ana M. ſ. absinthii, p. j.
seminum nigellæ, apii, ana drach. ij.
leviſtici, drach. j. ſ.
aniſi, naſturtii, ameos, ana drach. ſ.
croci orient. ſcrup. j.
fiat pulvis groſſus, ligandus in puppa,
quæ maceranda ſuſpendatur in vini albi lib. v.
℞. *Trochiſcorum de myrrha, ſcrup. j. ſ.*
ſpecierum hieræ,
diacurcùmæ
croci or. ana, ſcrup. j.
caſtorei,
boracis venet. ana ſcrup. ſ.
gummi ammoniaci aceto
ſcyllit. diſſol. drach. ij.
fiat ſ. art. maſſa, è quâ formentur,
pilulæ magnitudinis piſi, & deaurentur.

Harum pilularum quotidie manè & veſperi quinque deglutiebat, ſuperbibendo prædictæ infuſionis ſeu vini, unc. iiij. vel v. Tandem 15 Octobris menſes eruperunt. Verum cum ſe biduò poſt inceptam hanc purgationem ſatis temere rurſus aeri frigido ac ventoſo expoſuiſſet, iam feliciter inceptum naturæ opus ſuppreſſum eſt. Hinc ſtatim magna uteri ſuffocatio illam invaſit, ita ut ſubinde omnino ſtrangulari videretur. Caſtoreum cum aſſa fœtida & rutha viridi in puppa ligata ſtatim naribus obieci. Huius quoque decocti ſæpe de die aliquantulum bibere iuſſi.

Rec. *Radic. valerianæ, oſtrutii, ana unc. ſ.*
foliorum. ruthæ viridis, M. j. ſ.
matricariæ M. j.
iulorum nucum unc. ſ.
ſem. leviſtici, drach. v.
dauci,
ameos, ana drach. j.
vini albi & aquæ commis ana part. æq.
coquantur ſ. art. ad lib. j.

Cum autem mulierculæ aſſantes etiam aliquid pedibus ſupponi peterent, quo matrix deorſum detrahi poſſet, huiuſmodi cataplaſma ſeu potius paſta à me præſcripta, & pedibus ſuppoſita fuit.

Rec. *Foliorum viridium petaſitidis, man. v.*
piſtentur minutim, & addendo
fermenti acidi, unc. iij.
ſalis, drach. j. ſ.
vini decoctionis matricariæ, q. ſ.
fiat paſta ſuppedanea.

His mediocriter ceſſavit illa uterina ſuffocatio. Cum tamen in totum non evaneſceret, 20. Octobris purgata eſt cum ſola hiera picra. 21. Octobris prædictum decoctum reiteratum eſt. Poſtridie hoc ſudoriferum ſumpſit, à quo cum copioſiſſimè ſudaſſet, bene valuit.

Rec. *Oeu*

Rec. *Oculorum cancri præparat.*
salis cardui bened. ana scrup. j.
theriacæ Androm. drach. j.
castorii, crocior. ana gr. iiij.
aquæ theriacalis, unc. j. ſ.
olei ſuccini gut. xij.
miſce, fiat hauſtus.

Reliquum curationis, cum neceſſitas iam non urgeret, diſtulimus uſque ad 8. Nouembris, quo tempore rurſus, corpore prius purgato, rediit ad uſum pilularum & infuſionis 2. Octobris præſcriptæ. 14. Nouembris ſaphæna in pede ſiniſtro ſecta eſt. 18. Nouembris menſes rurſus copioſe fluxerunt, & ægra deinceps optimè valuit.

EO tempore quo menſtrua fluunt, oportet ut fœminæ ſibi diligentes caueant, alioqui vel à frigidæ potu, vel ab aere ventove frigido ſubtus recepto, vel pedum refrigeratione, vel terrore, aliove errore, facile ſiſtuntur, & poſtea grauium malorum cauſæ fiunt, ſicut & huic noſtræ ægræ contigit. Ita quoque Foreſtus Lib. 28. Obſerv. 2. refert hiſtoriam ancillæ, quæ cum menſtruas purgationes conſuetas haberet, nudis pedibus pauimentum aquæ decerſit, unde ſubito reſtrictis menſibus multa grauia ſymptomata inſecuta ſunt, & fluxus ille non niſi poſt aliquot menſes ſatis difficulter reſtitutus fuit. Idem etiam contigiſſe refert alteri iuvenculæ, quæ tempore huius fluxus in aquâ ſaltabat: item ruſticæ, quæ tali tempore ſibi venam in brachio ſecari curauerat.

Ad menſtruorum prouocationem variis utimur remediis multis variiſque formis compoſitis, prout ægras Medicamenta hac illave forma libentius aſſumere velle animadvertimus, atque ea de cauſa huic noſtræ ægræ, præter hyſtericam infuſionem, potius pilulas dedimus; utpote illi gratiores, atque in illo morbo non parum efficaces, quales pilulas medici multis variiſque modis etiam conficiunt. Montagnana has ſequentes laudat.

Rec. *Trochiſ. de myrrha, drach. j. ſ.*
ſeminis apii,
caſſ. e ligneæ, ana ſcrup. ſ.
moſchi gr. xv.
cum ſucco apii fiant pilulæ.

Sennertus prax. lib. 4. part. 2. ſect. 2. cap. 3. valde commendat trochiſcos de myrrha in forma Pilularum ſumptos, ut & has pilulas,

Rec. *Trochiſc. de myrrha, ſcrup. iiij.*
extracti gentianæ,
ſabinæ, ana ſcrup. j.
caſtoris, ſcrup. ſ.
fiant pilulæ. Doſis, ſcrup. ij.

Alii hac formam efficaciores eſſe putant;

Rec. *Trochiſ. de myrrhæ,*
ſpecie hieræ,
diambræ,
boracis venet.
chalybis præparati,
caſtorij. ana ſcrup. ij.
croci or. ſcrup. j.
gummi ammoniaci aceto
ſcyllit. diſſol. drach. iij.
fiant ſ. art. pilulæ parvæ,
doſis, ſcrup. j. ad ſcrup. ij.

Zacutus Luſitanus prax. admir. lib. 2. Obſeruat. 105. nobilem matronam morti iam vicinam, in qua omnia alia adhibita auxilia nihil profuerant, tandem reſtitutam fuiſſe ſcribit, ſolis pilulis ex chalybe & puluere calamenthæ, cum ſyrupo de artemiſia paratis, quarum drach. j. ſumebat mane cum exercitio, ſpatio viginti dierum. Sic pilulas ſinguli medici pro diuerſis intentionibus diuerſimodè componunt.

Quantum ad ſuppedanea quæ pedibus ſupponuntur, ſi magnas in uterinis affectibus vires non habeant, ſaltem nihil nocent, ac proinde ægrorum petitioni hac in parte etiam ſatisfieri poteſt, præcipuè cum magni quoque medici hinc aliquod auxilium expectari poſſe ſcribant, imprimis ſi talia ſupponantur, quæ à proprietate conterre putantur, qualia ſunt artemiſia, pulegium, ſabina, matricaria, maximè autem petaſitidis, & bardanæ folia, quæ à non nullis tã efficacia eſſe creduntur, ut capiti impoſita

matricem sursum, pedibus verò supposita deorsum potenter trahant. Veteres, teste mercuriali præfect. Pisan. ad histor. 28. etiam spongiis aceto imbutis & expressis ac pedibus alligatis solebant menstruorum & puerperiorum provocationes tentare.

OBSERVATIO XXXV.

Hypercatharsis.

COgnatus strenuissimi viri D. Thomas Lucas equitum capitanei, vir circiter quadragenarius, cum se non admodum bene haberet, meo consilio foliorum sennæ drach. ii. rhabarbari drach. i. & seminis anisi scrup. ii. (nam dicebat se facillime medicamentis moueri) per noctem macerauit in ceruisiæ tenuis, unc. iii. vel iv. atque istam colaturam sequenti manè bibit. A facili & leui hoc medicamento (mirum dictu spatio octo horarum circiter sexaginta sedes cum summis tormimbus habuit, & fortassis de vita illius actum fuisset, nisi sequenti hausto exhibito, & sudore prouocato, fluxum sedassem.

℞. *Terræ sigillatæ, scrup. j. ſ.*
corallii rubri præparati,
cornu cerui usti, ana scrup. ſ.
theriacæ Androm. scrup. iv.
requiei Nicolai, scrup. j.
aquæ theriacalis,
cardui bened. ana unc. ſ.
misce fiat haustus.

Linteamina ad ignem calefacta ventri quoque imponi & sæpius renouari iussi: atque ita substitit fluxus. Suasi autem, ne in posterum ullius Medici consilio aliquod purgans medicamentum, quantumvis leue, assumeret, sed necessitate sic urgente, alvum potius enemate prouocaret, vel aliquo iusculo emolliente.

INfelices profectò sunt illi Medici, quibus in principio praxeos huiusmodi ægri curandi occurrunt, haud parvo enim nominis & famæ periculo exponuntur: nam illud in medicina plerumque euenire solet, ut iuniores medici meliores tortores appellentur, & si suis exhibitis medicamentis ægrum aliquem à periculoso morbo sanent, id fato adscribatur (quia, inquiunt, hora eius nondum venerat) si verò à morbi violentia cuictus æger succumbat, illud statim Medico eius medicamentis imputetur. Ita hic quoque mihi absque dubio error aliquis imputatus fuisset, si in pharmacopœa à me præscriptum ibique paratum fuisset medicamentum, nunc facile hoc aut illud venenum admixtum fuisse dixissent; nunc autem plane immunis haberus fui, quia uxor Domini Lucas infusionem ipsamet fecerat præparauerat. Simili infelix casus etiam fratri meo aliquando euenit, qui cum Domino N. solius rhabarbari drachmam in ceruisia tenui domi suæ macerandam dedisset, ab hoc solo potu ultra quadragesies ei alvus fortiter citata fuit.

Magna est hominum in purgando differentia: non nullis robustissimis, qui vix ullis medicamenti moueri posse viderentur, interdum facillimis & leuissimis medicamentis grauissimi fluxus excitantur; aliis autem, qui debiles & facilis emotionis esse putantur, nonnunquam vix fortissimis medicamentis alvus cieri potest. Ita novi virum brevis staturæ & macilentum, cui alvus non potest emoueri aliis medicamentis quam tabaco, quod per noctem in ceruisia tenui macerare & dein colare solet, eamque colaturam bibens, sine ulla alteratione tantum ter quaterve deficit, quod tamen

men tabacum aliis haud parvum vitæ periculum induceret. Vxor quoque Simonis V Viggers mulier debilis & macilenta, vix ullo cathartico purgari poterat, tabaco tamen sumpto alvus ipsi leuiter absq; molestia ciebatur. Cornelius Sleenacker, ludimagister, vir debilis, adeo duræ alui erat, ut interdum non nisi antimoniatis aliisque vehementibus cathartics emoueri posset.

Contrarium verò in aliis euenit, in quibus solus ferè medicamentorum aspectus operari videtur. Sic non semel vidi nobilem Domicellam, à solo purgantium odore æque purgatam fuisse, acti illa per os assumpsisset, nam iisdem assumptis vix magis purgabatur. Atque illud ipsum etiam in aliis nonnullis me vidisse memini. Similia quoque exempla eorum, qui solo medicamentorum odore purgantur, referunt Alexander Benedictus in præfat. ad Lib. de Peste. Erastus Lib. de Occultis pharmacorum potestatibus cap. 60. Ioannes Posthius in Obseruat. Rondeletius, aliique plures.

OBSERVATIO XXXVI.

Anhelitus Fœtor.

Filius nobilis viri Iodoci N. anhelitum valde fœtentem habebat. Parentes huius mali originem à ventriculo procedere existimauerant, eaque de causa hieram picram aliquoties ipsi exhibuerant: cuius usu cum fœtor non cessaret, meum consilium petierunt. Ego non in ventriculo, sed in gingiuis & dentibus totam fœtoris causam latere statim animaduerti, quippe fæces in interstitiis & cauitatibus dentium diutius retentæ & putrescentes, hunc fœtorem producebant. Iussi ut bis terve de die dentiscalpio dentes bene expurgaret, & cum pauxillo huius aquæ aluminatæ bene collueret.

Rec. *Aluminis pulueriſati, drach. i.*
aquæ communis, unc. v.
aquæ cinnamomi, unc. ſ.
olei vitrioli gut. ix.
miſceantur.

Hoc lauamento cum per paucos dies usus fuisset, nullum deinde fœtorẽ amplius percepit.

ANhelitus fœtor varias causas habet. Interdum producitur à pulmonibus ulceratis, ut in phthisicis: interdum à pravis vaporibus gingiuas corrumpentibus, ut inscorbuticis: interdum ab orificii ventriculi superioris laxitate, & cibis in eo corrumpentibus: interdum (ut statuit Bauhinus) à laxitate valvulæ ad principium crassi intestini, per quam tunc stercorum fœtor continuus, intestina tenuia & ventriculum transiens, per os exspirat. Interdum fœtor hic inducitur solo dentium vitio, cum fæcibus refertæ diu non expurgantur, sed sordes in eorum interstitiis putrescunt & corrumpuntur. In hoc ultimo casu aqua aluminata maximè prodest, utpote quæ putredini fortiter resistit, & dentes ab omni corruptione præseruat.

OBSERVATIO XXXVII.

Asitia.

CHristianus ab Vmmersom, vini mercator, anno 1636 mense Martio valde nauseabundus erat, & appetitum dejectum iam multis diebus habuerat, ita ut vix quicquam comedens totus debilis euaderet. Quia autem peritis tunc temporis crude-

liter graſſabatur, ipſe ſe peſtilenti labe infectum eſſe putabat. Verum non peſtis, ſed ordinarium ſuum præſeruatiuum, quo contra peſtem quotidie ante meridiem nimia copia utebatur, mali cauſa erat, nempe vinum abſinthite. Quapropter huius vini uſum plane prohibui, & diæta conueniente præſcripta, corpus leuiter expurgaui, ac deinde ſequens conditum præſcripſi.

Rec. *rad. calami aromatici, nucis moſcatæ, maceris, florum ſulphuris, ana ſcrup. i. ſ.*
cremoris tartari drach. i. cinnamomi electi ſcrup. i.
gariophyllorum ſcrup. ſ.
pulueriſentur ſubtiliſſimè, deinde addantur
radicum heleniy condit. drach. vi.
conſeruæ anthos unc. ſ.
zingiberis condit. drach. vi.
olei vitrioli gut. vx. ſyrupi de limon. q. ſ.
fiat conditum.

Huius conditi manè & veſperi, interdum etiam meridiè, particulam edebat, & vini abſinthitis uſum intermittebat. Hinc breui; ceſſante nauſea, rediit appetitus. Ex illo tempore conditum hoc tanti fecit, ut illud poſtea per aliquot annos multoties à pharmacopæo confici curaret, ad appetitum & ſanitatem (ut aiebat) conſeruandam.

GAlenus abſinthio calefacientem extergentem, roborantem & deſiccantem vim tribuit: unde Plinius ſcribit illud corroborare ſtomachum, eiuſque ſaporem utiliter in vina transferri. Vinum autem abſinthite (quod hodie multis in uſu, plurimis vero in deteſtãdo abuſu eſt) non novum, ſed antiquum inuentum eſt, ipſis quoque veteribus notiſſimum, quod liquet ea eo, quod Dioſcorides lib. 5. cap. 49. varias eiuſdem compoſitiones tradat, ubi ſcribit illud utile eſſe ſtomacho, urinam ciere, tardam concoctionem accelerare; hepaticis, nephriticis, ictericis, cibum auertantibus, & ſtomacho male affectis auxiliari: valere etiam contra inflationes & diuturnam hypochondriorum diſtentionem, lumbricos, teretes expellere, remoratos menſes producere, quæ omnia etiam de vino abſinthite teſtatur Oribaſius collect. lib. 5. cap. 25. Verum etſi plurimæ inſignes abſinthii & vini anſinthitis ſint dotes, tamen notandum omnibus rebus bonis modum inditum eſſe, quem ſi excidamus, bona nobis mala facimus, nam optima quæque vel medicamenta, vel etiam nutrimenta immoderatius ſumpta nocent. Sic multoties etiam obſeruaui, vini abſinthitis numium & inordinatum uſum, grauiſſimam inducere inappetentiam, hepatis, ventriculi & totius corporis ſummam debilitatem, atq; hinc tandem capitis vertigines, memoriæ læſiones, epilepſias, hydropes, aliaque mala oriri, quibus non pauci abſinthitis vini copioſioris quotidiani potatores, fuerunt extincti. ut euenit N. Heymerick, qui hac de cauſa cachecticus & hydropicus) nec non Antonio N, qui epilepticus obiit, aliiſque innumeris. Quapropter ut vinum abſinthite proſit, tantum modice ſumendum eſt. Vnum ridiculum hic ſubiungere placet. Cum anno 1635 Gallorum exercitus Noviomagum veniſſet, Galli matutinis temporibus ad præſeruationem à peſte bibebant vinum Hiſpanicum, rogantibus autem quibuſdam nobilibus quid nam Belgæ biberent ad præſeruationem, reſpondit œnopola illos bibere vinum abſinthite: hoc cum illis prorſus incognitum eſſet, ſibi dari petierunt, verum cum illud guſtaſſent, ſtatim cum execratione exclamauerunt: Maledicta ſit illa vinea è qua tale vinum exprimitur, nam hic eſt re vera ille potus quem Iudæi obtulerunt ieiu Chriſto crucifixo. Profectò illi Galli putabant illud vinum tam amarum è terra ſuccreſcere, neque illud ita compoſitum eſſe ſciebant.

Obs.

OBSERVATIO XXXVIII.

Pulmonis vulnus sclopeto inflictum.

ANno 1636 mense maio, durante obsidione munimenti Schenckiani, eques quidam ex nostris in conflictu equestri ictu sclopeti vulneratus in pectoris dextro latere circa mammillam, tribus globulis plumbeis pectus & pulmonem dextrum transeuntibus, atque in tergo circa scapulam tribus diuersis foraminibus iterum exeuntibus. Cum Noniomagum ad ædes suas delatus esse, atque ibi cum chirurgo ipsum inuisissem, è vulnerum statu certam mortem prædixi. Ne tamen nostra incuria mori videretur, vulnera religauimus, alvum clystere subduximus, ad sanguinem è pulmone effluentem sistendum medicamenta conuenientia dedimus, interiori etiam vulneri cannam plumbeam immisimus, per quam sanguis & interna materia euacuari possent; quod cum per illud vulnus minus commode fieret, postea in latere, facta intercostali incisione, commodiorem viam fecimus. In dieta prohibuimus omnia acria, frigida, salsa, acida, ut & cibos difficilis digestionis & mali nutrimenti: At cibos dulciores, iuscula carnium vitulinorum, agnorum, gallinatum, ut & ipsas carnes, oua quoque sorbilia, lac dulce, & similia concessimus, ac reliqua dietam spectantia pro re nata quotidie præscripsimus. Interea continuatum semper fuit in usu apozematum vulnerariorum pectoralium: nulla febris accessit, & appetitus mediocris remansit. Post tres quatuorve septimanas una cum sanguine (qui toto ipso interuallo modò spumosus, modò aquosus, modò coagulatus per cannam plumbeam, sed paucus, effluxerat, & sursum reiectus fuerat) pus satis magna quantitate cum tussi reiici cæpit, quod puris & sanguinis sputum continuauit usque ad sextum mensem, ita ut omnino nulla sanationis spes eluceret, æger enim totus extabescens, iam ad extremam maciem & debilitatem peruenerat. Miser tamen ille, vitæ cupidus, nos sæpe supplex rogabat, ne ipsum pro desperato desereremus, sed in curatione omnem diligentiam adhiberemus. Itaque, licet nos oleum & operam perdituros existimaremus, ipsius tamen precibus inducti, non potuimus non inceptum opus continuare. Quia autem propter summam debilitatem vires reficiendæ erant, præter apozemata vulneraria, quæ ter de die assumebat, etiam ter de die haustum lactis caprini recenter mulcti tepidè bibere iussimus: nonnunquam etiam amygdalatum, subinde conditum corroborans præscripsimus. Postquam lactis caprini usus reliquis medicamentis adiunctus esset, cæpit paulatim imminui puris sanguinolenti sputum, quod tandem una cum tussi plane desiit circa initium decimi ab inflicto vulnere mensis. Exinde æger in dicti lactis usu continuando, indies magis magisque corroboratus fuit, & carnosus euasit. Circa finem decimi mensis rursus per cubiculum deambulauit. Exacto undecimo mense omnino sanatus foras prodiit, nec deinde quicquam mali e tanto vulnere reliquit. Septennio post ipsum adhuc bene sanum inter reliquos equites equitantem vidi.

PVlmonum vulnera admodum periculosa, & plerumque lethalia esse, testantur Hippocrates 6. aphorism. 18. Galenus in com. ad dictum aphorism. Auicenna quarta quarti, cap. de disrupt. & extract. sagit. Celsus lib. 5. cap. 26. alii que primarii Medici simul & chirurgi, propterea quod viscus fungosum propter cõtinuum motum vix aliquam curationẽ recipere possit. Semper tamen lethalia non esse docuit experientia, cum sæpe gravia pulmonũ vulnera, ab aliis inflicta, perfecte sanata fuisse visa sint, atque etiam talia in quibus pulmoni substantiæ

pars

pars exſecta fuit? quod ſe vidiſſe teſtantur Rolandus Parmenſis præcèos lib. 3. cap. 25. Theodoricus lib. 2. cap. 17. Gemma lib. 1. cosmocrit. capit. 6. Valleriola lib. 4. obſervat. 10. Hildanus cent. 2. obſerv. 32. aliique plures. Verum hactenus pauciſſimos inuenias, qui pulmonum grauia vulnera ſclopetis inflicta perfectè ſanata viderint, (qualem tamen caſum ſibi viſum deſcribit Petrus Fuhrmannus Epiſtol. ad Gregorium Horſtium) propterea quod à plumbei globuli maxima violentia facta grauis contuſio, nullam in fungoſa illa parte ſanationem admittere videatur, ſed potius inflammationem, gangranam, putredinē, aut ſphacelum minetur. Quæ tamen curatio prædicto equiti, uſu medicamentorum & lactis caprini (de quo lacte antea obſeruat. 30. in annot. pluribus egimus) feliciter contigit. Cuius equitis ſanatio verè monſtroſa haberi debet. Ego antehac vix unquam crediderim ſem huiuſmodi tria grauia pulmonis vulnera (quibus à globulorum tranſeuntium violentia debuit magna adfuiſſe contuſio) ſclopetō inflicta ſanari ullo modo poſſe, & niſi ipſemet oculatus teſtis adfuiſſem, fortaſſis adhuc dubitarem. Vulnera pulmonum gladiis & cultris inflicta alias ſanata fuiſſe etiam nos vidimus, ſed illud non eſt adeo mirum, cum iis non adſit tanta contuſio, neque iis tam facile ſuccedat inflammatio.

Præter dictam ſanationem, etiam illud rarū contigit huic ægro, quod tam grauiter læſus, peſte, quæ tunc crudeliſſimè graſſabatur, non fuerit infectus, cum alioqui plurimis vulneratis & aliis morbis laborantibus id contingeret. Erat autem hic æger homo robuſtus, florentis ætatis, boni temperamenti, & militabat ſub capitaneo Coeniers, Anglo. Ante aliquot annos, cum Bredæ Dominum de Naſſau ægrotantem inuiſerem, hic eques cum ſexaginta aliis (inter quos adhuc duo alii erant, quibus capita trepano quondam perforari curaueram) in gratiarum actionem me conduxit uſque ad Gertruydenbergam.

OBSERVATIO XXXIX.

Hernia inteſtinalis.

VXor Ioannis Vermeulen, ceruiſiarii, mulier circiter 40 annorum, herniam inteſtinalem habuit in inguine dextro, magnitudine oui anſerini protuberantem. Totalis aderat alui obſtructio, propter inteſtinum per anguſtum rupturæ foramen in inguen prolapſum. Sexto à principio mali die ad illam vocatus fui. Bis iniectum eſt clyſma, & à muliere quadam, quæ ex profeſſo huic operi vacabat, inteſtini reductio multoties clam enter, ſed fruſtra, tentata fuit, inteſtino flatibus adeo diſtento, ut nec ipſum, nec flatus remeare poſſent. Nihil fomentationes aliaque conuenientia topica poſſuerunt. His viſis, dixi, vel certam mortem eſſe expectandam, vel anceps remedium eſſe tentandum, nempe peritonæi dilatationem inciſione faciendam, ut per latius foramen inteſtinum introrſum repelli poſſet. Non arriſit iis meum conſilium: ac proinde cum præter hoc nihil aliud faciendum reſtaret, nec ipſi hoc permittere vellent, ego diſcedens ægram deploratam dereliqui. Poſt me vocatus fuit homo quidam rudis & nihili, circumforaneus lithotomus Grauæ habitans, quem vulgo magiſtrum Gerardum appellabant, qui gloriatus fuerat ſe inteſtinum breui reducturum: verum cum illud tribus diuerſis vicibus ſumma vi facere annixus fruſtra fuiſſet, pudibundus gloriator tacitè diſcedens Grauam profectus eſt. Quatriduo poſt eius diſceſſum, inguine ſponte putrefacto & diſrupto, multa excrementa inde effluxerunt, cum magno quidem ægræ leuamine, ſed certo exitio, quippe inteſtinum ab aggeſtæ duriſſima compreſſione diſruptum fuerat, atque hinc a fæcibus in illud inguinis interſtitium effluentibus pars illa computruerat. Tunc ultimum ſupererat remedium, inteſtini rupturam

rum consuere, & peritonæum dilatare, verum cum etiam hinc in ægra debili nulla salus mihi videretur expectari posse, negotium hoc intermittere & clementiorem mortem exspectare suasi. Non obstante autem mea dissuasione, tanta fuit vitæ cupido, ut ægram nec dolorum magnitudo, nec periculi gravitas ab illo opere deterrere potuerit, sed convocatis statim quatuor chirurgis primariis, illam operationem confestim fieri petierit. Cute igitur & vicinis partibus crucialiter apertis, intestinum tenue prolapsum, non parva tantum parte disruptum, sed fere transversim abruptum invenimus, vix enim straminis latitudine fines intestini sibi invicem cohærebant, & adeo intumuerant ut crassioris bubuli corii crassitiem æquarent. Hinc certum mortis indicium apparuit, nam si exigua fuisset solutio, forte ssis adhuc sanari potuisset, cum de magna hac nullas spes esset. Interea tamen filo sericeo quadruplicato & bene cerato consutum fuit intestinum, & peritonæi ruptura scalpello aliquantum dilatata, in ventris cavitatem adactum. Clysteres, diæta conveniens, aliaque necessaria adhibita sunt. Ægra de magno dolore circa umbilicum conquerebatur, quem nullis fomentationibus, sacculis, aliisque topicis sedare potuimus, alioqui ægra mediocriter valebat, cum appetitu edebat, excrementa etiam laudabilia deficiebat. Quinta post peractam operationem die multum adauctus est ille dolor circa umbilicum; sequenti nocte cum ægra cum astantibus adhuc fortiter colloqueretur, ex improviso medios sermones pallida mors interrupit.

RVptura hæc adeo erat angusta, ut mirum foret quomodo solum intestinum per illam foras excidere potuisset, ita ut omnino impossibile fuerit illud solum & vacuum, multo minus flatibus distentum, per viam tam angustam vi repellere. Hujusmodi angustissimam rupturam antea quoque videram in alio hernioso, post mortem aperto. Quapropter pessimè faciunt illi, qui intestina per tam angustam viam summa vi repellere conantur, ut solent agyrtæ veri carnifices, nam citius disrumpi, quam tanta vi reduci posse, cum ratione docet experientia. Lenitet igitur hernias tractate, & cataplasmatibus, fomentationibus, aliisque convenientibus topicis, flatus primò discutere ac introrsum repellere, & rupturam aliquantum emollire, atque tunc demum intestini reductionem, absque ulla violentia, leniter aliquoties tentare præstat: quæ omnia si non juverint, tunc necessario ad extremum subsidium, peritonæi dilatationem, deveniendum est.

OBSERVATIO XL.

Dysuria.

GErardus Driessem mercator, circiter quinquagenarius, urinæ difficultate sæpius laborabat, qua non tantum urina difficulter & cum summo dolore fluebat, verum etiam non raro in totum sistebatur. Causa mali erat pituita quædam viscida & tenax, quæ nonnullis temporibus magna copia ad vesicam descendens, ejusdem sphincterem adeo obsidebat, ut sibi ipsi & urinæ liberum egressum impediret. Ille limus per penis meatum descendens & exiens tenax erat, ut sæpe initar filamentorum inde manibus extrahendus foret: etiam multoties adeo pertinaciter meatui inhærebat, ut argenteo acu crinali longiore immisso dissolvi & extrahi deberet. Malum hoc plurimis annis ipsi familiare fuerat, & modò ter, modò quater vel quinquies singulis annis invadebat, ac per duas tresve hebdomadas singulis vicibus durabat, quo intervallo maximam illius viscidæ pituitæ copiam

excer-

excernebat. Multi maximi nominis medici ad mali huius curationem plurimis usi fuerant remediis, sed omnibus frustra; qui Medici de causa & generatione illius tenacissimæ ac viscosæ pituitæ: nec non de loco unde sic per periodos descendebat, alii aliter iudicauerant. Interim neque ab aliis, neque à me curari potuit æger. Ingruente malo maximum auxilium & doloris leuamen inducebatur sequenti potione, quo sæpius utebatur, eoque dolores leniebat, subsistentem urinam ciebat, & vias urinarias lubricas reddendo crassam viscosamque illam pituitam commodius, citius, minore cum dolore, & maiore copia exonerabat.

Rec. *olei amygdalarum dulcium unc. j. l.*
vini maluatici optimi unc. ij.
succi citri recenter expressi unc. l.
misce, fiat potio.

SEnnertus praxeos lib. 3. part. 6. sect. 2. cap. 5. aliis dysuriæ causis unam annumerat huic iam dictæ non multum dissimilem. *Sæpe etiam* (inquit) *materia alba & lactea quasi cum urina copiosè emittitur, & micturionem ardentem excitat, & quidem sæpe tanta copia excernitur, ut ubi subsidet, dimidia pars matulæ repleatur: & talis urinæ mictio sæpe satis diu continuatur. De eius generatione aliis aliter sentire noui, ac scio quosdam eam pro pure in renibus genito habuisse. Verum si toti renes in pus resoluerentur, non posset tanta eius copia, quanta interdum per aliquot septimanas singulis diebus excernitur, inde suppeditari. Ego in ea sum sententia, prouenire illam materiam à cruditate & vitiata coctione, primò quidem ventriculi, deinde etiam cum error primæ coctionis non possit corrigi in secunda, epatis, qua chylus, & postea etiam sanguis crudus relinquitur, ueq; à partibus salsis & tartareis, quæ in prima coctione separari debent, mundatur, quæ postea à renibus attractæ & ad vesicam transmissæ, dolorem inter mingendum parient, & præcipue in fine mictionis, dum aliquid eius materiæ collo vesicæ & extremitati meatus urinarij adhæresci pertinacius.*

Ad huius mali curationem multum prosunt illa quæ acrimoniam temperant, emolliunt, & vias urinarias lubricas reddunt, ut crassiori materiæ liberior detur transitus: qualia sunt, oleum amygdalarum dulcium recens expressum, quod in hoc casu in frequenti usu solet esse. Vinum maluaticum, cuius solius potu Sennertus, locô citatô, scribit virum quendam tali grani dysuria infestatum fuisse sanatum. Decoctum florum chamomillæ in lacte bubulo, quo Forestus tradit senem quendam fuisse curatum. Vel decoctum illud quo nos aliàs puerum sanauimus, de quo diximus antè observ. 7. Item decoctum malvæ, althææ, ficuum, glycyrrhizæ, & similium: ut & syrupus de althea Fernelii: imprimis autem terebinthina in bolo cum saccharo deglutita, quæ crassos humores incidit, attenuat, detergit, propellit, & vias lenit atque emollit.

OBSERVATIO XLI.

Hæmoptysis.

Dominus Ioannes, Sacerdos Cranenburgensis, anno 1636. 16. Februarij has ad me Litteras misit.

EXpertissime Domine Doctor, maxima scientiæ & experientiæ tuæ fama me impulit, ut vestrum in meo morbo consilium experiri desiderem, sperans V. Rtiam aliquod salutare auxilium mihi allaturam. Diu valida tussis me infestauit, vix unquam requiem permittens: præterea ante mensis circiter spatium ad tussim adhuc accessit sputum sanguinis spumosi, quem exinde continenter (interdum maiore, interdum minore quan-

titate)

titate) reiicere soleo, quæ expuitio mihi valde molesta est. Ad hæc appetitum plane perdidi, ita ut nihil edere possim, nisi parum, cui acetum vel aliud quid acidi admixtum sit. Totus emacior, & vires iam ad extremum deiectæ sunt. Multa aliorum consilia nihil mihi profuerunt. Quæso si V. Rtia adhuc aliquid remedii adhiberi posse existimet, illud nobis impartiri velit. Vale, 16. Februarii, 1636.

V. Rtiæ Deditissimus,
IOANNES SACERDOS.

Huic eadem die sequenti modo Respondi.

REuerende vir Litteræ tuæ mihi datæ sunt, quibus breuiter pro temporis brevitate respondeo. Acri & salso catharro ad pulmones decidente diu te vexatum fuisse, atque hinc vehementem illam & continuam tussim originem traxisse percipio. Tandem autem humorum distillantium copia pulmonis aliqua vena aperta, vel tussis vi disrupta sanguinem profundit, qui è pulmone spumosus plerumque ejicitur. Malum hoc non curabitur, nisi catharri descensus impediatur, & tussis sedata fuerit. Ad has intentiones quatuor tibi mitto medicamenta. Primum, sunt septem pilulæ, quas eras mane assumes, atque his clementer purgaberis. Secundum est conditum, de quo peracta purgatione singulis diebus ter, nempe manè, meridiè, & vesperi, assumes particulam magnitudinis auellana vel nucis moscatæ. Tertium, est linctus, de quo, cum tussis maxime infestat, interdum linges. Quartum, est tabellatum, de quo sæpius diu noctuque particulam in ore liquescere sines. His quatuor adhuc addidi sacculum, cui quod inest, effundes in ollam nouam fictilem, & super iguem calefacies sine ulla humiditate, crebro mouendo spatula, ne herbæ comburantur, deinde sacculo iterum infundes, atque ita calidè capiti impones, imò quam calidissimè ferre poteris, atque per unam duasve horas inhærere sines, idque bis terve de die reiterabis, eoque ablato, statim capitium laneum, fumo mastichis & gariophyllorum bene perfumatum, calidè capiti impones, eique mantile calidum adhuc circumligabis, ut hoc modo refrigeratum & debilitatum cerebrum rursus calefieri, corroborari, exsiccari, atque ita catharri descensus impediri possit, quo facto, reliqua curatio facilius succedet. Satis nobis constat vos propter bellorum turbas & milites hospitio excipiendos minus commodè viuere posse, interea tamen, quantum fieri potest, aliqua etiam dietæ ratio habenda est. Itaque continebis te loco calido, imprimis autem caput ab omni externo frigore præseruabis. In victu abstinebis ab omnibus cibis salitis & fumo induratis, ut & ab omnibus quæ sunt difficilis concoctionis aut mali nutrimenti, maxime autem ab omnibus acidis (licet te bis maxime delectari scribas) ut aceto, succo limonum, pomis acidis, vino acido, omnibus denique, quibus aliqua aciditas admixta est, quia acida pulmones maxime ladunt. Conueniunt iusculæ carnis omnes, agninæ, vitulinæ, hædinæ, gallinarum, ut & ipsæ carnes, cum rosmarino, maiorana, hordeo mundato, vel passulis coctæ, ouæ quoque sorbilia, & lac caprillum: ut breuiter dicam, pleraque dulcia conueniunt. Si his non cessauerit malum, morbi statum post aliquot dies rescribito. Interim V. Rtiam Deo Opt. Max. commendatum volens, ero

Tuus in omnibus,
I. de DIEMERBROECK.

Medicamenta quæ præscripseram, hæc erant.

Rec. *Massæ pil. cochiarum, scrup. j. ſ.*
diagridij, gr. v.

fiant pilulæ vij. deaurentur.

Rec. Coralli rubri præparati, lapidis hæmatitis,
trochiscorum de terræ sigillata, ana scrup. ij.
florum sulphuris, drach. j.
olibani, tragacanthæ, spodij,
cornu cerui usti, ana scrup. j.
conserue rosarum rubrarum, unc. ij.
myuæ cydoniorum, unc. j. ſ.
requiei Nicolai, drach. j. ſ.
syrupi de papauere q. ſ.
misce, fiat conditum.

3 Rec. Syrupi de iuiubis, de tussilagine,
de glycyrriza, ana unc. j.
de papauere,
loch sani, ana unc. j. ſ.
misce, fiat linctus.

4. Rec. Capitum papaueris albi, n. v.
conscindantur minutim, & coquantur
per semi horam in aquæ communis q. ſ.
deinde colentur cum forti expressione:
colatura coquatur cum sacchari albi, unc. iv.
ad tabellati consistentiam, addendo
sub finem: pulueris radic. altheæ scrup. j. ſ.
glycyrrizæ rasæ, drach. j.
florum sulphuris, scrup. ij.
coralli rubri præparati,
boli arm. veræ ana scrup. j.
fiant ſ. art. tabellæ

Rec. Herb. maioranæ, M. j.
rosmarini, betonicæ,
flor. rosarum rubr. meliloti, ana M. ſ.
gariophyllorum, drach. j.
nucis moscatæ, sem. cumini, ana drach. ij.
grosso modo contusis adde,
sem. milij M. iv. salis communis M. iij.
misceantur simul, & dentur in sacculo lineo satis largo.

Cum his remediis per octiduum usus fuisset, transcripsit, tussim & sanguinis sputum non quidem curata, sed multum tamen fuisse imminuta. Vt malum prorsus sanaretur, tursus sequentia præscripta sunt. Reiterentur pilulæ, linctus, & conditum, antea præscripta.

Rec. Radicum consolidæ maioris, bistortæ,
tormentillæ, fœniculi, ana unc. ſ.
glycyrrizæ rasæ, drach. vj.
herbarum byssopi, tussilaginis.
scabiosæ, veronicæ, plantaginis,
betonicæ, rosmarini, ana M. j.
saluiæ,
florum rosar. rubr. ana M. j.
capitum papaueris albi minutim concisorum, n. iv.

passulæ.

passularum cum arillis, unc. iv.
dactylorum, n. ix.
decocti hordei, q. s.
coquantur s. art. & fiat apozema ad lib. iij.

Primo purgetur dictis pilulis, linctu utatur ad tussim, mane & vesperi post assumptum conditum bibat haustum apozematis. Circa finem Martii scripsit se à sputo sanguinis & tussi planè liberatum esse, optime quoque dormire & edere posse, mihique pro meis consiliis maximas gratias egit.

OMne sanguinis sputum è pulmonis venis gravius minatur malum, ac proinde citissimè & summa cum prudentia curari debet: quod etiam docet Benedictus Fauentinus praxeos lib. 3. cap. 6. *Rejectato* (inquit) *sanguine è pulmone cum tussi disrupta vena, ipsa non solidabitur, nisi magna cum difficultate, & Medici providentia ac sollicitudine.* Hæc autem curatio pro causarum varietate, morbi vehementia ac diuturnitate, & naturali ægrorum pulmonumque robore, aliàs facilius, aliàs difficilius peragitur. Inter alias autem causas una est hæc, quando nempe sanguinis rejectatio per os fit è pulmone, cum natura magno & violento tussis impetu humores, vias spiritales obstruentes, expellere nititur. Eò enim gravi impetu spirationis organis vis infertur, & ipsa cum suis vasis valde tenduntur, atque interdum disrumpuntur, & tunc sanguis rejicitur. Tali sanguinis sputo laborabat hic noster æger, quod periculosum quidem erat, sed minus tamen quam si à pulmonis mala dispositione, aut vasorum erosione, aliave simili causa, ortum duxisset. Verum nihilominus si diutius perstitisset ille morbus, sine dubio ab humorum distillantium acrimonia vasa quoque paulatim fuissent erosa, & ipsius visceris robur concidisset, atque tunc facile suppuratio, tabes, putredo, febris aliaque mala curatu difficillima & plerumque lethalia accessissent. Nunc verò quia res eò nondum deuenerat, neque malum admodum inveteratum erat, ipse quoque æger satis robustus foret, curatio feliciter peracta fuit, imo multò felicius & citius quam ego ipsemet opinatus fueram.

OBSERVATIO XLI.

Secundinæ & lochiorum Suppressio.

VXor Petri Vleys houvver, 6. Martii abortum fecit, ac fœtum sextimestrem peperit. Statim post abortum secundina, lochia, urina, & alui dejectiones simul substiterunt per tres dies continuos, usque de causis maximo periculo exposita fuit ægra, imprimis cum quoque Medicamenta ab obstetrice data nihil profuissent. 9. Martii (qui erat quartus à partu dies) ad illam vocatus fui, atque hæc statim præscripsi.

℞. *Radicum aristolochiæ rotundæ, dictamni, valerianæ,*
ostrutij, fœniculi, bryoniæ, ana drach. iij.
herb. ar. artemisiæ, pulegij, tanaceti,
matricariæ, sabinæ, ana M. j.
seminis apij, leuistici, dauci, ana drach. ij.
cicerum rubr. unc. j. s. vini albi q. s.
coquantur s. art. ad lib. j. s. fiat apozema.
℞. *Huius decocti, unc. v.*

foliorum sena mundat. drach. iij.
rhabarbari opt. drach. j. ſ.
sem. aniſi, drach. j.
cinnamomi electi, scrup. ſ.
fiat infusio per quatuor horas, deinde
colentur cum forti expressione, & addendo colaturæ,
olei succini gut. ix.
fiat hauſtus.

Hoc aſſumpto alvus leuiter purgata fuit, lochia cum urina ſatis copioſe fluxerunt, & ſecundina fruſtulatim prodiit, atque ita unico hoc medicamento ab imminenti periculo liberata fuit ægra.

OBSERVATIO XLII.

Cerebri vulnus Sclopeto inflictum.

NVaim, nobilis Anglus, qui ſignifer erat, iuvenis robuſtus, circiter 25 annorum, anno 1636, in obſidione munimenti Schenckiani in capite ſclopeti ictu vulneratus eſt, globulo plumbeo paruo intrante per canthum interiorem oculi dextri (ſine oculi tamen læſione) & cerebri ſubſtantiam recta tranſeunte uſque ad ſuperius os bregmatis eiuſdem lateris, quod os non tranſiit, ſed illi loco ſub oſſe inhæſit. Ipſe ſtatim, ab ictu concidit alto ſopore obrutus, & mentis ſenſuſque expers, atque ita pro mortuo Noviomagum delatus fuit. Nemo à tali vulnere ægrum ſanari poſſe iudicauit, utpote in quo ipſum cerebrum non parum læſum erat. Interea tamen ne ob incuriam aliquam periret videretur, chirurgus longo inſtrumento globuli lacum explorauit, eumque circa ſupremitatem oſſis lambdoidalis ſentiit: tunc ſtatim aliud inſtrumentum longum & tenuè, inſtar vaginæ, cui terebellum, globulis affigendis accommodatum intus inest, uſque ad globuli locum immiſit, & globulum terebello firmiter affixit, ſed cum eundem una cum inſtrumento extrahere vellet, neſcio qua mala Fortuna (forte quod tenellum terebellum nimium contorſiſſet) terebellum diffractum fuit, eiuſque pars globulo affixa in cerebro una cum globulo remanſit, ita tamen ut eius extremitas circa vulneris introitum conſpici poſſet; cum autem alia commoda inſtrumenta ad diſtractum illud ferrum extrahendum ad manum non eſſent, illud in cerebro relictum fuit uſque ad veſperam, quo tempore aptis inſtrumentis illud ferrum cum adhærente globulo extractum eſt, ſimulqi etiam de cerebri ſubſtantia aliquantum effluxit, magnitudo nempe nucis molcatæ: etiam pauca & parua oſſea fragmenta vulneris orificio inhærentia exempta fuerunt. Vulneri appoſuit chirurgus balſamum magiſtrale, & fomentationes cephalicæ ad cerebri corroborationem toti capiti circumpoſitæ ſunt, atque etiam alvus enemate citata eſt. Poſtridie e brachio dextro ſanguinis aliquot uncie extractæ ſunt. Quarta ab accepto vulnere die, ſubinde aliquantum cuigilauit æger, qua ablata occaſione ſtatim pro nutrimento aliquid iuſculi offerri curauit. Vique ad decimum quartum diem gravis ille ſopor paulatim imminutus fuit, ita ut poſtea tantum naturaliter dormiret. Nulla febris acceſſit, neque appetitus defectus fuit. Decoctis & conditis cephalicis per aliquot ſeptimanas utebatur. Vulneri præter dictum balſamum nihil aliud impoſitum fuit. Loco fomentationis cephalicæ poſtea capitium cephalicum ſiccum, ex herb.s

herbis aliisque cephalicis confectum, toti capiti impositum est. Atque hoc modo desperatissimus ille æger post tertium mensem bene sanatus iterum foras prodiit, & post quartum mensem rursus ad castra profectus est. Sexto post curationem anno Noviomagum veniens nos bene sanus invisit, illud tantum incommodi se retinuisse dicens, quod ingruente aliqua repentina tempestuosa aeris mutatione, tunc sibi caput aliquantum doleret, præterea quod à vini liberaliore potu statim inebriaretur & amens fieret: alioqui in reliquis omnibus solita munia haud secus administraret, acsi nunquam vulneratus fuisset.

CErebri vulnera lethalia esse statuit Hippocrates 6. Aphorism. 18. *Vesica* (inquit) *discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo transverso, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale est.* Quo loco *lethale*, non pro *necessario mortifero*, sed pro *summè periculoso* intelligendum esse, ait Galenus, in comment. ad eundem aphorismum. Nam cerebri vulnera ventriculos non penetrantia, nõ necessariò mortem inferre inde liquet, quod sæpe sanentur, quod se vidisse testantur Nicol. Massa, Carpus, Iacotius, Berengarius, multique alii. De sagittis ex dictarum partium vulneribus extrahendis, ita scribit Auicenna quarta quarti, cap. de disrupt. & extract. sagit. *Quod si sagitta fixa fuerit in aliquo membro principali, sicut cerebro, aut corde, aut pulmone, aut ventre, aut intestinis, aut hepate, aut matrice, aut vesica, & apparent signa mortis, tunc oportet ut abstineamus ab attractione sagittæ, quoniam fiet inde inquietudo plurima: ne superveniat nobis locus sermonis stolidorum, cum hoc quod parum conferimus infirmo. Si autem non apparuerint signa mala, tunc incipiemus curationem: multoties enim de eis in quibus accidit illud, salvatur aliquis absque spe mirabiliter. Verum si nos dimiserimus iterum in his membris principalibus, accidet mors secundum omnem dispositionem & proportionabimur ad paucitatem misericordiæ. Si autem abstulerimus sagittam, fortasse salvabitur infirmus quandoque.* Nos quoque secundum hanc Auicennæ doctrinam, quamvis res deplorata videretur, quia tamen spes, si aliqua superesse poterat, sita erat in extractione globuli è cerebro, illum extraximus in hoc ægro, quem sanari posse nullus, quod credo, rationalis Medicus iudicasset, imprimis cum vulnus summa cum violentia sclopeto inflictum foret. (quibus vulneribus necessario maxima adest contusio) atque meningum perforatio, & ipsius substantiæ cerebri aliqua perditio accederet. Profecto si unquam monstrosa curatio visa fuit, hæc etiam verè talis haberi debebit. Ego auctorum hac de re testimoniis antehac vix fidem adhibueram, & nisi his meis oculis iam bis tam gravia vulnera cum iactura cerebri sanata fuisse vidissem, vix etiamnum crederem.

OBSERVATIO XLIII.

Asthma.

ANdreas à Salingen mense Maio vehementi asthmate laborabat, qua tantopere angebatur, ut propter difficillimam respirationem vix loqui posset: sine tussi erat, nihil aut parum expuebat; appetitum quoque delectum habebat. Se hoc malo sæpius quidem, sed maximè sex proximis septimanis vexatum fuisse, multaque aliorum consilio assumpta remedia nihil omnino profuisse dicebat, metuere autem se tandem suffocatum iri posse. Ego malum hoc in corpore senili sexagenta annorum non penitus eradicari, sed multum tamen imminui ac leniri posse prædixi, atque proinde bono animo esse, & sequentis electuarii (licet amari) quotidie mane & vesperi particulam magnitudinis auellanæ assumere, & ab omnibus acidis, fumo induratis, frigidis, flatulentis, viscosis, duræ

concoctionis aut pravi nutrimenti cibis abstinere iussi.

Rec. *myrrhæ electæ, aloes lucidæ florum sulphuris rad. enulæ camp. glycyrrhizæ rasæ, ana scrup. ij. croci opt., benzoini, ana scrup. j. fiat pulvis subtilissimus, cui adde mellis optimi drach. xii. olei anisi gut. ix. misce fiat electuarium.*

Huius usu alvus leniter soluebatur, & appetitus restituebatur, asthma etiam mirabiliter cessabat, ita ut intra paucos dies ab eodem plane liber euaserit: & malo postmodum redeunte, eodem illo electuario sibi ipsi statim medebatur.

Asthma ex iis morbis est, qui in senibus nō curantur, sed eos plerumque comitantur usque ad mortem, propterea quod inducatur vel à fluxionibus crudis & frigidis é cerebro in pulmones irruentibus; vel à crudioribus & crassis humoribus ex hepate per venam arteriosam in pulmones effusis: quales crudi, frigidi, & pituitosi humores (teste Hippocrate 2. Aphorism. 40) in valde senibus coctionem non admittūt, ob imbecillitatem facultatis concoctricis, quæ in iis debilis est propter frigidam constitutionem, ætatem, & abundantiam superfluitatum frigidarum. Quapropter in his malum solummodo lenire tentandum est: quo in casu nostro ægro plurimum profuit ulus præscripti electuarii.

Mercurialis tom. 1. consult. med. 1. & tom. 3. consult. 8 in asthmate valde commendat cauterium in brachio excitatum, & diu apertum servatum: *Etenim experientia* (inquit) *quotidiana exploratum est, anhelitus difficultate vexatos ex huiusmodi remediorum usu incredibilem utilitatem percipere.* Quantum ad medicamenta specifica asthmaticis conuenientia, illa multa ab auctoribus describuntur.

Auicenna in omnibus asthmaticis, cum spirandi difficultas admodum torquet, cuminum cum aceto, vel semen synap. alibi cum æquali portione mellis ad formam electuarii mistum exhibet. Hippocrates de morb. mulier. & 1. de nat. mulieb. in suffocationis metu præscribit sulphur vivum ad magnitudinem fabæ, cum cumino æthiopico, nec non sulphur cum sale nitri tritum & solutum. Sic inter neotericos Lælius à Fonte, Bened. Victor Faventinus, Salomon Albertus, Quercetanus, Beguinus, & alii sulphur tanquam primarium remedium ad asthma commendant. Nonnulli ad eius imitationem in vehementissimo asthmate, sulphur exhibent cum terebinthina Veneta. Mizaldus viscosos & tenaces humores nullo negotio expectorari scribit, si seminis urticæ pulueris fiati scrup. j. cum aliquo syrupo pectorali deglutiatur. Leonellus ammoniacum cum pauco oxymelis scyllitici dissolutum commendat: quod ammoniacum etiam à plerisque Medicis laudatur de quo Mercurialis tom. 2. consult. 47. sic inquit. *Sed quia asthmatici solent accessiones quasdam habere, in quibus vehementius molestātur, experientia compertum habeo, in aliis difficultatibus maxime valere oxymel ad unc. ij. cum unc. ſ. ammoniaci simul in mortario commixta, & cochlearis mensura sumpta.* Paulus Ægineta lib. 3. cap. 3. cap. 29. millepedes in netili ad albedinem tostos melli coctos commiscet. Verum ego millepedibus non tostis uti soleo. Sic etiam. Antonius Valetius exercit. 25. ad cap. 25. lib. 1. Hollerii de morb. intern. hos laudat. *Experimentum est* (inquit) *& Græciæ plebeculæ hac etiam tempestate usitatum remedium, ad pulmones infarctibus à crassis humoribus liberandos. Millepedæ quæ sub aquarum vasis scabulantur, panno lineo involutæ in vino albo macerantur, hinc facta expressio potui datur: dictu mirum quam brevi laburrhatos pulmones depleat.* Idem paulo post subiungit. *Probatum est ad levandum asthma quantumvis magnum, tabellam unam diatragacanthi gustuli aliquot olei salviæ, anisi, aut rosmarini, arte chymica extracti, irrigatam, præsentaneum adferre admini-*

tum.

sum. Cardanus in consil. de difficult. respir. scribit crocum esse animam pulmonis, eoque se multos anhelosos curasse. Sic Ioachim. Camerarius in horto, inquit: *Crocus adeo est thoracis affectibus amicus, ut sint qui scrup. sem. atque etiam scrup. j. cum dimidio moschi grano, & vino optimo calido propinando, asthmaticos curaverint*. Decoctum caulium rubrorum pauco saccharo per plures dies sumptum aliquando multum iuvasse, ipsemet vidi. Augenius maximi facit syrupum de tabaco seu nicotiana, nullumque præstantius remedium dari posse affirmat: cuius etiam meminerunt Monardes, Quercetanus, Sennertus, aliique: cuius usu Zacutus Lusitanus prax. lib. 2. observ. 94. se asthmaticum desperatum curasse scribit. Non desunt qui terebinthinæ drachm. ij. vel iij. cum oleo amygdalarum dulcium summo cum commodo exhibent, ita pectus & alvum simul purgantes. Mercurialis loco præcitato, sulphuris vivi scrup. sem. cum terebinthinæ opt. unc. j. exhibet, idque remedium valde extollit. Probantur hic etiam vinum enulatum, balsamum sulphuris, looch de scylla, de pulmone vulpis, aliaque similia.

OBSERVATIO XLIV.

Nephritis.

NIcolaus à Rostock, mense Iunio acutissimis nephriticis doloribus torquebatur, qui per octiduum sine intermissione duraverunt: Tandem aniculæ cuiusdam consilio bis terve de die butyri recentis & insulsi frustum magnitudinis iuglandis deglutivit: quod cum per triduum continuasset, tandem sine ullo fere dolore excrevit calculum magnitudinis & formæ amygdalæ, aliosque plures minores, cum multo sabulo; atque ita ab hoc malo liberatus est. Postea autem eodem redeunte (nam erat ipsi à multis annis familiare) illo ipso statim remedio calculos depulit.

CVm calculus iam è renibus excidit in ureteres, optimè & citissimè expellitur talibus medicamentis quæ varia urinaria emolliùt, & vias lubricas reddunt; Tale est butyrum recens, quo etiam Ioannem de Scherpenwyten, nephriticis doloribus multoties obnoxium, sibi calculos sæpe feliciter depulisse vidimus. Tale est etiam oleum amygdalarum dulcium, quod Medicis in frequenti usu solet esse, vel solum, vel cum vino malvatico exhibitum. Vidimus qui frequenti ficuum comestione calculos feliciter excreverunt. Decoctum Forestì, aliaque antea observatione 20, & in annotatione observationis 44. à nobis descripta, in hoc casu etiam maximè laudabilia sunt.

OBSERVATIO XLV.

Vlcus Tibiæ.

VXor Christiani ab Vmmersum cum tibiam ad scamnum leviter contudisset, & emplastrum aliquod suo consilio imposuisset, levis illa contusio transivit in ulcus, ad cuius curationem chirurgum vocavit, qui cum per ter quaterve septimanas, modò unguenta, modò emplastra, modò alia varia topica imposuisset, nihil tamen profecit. Tandem ipsa ægra mulier cuiusdam consilio, cretam pulverisatam cum butyro veteri allato miscuit, eoque unguento ulcus brevissimo tempore sanatum fuit.

OBS.

OBSERVATIO XLVI.

Dolor Fascino inductus.

IOannes Petrus Niroc, puellus circiter quinque annorum, per totum fere annum conquestus fuerat de dolore ventris inferioris, & tantis sæpe torminibus exagitabatur, ut parentes præ commiseratione quid agerent nescirent. Non febricitabat, appetitus mediocriter constabat, alvum satis deponebat, & tamen venter tumidus erat, totum corpus emaciabatur nares perfricabat sæpissime, parum & cum turbulentis insomniis dormiebat. Mense Iunio meum consilium imploratum fuit. Ego puellum intestinorum lumbricis laborare iudicans, ut eosdem & primæ regionis cruditates ac impuritates expellerem, multa variaque exhibui, sed sine ullo fructu, torminibus indies adhuc magis increscentibus, ita ut à vehementi & continuo fletu puellum breui hernioſum futurum metuerem. Tandem omnibus iam in cassum adhibitis, in ventre inferiore duritiem aliquam manu percepi, loco circiter medio inter umbilicum & pubem, aliquantum versus latus sinistrum: quæ durities erat oblonga, nec tamen tumorem ullum faciens, ita ut quidnam id esset iudicare non possem: quapropter matrem cum puello ad chirurgum misi, ut etiam illius de hac duritie iudicium exploraret. Ille aliquamdiu locum affectum manibus contrectavit, nequiens quicquam certi iudicare: cum autem puellum à contactu magis dolere perciperet, ut causam mali certius sciret, locum affectum ab utraque parte manibus fortiter compressit, & statim ab uno latere sentiit aliquid acuti & duri cutem perforare ac ipsius digitum pungere; quapropter illud officulum vel simile quid esse existimans, forcipe parvo rostrato id statim apprehendit, verum non officulum, sed magnam subulam sutoriam cum summo astantium stupore extraxit, atque ab eo tempore puellus sanatus fuit. Subula hæc erat longitudinis digiti medii longissimi (maxima nempe, qua sutores in durioribus coriis & altis talorum subfulcris, quæ *poluvias* appellant, consuendis utuntur) sine manubrio, sed eius obtuso fini adhærebat adhuc frustum filii sutorii picati, quo manubrio quondam infixa fuerat.

Affectum hunc præternaturalem fuisse, nemo non iudicare poterit, non est enim verisimile puellum hunc tam longam subulam ullo modo vel studio deglutire potuisse, idque nullo sciente & sine ulla lasione oris vel gutturis. Verum si hoc factum fuisse concederetur, nulla tamen poterit dari ratio, quomodo per ventriculi vel intestinorum membranas, peritoneum, & musculos abdominis, tandem ad cutem transversim deferri potuerit, viscеribus tamen illæsis & nulla facta ulceratione, quin & ipso ægro post subula extractionem quasi in momento sanato, quem exinde per septennium bene sanum vixisse novimus. Proinde artis diabolicæ incantamentis eandem in corpus puelli immissam fuisse credibile est; quemadmodum etiam similem maleficii historiam enarrat Io. Langius lib. 1. epist. 38. de agricola, cui primo clavus terreus sub illæsa cute apparens, à chirurgo fuit excisus, & ægro tandem mortuo in eius ventriculo, quatuor cultri, duo alia ferramenta aspera, capilli, aliaque inuenta fuerunt. Gregorius Horstius part. 2. lib. 1. Observ. 13. eiusdem generis memorabiles historias etiam refert, quales etiam describunt Hildanus cent. 2. Observ. 43. Alexander Benedictus lib. 7. pract. cap. 25. Antonius Benivenius, Forestus, Codronchius, Gemma, Zacutus Lusitanus, aliique plures.

Iam à multis seculis disputatum fuit apud Theologos, Iurisconsultos, Medicos & Philosophos, ane re vera dentur incantatores & malefi-

maleficí: & si tales inter mortales viuant, anne tanta artium suarum maleficarum vi polleant, ut creaturis nocere, morbos & mortem inducere, pluvias sistere, tonitrua facere, aliaque multa similia quasi miracula perpetrare possint Alii negant, alii affirmant, alii ambigunt. Verum ut quæstio hæc breviter soluatur, relictis innumeris præstantissimorum virorum in utrãque partem historiis & auctoritatibus, dicendum est, & existere, & Deo sic permittente multa efficere posse incantatores, cum ipsa sacra Scriptura testetur Magos seu sapientes Pharaonis olim tempore Moysis in Ægypto tales fascinatores fuisse, qui etiam ipsa summi Dei miracula suis præstigiis imitarunt, virgas in dracones, fluvios in sanguinem mutaverunt, ranas quoque & ciniphes per totam prouinciã excitarunt, quemadmodum legi potest Exodi cap. 7. & 8. Sic quoque Euangelista Lucas in Actis Apostolorum cap. 8. meminit cuiusdam Simonis Magi, qui magicis artibus dementabat populum. Ibidem etiam cap. 16. enarrat historiam puellæ spiritum Pythonis habentis, quæ diuinando magnum quæstum faciebat, quem spiritum malignum Paulus Apostolus ab ipsa eiecit. Ex quibus Sacræ Paginæ testimoniis necessariò concludendum est, re verâ dari sagas & fascinatores, qui Deo permittente dæmoniacis suis artibus ac præstigiis non tantum varia miracula effingere, verum etiam herbis, fructibus, bestiis, imò & hominibus grauiter nocere possunt. Quæ tamen sua maleficia non possunt semper quando volunt, neque omnibus quibus voluerint modis, neque in quoslibet inferre, sed tantum quando & quo modo Deo placuerit, & in tales, vel quorum fidei constantiam Deus hoc modo vult probare, sicut sanctum virum Iobum diaboli maleficiis exercere & probare voluit: vel quorum incredulitatem & impietatem hoc modo vult punire, non tantum in propria impii persona, sed sæpe etiam in insontibus liberis, armentis, frugibus, aliisque bonis: atque ita sagarum incantamentis interdum etiam infantes (ut vidimus in prædicto nostro ægro) interdum alicuius boues, oues, equi, vel fruges lædantur, quod Montfortii rustico cuidam contigisse nouimus. Verum hinc iam quoque manifestè patet, quamvis re vera existant tales maleficí incantatores, non tamen istam lædendi potestatem dependere à libero eorum aut diaboli arbitrio, sed Dei, neque ullos morbos posse induci à Satana, nisi Deo permittente, qui propter iam dictas rationes ad eorum illationem interdum Satanâ cum suis sagis utitur tanquã instrumento, non verò tanquam causa efficiente primaria. Sed quæstionem hanc latius examinandam relinquemus Theologis, cuius etiã nos mentionem fecimus in tractatu nostro de Peste, lib. 1. cap. 8. annot. 1. problem. 3. Hanc quoque eleganter describit Sennertus lib. de morbis fascino inductis. VVierus tamen lib. de præstig. dæmon. & lib. de lamiis negat sagas & lamias ullos morbos inferre posse: cuius opinionem refutauit Ioannes Bodinus. Qui fascini vires, & quomodo morbos interant Sagæ, quo usq; hæc dæmoniaca potestas se extendat, quando & quomodo mirabilia efficiat, aliaque similia latius scire desiderat, legat de his Andream Laurentium, de mirabili strumarum sanatione lib. 1. cap. 9. ubi admodum succincte & eleganter hanc materiam tractat.

OBSERVATIO XLVII.

Gonagra.

Filiolus Thomæ Petri mercatoris Angli, puellus sex annorum, gonagrã per tres quatuorve septimanas correptus, tandem propter dolorem amplius incedere non potuit. Nullus aderat tumor, nulla inflammatio, nec dislocatio, eaque de causa purgato corpore tantummodo ceratum ex oxycroceo impositum, quod per triduum adhæsit nihilque profuit. Postea autem genu valde intumuit, & dolor plurimum adauctus est, quapropter abiecto cerato sequens cataplasma impositum fuit per quatuor aut quinque dies

 contí-

continuos, bis de die renouando, eoque solo tumor & dolor prorsus euanuerunt, neque deinceps redierunt.

Rec. *Stercoris caprilli recentis, lib. j.*
coquatur in vini gallici fortis q. s. ad
cataplasmatis formam, cum amovetur,
ab igne, adde spiritus vini optimi, unc. iij.
misce, fiat cataplasma molle.

MAgnam discutiendi & corroborandi vim habet hoc cataplasma, quod in huiusmodi articulorum tumoribus pro summo secreto à nonnullis habetur cuius insignes effectus in aliis similibus casibus aliquoties experti sumus. Eodem illo stercore ex polca decocto, in genu inueterato tumore feliciter usus fuit Aetius tetrab. 1. serm. 2. cap. 94.

OBSERVATIO XLVIII.

Tumor Frontis à casu.

FIliolus Dimmeri de Raet, consiliarii Comitis de Boxmeer, de gradibus in frontem ceciderat, à quo casu ingens tumor oui magnitudinis in fronte protuberauit. Huic solum gramen viride ac recens in mortario contusum frigidè applicui, quo facto tumor totus postridie ita euanuerat, ut ne minimum quidem eius vestigium superesset.

HIusmodi tumores, quamvis à plurimis flocci fiant, tamen si in principio negligantur, postea interdum graves molestias inducere solent, quod vidimus in puello Domini Eremstrang, cui cum talis frontis tumor in principio nullis topicis dissiparetur, postea locus affectus per aliquot septimanas tumidus remansit, ac denique humore in eo contento putrescente, atque hinc grauibus symptomatis accedentibus, non tantum crucialis incisione tumorem aperiri, atque humorem putridum inde extrahi necesse fuit, verum ipsum quoque periosteum eadem putredine corruptum à subiecto osse deradi, atque ita imminens ægro periculum eximi debuit, cui etiam vulnus non sine conspicua satis cicatrice cõsolidatum est. Quapropter longe præstabilius est horum tumorum dissipationem in ipso principio moliri, quo tempore illud facile fieri potest. Quod nos solo gramine contuso sæpe felicissime peregimus. Multoties etiam chartam emporeticam spiritu vini madefactam non minori successu imposuimus, vel oleum cera aut anni arte chymica distillata illeuimus.

OBSERVATIO XLIX.

Colica passio.

GEnerosus Dominus Starckenburch, legionis Groeningensis præfectus, vir quadragenarius, mediocriter fortis, temperamento frigidiore ac pituitoso præditus, mense Septembri vehementi colica passione correptus fuit. Habebat ventrem à flatibus valde turgidum, quos tamen neque sursum, neque deorsum emittebat: maximi dolores intestina dilacerare videbantur. Conquerebatur etiam de summa cordis anxietate, quæ tanto-

tantopere premebatur, ut sudore frigido totus perflueret. Quia autem æger à flatibus pene distrumpi videbatur, ac citissimo subsidio opus habebat, sequens enema præscripsi, quod vesperi hora undecima (quo tempore vocabar) iniectum fuit.

Rec. *decocti emollientis lib. j. electr. diaphœnici,*
hieræ picræ, ana unc. j. ſ. olei anethini,
chamemelini, ana unc. j.
salis communis drach. j. misce fiat clyster.

Hoc enema post horæ quadrantem absque ullo fructu rursus deiecit, nullis nec flatibus nec fœcibus subsequentibus: quapropter illud paulo post de nouo iniectum, atque ut ante sine utilitate emissum fuit. Eo tempore æger nauseabundus ali quantum bilis cum tenaci pituita euomuit. Circa horam sextam matutinam aliud enema hoc modo præscripsi.

Rec. *herbar. emollientium, centaurii minor.*
absinthii, rutæ, florum chamomillæ,
anethi, ana m. i. sem. anisi, leuistici, ana drach. ii.
cumini, baccarum lauri, ana drach. j. ſ.
coquantur in aq. communis q. ſ. ad lib. i.
in colatura leuiter ebulliant.
foliorum sennæ unc. i.
deinde exprimantur, & addendo
electr. hieræ picræ, diacatholici, ana unc. i. ſ.
olei chamemelini, anethini, ana unc. i.
salis communis drach. ii.
fiat enema.

Hoc iniecto multa excrementa cum plurimis flatibus subsecuta sunt. Postea rursus nauseabundus fuit, & multum bilis ac pituitæ tenacis cum leuamine euomuit. Bis eâ die iusculum pulli cum hordeo mundato, corticibus citri & arantiorum coctum sumsit, & modò prilanam, modò cerusiam tenuem pro potu bibit. Vesperi hic bolus exhibitus est, à quo sequenti nocte nonnihil dormiuit, & dolores egregie sedati sunt, ac postridie alvus ter cum leuamine exonerata fuit.

Rec. *electuarii nostri anticolici drach. i.*
aloes lucidæ scrup. i.
misce, fiat bolus.

Hic bolus postea adhuc ter alternis diebus reiteratus fuit. 7 Octobris, cum alvus per triduum rursus constitisset (intermisso usu dicti boli) dolores colici de nouo increuerunt, tunc, quia æger à clysteribus aliquantum abhorrebat, haustum leniter purgantem exhibui, à quo multum bilis & pituitæ furium deorsumque exonerauit. 10 Octobris, aluo rursus minium constipata, enema iniectum est. 13 Octobris etiam aduocatus fuit D. Hartcampius, Medicus peritissimus, atque tunc communi consilio, ad sedandam nauseam exhibuimus bis aquæ cinnamomi cochleare unum, cum olei cinnamomi gut. ii. atque hoc sequens linimentum ventriculi regioni illinendum præscripsimus.

Rec. *olei nucis moschatæ expressi, laurini, ana drach. i.*
anethini, fœniculi distillati, ana scrup. i.
anisi gut. iv.
misce fiat linimentum.

Veſperi aſſumpſit bolum antea præſcriptum. 16 Octobris rurſus enema iniectum eſt, à quo tres ſeceſſus habuit cum magno leuamine. 20 Octob. ad alvum ſubinde leuiter ſoluendam præſcripſimus pilulas ex ſola aloe lucida confectas, de quibus tantum duas treſve alternis vel ſingulis tribus diebus deglutiit: quæ pilulæ tantopere profuerunt, ut poſtea aliis purgantibus opus non habuerit. 28 Octobris dedi ægro electuarii noſtri anticolici unc. j. ſ. cui admiſcueram aloes lucidæ drach. j. ſ. cuius ſubinde mane aut veſperi aſſumpſit drach. ſem. vel ſcrup. ii. cum ſummo commodo, nam ſtomachum corroborabat, flatus diſcutiebat, & pituitam ſimul ac bilem detergebat. Hoc electuario poſtea utebatur pro præſeruatiuo, intermediis diebus ſubinde ſumens pilulas ex aloe. Atque ita tandem priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit.

CAuſa huius colicæ paſſionis fuit pituita ſalſa copioſior inteſtinis inhærens & nimia abundantia bilis excrementitiæ acris. Bilis enim è ſuo folliculo ad inteſtina excreta, atque ibidem iſti pituitæ permixta, pituitam illam tenacem & ſaliam ebullire faciens (ſicut facit calx viua aquæ iniecta, aut oleum vitrioli oculis cancri puluerizatis affuſum) infinitos flatus, dolores immenſos & ſummas anxietates excitabat. Hanc veram cauſam fuiſſe docuit vomitus, quo ſubinde bilem flauam ac virescentem cum tenaci ac ſpumoſa pituita copioſius euomebat æger (qualem bilem tali pituitæ in inteſtinis mixtam, ut plurimum colicæ paſſionis cauſam eſſe in praxi multoties obſeruaui.) Quapropter hic opus erat medicamento calidiore, ratione frigidæ pituitæ ac flatuum, & bilem ſimul detergente, atque dolores ſedante. Quibus tribus intentionibus dicto electuario (quo in tali caſu feliciſſimè uti ſoleo) cum aloe mixto, egregie ſatisfactum fuit, nempe adhibitis etiam generalibus neceſſariò adhibendis.

Ad colicum dolorem multa inſignia ab auctoribus deſcribuntur remedia, quæ pro cauſarum varietate ſubinde ſunt varianda. Ego in cauſa frigida feliciſſime uti ſoleo electuario noſtro anticolico, cuius eximias virtutes nemo facile deſcribet. Compoſitio hæc eſt:

Rec. *ſpecier. diagalangæ,*
aromatici roſati, ana drach. iij. ſ.
diambræ, drach. iij.
maſſæ pilularum de ſtyrace. drach. iij. ſ.
theriacæ Androm. unc. iij. ſ.
mithridatij Damoc. unc. iij. *drach.* v.
olei aniſi, drach. j. *ſcrup.* ij.
garyophyllorum drach. j.
nucis moſcatæ diſtillat. drach. j. ſ.
ſyrupi de ſtæchade q. ſ.
fiat electuarium.

Hoc electuario modò ſolo utor, modò ad ſingulas uncias admiſco aloes drach. i. vel drach. ii. atque tali modo ac colicam efficacius eſſe comperi. Hollerius de morb. int. lib 1. cap. 41. abſinthii communis p. i. cum ſem. cumini drach. ii. coquit in vino odoritero, eamque expreſſionem exhibet. Idem certiſſimo experimento probatum eſſe inquit, ſi cortex aurengiorum in vino coquatur, idque vinum ieiunè bibatur. Nos etiam corticem hunc puluerizatum cum vino feliciter exhibitum vidimus. Ab Aetio plurimum commendatus vinum abſinthite, eo quod alvum roboret, bilem repurget, eius generationem prohibeat, detergeat, flatus propellat ac diſcutiat. Alii ſeminis cumini drach. j. in vino abſinthite coquunt, & colaturam exhibent. Raſes probat confectionem de baccis lauri. Auicenna efficax medicamentum parat ex æqualibus partibus caſtorii, piperis, & anſi. Vulitur quoque datur rad. zedoariæ pulueris à ſcrup. j. ad drach. j. olea etiam diſtillata, anſi, faniculi, carui, anethi, zedoariæ cum vino calido. Decoctum florum chamomillæ (cui aliquantum ſeminis cumini addi poteſt) in cerviſia vel vino albo tenui, ad unc. iiij. vel v. exhibitum, ad dolores leniendos & flatus diſcutiendos præſentiſſimum eſt remedium. Sequentem aquam carminatiuam (quam Schroderus pharmacopæ lib. 2. cap. 37. deſcribit) nonnulli magni faciunt.

Rec. *florum chamomillæ Romanæ n.* xxx.
incidantur & contundantur,
infundantur aquæ bornæ 24.

in

in aquæ chamomil. lib. x. (alij xv.)
vini generosi lib. vi.
Hinc exprime fortissime,
in colatura iterum horis 24.
infundantur flor. chamom. communis. m. xxiv.
exprimantur, colentur.
In colatura macera, flor. chamomil. m. xij.
flaved. cort. arantior. unc. j. ſ.
herb. absinthij pont. m. ij.
centaurij min. pulegij origani, ana m. ij. ſ.
ſem. anethi unc. iij.
anisi, fœnic. ana unc. j. ſ.
carui, cumini,
ſem. cardui bened.
ſem. cardui mariæ ana unc. j. ſ.
bac. iuniperi unc. j. lauri unc. ſ.
ſient horis 24.
tunc. in B. M. lento igne diſtilla.

Rodericus Fonſeca conſult. 57. tanquam ſingulare & maxime ſecretum remedium, à totius ſubſtantiæ proprietate valens, commendat teſticulos equorum, duos in curandis doloribus colicis, ſe in multis expertum fuiſſe ſcribit: hos in vino generoſo lotos ac in talcolas incisos, lento calore in furno exiccat, atque ita uſui ſervat, exhibendo, poſt generalia, horum puluerisatorum drach. j. in vino, tribus horis ante alium cibum. Zacutus Luſitanus prax. admir. lib. 2. obſerv. 24. pudendum tauri ſpecifica virtute mirabiliter iuuare, ſcrupulo uno eius pulueris cum vino maluatico aſſumpto, eoque ſolo auxilio multos miſerrime hoc tormento concuſſos, ſe ſanatos & præſeruatos vidiſſe ſcribit: atque ita etiam, ſequenti obſeruatione, ſolius urinæ potu multos curauit. In vehementi dolore Riuerius prax. lib. 5. cap. 1. has pilulas præſcribit, quibus ſe graui colica laborantem feliciter curaſſe refert centuria 2. obſeruat. 1.

Rec. *aloes opt. drach. j.*
laudani opiati gr. iiii.
diagridij gr. vi.
miſce, formentur pilulæ ſex.

Capiat has æger hora commoda: dolorem poſt horam (inquit) ſedant, & poſtea humores noxios euacuant. Narrat Ambroſius Paræus lib. 16. cap. 28. quendam cum nullis remediis à dolore colico liberari potuiſſet, tandem hauſtis olei amygdalarum dulcium unc. iv. cum vino albo & aqua parietariæ mixtis, deinde deuorata glande plumbea argento viuo illita, eademque aluo reddita à cruciatu colico mox liberatum fuiſſe. Simile nos quoque vidimus in equite colicis doloribus ſæpius obnoxio, qui deglutitis tribus quatuorve globulis plumbeis minoribus, iiſque aluo paulo poſt redditis, ſe ipſum ab hoc malo citiſſime liberare ſolebat.

OBSERVATIO LI.

Vulnus capitis.

THomas Grevener, vir ſexagenarius & pro ætate mediocriter robuſtus, eques ſub capitaneo Coigners Anglo, 14 Nouembris in arca vicecapitanei ſui cum aliis quibuſdam colludens, neſcio qua mala Fortuna retrorſum in terram cecidit, ac poſteriorem capitis partem in pauimentum inæquale illiſit, ita ut leue in ſumma cute vulnuſculum appareret, quod chirurgus parui fecit, eique tantum emplaſtrum aliquod impoſuit. A principio tamen caſus æger nauſeabundus fuit, cum inclinatione ad vomitum: lectis quoque aderat & vertiginoſus capitis dolor, ſed is tamen adeo exiguus, ut non impediret quo minus tribus primis quatuorve diebus per plateas deambularet, quocunque vellet. Die ſexta facies totumque caput valde intumeſcere cæperunt. 24 Nouembris (qui erat undecimus poſt caſum dies) circa veſperam ad ipſum primò vocatus fui. Inueni ægrum debilem, & capite adeo tumido, ut oculos præ tumore omnino aperire non poſſet: ſub oculis etiam humores erant. Toto negotio à principio caſus diligentius examinato, iudicaui ipſum periturum, cum ex ſignis mihi videretur cranium eſſe fiſſum, & ſanguinem inter menin-

meninges & cranium extra vasa effusum esse atque ibidem corrumpi. Quapropter hunc sanguinem, qui à chirurgo cranii perforatione primis diebus extrahi debuisset, mortis causam futurum prædixi. Chirurgi qui ipsum tractabant, nempe Egmundus Anglus cum suo filio alterius cohortis chirurgo, imprudentiam suam animadvertentes, nec non ægri uxor & amici unicè petierunt, ut ista operatio iam adhuc instituereturs& quamvis ego illud summopere dissuaderem, cum inde iam nulla salutis spes expectanda mihi videretur, ipsis tamen etiam me inuito sic volentibus, operationi spectator adfui. Itaque illa vespera, ablatis capillis & in loco affecto cruciali incisione facta, cranium satis lata amplitudine denudatum fuit. Postridie manè extractis pettis & vulnere penitus detecto, longam fissuram in cranio inuenimus, quod cranium statim trepano perforatum fuit: illo autem aperto, sanguis supra craſſam meningem effusus hærens, non coagulatus aut putrefactus, sed ibidem plane exsiccatus à nobis inuentus fuit, ita ut instar pulueris viscosi meningi & cranio firmius adhæreret; quod pro certissimo lethali signo haberi debuit, cum propter hanc siccitatem sanguis ille nullo modo effluere posset. 26 Nouembris alto sopore correptus est, ac sequenti die obiit.

COntusiones & vulnera capitis nunquam flocci facere oportet, non rarò enim perspicacissimos etiam oculos fallunt, ita ut quæ omni periculo vacare nonnunquam videntur, ægros in maximum vitæ discrimen inducant. Vidimus interdum ægros qui post decimum, in ò post decimum quartum ac vigesimum ab ictu capitis diem, vel leuissimum, vel nullum malum sentierunt, & tandem tamen ex improviso apoplexia, convulsionibus, aliove graui malo correpti, præter expectationem vitæ suæ finem imposuerunt. Quemadmodum id vidimus in famulo Domini Morignam Galli, qui ab equo in caput ceciderat, nullum tamen externum vulnus habebat: hic primo die capite doluit & valde vertiginosus fuit, ita ut omnino incedere non posset: à secundo autem usque ad duodecimum diem nihil mali sentit, sed solita munia peregit: duodecimo die de capitis grauitate conquestus est: decimoquarta circa meridiem apoplecticus concidit, & intra paucas horas expiranit. Sic etiam Eduardus Nobilis famulus Domini Lucas equitum Capitanei, conflictu quorundam militum ictum baculi haud exiguum in caput receperat, à quo tumor quidem magnus, verum sine vulnere excitatus, fuit: primis diebus vertiginosus erat, deinde per aliquod tempus de capitis grauitate conquestus: trigesima secunda die epilepsia supervenit, quæ paucis diebus tantopere increuit, ut quadragesimo sexto post ictum die convulsivus obierit. Valleriola cap. 5. append. ad loc. comm. refert historiam mulieris exiguo ac plane contemnendo vulnere ictu poculi in fronte sauciatæ, cui nullum malum symptoma primo biduo adfuit: tertia autem die grauis febris, totius faciei ingens tumor, rubori ac inflammationi coniunctus, mox delirium & convulsio accesserunt, quibus omnibus malis quinta die finem imposuit mors: aperto autem capite, grumula vix conspicua in cranio apparuit, & ingens phlegmone intra calvariam inventa est, dura meninx tumens, liuore affecta & ingenti puris copia suffusa reperta. Cum itaque huiusmodi dubii casus occurrunt, non sunt flocci faciendi, sed præstat cranium quam primum denudare, atque etiam, si opus fuerit, perforare, quam longiore expectatione lethali periculo ægros exponere: a perforatione enim illa (dummodo bene peragatur) nullum periculum metuere necesse est, si tempestive administretur, cum eadem nimis diu neglecta mortem certo inducere possit.

OB.

OBSERVATIO LI.

Fissura Cranii.

PEtrus ab Evvijck, eques capitanei Colgners, vir 34 annorum, cum 2 Februarii in ædibus vicecapitanei Ioannis Couper detecto capite cum vicecapitaneo super aream colloqueretur, famulus quidam magnum lignum, ponderis decem vel duodecim librarum, per fenestram altiorem in detectum caput dicti equitis imprudenter deiecit. Ipse ab ictu momento in terram prolapsus obmutuit, ac pro mortuo in vicinum stabulum delatus fuit, ubi per horæ spatium taliter apoplecticus iacuit, ita ut illum mortuum esse omnes iudicarent. Tandem aliquantum ad se rediit, sed tota ista die & nocte sequenti delirauit. Chirurgus ad ipsum vocatus, cum leue tantum & superficiarium vulnus adesse animaduerteret, nullum periculum adesse credidit, ac se ægrum tribus quatuorve diebus facile sanaturum promisit. Dominus Couper tamen huic chirurgo non satis fidens, cum nuper infelicem minoris vulneris euentum in Thoma Greuener vidisset, tertia die me rogauit ut ægrum inuiserem. Inueni ipsum sine magnis doloribus, sanæ mentis, cum leui ac contemnendo vulnere in syncipite, vix autem penetrante: oculi in circuitu liuescebant. Propter pauca symptomata chirurgus & astantes totum negotium flocci fecerunt. Ego autem tota historia à principio diligentius examinata, certissimè affirmaui cranium non posse non esse fractum seu fissum, & summopere necessarium fore dixi, ut illud quamprimum trepano perforaretur, ut hoc pacto sanguis extrauasatus subtus latens extrahi posset, neque expectandũ esse donec alia grauia symptomata subsequerentur, utpote quibus apparentibus operati, hæc nimis serò instituerentur. Ægre, sed tandem tamen in meam sententiam itum fuit. Itaque alvo statim clystere subducta, eadem illa vespera in sinistro bregmatis osse, ubi vulnus erat, incisio satis magna facta est ad formam litteræ T. & cranium triangulariter denudatum est, Tunc ob hæmorrhagiam nihil videre potuimus, at postridie inuenimus duas in cranio fissuras satis magnas, & ab unico latere particulam longitudinis semi digiti, parum depressam, quæ particula à reliquo osse quasi in circulo undequaque soluta & disrupta erat. In vicina parte firma cranium trepano perforauimus, hincque sanguinis circiter unc. ſ. (qui inter cranium & crassam meningem ex disruptis à casu venulis effluxerat, ibique delituerat, effluxit; quo detersо, parvum linteolum melle rosaceo imbutum meningi impositum, ac vulnus forinsecus carpia sicca oppletum, & emplastro de betonica contectum fuit. 6. Februarii adhuc aliquid sanguinis effluxit, sequentibus autem diebus nihil amplius. Interea alvus medicamento leniente exhibito leviter commota fuit. Porrò vulnus usque ad 12 Februarii eodem modo tractauimus, & capitium ex herbis aliisque cephalicis consutum toti capiti imposuimus: postea hunc pulverem cum melle rosaceo mixtum meningi imponere cæpimus.

Rec. *sanguinis draconis, thuris, aloes myrrhæ, ana scrup. j.*
pollinis farinæ hordei scrup. j. ſ.
fiat pulvis subtilis.

18 Februarii ab interiore cranii parte caro fungosa excrescere cæpit. 1 Martii meninx carne contecta fuit. 16 Martii, squamula à superiore denudati cranii osse separata est. Deinde caro exterior undique fungosa cranium brevi contexit, atque in principio Aprilis æger perfectè sanatus foras prodiit.

Sanat.

Subita huius ægri consternatio quasi apoplectica certissimum cranii depressi signũ erat: quæ depressio vis sine fractura vel fissura fieri potuerat, & quamvis æger sequentibus diebus nihil mali in capite sentiret, cum tamen huiusmodi depressio cum fissura fieri non possit sine disruptione aliquarum venularum duræ meningis, præstabat cranio aperto sanguinem extravasatum citius extrahere, quam eiusdem putrescentis vel putrefacti & corrupti symptomata expectare, qualia sunt, graues dolores, deliria, febres, convulsiones, aliaque, quæ ut plurimum lethalia esse solent: paucissimus enim sanguis, licet vix drachmæ pondus æquaret, supra meningem tamen putrescens, dira symptomata & mortem inferre potest.

OBSERVATIO LII.

Dolor Capitis.

PEtronella de Kuijck, rustica sexagenaria, mense Februario conquerebatur se magnis capitis doloribus, nec non catharris ad oculos, dentes, humeros, aliasque partes defluentibus, tota fere hyeme infestatam fuisse, atque in capitis summitate magnum frigus sentire, haud secus acsi synciput aqua frigida perfusum foret. Præscripta prius dieta calidiore & cephalica, corpus pilulis cochiis & aureis expurgaui. Deinde linteа quadruplicata spiritu vini calefacto inbuta ac rursus leuiter expressa, toti superiori capiti imponere, idque sequentibus diebus aliquoties reiterare iussi: hoc facto, diuturnus ille dolor, una cũ catharris intra paucos dies prorsus euanuit. Tunc ad præseruationem iussi sequentem cucuphan capiti impositam gestare.

Rec. *herb. maioranæ p. ij. rosmarini, saluiæ*
florum melilloti lauendulæ ana p. j.
nucis moscatæ, gariophyllorum, ana scrup. ij.
fiat puluis pro cucupha.

IN huiusmodi frigidis cerebri affectibus, præter generalia & interna medicamenta, sæpe topica conuenientia multum quoque prosunt, ita ut his solis, si in ipso capite primaria doloris causa consistat, curatio multoties peragatur. Quo in casu nos spiritu vini feliciter usi sumus, cuius fotum etiam summopere commendat Arculanus. Alii aliis utuntur. Platerus anethum, Forestus chamomillam, quocunque modo adhibeantur, dolores à causa frigida potenter sedare scribunt. Aetius sterens caprinum tritum, & vesperi ac mane impositum; item nasturtium torrefactum cum aceto rosaceo tritum & impositum, plurimum ac citissimè prodesse tradit. Sunt qui frigidos ac superfluos humores hoc modo exsiccant;

Rec. *sem. milij lib. j.*
salis communis lib. ß
fol. maioranæ,
rosmarini
saluiæ,
flor. lauendulæ,
melilloti, ana p. j.
sem. anisi,
fœniculi
anethi,
cumini, ana drach. ij.
bacc. lauri drach. ij.

His in sartagine torrefactis, & post in sacculos coniectis, siccetur & confricetur calidissimè caput per sesqui horam. Aetius verbenam cum radicibus & serpillo oleo incoctam, omni capitis dolori ex frigidis & crassis humoribus mederi scribit, atque etiam prodesse tradit asellos seu millepedes sub aquariis vasis nascentes, si oleo incoquantur. P. Ægineta lib. 3. cap. 5. scribit mulierem quandam valde inclaruisse, quod sequenti remedio capitis dolores, vel cũ,

vel

vel sine febre, mirabiliter sanaret: radicem cucumeris asinini viridem minutim concisam, & absinthium, in aqua & oleo, donec flaccescerent, coquebat, & hydroleo illo caput rigabat, ac radicem cum absinthio contusam imponebat. Quod medicamentum efficacissimum esse etiam testatur Auicenna, qui illud sequenti forma describit.

Rec. *olei communis*
aquæ communis, ana lib. j.
fol. absinthij m. j. s.
radic. cucumeris asinini nc. ij.
bulliant simul.

OBSERVATIO LIII.

Singultus.

ANtonetta N. mulier pauperula, me rogauit ut filiam suam inuiserem, iuvencu-lam circiter 24 annorum. Hæc continuo, magno ac molestissimo singultu per decem dies vexata fuerat, & varia anicularum adhibita remedia nihil profuerant. Ego cum uterum se bene habere animaduerterem, iudicaui malum hoc induci ab acri quadam materia ventriculi tunicis firmiter impacta. Exhibui prius leue vomitorium, à quo ter quaterve satis vomuit, singultu tamen permanente. Tunc sequentem sacculum præscripsi.

Rec. *foliorum menthæ, florum chamomillæ,*
anethi, ana m. j. rosarum rubr. . meliloti, ana m. s.
cap. papaueris albi minutim concisum n. j.
nucis moscatæ, seminis anisi, ana drach. j.
anethi, cumini, ana drach. j. s.
conscindantur & contundantur grosso modo, ac è tenui linteamine fiat sacculus intersutus, magnitudinis duarum manuum.

Iussi ut ipsamet hunc sacculum per semi horam leuiter coqueret in lactis dulcis & aquæ cõmunis ana lib. i. s. & de hoc decocto subinde parvum haustum biberet, ac sacculum aliquantum expressum calidè ventriculi regioni imponeret. Hoc cum per integrum diem continuasset, præter suam expectationem à molestissimo singultu prorsus liberata fuit.

HIppocrates 6 Aphor. 39. inquit. *Conuulsio fit ex repletione, aut ex inanitione; ita vero & singultus.* Verum magna ex parte singultum à plenitudine, rarius ab inanitione fieri, testatur Galenus in comment. ad 6. Aphoris. 13. Sub plenitudine etiam illa comprehenduntur, quæ ventriculi tunicis firmius affixa, eaidem sua acrimonia mordent & vellicant, ut humores acres & tenaces, piper, aliaque simulia acria.

Singultus si diu duret, ægrum grauiter affligit rarius autem diu durare solet. Marcus Gatinaria lib. de morb. partic. cap. de singultu, refert historiam iuris doctoris, qui per duodecim dies singultu laborauerat: quam historiam Marcellus Donatus, hist. mirab. lib. 4. cap. 5. tanquam rarissimam ex Gatinaria describit. Forestus tamen lib. 18. obs. 12. meminit vetulæ cuiusdam, quæ subinde per semi annum singultiebat. Ad singultum hunc primò conueniunt talia medicamenta, quæ acrem ac mordicantem materiã è ventriculi tunicis excutiunt, qualia sunt vomitoria, atque etiam sternutatoria: hinc Hippocrates 6 Aphoris. 13. inquit, *A singultu detentum sternutatio superueniens liberat.* Quod si hæc non iuuerint, & acris illa materia hoc pacto non excutiatur, tunc illius acrimonia vel est mitiganda (sic apud Forestum vetula quædam aliis remediis non iuuantibus, looch sano deuorato curabatur) vel coquenda & mitiganda simul, sic prosunt decoctum chamomillæ, flor. & sem. anethi, cumini, ficuum,

vini maluatici alteriuſve meracioris potus, &c. Vel eſt coquenda & ſimul etiam acutus ventriculi ſenſus aliquantum obtundendes, in quo caſu conueniunt, theriaca, mithridatium, & maxime philonium, quo ſe varios curaſſe ſcribit Foreſtus. Interdum ſolo ſubito terrore ſinguleum curatum fuiſſe legimus: ſic refert Valleriola lib. 2. obſeruat. 4. ſe in quodam ſingultum grauiſſimum atque contumacem, qui nullis remediis cedebat, terrore ſubitaneo inculſo curaſſe.

OBSERVATIO LIV.

Vulnus capitis & cranij apertio per trepanum.

LAmbertus N. nobilis Batauiénſis, iuvenis robuſtus circiter 24 annorum, 7 Martii, cum equum generoſum exerceret, & improuiſo ab equo in terram deiectus, capitis partem poſteriorem illiſit in thecam tormenti bellici, ita tamen ut toriſecus nullum vulnus appareret. Statim poſt caſum euomuit, & vertigine magna correptus fuit, qua aliquantum ceſſante, rurſus equum conſcendit ac domum ſe contulit. Cum autem ſtabulum iam intraſſet, iterum vertigine correptus in terram concidit, & quaſi deperdita prorſus memoria, quid ſibi accidiſſet, vel quomodo ab equo cecidiſſet aut ubi fuiſset plane ignorabat. Imperitus quidam chirurgus caſtrenſis aduocatus, ablatis capillis poſt aurem ſiniſtram paulo ſurſum verſus (de cuius loci dolore conquerebatur æger) leuem fecit inciſionem, quæ nullo modo ad pericranium uſque pertingebat, & poſtridie circiter libra ſanguinis è dextro brachio extraxit. 12 Martii, doloribus increſcentibus etiam ego aduocatus ſum, quo tempore ægrum de acutiſſimis capitis doloribus conquerentem inueni, nulla tamen febris aderat. In loco affecto, præter vulnus quod chirurgus fecerat, leuem ac mollem percepi tumorem, ita ut ad tactum de cranii depreſſione aut fractura (quæ adeſſe ſymptomata ſatis indicabant) nihil certi iudicari poſſet. Chirurgus impoſuerat hactenus defenſivum (ob metum, ut aiebat, inflammationis) ex bolo armena, albumine oui & aceto ſimul mixtis: quod cum peſſimè hic adhiberetur, illud ſtatim abieci, & linteа quadruplicata ſequenti fomento intincta, ac parum expreſſa, toti capiti calidè circumponi, & ter quaterve de die renouari iuſſi.

Rec. *herbar. betonicæ roſmarini, thymi,*
ſaluiæ, maioranæ, verbenæ, ana m. j. ſ.
flor. ſtæchados, chamomillæ,
melilloti, ana m. ſ. baccarum lauri,
ſem. cumini, ana drach. iij.
vini albi q. ſ. coquantur ſ. art. ad lib. iij.
adde colaturæ ſpiritus vini unc. iv.
miſce, profomento.

Cum autem æger alvum per quatriduum non exoneraſſet, atque clyſterem admittere nollet, hauſtum leniter purgantem exhibui, à quo alvum quinquies depoſuit. Veſperi eiuſdem diei, poſt fomentationem aliquoties applicatam, apparuit in loco affecto tumor magnitudinis dimidii oui gallinacei, quo pertuſo effluxit ſanguis niger. Tunc poſtridie alio peritiore chirurgo ſimul aduocato, de cranio perforando conſilium dedi. Verum renuentibus acerrimè ægro & amicis, adhuc per biduum expectatum fuit, nempe ad 15 Martii (qui erat à caſu dies nonus) quo tempore cum capitis dolores iam ad ſummum acumen peruenuiſſent,

&

& rursus eodem loco tumor priore maior conspiceretur, consentiente ægro, circa vesperam cranium ibidem denudari iussi, cumque musculo temporali vicina esset plaga, aliquantum versus posteriorem capitis partem, ad futuram lambdoidalem, incisio crucialis usque ad os ipsum facta est. Effluxit statim multum sanguinis nigri & coagulati, qui à natura robusta per lambdoidalem futuram (quam hac incisione ex parte denudauimus) expulsus fuerat, & inter cranium ac pericranium hæserat. Cranio sufficienti latitudine denudato, & pericranio abraso, vulnus carpia sicca repletum est. Insequenti nocte, dolore nonnihil mitigato, aliquantum dormiuit æger. Postridie cranium trepano perforatum fuit, quo aperto vix drachma sanguinis effluxit, qui inter cranium & duram meningem hæserat, & iam aliquo modo coagulatus erat: hinc magnum ægro periculum impendere iudicaui, cum viderem sanguinem coagulatum, qui fortassis sub cranio adhuc latere poterat, sponte effluere non posse, & depressa meninge nihil etiam sesqui. 17 Martii febri correptus fuit æger. Nocte subsequente convulsiones accesserunt, quibus per interualla tantopere conuellebatur, ut quatuor viri fortes eius brachia & crura continere non possent. Adhæc nihil dormiuit, omnino delirauit, sitiit, & si potus vel aliud quid offerretur, illud sine ratione assumpsit. Sequenti die in eodem statu permansit, ita ut propter maximum delirium ac convulsiones vulnus ægrè teligari posset. Sic delirans in lecto cacabat & mingebat, magnum quoque linguæ anterioris frustum dentibus morsu abscidit, de cuius dolore, postea ad se reuersus valde conquestus fuit. Tria hæc lethalia signa, delirium, febris & convulsiones duraruntusque ad 20 Martii, quo tempore convulsiones aliquantum remiserunt, manente tamen febre cum delirio. Ita die chirurgus instrumento quodam plano, obtuso & oblongo (quod in hunc usum expresse parari curaueram) meningem aliquantum depressit, atque inter meningem & cranium, ad duorum digitorum latitudinem instrumentum immisit, meningem à cranio circum circa deprimendo dissoluens, ut hoc pacto, si quid alicubi lateret sanguinis coagulati, illud commodius euacuaretur. Verum cum retrorsum versus instrumento meningem deprimeret, casu peruenit ad illum locum ubi causa totius mali residebat, è quo statim effluxit circiter semi uncia sanguinis nigri, purulenti, & aquosi. 21. 22. & 23 Martii, eodem instrumento quotidie immisso, sanguinis & puris aquosi bona quantitas extracta est. Interea etiam delirium magna ex parte cessauit, & subinde nonnihil dormiuit æger. 24 Martii depressa meninge nihil effluxit, parum delirauit æger, & è lecto assurgens duabus horis igni assedit. Tunc etiam caro ab inferiore osse circa meningem in foramine cranii succrescere cæpit. Vix comedere poterat ob linguæ anterioris dentibus abscissæ dolorem, qua de causa collutionem conuenientem, qua os sæpius lauaret, parari feci, eaque lingua paulatim rursus sanata fuit. Toto tempore, à principio usque ad hunc diem usi fumus fomentatione 12 Martii præscripta, tunc autem, illa omissa, capitium siccum, ex herbis cephalicis consutum, toti capiti circumposuimus. 25 Martii febris euanuit, atque æger multo melius valuit. Hactenus solum mel rosaceum cum pauco spiritus vini mixtum foramini cranii seu meningi impositum fuerat, tunc autem sequens pulvis illi melli permixtus est.

Rec. *aloes hepat. sang. draconis, myrrhæ, masticbes, olibani ana scrup. ß. l. pollinis farinæ hordei scrup. ij. l. fiat pulvis subtilis.*

26 Martii omnino sanæ mentis fuit. Tunc meninge rursus supradicto instrumento depres-

sa, puris albi & bene cocti adhuc exigua quantitas tam mane quàm vesperi effluxit. Post hunc diem quotidie per tres quatuorve horas è lecto surrexit, & bene comedit. Sequentibus etiam nihil materiæ amplius è cranii foramine excretum est, sed illud, nobis etiam invitis, quatridui spatio carne repletum fuit. Forinsecus quoque caro undique, sed nimis cito, accrevit, ita ut levi causticò impositò eandem subinde auferre coacti fuerimus, nam expectanda erat ossis desquamatio. Sexta denique septimana ab osse magna, lata, & crassa squamma separata est. Exinde æger vulnere carne repleto, brevi post sanatus fuit, illud tantum incommodi retinens, quod maiore ingruente aeris tempestate, capite aliquantum doleret, & à vini potatione statim inebriaretur.

In isto sanitatis statu ultra quadriennium more solito vixit. Anno autem 1641. mense Septembri, in castris cum aliis quibusdam equitibus bene sanus colludens, subitò in terram attonitus & mentis expers concidit ac statim acerrima convulsione totum corpus contractum fuit, & intra horæ quadrantem miser exspiravit. Si tunc temporis præsens adfuissem, aperto cranio inspexissem anne ab antiquo prædicto vulnere mortis causa processisset.

DE vulneribus capitis cum fractura cranii, quæstio est, quando ossis separatio facienda sit; quod tempus Albucasis chirurg. lib. 3. cap. 3. ita describit: *Quod si venit ad te vulneratus primis statim diebus, & est illud tempore hyemali, tunc oportet ut perficias ablationem ossis ante diem decimumquartum, secundum omnè dispositionem: si est in diebus æstatis, tunc oportet ut properes removere os ante diem septimum, antequam corrumpatur quod est sub osse ex panniculo, & adveniant accidentia grauia.* Cum Albucasi consentit etiam Haly, pract. lib. 9. cap. de fract. cranii. Avicenna verò hoc tempus paulo strictius sumere videtur: lib. 4. fen. 5. tr. 3. cap. 1. *Oportet* (inquit) *ut separatio non tardetur æstate ultra septem dies, in hyeme autem ultra decem, quanto autem citius fuerint, tanto erit melius, & longinquius ab hoc ut accidat accumenta magna, &c.* At Hippocrates omnium breuissimum tempus præscripsit, nam lib. de vuln. cap. monet, intra triduum os, quod secandum est, secari debere, neque permittendum ut operatio ulterius protrahatur, præsertim ubi tempus calidum fuerit. Cui Hippocratico dicto hæc clausula adiungi debet, nempe intra triduum ossis sectionem faciendã, si Medicus in principio satis tempestivè vocatus fuerit: at si fortè serius ad ægrum accedat (ut mihi hic contigit) vel ab ægro aut amicis operatio aliquamdiu impediatur, tunc etiam licere quocunque tempore cranium perforare, dummodo vel minima vitæ seruandæ spes ab hac operatione expectari posse videatur, præstat enim in certo periculo dubium tentare remedium, quam nullum: *nihil enim interest*, inquit Celsus, *præsidium an satis tutum sit, quod est unicum*: & extremis morbis extrema adhibere remedia iubet Hippocrates. Greg. Horstius part. 2. lib. 4. Observ. 20. cranium cuidam ægro feliciter aperuit undecimo die, & alteri ægro similiter die 15. Hildanus cent. 4. Observ. 3. memorabilem refert historiam de cranii perforatione post duos à recepto ictu menses felicissimè administrata, qua facta, pus per foramen statim pleno ductu exiluit, atque ita æger seruatus fuit. Sic etiam in nostro ægro primis diebus effluxit sanguis purulentus & aquosus, at die decima septima merum pus album. Idem Hildanus prædictæ centuriæ Observ. 4. aliud refert exemplum cranii undecima morbi die feliciter perforati. Paulus Ægineta lib. 6. cap. 90. scribit se nouisse quendam cui post annum ab accepto vulnere cranium cum salute ægri perforatum fuit. Quo eodem capite etiam supradictam Hippocratis regulam paulo latius extendit, inquiens: *Hyeme quidem ante decimumquartum diem omnino ossis avulsionem facere conveniet, æstate verò ante septimum, antequam mala symptomata accedant.* Præstat quidem in principio huiusmodi operationes administrare, idque, (ut ex Avicenna modo diximus) quanto citius, tanto melius; verum præter certo inito ægros pro deploratis deserere non foret humanum, nisi lethalia symptomata ante

opera-

operationem appareant, ut delirium, convulsiones, paralysis, &c. In tali enim casu meminisci oportet dicti Cornelii Celsi, lib. 5. cap. 25. *Prudentis hominis est, eum qui seruari non potest, non attingere.* Si lethalia illa symptomata, quæ in nostro ægro post operationem superuenerunt, ante eandem visa fuissent, operationem hanc non instituissemus, sed omnem de ægro spem abiecissemus, quemadmodum etiam desperavimus iisdem post operationem accedentibus, & nihilominus tamen præter spē & expectationem nostram sanatus fuit.

Nonnulli Medici admodum anxiè cauere iubent, ne in denudatione cranii, quæ perforationem præcedit, incisio fiat in ipsis futuris, & ne fibrillæ duræ meningis, futuras transeuntes ac cum pericranio unitæ, lædantur, haud secus acsi inde magnum periculum expectandum foret. Sed ego iam multoties huiusmodi operationibus adfui, & ipsemet etiam incisiones super futuras (loco magis commodo ita se offerente) fieri, ac fibrillas istas etiam scalpello abradi sæpe curaui, neque ullum unquam incommodum inde prodiisse animaduertere, potui, & experientia edoctus sum, huiusmodi anxias curas relinquendas esse illis Medicis theoricis, qui nunquam talibus curationibus adfuerunt, quas practici penitiores pro somnis habendas esse noverunt. Solummodo cauendum est ne lædatur musculus temporalis, & ne trepanum futuris imponatur atque ibi perforatio fiat.

OBSERVATIO LV.

Ophtalmia.

VXor capitanei Iuuii, mense Aprili magna oculorum inflammatione laborabat, cum dolore. Biduo post etiam duæ eiusdem ancillæ & famulus simili ophthalmia affecti sunt, eamque se ab aspectu Dominæ suæ contraxisse dicebant. Præmissa purgatione, ad doloris sedationem vitellum oui ad duritiem assatum & cum lacte mulicbri subactum, oculis per noctem imposui. Postea bis terve de die guttulam unam aut alteram huius aquæ ophthalmicæ oculis instillari iussi, cuius usu intra triduum ophthalmia prorsus evanuit:

Rec. *Vitrioli albi, scrup. j.*
saccbari candi, dracb. j.
aquæ plantagini, unc. ij.
rosarum, unc. j.
misceantur.

GAlenus 1. de differ. febr. cap. 2. ophthalmiam seu lippitudinem annumerat morbis contagiosis, eamque sicut pestis & scabies, contagio contrahi posse tradit: istius tamen contagii (quale sit, in quo consistat, quomodo communicetur vel contrahatur) nullam rationem subiungit. Sic etiam Plutarchus 5. Symp. 7. *De reliquis* (inquit) *morbis, cum maxime, cum facillime ophthalmiæ contagium proserpit ad una degentes, tam acrem habet vim visus afficiendi alterum.* Hoc sensu quoque inquit Ouidius, de remed. amor.

Dum spectant læsos oculi, lædantur & ipsi.
Multaque corporibus transitione nocent.

De huius contagii natura plerique Medici tacuerunt, cum eiusdem descriptionem difficilem fore animaduerterent, atque ex quinquaginta vix unum inuenias qui hanc rem solidius examinare voluerit: qui verò eandem tractant, illius opinionis fuisse videntur, quod ex oculo affecto vapores vel spiritus quidam corrupti exeant, qui ad sanos oculos delati eosdem infi-

inficiunt. Sic Benedictus Fauentinus prax. tom. 1. sect. 3. cap. 2. scribit ab oculis lippientibus quid putridum exspirare, quod aerem circumfusum eadem qualitate inficit, qui aer ab oculis intuentibus receptus, eosdem contagio lippitudine afficit. Illius opinionis etiam est Mercurialis, qui prax. lib. 1. cap. 38. ex Alexand. 2. problem. 42. scribit, ophthalmiam ideo esse contagiosam, quia spiritus oculi affecti contaminati sunt, qui cum tangant oculos sanos, inficiunt ipsos. Verum non videntur nobis magni illi viri rem acu tetigisse. 1. Quis enim credat ex oculo, cornea membrana duriore contecto, posse exspirare tantam maligni humoris vel spiritus copiam, quæ eminus inficiat intuentium oculos? Profectò si inde continuò tanta fieret exspiratio, oculi paucis horis exhaurirentur & prorsus exsiccarentur. 2. Posito tamen fieri talem & tantam exspirationem quæ circumfusum aerem, & hinc aliorum sanos oculos inficiat, quare ab illa non læduntur omnium præsentium & propinquorum oculi, sed tantum eorum, qui lippientes oculos curiosius intuentur. 3. Quare etiam non læduntur omnium eorum oculi qui lippientes curiosè, diu, & sæpe intuentur, imò iis propius & diu adsunt, sed sæpe tantum unius aut alterius, qui ex improuiso, & forte tantum eminus nec diu lippientes aspicit? His curiosius perpensis, satis animaduerti lippitudinem nullo modo per contagium communicari posse, sed interdum contrahi propter humorum & spirituum oculi sani conturbationem; quæ conturbatio non inducitur à spiritibus vel humoribus corruptis (uti à medicis plerisque hactenus putatum fuit) è lippiente oculo ad sanum delatis, sed inde quod sanus oculus lippientes intuetur cum aliquo terrore, abominatione, horrore vel auersione; qui terror quorundam debiliorum oculorum spiritus & humores grauiter conturbat, qui à conturbatione hac rapide mouentur & ad oculum confluunt, sicque ibi efferuescunt, atque hinc oculi inflammantur. Idem illud videtur significare voluisse Rabbi Moyses 24. Aph. part. *Qui primo videt ophthalmia laborantem, statim ipsi oculus conturbatur, quodsi adhuc intentè aspiciat, non solum conturbatur, verum etiam ophthalmiam contrahit.* Dico autem debiliores oculos conturbari, unde Seneca, 2. de Clemen. inquit, *Imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem & ipsi suffunduntur.* Fortiores autem oculi, & eorum qui minus terrentur ab intuitu lippientium, non conturbantur multum atque hinc ab aspectu illo ophthalmiam non contrahunt. Fortitudo igitur vel debilitas oculorum, & maior vel minor terror seu auersio, in causa sunt, quod ab eiusdem lippientis intuitu alii sani oculi lædantur, alii non lædantur. Non est autem quod cuipiam hæc nostra, fortè noua, opinio mirabilis & incerta videatur, cum maximas ad morborum quorundam inductionem esse vires, conturbationes ex visu rei terribilis conceptæ, doceat experientia in mulieribus grauidis, quarum tenellis fœtibus sæpe hac sola de causa insignes & stupendæ notæ imprimuntur: cum etiam in aliis sæpe contigisse visum sit, ut ab huius illiusve terribilis rei aspectu, grauiter conturbatis cerebri spiritibus, paralytici, aut dementes facti; vel cordis spiritibus conturbatis, in palpitationem, syncopen, febres, aliudve malum prolapsi sint. Quid mirum igitur si ab oculi lippientis intuitu cum horrore etiam sani oculi spiritus conturbentur, atque ita efferuescant, & ophthalmiam inducant? Concludimus igitur, ophthalmiæ non adesse ullum contagium. Quod si quispiam ophthalmias epidemias (quales interdum grassatas fuisse testantur Medici) nobis obiiciat, dicimus illarum propagationem non fieri propter aliquod contagium ex affectis oculis exiens, sed propter commune aeris vel diætæ vitium. Non obstat etiam quod Aristoteles scribat, mulieres menstruatas visu inficere & corrumpere speculum; quia omninò credibile non est, illud fieri ab aliquo contagio ex oculis earum exeunte, ut multi arbitrati sunt hactenus, sed potius à quibusdam corruptis vaporibus, quos propius attantes speculo cum anhelitu affundunt: ex solis autem menstruatæ oculis tantum & eam efficax virus emanare, quod eminus speculum inficere possit, credat Iudeus apella, non ego. Non obstat etiam quod philosophi dicant basiliscum solo visu interficere hominem, nam huius rei duplex potest dari ratio:

pri-

prima quod multi venenati halitus, non ex solis basiliſci oculis, ſed ex toto eius corpore exſpirent, & aerem vicinum inficiant: altera, quod ille qui horrendum illud animal aſpicit, maximè terreatur, & conturbetur, à quo terrore venenoſi halitus, à corpore illius propinquo, facile intus trahuntur, & una cum ſpiritibus ad cor feruntur, idque grauiter lædunt: ita ut non ſolus viſus, ſed terror & conturbatio horribili illa viſione inducta, & venenato habitui iuncta, mortis cauſa fiat. Dico, iuncta venenato habitui, nam haud facile mihi quiſpiam perſuaſerit, baſiliſcum eminus viſum (nempe loco tam longe diſtitò, unde venenati eius halitus ad videntem peruenire nequeunt) quempiam iſto intuitu occiſurum, licet etiam tota die curioſius contpiceretur. Quod autem dicatur, baſiliſcus mori cum ſe ipſum in ſpeculo conſpicit, illud certè vel pro ſomnio habendum eſt, vel dicendum, ipſum à ſui ipſius terribili imagine viſa, tantopere terreri & conturbari, ut ſpiritibus circa cor nimis conturbatis, & concentratis ſtatim moriatur: aut ſuam ipſius imaginem ſibi pulcherrimam videri, atque illum hinc tam enormiter gaudere ac lætari, ut diſſipatis ſpiritibus occumbat, quemadmodum etiam homines quoſdam nimio terrore, nimioue gaudio ac lætitia ſubito extinctos fuiſſe hiſtoriis conſtat. Verum à veneno ſibi naturali à ſpeculo repercuſſo ipſum mori non eſt credibile, nam talis repercuſſio etiam fieri poſſet, cum in anguſto aliquo antro recubat, atque ibi tunc etiam mori deberet, quod nuſquam viſum vel auditum eſt. Vid. Annatumes lib. 3. c. 13. & c. 8. lib. de Peſte.

OBSERVATIO LVI.

Hæmoptyſis.

IOannes Hugo, tubicen Domini de Perſil, cum nimia violentia cantilenas aliquot tubæ cecinisſet, atque inde valde incaluiſſet, paulo poſt obſcurum in pectore ſentiit dolorē, & ſimul etiam cum tuſſicula ſanguinem ſpumoſum, ſed paucum, exſpuere cæpit. adeoque debilis euaſit, ut anhelitum vix trahere, imò ne ſtare quidem nec loqui poſſet, ſed continuo ſupinus in lecto iacere cogere ut. Erat à medicamentis ad modum auerſus, ac proinde nullius Medici conſilio uti ſtatuerat. Verum cum uſque ad ſextam ſeptimanam in tali ſtatu iacuiſſet, neque morbus in melius mutaretur, tandem 10 Martii meum conſilium imploravit. Inveni ægrum abſque febri, ſed valde debilem, quæ debilitas ab anhelitus defectu aliquo proveniebat, nam thoracem ad lubitum extendere & contrahere nequiebat, cujus mali hæc cauſa erat, quod fortiſſima illa tubæ inflatione muſculos thoracis magna & nimia violentia intenduiſſet, atque hinc adeo debilitaſſet, ut poſtea rurſus contrahi nequiverint. Sanguinis autem ſputum, quod non erat copioſum, ab exili aqua venula in pulmone diſrupta originem habebat. Curationem aggreſſurus, primo convenientem diætam præſcripſi: ſecundò alvum medicamento leniente ſubduxi: tertiò è mediana dextri brachii ſanguinis lib. ſ. extraxi. Denique hoc ſequens ceratum toti pectori applicandum præſcripſi:

Rec. *Caſtorii,*
croci, or. ana ſcrup. ij.
maſtiches,
olibani,
ſtyracis cal. ana drach. j.
benzoini, drach. j. ſ.
g. tacc emacca,

galbani

galbani aceto dissoluti,
emplastri de meliloto,
oxycrocei, ana unc. j.

fiat s. art. ceratum quod extendatur in corio rubro tantæ magnitudinis, ut totum pectus à cartilagine ensiformi, usque ad asperam arteriam, atque etiam latera sub brachiis utrinque inuestire possit, inungatur olei nucis moscatæ, scrup. ij.

Præterea cingulum ex corio alcis molliore, latitudinis manus, cum lata fibula parari iussi. Ceratum primò pectori impositum fuit: deinde pectus proxime sub axillis hoc cingulo circumdatum, & quantum ferre poterat æger contractum, ac fibula firmatum fuit. Hoc facto, statim maximum levamen sentiit æger, atque anhelitum multo liberius & fortius attraxit. 14. Martii sanguinis sputum una cum tussi prorsus desiit. Adhæsit hoc ceratum per integrum mensem, quo tempore musculi thoracis adeo firmati sunt, ut æger nullis aliis medicamentis opus habuerit, atque etiam sine prædicto cingulo rursus optime tuba caneret. Monui tamen ut hunc cingulum semper gestaret, præcipue cum eo circumdatus, se multò levius, facilius, & melius tubam inflare diceret.

ÆGer hic præter medicamentum laxativum nullum aliud per os assumere voluit, quapropter summopere metuebam ipsum in phthisin prolapsurum, nam præter periculosam sanguinis sputationem, tanta etiam aderat virium delectio, ut in lecto erectus sedere non posset, at semper supinus iacere cogeretur. Verum cum animadverterem hanc debilitatem totaliter dependere à defectu motus instrumentorum spirationi inseruientium, ipsam mirabiliter præter omnium expectationem dicto cerato & cingulo restitui: cingulo tamen non minima curationis pars asscribenda erat, nam simul ac pectus eodem constrinxissem, statim erectus sedere, & anhelitum multo liberius trahere potuit.

Tubicines sæpe nimis superbi, honoris acquirendi gratia, omnes vires in tubæ inflatione & cantu adeo intendunt, ut non rarò hernioſi fiant, vel sanguinem spuant, imò sibi ipsis vitæ filum ex improuiso sæpe præcidant, quemadmodum id anno 1641. mense Nouembri, vidimus euenisse tubicini capitanei Bax, qui cum inter alios tubicines tuba cantando maximè excellere vellet, disrupta magna in pulmone vena, & sanguine copiosissimè effluente, intra duas horas expirauit.

OBSERVATIO LVII.

Suffocatio Hysterica.

RIchcrda, pedissequa Dominæ de Naillau, vehementi suffocatione hysterica intervalla laborabat, cui etiam aderant, summa angustia cum murmure in alvo, interdum etiam vomitus & delirium cum garrulitate. Hoc malum se contraxisse dicebat a vento frigido, quem in latrina ventis exposita sedens per uteri orificium subtus receperat. 9. Ianuarii, cum alvum per biduum non deposuisset, medicamento leniente eandem quinquies subduxi, qua die paroxysmus non infestavit, at sequenti nocte vehementior fuit, qui etiam postridie gravis fuit. Paroxysmus pennarum perdicum combustarum fumo naribus aliquoties admoto, optimè recessit, atque ægra ad se reduit; cui pilam ex assa fœtida, castoreo

castoreo & galbano concinnatam manibus contrectandam & sæpè odorandam dedi n 11. Circa vesperam, duabus horis ante gravem paroxysmum, præcesserunt dementationes, ita ut multa stultè garriret, subinde etiam graviter vomituriebat, sed præter potum vel aliud quid quod assumpserat, nihil evomebat. Paroxysmus fumo pennarum perdicum rursus discussus, & sequens emplastrum umbilico impositum fuit.

Rec. *Castorei, scrup. j.*
benzoini, scrup. j.
oppoponacis,
sagapeniaceto dissolut. ana scrup. ij.
misceantur, & extendantur in corio
magnitudinis palmæ manus.

Exhibui etiam haustum hystericum, sed eundem post horam evomuit. 11. Ianuarii huius apozematis sæpius aliquantum assumpsit.

Rec. *Radic. ostrutii,*
valerianæ,
diptamni, ana drach. iij.
folior. artemisiæ,
pulegii,
matricariæ, ana M. j.
sem. levistici, unc. ſ.
dauci, drach. ij.
aquæ communis q. ſ. coquantur ſ. art. ad lib. j. ſ.

Totum hoc ista die cibit, nec evomuit, nihil tamen profuit: deliriâ & suffocationes eodem modo per interualla redierunt. Circa vesperam hunc puluerē cum pauco ceruisiæ exhibui.

Rec. *Castorei, scrup. ſ.*
croci or. gr. v.
trochisc. de myrrha, scrup. ſ.
fiat pulvis.

Nihil profuit. 12. Ianuarii, cum symptomata rursus graviora ingruerent, exhibui solius succini flaui præparati & puluerisati drach. j. cum pauco ceruisiæ mixtam: quo puluere, miraculi instar, intra horam unam symptomata omnia cessarunt. Cum autem vesperi rursus eiusdem mali aliqua præsagia sentiret, idem pulvis, ut antea, exhibitus est, & sic tota sequenti nocte quietè dormiit. 13. & 14. Ianuarii, cum aliquid murmuris in ventre inferiore sentiret, idem pulvis mane & vesperi exhibitus fuit, atque ita prorsus convaluit ægra.

SVccinum peculiari quadam facultate in hystericis affectibus prodesse dicitur, cuius effectus cum hoc experimento didicissem, postea eodem isto puluere in similibus casibus sæpe felicissimè usus sum. In dicta ægra ad prælentes paroxysmos discutiendos multum profuit fumus pennarum perdicum, quo etiam alias feliciter uti consueui. His pennis foresius, lib. 28. in schol. Obs. 2. suffocatam, quæ nullis aliis mediis excitari potuerat, à paroxysmo citissime liberauit, easque occulta quadam proprietate iuvare, ac semper à se ad usum seruari scribit. Eaſdem quoque commendant, Gradus, Bottonus, Riuerius & alii, idemque præsidium hodie mulierculis nostris ignotum non est. Extollunt etiam plerique Medici pilos combustos, cornua animalium, veteres soleas calce orum crematas, linteamina accensa, aliaque similia naribus obiecta. Galenus & Priscianus rutham odoratam commendant, quam multum prodesse frequenti experimento constat. Eodem modo etiam con-

ferunt galbanum, castoreum, assa fœtida, aliaque similia grauis odoris naribus admota. Leonellus pomum odorandum componit ex castorei drach. iii. assæ fœtidæ, galbani, ana drach. ii. ceræ q. s. ad incorporationem. Albertus Bottonus de morb. mulier. cap. 46. hoc sequens plurimi facit: *Inter cætera* (inquit) *quod omnium maximè solet mulieres præfocatas quasi momento reuocare, est euaporatio facta admanes, ex puluere verrucarum quæ tibiis equorum adnascuntur, quæ si in calente furno exsiccentur, & in puluerem redigantur, & naribus suffumigium fiat, tanquam præsentaneo remedio, & magna astantium admiratione, solent mulieres quasi a mortuis reuocari.* Idem ille puluis ab Augenio, aliisque Medicis plurimum laudatur. Verum quamuis hæc odoramenta fœtida & grauia, experientia ipsa comprobata, à Galeno, Auicenna, aliisque maximi nominis Medicis, tam veteribus, quam recentioribus, tanquam optima ac præstantissima paroxysmi propulsoria, in usum vocentur, attamen inueniuntur nonnulli, qui de iis pessimè sentiunt & loquuntur. Sic Cleopatra 1. & Moschio cap. 129. illa tanquam vana & inutilia prorsus reiiciunt. Capruccius prax. lib. 4. cap. 10. inquit malè facere illos qui statim ab initio deueniunt ad fricationes & odoramenta, siue hæc sint odorata, siue fœtida, quoniam vult ut prius totum euacuetur, & inprimis uteri partes. Duretus in enarrat. Ad Hollerii cap. 59. scribit graueolentia naribus admota non valere in suffocatione, quæ fit ex suppressione menstruorum (quod etiam asserit Lud. Mercatus) & in illa quæ fit ex suppressione seminis, non modò non prodesse, verum etiam nocere: sed illa tantum conuenire cum uterus sua sponte mouetur ad hepar, eique ad hæresci. Verum (quod pace istorum virorum dixerim) hæc opinio mihi videtur prorsus aliena, utpote quæ repugnat doctrinæ Hippocratis, qui lib. de nat. mul. in omni uterina suffocatione iubet ut supra graueolentia, infra verò odorata suffiantur, & castoreum ac conyza exhibeatur. Ad hæc ipsa quotidiana experientia huius opinionis fulcra euertit, cum indies videamus in quacunque suffocationis specie fœtida naribus adhibita paroxysmum citissimè dispellere, quod non tantum nostro, verum omnium fere veterum ac recentiorum testimonio constat. Quantum ad illam suffocationis speciem, in qua Duretus fœtida conuenire scribit, cum nempe uterus sponte mouetur ad hepar, vix credibile est illam dari in rerum natura, nam uterus per se nunquam sponte mouebitur, nisi a manifesta causa (menstruis suppressis, refrigeratione, semine corrupto, aliaue simili) impellatur & commoueatur.

OBSERVATIO LVIII.

Anorexia.

DOminus Heer, nobilis Anglus circiter 30. annorum, cum per aliquot dies, præter consuetudinem, crapulæ nimis deditus fuisset, atque hinc ventriculi functiones interturbasset, multaque cruditates in eo collegisset, adeo inappetens euasit, ut spatio duarum septimanarum vix quicquam comedere potuerit. Tandem meo consilio hoc vomitorium assumpsit.

Rec. *Foliorum asari recentium, drach. iij.*
contundantur, & exprimatur succus cum
decocti rhaphani unc. ij. s. adde expressioni,
oxymelitis cum agarico, unc. j.
misce fiat haustus.

Hinc enormiter euomuit. Postea radicum helenii conditarum tria quatuorve frusta bis terve de die assumere, diætam calefacientem instituere, à crapulis abstinere, vina generosa

quidem

quidem sed pauciore quantitate bibere, & statim post prandium vel cœnam (quia ventriculus illi admodum humidus erat) frustulum unum aut alterum halecis salitæ crudæ comedere iussi. Atque hoc modo appetitus illi paucis diebus optime restitutus fuit.

ANορεξία seu inappetentia interdum calidam causam habet, ut ventriculi intemperiem calidam febrem, bilis abundantiam, aliamve similem, atque tunc remediis cholagogis & refrigerantibus curatur. Plerumque autem inducitur à frigida ventriculi dispositione; quæ refrigeratio ipsi accidit, vel ratione calidi innati debilitati, ut fit in senibus: vel ratione pravæ dietæ, atque hinc collectionis cruditatum in ventriculo: vel ratione frigidorum humorum è capite aliove loco ad ventriculum defluentium. In quacunque autem frigida ventriculi dispositione, propter facultatem concoctricem debilitatam, colliguntur in ventriculo multi crudi, pituitosi, humidi, ac frigidi humores, qui sua frigiditate ventriculi calorem debilitant & humiditate robur dissolvunt, atque utraque functionis sensum obtundunt. In mali huius curatione ad cruditatum saburram è ventriculo exturbandam, inprimis conueniunt vomitoria. Si verò aliis purgantibus utendum sit, laudat Galenus, ut dentur in forma pilularum, quia hæ diutius in ventriculo morantur; inprimis autem commendat pilulas de hiera. Præter hæc & dietam (quæ ex cibis euchymis & facilis digestionis, calidis ac siccantibus est instituenda, cum abstinentia à pinguibus oleosis, aliisque quæ functionis sensum obtundunt) conuenit usus plerorumque calidorum, ut galangæ, calami aromatici, rosmarini, maioranæ, hyssopi, saluiæ, baccarum lauri, seminum calidorum, aromatum omnium, aliorumque similium: etiam vinorum generosorum, inprimis vini absinthitis. Ab omnibus commendatur spiritus vini, vel simplex, vel cum baccis iuniperi, semine anisi, carui, fœniculi, cinnamomi vel gariophyllis distillatus: ut & vinum hippocraticum, & aqua cinnamomi è vino sublimata. Matthiolus maximi facit suam aquam vitæ, quæ plerisque Medicis in usu esse solet. Euonymus, aliique chymici plurimas huiusmodi insignes aquas stomachales distillant. Leuinus Lemnius lib. 4. de occ. rer. mirac. cap. 26. omnium maxime extollit zingiber, vel siccum, vel conditum, idque coctioni præclare auxiliari, appetitum mirabiliter restituere, flatus discutere, ac cruditates consumere tradit. Sunt qui piperis aliquot grana, vel integra, vel in tria quatuorve frusta confracta, & deglutita magni faciant. Ego in praxi obseruaui, post euacuationes, solas radices helenii ita conditas ut amaritudinem suam reseruent, semper omnium maximè profuisse, quarum usu illos qui diu inappetentes fuerant, non semel paucis diebus satis famelicos reddidi. Soleo eadem interdum puluerisatas cum vino generoso simili successu exhibere easque omnibus intentionibus ad mali huius curationem requisitis satisfacere comperi; egregie enim, nec nimis calefaciunt, cruditates consumunt, detergent, coctiones potenter promouent, roborant, aperiunt, flatus discutiunt, & siccant. Præter hæc iam dicta, etiam appetitum plurimum excitant alimenta salita, atque ita multoties obseruaui, quando anorexiæ maxima adest ventriculi humiditas (adest autem ut plurimum) & æger non fuerit valde senex, tunc quoque plurimum prodesse, si nonnunquam tertia vel quarta pars halecis muria salitæ crudæ, more nostratium, post cœnam vel prandium comedatur, nam hoc ventriculum egregie exiccat ac roborat; & quamuis halec sit cibus duræ digestionis cum coquitur vel assatur, tamen est facilis digestionis si recenter e muria extracta sic cruda comedatur, quod licet Gallis, Italis, aliisque multis incredibile videatur, tamen nostratibus quotidiana experientia satis compertum est.

OBSERVATIO LIX.

Superfœtatio.

VXor Dionysii N. Militis, habitantis Noviomagi in angiportu proximo isti cœnobio, quod vulgo Campanarum montem appellant, grauida, anno 1637. mense Octobri peperit filium bene sanum & plenè gestatum seu nouimestrem, quem ipsamet lactauit: post partum lochia debito modo fluxerunt, & puerpera toto puerperii tempore mediocriter valuit, instar aliarum puerperarum. Quarta septimana bene iam restituta, ad templum, Deo gratias actura, processit, atque exinde domestica munia more consueto peregit. Septima post hunc partum hebdomada, cum in templo fortè concioni interesset, alteratio quædam uterina præter consuetudinem ipsam prehendit, ita ut citissimè è domum reuerti cogeretur. Vocatur statim obstetrix, vocantur & aliæ fœminæ, ex utero aquosa profluunt, accedunt parturientium labores: omnes mirantur: dubitant anne in priore partu mola vel secundinæ aliqua pars in utero relicta fuerit, quam natura nunc expellere moliatur. Interea dum spemque metumque inter hærent, solutum est dubium, & præter omnium expectationem secundum enixa est filium, bene sanum & debitæ magnitudinis, quem cum priore lactauit, & postea ambo diu superstites fuerunt, & fortassis adhuc viuunt.

MAgnus Hippocrates 5. Aphoris. 51. inquit: *Quæ utero gerunt, iis os uteri comprimitur*. Et Galenus in commentario, si os uteri claudatur, conceptionis indicium esse statuit. Hinc factum, ut apud Valuerdam & alios plerosque Medicos pro certissimo habitum fuerit, os uteri in prægnantibus non researi; idque eo magis, cum Galenus de usu part. lib. 14. cap. 3. & lib. 15. cap. 7. dicat à conceptu usque ad tempus partus ita occlusum esse os uteri, ut ne specilli quidem tenuissimi mucronem admittat. Verum etsi hæc ut plurimum ita se habeant, ex his tamen Hippocratis & Galeni verbis concludendum non est, nunquã posse fieri superfœtationem, sed eandem rarissimè fieri. Nam etsi illud rarius contingat, tamen interdum fieri posse, docet Aristoteles de generat. animal. lib. 4. cap. 5. *Si iam aucto* (inquit) *conceptu coitus adhibetur, superfœtari quidem potest, sed raro, quoniam uterus magna ex parte ad partum usque sese comprimit*. Idem etiam liquet ex Hippocratis lib. de superfœtatione: *Superfœtant* (inquit) *mulieres, quarum uteri os post primum conceptum non exquisitè clauditur*. Uterus enim libidinis œstro percitus, denuo aperiri potest, ut semen excipiat, non tamen prior conceptus iam conformatus & grandior propterea excludetur, si sana sit mulier, quoniam firmiter adhæret, neque adhuc quærit exitum. Superfœtationis exemplum habemus apud Hippocratem. 5. epid. num. 5. in uxore Gorgiæ, quæ concepit fœmellam, & cum iam instaret tempus partus superfœtauit. Mirum est illud quod scribit Albucasis lib. 2. chirurg. cap. 76. de superfœtatione post fœtum priorem mortuum: *Vidi* (inquit) *mulierem fœtum mortuum etiam utero gerentem, nihilominus denuo impræguatam*. Huic simile casum refert Schenckius observat. lib. 4. Cardanus in comment. ad 5. Aphor. 35. inquit: *Superfœtatio res est rara, visa tamen Mediolani nostris temporibus*. Dodonæus in annot. ad cap. 111. Benuenti, inquit: *Rarior superfœtatio est, & adeo rara, ut non nullis impossibilis habeatur, cuius tamen manifestum in honestis cuius uxore exemplum apparuit*. Duo superfœtationis exempla describit Platerus observat. lib. 3. Ex his igitur superfœtationem, quamuis raro contin-

gat,

gat, interdum fieri satis liquet, quod ipsum etiam confirmant, & exemplis demonstrant, Auicenna, Auerroes, Rates, Plinius, Bonaciolus, Rousletus, Ioubertus, Bauhinus, & alii quam plurimi: & Schenckius lib. 4. Obseruat. tit. de superfœtat. varia & pulchra adfert superfœtationis exempla. Modum autem, quo superfœtatio fit, iam demonstrauimus, eumque etiam docent Andreas Laurentius anatom. lib. 2. quæst. 32. Paræus lib. 23. cap. 32. aliique plures. Verum data iam superfœtatione, quæritur anne fœtus superfœtatus possit ad perfectionem perduci? Aristoteles loco ante citato, scribit, si statim post conceptum superfœtet mulier, enutriri posse quod superfœtatum est, si verò aucto conceptu superfœtet, perfici non posse, sed instar abortus expelli. Idem illud etiam docet & exemplis confirmat lib. 7. de hist. animal. cap. 4. Hoc ipsum quoque asserit Hippocrates lib. de superfœtatione: eiusque rei exempla tradunt Plinius nat. histor. lib. 7. cap. 11. Dodonæus loco supra citato, Bauhinus in appendice ad partum cæsareum Rousseti, aliique plures. Experientiæ astipulatur quoque ratio, quæ docet, primò conceptum & iam formatum atque auctum maximam nutrimenti partem ad se trahere, atque sic alterum fœtum postea conceptum & debiliorem debito nutrimento fraudari, atque hinc perfici non posse, sed tandem emori & instar abortus (ut inquit Aristoteles) expelli: Quod si verò ultimò conceptus fœtus satis nutrimenti trahat, & satis perficiatur, neque instar abortus excidat, fieri tamen vix posse, quin tempore partus, quo natura priorem moturum fœtum magna violentia expellere nititur, etiam posterior adhuc immaturus fœtus simul dissoluatur & eiiciatur. Quid iam dicemus de hac à nobis obseruata & raritatis gratia hic descripta superfœtatione, tot præclarissimorum virorum experientiis & rationi quoque contraria, quæ septima post primum conceptum hebdomada peracta est, & in qua uterque fœtus viuidus ac vitalis unusquisque suo debito tempore, absque ulla læsione expulsus est? Dicendum, hanc raram esse, eiusque rarissima extare exempla, cuius tamen ferè simile refert Paulus Perzda schol. ad cap. 55. Io. Paschalii lib. 1. de curand. morb. imò adhuc magis mirabilem Nicolus serm. 60. tract. 1. cap. 22. *Ego noui* (inquit) *uxorem Zachariæ de Scarparia, quæ peperit masculum, & hinc ad tres menses peperit alium masculum, & bene vixerunt ambo*. Præterea dicendum in prædicta nostra, ut & hac Nicoli muliere ultimò conceptum fœtum satis nutrimenti in utero traxisse, atque hinc robustum fuisse, & proinde se in prioris partu intus absque incommodo retinere potuisse, propterea quod partus ille facilis, & absque insigni violentia peractus fuerit. Super hæc vide quædam ex Caulino in lib. Geneseos à Spachio collect. pag. 488.

OBSERVATIO LX.

Capitis Tinea.

FIlius quæstoris cuiusdam Iuliacensis, adolescens 12. annorum, ab ipsa pueritia laborauerat tinea in capite. Multa variorum consiliis sæpius adhibita fuerant remedia, quæ omnia nihil profuerant. Tandem ægri mater agyrtæ cuiusdam consilio nescio quibus non lotionibus caput quotidie lauit, variaque unguenta imunxit, atque hic tinea brevi sanata fuit: hinc gloriator agyrta sibi magnum nomen apud vulgus conciliare sperabat. Sed qualis, quæso, huius curationis fuit eventus? Paucis post curationem diebus cæpit æger de capitis dolore conqueri, qui cum quotidie accresceret, quarta septimana adeo acutus & intolerabilis evasit, ut meam opem implorare coacti fuerint parentes, qua parum aut nihil profui, nullis enim internis externisque medicamentis, nullis diuersionibus aliisque mediis hunc dolorem lenire potui. Nona septimana accesserunt leves epilepticæ convulsiones, quæ paucis diebus in epilepsiam vehementissimam transierunt, quæ primo singulis die-

bus,

bus, postea singulis horis, denique singulis horæ quadrantibus ægrum miserrimè afflixit, ita ut tandem, 22. Augusti 1640. miserrimam hanc vitam cum feliciore commutaret. Post mortem, consentientibus parentibus, defuncti cranium per chirurgum aperiri curaui, quo serra undique dissoluto ac denique detracto, vidimus duram meningem totam rubro colore suffusam, eamque in superioris capitis parte, aliquantum versus sinistrum latus, valde nigricare. Hac dissecta statim effluxit ichor quidam nigricans & aquosus, qui inter utramque meningem occultatus latuerat. Pia mater aliquantum ex obscuro flaueſcebat: cerebri substantia nihil aut saltem non multum à naturali statu recessisse videbatur: in eius ventriculis humor quidam pancus continebatur aliquantulum virescens, aquosus nec valde lentus. Reliqua vix quicquam immutata erant.

ECce quam egregiè tineam hanc curaverat bomachides ille agyrta, qui tamen in eo prudens fuit, quod morte pueri intellecta statim Noviomago discesserit, metuens fortasse ne causam mortis huius ægri ipsi publice exprobrarem, utpote qui Medicinæ ignarus viam istam per quam natura cerebri excrementa noxia exonerabat, obstruxerat, nulla prius facta diversione.

OBSERVATIO LXI.

Febris Tertiana Intermittens.

VXor generosissimi viri Domini de Spieck, mulier robusta, & puerpera, secunda, post partum septimana mediocriter quidem valuit, sed viribus suis nimium confidens, è lecto surrexit & per cubiculum deambulauit, adhæc etiam pauxillum carnis bubulæ fumo induratæ comedit. Sed quo quæso euentu? Statim post tertiam septimanam valida febri tertiana intermittente duplici [illegible]ruebatur, cum ingenti calore, vigiliis continuis, appetitu plane deiecto, siti inextinguibili, aliisque prauis symptomatibus. 22. Augusti ad ipsam vocatus fui, cum valde anxia & debilis, atque in medio secundi paroxysmi esset, quo ipsam morituram astantes verebantur: Exhibui statim lapidis bezoar. scrup. ſ. confectionis de hyacintho scrup. j. cum aquæ theriacalis nostræ drach. vi. à quo paulo post se multum leuari dicebat. Ad intolerabilem sitim hunc iulebum præscripsi, qui ipsi adeo placuit, ut postea durante morbo nihil aliud bibere voluerit, eumque multoties reiterauerit.

℞. *Aquæ cardui bened.*
cichorei, boraginis, ana lib. ſ.
Syrupi de limonibus, unc. j. ſ.
violacei, unc. i.
olei sulphuris q. ſ. ad gratum acorem,
misce fiat iuleb.

Circa vesperam hanc infusionem præscripsi, quam sequenti manè assumpsit.

℞. *Foliorum sennæ bene mundat. unc. ſ.*
rhabarbari opt. drach. j. ſ.
tartari rhenani,
sem. anisi, ana drach. j.
aquæ cichorei, q. ſ.

mace-

macerentur per horam, postridie, facta leui ebullitione, fortiter exprimantur, addendo syrupi rosati solutiui, unc. ſ. fiat hauſtus.

Cum hunc ebibiſſet, ſtatim aliquot nobiles Dominæ ipſam inuiſebant, quæ audito ægram medicamentum ſumpſiſſe, ſummopere meam abſentis temeritatem increpabant, quod ægræ tam debili & puerperæ medicamentum purgans exhibuiſſem, atque ægram rogabant ut digito in fauces immiſſo illud reuomeret, dicentes Medicos non bene intelligere quomodo ſe res habeant cum puerperis, & alia ſimilia multa garriebant, ut mihi poſtea narratum fuit. Quibus ægra reſpondit, ſe curationem corporis mihi totam commiſiſſe, cumque me prudentem ſatis in omnibus nouiſſet, etiam ſe in hoc morbo mihi plane fidere, & medicamenti effectum experiri velle. Poſt aliquot horas alvus adeo clementer moueri cæpit, ut ſe nunquam melius & mitius purgans aſſumpſiſſe confiteretur: quatuor receſſus habuit, quibus fœtida multa excreuit cum ſummo leuamine. Poſt purgationem iuſculum ex decocto pulli, cum acetoſa, cherefolio, & pauco ſucci citri recentis parato, ſorbſit, iulebum prædictum ad ſitim ſumens. Ægra iſta ſequenti nocte mediocriter dormiuit, & poſt ſomnum calorem multo remiſſiorem ſentiit. Proximus expectatus paroxyſmus adeo leuis fuit, ut vix perciperetur, neque poſtea febris amplius apparuit, ſolo hoc leui medicamine egregie fugata. Exinde à prædictis mulieribus ego prudens puerperarum Medicus appellari cæpi, & quemadmodum primò me culpauerant, ita poſtea ſummis laudibus me ad cœlum uſque extulerunt, meoque conſilio in ſuis etiam puerperiis uſæ ſunt.

SOlent ut plurimum puerperæ, quæ in puerperio ſibi non ſatis cauent, poſtea temeritatis ſuæ pœnas luere, quod ſatis liquit in hac ægra, ut & in illa cuius antea cent. 1. obſeru. 21. mentionem fecimus. Sic illud etiam edocti ſumus triſti euentu vicinæ noſtræ, quæ cum ſe nimis citò aeri commiſiſſet, incidit in febrem continuam, quam primo phrenitis, & tandem ipſa quoque mors ſubſecuta fuit. Vxor quoque procuratoris Pauert, ſecunda poſt partum ſeptimana, domeſticis cutis ſe nimium immiſcens, & capillos etiam pectere volens, incidit in epilepſiam, quam paulo poſt graue delirium inſecutum eſt, qui affectus medicamentorum ope multum quidem fuerunt imminuti, ſed toto vitæ tempore exactè ſanari non potuerunt. Ita ut non ſine ratione mulierculorum noſtrarum prouerbium ſic habeat, *Puerperium vult celebrari, aut bene in puerperio, aut malè poſt ea.*

OBSERVATIO LXII.

Hæmorrhagia Narium.

THeodorus Bill, vir circiter 55. annorum, menſe Auguſto hora quarta matutina hæmorrhagia naris dextri correptus fuit. Ego poſt tres horas ad ipſum vocatus, ad revulſionem ſtatim per chirurgũ venam in dextro brachio ſatis largo vulnere aperiri, & ſanguinis unc. x. extrahi curaui: quo facto, & aqua etiam frigida fronti ac ceruici admota, ſanguinis fluxus ſubſtitit. Poſt triduum, cum veſpertino tempore ad conuiuium vocatus, vinum paulo liberalius bibiſſet, domum reuerſus eodem malo iterum correptus fuit, fluxitque ſanguis tota nocte antequam me vocarent. Poſtridie ipſum inuiſens venæſectionem rurſus inſtituì, ut ante, ſed nihil profuit, neque ob ætatem & vires iam delectas

eandem

eandem reiterare licuit. Turundas in nares immitti primò non permisit, quapropter hanc mixturam cum stuppa cannabina fronti applicauimus.

Rec. *Boli armen., drach. ij. ſ.*
lapidis hæmatitis,
masticbes,
thuris,
coralli rubri, ana ſcrup. ii.
albumen unius ouí,
aceti roſaci, q. ſ.
miſceantur.

Præterea oxycratum actu frigidum cervici, frontí, & testibus admotum fuit, & revulsiones per ligaturas & frictiones dolorificas extremarum partium, ac per cucurbitulas scapulis applicatas, factæ sunt, quæ tamen omnia nihil profuerunt. Tandem cum hæmorrhagia iam ultra 36. horas duraret, & ægri vires ob copiosum sanguinis fluxum admodum exhaurirentur, ac de vita periculum foret, tunc sibi metuens attringentia in nares admittere coactus fuit. Pulverem itaque ex trochiscis de terra sigillata, bolo arm., masticbe, & thure compositum, cum penna scriptoria utriumque pertusa (expurgato prius nare à sanguinis thrombis) quam altissimè in narem insufflari curavimus, simulque turundam crassiusculã, ex tenui linteo ad digiti fere longitudinem paratam, aceto & albumine ouí madefactam, eodemque pulvere consperſam, superimmisimus: atque eo pacto hæmorrhagia per duas treſve horas subsistere videbatur, sed postea sanguis per palatum ad os descendere cæpit, & excidente turunda etiam rursus per narem. Tunc iterum expurgato nare, eundem pulverem inflavimus, & turundam ex frusto cretæ confectam, tantæ magnitudinis ut totam narem obturaret, immisimus, atque sic hæmorrhagia statim subsitit, ad maiorem tamen certitudinem, turundam istam tribus diebus inhærere permisimus: ita hac vice ab imminenti periculo servatus fuit æger. Sequenti tamen anno in autumno eadem hæmorrhagia rursus invasit, in qua cohibenda cum anilibus quibusdam consiliis tota die & nocte frustraneus fuisset, tandem viribus pene exhaustis rursus ad me concursum est: hanc ego eadem excreta turunda iterum citissimè cohibui. Verum non diu post, hepate à nimia ista sanguinis evacuatione admodum refrigerato & debilitato, hydrope simul & asthmate correptus, extremum diem clausit.

NArium hæmorrhagia immoderata (symptomatica nempe, non critica) cum hydropem, cachexiam, aliaque grauia mala inducat, quam citissime est cohibenda. Hæc autem (præmisso sex rerum non naturalium conuenienti regimine) inprimis curatur his modis: revulsione sanguinis ad nares affluentis; eiusdemque à naribus repulsione: sanguinis incrassatione: & venarum apertarum occlusione.

Revulsio optimè & citissimè fit sanguinis missione in brachio lateris affecti, qua Galenus, lib. de sang. miſſ. asserit se validas narium hæmorrhagias repente cohibuisse. Plurimi Medici exiguo facto foramine, & parua quantitate, sed iteratis vicibus, sanguinem detrahendum esse arbitrantur; verum magis nobis arridet opinio illorum, qui è largo foramine sanguinem confertim effluere sinunt, nam tali modo citiot & melior fit revulsio. Præter venæsectionem etiam cucurbitulæ sanguinem potenter aliorsum reuellunt. Sic Galenus, lib. de præcog. ad Posth. maximam hæmorrhagiam in iuvene curauit, cucurbitula magna hypochondrio admota. Forestus lib. 13. obſeruat. 14. hæmorrhagiam desperatam, quam nul-

nullis mediis sistere potuerat, tandem cucurbitulis pedi impositis, miraculi & incantamenti instar substitisse refert: quod experimentum etiam nobis aliquoties felicissimè cessit. Cucurbitulæ scapulis impositæ, quamuis multum revellant, multis tamen non sine ratione suspectæ sunt, propterea quod etiam ab inferioribus partibus sanguinem ad superiores potenter trahant. Crato inter revulsoria commendat minimi digiti in latere affecto incurvationem cum dolore: cuius generis etiam sunt, extremarum partium frictiones & ligaturæ dolorificæ, ut & cauterium actuale plantis pedum admotum, quo Zacutus Lusitanus gloriatur se desperatam hæmorrhagiam curasse.

Repellitur sanguis à naribus (nempe præmissa revulsione) aceto, aqua frigida actu, vel oxycrato fronti, temporibus & cervici admoto, vel cataplasmatibus ex bolo, terra sigil., masticke, ture, albumine ovi, aceto, & similibus paratis, ac fronti admotis, quibus plantago, pimpinella, aliaque herbæ astringentes & refrigerantes, recentes contusæ addi possunt. Cochleæ cum suis domiciliis tritæ, admixto thure & aceto, atque sic fronti & naribus impositæ multum commendantur. Riverius tanquam efficacissimum laudat gypsum cum aceto subactum, & ad crassitiem duorum digitorum fronti & temporibus admotum. Acetum solum, vel oxycratum naribus sæpe attractum idem præstat, ut & aqua frigida majore copia ex improviso in faciem proiecta. Actius tanquam expertum laudat vaporem ex aceto lapidi ignito infuso, si naribus excipiatur. Pachequus (in observationibus Riverio communicatis, obs. 16.) aliud experimentum describit: *Rusticus*, inquit, *ex hæmorrhagia liberali iam vicinus morti me accersivit: sed cum nulla remedia contulissent, instillavi in aurem è diametro naris sanguinem fundentis, guttas aliquot aceti rosati, & sanguinis fluxus statim subsistit. Didiceram hoc à D. Pontuado, qui viderat hoc remedium a Belga Medico factitatum: legi apud Scribonium Largum cap. de hæmorrhagia.*

Sanguinis incrassatio peragitur Medicamentis refrigerantibus, astringentibus & incrassantibus per os exhibitis, iisdemque cum foris admotis; quo in casu foris conveniunt iam dicta reppellentia, inprimis vero oxycratum & aqua frigida. Sic Hildanus cent. 2. obs. observat. 15. in desperato casu totum corpus linteis oxycrato immersis involuens, hæmorrhagiam cohibuit. Idem cent. 3. obsern. 2. totum corpus aquæ frigidæ immergit, eodemque loco de huius remedii utilitate latius disserit.

Venas reseratas occludunt & conglutinant astringentia & glutinantia naribus immissa. Galenus lib. de medic. paratu facil. thus & aloen in pulverem redacta albumine ovi excipit, & cum linteolo, aspersis prius pilis leporinis, in nares immittit. Turundæ astringentibus pulveribus aspersæ utilissimè naribus induntur. Muscus crescens in craniis humanis aeri expositis, pulverisatus & quocunque modo in nares immissus, potentissimum censetur medicamentum. Ego turundam longam ex frusto cretæ confectam, efficacissimam esse aliquoties expertus sum. Gossypium thecæ scriptoriæ atramento diu infectum, aliquantum expressum, & instar turundæ in nares immissum, valde efficax est. Fimus porcinus inter præstantissima & specifica recensetur, si adhuc calens solus, vel cum bolo armena & aceto calefactus, fronti & temporibus admoveatur, & olfaciendus præbeatur, aut in nares immittatur: huius usu desperatam hæmorrhagiam in nobili Germano me curasse memini. Rodericus à Castro & Zacutus Lusitanus maximè extollunt stercus alninum, eodem modo usurpatum; quod etiam Zacutum non pudet per os exhibere & omnibus cibis admiscere. Pulvis sanguinis humani exsiccati, ut & limacum cum cochleis comustarum, & ranarum combustarum, in nares immissus efficax censetur. Refert Pereda vetulam quandam immanem hæmorrhagiam tribus diebus durantem, curasse sola mentha naribus impositâ. Succus urticæ per os exhibitus, & naribus attractus, ut & ipsa urtica contusa ac fronti admota, specifica vi hunc sanguinis fluxum efficacissimè cohibere traditur. Riverius tanquam præstantissimum remedium à se multoties probatum, commendat spicam nardi subtilissimè pulverisatam, & ad drach. 1. cum tuscolo, aqua plantaginis, aliove liquore exhibitam, hancque non solum

specifica vi, sed hepar roborando, sanguinis fluxum cohibere tradit.

OBSERVATIO LXIII.

Lues Venerea.

NObilis capitaneus Anglus, sexagenarius, conquerebatur de valde sicca tussi, quæ per duos tresve menses infestatus fuerat, cum aliqua anhelitus difficultate, & magno in pectore dolore. Propter appetitum plane dejectum totis duobus mensibus vix quicquam comederat, hinc valde debilis evaserat, licet nondum plane decumberet. Caput & scapulæ ipsi valde dolebant, qui dolor noctu maximè infestabat. Dolebat quoque in lumbis: sæpe & parum mingebat, cumque urinandi necessitas urgeret, statim ipsi mingendum erat, urinam enim retinere non poterat. Interdum etiam urina valde acris erat, & dolorem in transitu dum mingeret excitabat; tingebat urina indusium croceo ac subrubro colore. Ad hæc Veneris omnimoda impotentia per totum annum & diutius laboraverat. Ego ex his omnibus iudicavi ipsum morbo Gallico laborare, idque tanto magis cum se longo tempore gonorrhæa infestatum fuisse confiteretur, quam imperitus quidam chirurgus ante annum, nulla præmissa corporis expurgatione, repente suppressérat, atque exinde hæc symptomata paulatim subsecuta, & indies adaucta fuerant. Præterea ante decennium adhuc semel hac lue gravissimè infectus fuerat, ita ut ab illa experientia ipsemet iam satis morbum suum cognosceret, à qua tamen lue se tunc temporis optimè sanatum fuisse, nec postea mali quicquam inde sentiisse dicebat. Ipsum quoque sæpius cum scortis & meretricibus versatum fuisse nemini non notum erat. Quantum ad pectoris dolorem internum & siccam tussim hæc mala ab immoderato tabaci usu (cuius quotidie quinquaginta, ad minimum verò triginta fistulas fumisuctione exhaurire consueverat) maxime inducta fuisse iudicavi, cum tabacum immodice sumptum pulmones nimium exsiccet ac debilitet, & anhelitus difficultatem, dolorem, siccamque tussim inducat, quemadmodum illud exemplis demonstravimus lib. 2. de Peste, cap. 10. annot. 4. Curationem aggressurus, primò dictam huic curationi congruam præscripsi: inter cætera etiam usum tabaci multùm imminuere iussi: propter inveteratam quadraginta annorum consuetudinem illud totaliter deserere periculosum fuisset, & subita hæc mutatio in sene grauem aliquam noxam facile intulisset, proinde tres quatuorve fistulas singulis diebus adhuc concessi. Ad tussim & pectoris dolorem sequens emplastrum toti pectori imponendum præscripsi, quo intra paucos dies dolor, tussis & anhelitus difficultas ad miraculum magis magisque imminuta & brevi sanata fuerunt.

Rec. *Castorij, croci opt. nucis moscatæ,*
gariophyllorum, styracis calam.
benzoini, ana scrup. j. s.
pulverisentur subtiliter, & misceantur cum
gummi ammoniaci, galbani vino dissolut.
emplastri de meliloto, oxycrocei, ana drach. v.
fiat emplastrum extendendum in tenui corio.

Ante huius emplastri applicationem corpus cathartico expurgavi. Postridie verò nempe 22. Novembris, hoc decoctum præscripsi, de quo singulis matutinis temporibus bonum haustum

haustum calidè assumpsit, & aliquantum sudauit: vesperi quoque similem haustum bibit; sed ob virium magnam debilitatem non expectabatur sudor.

Rec. *Ligni guaiaci, unc. xij.*
cortic. eiusdem salsaparillæ, ana unc. iij.
ligni sassefras, glycyrrizæ rasæ, ana unc. i. s.
aquæ communis, lib. xii.
macerentur prope ignem horis 24. deinde coquantur
in vase bene clauso ad remanentiam, lib. v.
addendo sub finem decoctionis,
radicum heleny, unc. j.
herb. cardui bened. M. ij.
rosmarini, scordij, melissæ,
chamedryos, chamepyth. maioranæ,
centaurij minor. ana M. j.
passularum mundat. unc. vi.
fiat s. art. decoctum.

28. Nouembris iterum purgatus est, idemque decoctum reiteratum fuit addendo radicis chymæ unc. i. s. quo utebatur ut ante, sed difficulter ac parum sudabat, propter maximam aeris inclementiam & acerbissimum frigus. Non fecimus ex reliquiis secundam decoctionem, quia huiusmodi potum planè abnuebat. 5. Decembris dolores capitis & scapularum multum imminuti erant, ita ut noctu rursus quietè dormiret, seque iam multo melius valere sentiret: permanebat tamen adhuc urinæ acrimonia, & quasi parua quædam gonorrhæa, quapropter in incepto continuauimus. Ad tussim & ventriculi debilitatem hoc tabellatum dedi,

Rec. *Radic. heleny sicc. drach. j.*
croci Britannici, scrup. s.
calami aromatici,
iridis florent.
benzoini, ana scrup. j.
florum sulphuris, scrup. ij.
glycyrrizæ rasæ, scrup. j. s.
pulueriscentur subtilissimè, & cum
sacchari albi aqua sanic. dipsol. unc. iij.
fiant s. art. tabellæ.

10. Decembris purgatus est pilulis nostris antipestilentialibus, nam facile mouebatur. Vt & 17. Decembris reiteratum fuit decoctum, à quo tunc temporis copiosissimè sudauit, nõ obstante acerrimo aeris frigore, fortasis quia natura longiore decocti usu ad sudandum magis proclivis euasit: Symptomata omnia paulatim euanuerunt, urinæ acrimonia cessauit, appetitus egregie rediit, cumque nihil mali amplius sentiret æger, à medicamentis prorsus abstinuimus, atque ita hoc facili modo à detestanda illa lue perfectè liberatus est. Verum à diuturna gonorrhæa tantam debilitatem contraxerant partes genitales, ut postmodum Venus in ipso plane emortua remanserit, neque illud vitium ullis medijs restaurari potuerit. Anno deinde sequenti 1638. mense Februario, cum ad antiquum tabaci usum, vel potius abusum, se rursus deuoluisset, rediit dolor in pectore cum sicca tussi & anhelitus difficultate, quæ mala emplastro prædicto, & abstinentia tabaci iterum penitus, sublata sunt.

OBSERVATIO LXIV.

Diarrhœa.

NObilis Batavienſis, cum veſpertino tempore muſtum liberalius bibiſſet, tota nocte intenſiſſimis ventris doloribus torquebatur. Poſtridie diarrhœa acceſſit, quæ primò aliquod levamen inducere videbatur, ſed poſtea accreſcens, intra biduum in dyſenteriam mutata fuit. Tunc æger ſibi metuens meum conſilium petiit. Exhibui ſtatim hoc purgans.

Rec. *Rhabarbari opt. drach.* ij.
fol. ſenæ mundat. drach. iij.
myrobolan. cb. b. drach. ij.
ſem. aniſi, ſcrup. ij.
decocti hordei, q. ſ.
fiat infuſio ſ. art. adde colaturæ
ſyrupi de cichoreo cum rheo, unc. j.
miſce fiat hauſtus.

Hinc multa biliola dejecit, & ventris tormina valde imminuta ſunt. Veſperi dedi ſequens ſuccoriferum, à quo illa nocte multum ſudavit, quietè dormivit, & poſtridie ab omni dolore ac fluxu immunis fuit, atque exinde optimè valuit.

Rec. *Theriacæ Androm. drach* j.
philonii Romani, ſcrup. j.
aquæ noſtræ theriacalis,
pet oſelini, ana unc. j.
miſce, fiat potio.

MVſtum teſte Dioſcoride & Galeno, difficulter concoquitur & flatus gignit. Hinc igitur eruditates, viſcerum oppilationes, & ventris tormina producuntur. Interdum illius uſus copioſior urinæ magnam ſuppreſſionem inducit, quod mihi ipſi in Gallia degenti ſemel contigiſſe memini: illius quoque exemplum habet Hildanus cent. 4. Obſervat. 52. Interdum colicos dolores generat: interdum diarrhœam vel dyſenteriam inducit, quemadmodum huic noſtro ægro evenit, ut & illis quorum Foreſtus lib. 22. Obſervat. 31. mentionem facit. Hinc ſæpe contingit Belgas multo minus affectos, cum in Gallia degentes illud nimis copioſe ingurgitant, diarrhœis & dyſenteriis periculoſis, multisque lethalibus, frequentius infeſtari, præcipue illos qui antea uvas copioſiùs comederunt.

OBSERVATIO LXV.

Suffocatio Uterina.

IOanna Segers vidua florentis ætatis, gravida (marito ante paucos menſes mortuo) mense Auguſto peperit filium. Cumque durante puerperio ſe nimis temere per ædes commoviſſet, tertia ſeptimana uterina ſuffocatione correpta fuit, qua uterum ad jugulum uſque aſcendere putabat: aderant ventris & laterum dolores cum murmure. Ægra per tres

con-

continuas noctes & dies non dormiverat, nec se quietam tenere potuerat, modò deambulare, modò sedere, modò iacere desiderabat, nec per dimidium horæ quadrantem in eodem statu quieta permanebat. Ego ipsam subtus in uterum frigus vel flatum recepisse, indeque has inquietudines, præfocationem uterinam, & dolores induci iudicavi. Ad huius mali curationem circa vesperam talem potiunculam exhibui, a qua ista nocte mediocriter dormivit, & dicta symptomata magna ex parte cessarunt.

Rec. *Florum chamomillæ*, M. ſ.
seminis leuistici, *drach.* j. ſ.
dauci, *drach.* ſ.
vini albi q. ſ. coquantur aliquantum.
Rec. *Colaturæ*, *unc.* ij.
Philonij Romani,
Mithridatij Democ. ana drach. ſ.
olei succini per descensum distillati, *gut.* ix.
misce, *fiat haustus.*

Postridie, licet se multo melius haberet, quia tamen symptomata nondum plane sedata erant, alvum per triduum constipatam hausto purgante exhibito, clementer subduxi. Quo facto, hoc emplastrum umbilico impositum est.

Rec. *castorij pulverisati*
benzoini ana scrup. j. ſ.
gummi galbani aceto dissol.
tacamaccæ, *ana drach.* ij. ſ.
misceantur & extendantur in corio magnitudinis
palmæ manus.

Vesperi cubitum iturus assumpsit succini pulverisati scrup. ij. cum pauxillo vini. Quietè dormivit, neque amplius ulla apparuerunt symptomata.

ERotis de pass. mulieb. cap. 4. ad uterinam suffocationem & dislocationem plurimũ prodesse refert leuistici radicem coctam & tritam cum axungia, ac super umbilicum ligatam. Ego radicem illam crudam contusam efficaciorem esse arbitrarer. Ludouicus Mercatus de morb. mulieb. lib. 2. cap. 1. solam tacamaccam vel carranam emplastratam commendat, ut & emplastrum ex theriaca magna, semine agni casti & angelicæ. Montagnana consil. 225. tanquam maximum & certissimum auxilium commendat hoc sequens emplastrum umbilico impositum:

Rec. *artemisiæ*,
matricariæ,
ligni aloes, *ana scrup.* ſ.
galbani,
ammoniaci aceto dissol. ana drach. j. ſ.
fera q. s.
fiat ceratum.

Idem sequenti consilio 226 iuvamentum notabilis laudis expectandum esse scribit ab hoc sequenti emplastro, umbilico tam diu affixo donec ipsum sponte cadat.

Rec. *galbani aceto dissol unc.* j.
bdellij mollis & tubalbidi drach. ij.
pulv. matricariæ drach. j. ſ.
myrrhæ scrup. ſ.
fiat emplastrum.

Forestus lib. 28. obseru. 32. emplastrum ex solo galbano sæpe egregia præstitisse scribit; & ex sequenti emplastro magistrali se maximam utilitatem quotidiana experientia comperisse refert, cuius quantitatem sufficientem in corio extendit, atque in circuitu, ut firmius adhæreat, galbano obduxit:

Rec. *gallæ moscatæ*,
aliptæ moscatæ,

styracis

styracis calam.
ladani purissimi,
mastiches, ana unc. j.
xyloaloes,
xylobalsami,
carpobalsami,
galangæ,
cyperi, ana drachm. iij.
rosarum rubr. drachm. j. ſ.
cera novæ lib. i.
terebinthinæ q. ſ.
fiat ſ. art. emplastrum.

OBSERVATIO LXVI.

Hernia inguinalis, cum gangræna.

THomas Adeler, eques Anglus sexagenarius, herniam in inguine sinistro per multos annos habuerat. Anno 1637. mense Septembri intestinum, quod in herniam inciderat, nimius flatibus distentum, atque hinc disruptum fuit, ita ut stercora in herniæ capacitatem prolaberentur. Hæc proluvies gangrenam cum fœtore intolerabili partis statim induxit, quæ inde cito putrefacta & disrupta fuit, atque ita fœces alvi ordinarie per herniam foras profluxerunt, nunquam per anum. Ego vocatus prædixi ægrum euadere non posse: nec tamen incuria mea perito videretur, per chirurgum applicare iussi spiritum vini cum melle rosato & unguento ægyptiaco, usque dum partes gangrænosæ à sanis separarentur & deciderent. Tunc intestinum non tantum ruptum, sed omnino transversim abruptū esse, eiusque partem superiorem foras prop.ndere, hincque stercora profluere animadvertimus. Hic intestini finis progressu temporis carnosior euasit, & quasi carneum annulum acquisivit, qui annulus cum vicina carne firmiter coaluit, ita ut postea intestinum hoc loco semper fixum & apertum remanserit, atque inde ægro præter voluntatem alvi fæces semper effluxerint. Huic parti postea cacabum parvum æneum, commodè adaptatum, semper appensum gessit, sic reliqua tanus, quocumque vellet deambulans. Nonus iam agitur annus quo huic molestissimo oneri assuetus nunquam ægrotavit.

RAriſſimum hoc est & notatu dignum exemplum. Antehac nunquam credideram intestinum abruptum in inguine cum vicina carne coalescere posse, quod tamen in hoc ægro oculatus testis me vidisse testor, nunquam antea à me obseruatum, licet huiusmodi intestinorum rupturas in aliis aliquoties viderim. Si forte intestinum abruptum inter carnosos abdominis musculos foras erumpat, tale quid aliquando contingere posse verisimile videtur, cuius rei notabilem casum Platerus obseruat. lib. 3. sic describit. *Capuaneus quidam ante annos multos in ventre vulneratus, stercus per fistulam, quæ sanato vulnere illic remanserat, multos annos incolumis alioquin & superstes, excrevit. Cuius causam investigans ex anatomicis observationibus, certis argumentis collegi, intestinorum vulnera, si illis in locis, ubi carneæ musculorum abdominis portiones existunt, ventrem penetrent, agglutinatis tunc utrimque, & intestinorum & musculosæ carnis, vulnerum in ambitu labiis, viam fieri posse, per quam stercus extra corpus educatur, & in abdominis cavum excidere prohibeatur, eaque vulnera licet consolidari nequeant, minime tamen esse lethalia: quod etsi rarum sit, tamen & in aliis partibus, ut vesica, accidit.* Idem Platerus proxime sequenti observatione adhuc alium similem casum enarrat. Ioannes Hornung medicus Heidenheimensis, epist. ad Gregorium Horstium, enarrat historiam rustici, cui è vulnere abdominis intestinum rectum vulnere lato apertum calvit, neque a chirurgo intus reductum est, sed sanato abdominis vulnere toto vitæ tempore foras prependit, naturalem colorem retinens, sed paulatim crassius ac carnosius cudens, per

quod

quod propendens intestinum fæces alui cum magno fætore excernebantur, neque amplius ab ano prodibant.

OBSERVATIO LXVII.

Exulcerata à vitio ventriculi.

DOminus de Nassau, vir florentis ætatis, generosus, & equitum capitaneus, anno 1637. durante obsidione Bredæ, tota æstate cum cohorte castra sequebatur. Mense Septembri cum nocte dormiens sudore totus profluueret, ac forte turmas aliquas equitum prope hospitium suum transire audiret, nudus è lecto exsilit, ac fenestram aperiens foras aliquamdiu prospexit: atque sic à vento Septentrionali, tunc temporis frigido & tempestuoso, subitò refrigeratus est, unde postea in magnum incidit morbum. Statim de ingenti ventris dolore circa ventriculi regionem conquerebatur, accedebat febricula, cum magna tussi, qua multa tenacia pituitosa & male colerata reiiciebat, absque ullo tamen pectoris dolore. Advocati fuerunt clarissimi Medici, D. Valentius senior, Principis Auriaci Medicus D. Romphius senior, Medicus Reginæ Bohemiæ; D. Synapius, medicus totius equitatus; D. vanden Brouck, Medicus ordinarius Bredæ, aliique nonnulli præclari viri, qui omnes ex sputis, tussi, aliisque symptomatibus, iudicarunt ipsum vera phthisi laborare, eaque incurabili, & Principi Auriaco, de valetudine ægri roganti, ipsum brevi moriturum retulerunt. Quantum ad intolerabiles ventris dolores, illos à subitaneo frigore inductos, ac verè colicam esse passionem, omnes unanimiter statuerunt. Ad hunc dolorem, quem colicum appellabant, varia longo tempore adhibuerunt remedia, quibus eundem interdum aliquanto leniorem fecerunt, nunquam tamen sanarunt, nec unquam sanari posse pro certo statuerunt. Ad tussim minuendam fonticulum in brachio sinistro fecerunt, & sequens apozema per multas septimanas exhibuerunt.

Rec. *radic. chynæ electæ unc. i.*
foliorum scabiosæ, tussilaginis,
betonicæ, pimpinellæ,
plantaginis, ana m. i.
florum cordialgium ana p. ii.
passularum enucl. unc. i.
glycyrrizæ rasæ, drach. ii.
sem. anisi, scrup. iv.
coquantur in aquæ hordei secundæ decoctionis q. s. ad lib. ii.
fiat apozema.

Pro linctu ordinario dederunt syrupi de papauere & de symphyto, ana partes æquales. Præscripserunt quoque diatragacanthum frigidum in tabulis. Ad alvum subducendam subinde hanc potiunculam exhibuerunt.

Rec. *rhei electi, drach. j.*
santali citrini scrup. ſ.
decocti hordei unc. iij.
fiat infusio per noctem, adde colatur.
mannæ Calabrinæ unc. ſ.
fiat haustus.

Hinc

Hinc semel atque iterum deiiciebat, nam erat facilis emotionis. Cum ægrum his & similibus medicamentis per duos menses cum dimidio tractassent, nec quicquam proficerent, sed æger ad extremam maciem deueniret, vires quoque magis magisque prolaberentur, plura medicamenta exhibere noluerunt, sed ægrum pro incurabili derelinquentes, singuli domum suam profecti sunt. Dum hæc aguntur, & pallida mors indies expectatur, de me cogitari cæptum fuit, meumque etiam consilium experiri desiderauit æger. In hunc finem in nauem bellicam delatus, cum eadem Breda Nouiomagum transportatus fuit. Vbi de morbo suo longos sermones mecum habuit; morbi inuasionem, morem exacerbationis, Medicorum iudicia, multaque alia ordine recensuit, ac remedia Medicorum, quibus hactenus usus fuerat, in scriptis secum adferens, mihi examinanda obtulit, ex quibus animaduerti omnes opinatos fuisse illum vera phthisi laborare. Verum ego omnibus diligenter perpensis, sui alterius opinionis. Ex tussi enim & sputis nullum certum phthiseos signum percipere potui, multa quidem tenacia & malè colorata, interdum etiam fœtentia excreabat, nihil tamen puris aut sanguinis in iis animaduerti. Dolor ventris, ipsis colicus putatus, non erat colicus, nullis enim flatibus comitatus, in ventriculo fixus hærebat, atque inde per intervalla crudelissimas exacerbationes inducebat, non tamen per intestina totumque ventrem vagas, sed eo ipso loco fixas: quapropter ego iudicavi huius doloris causam esse tenacissimam salsam pituitam, à subita illa prima refrigeratione ventriculi tunicis firmissimè affixã, quæ per intervalla affluxu vel bilis, vel catharri acris, alteriusve humoris, fermentans (sicut calx viua affusione aquæ) huiusmodi graves exacerbationes faciebat. Ventriculum autem graviter affectum esse, præter hunc dolorem, etiam testabantur alia, appetitus dejectio, nausea, ructus molestissimè prodeuntes, cruditates, &c. Tussim autem produci iudicavi à catharris ad pulmones defluentibus, quorum continuum fomentum erant crudi vapores è ventriculo laborante ad cerebrum (quod à prima illa subita refrigeratione valde debilitatum fuerat) delati, atque inde rursus ad pectus descendentes, ubi longiore mora prauum colorem, & interdum etiam fœtorem acquirebant. Hoc meum novum iudicium ægro tantopere placuit, ut de curatione sui morbi magnam spem conceperit, quam sequenti modo auspicati sumus. 26 Novembris capitium ex herbis cephalicis aliisque calidis confutum. & capiti impositum est, quod postea tota illa hyeme gestavit. Præscripsi diætam calefacientem, & attenuantem (non refrigerantem & incrassantem, ut fecerant priores Medici) cibos euchymos & facilis digestionis: cui diætæ propter summam virium debilitatem, ipsum per quatriduum commisi, nulla medicamenta exhibendo. Intra paucos dies fœtida illa & male colorata sputa (cerebro capitii ope corroborato, & defluxionibus hinc imminutis) alba ac naturalis consistentiæ, nec adeo multa & tenacia, ut ante, fuerunt. 30 Novembris cæperunt exacerbari dolores ventriculi, qui ultra ventriculi regionem se non extendebant, atque adeo crudeles erant, ut etiam parturientium & nephriticorum dolores immanitate superare viderentur. Mirabantur æger & consanguinei, quod totum hoc malum in ventriculo latere, ibique curari debere dicerem, cum priores Medici nullam ventriculi mentionem fecissent: non magis quam si æger ventriculum non habuisset; sed re examinata facile in meam sententiam inierunt. Ad huius doloris mitigationem hora quinta matutina exhibui electuarii nostri anticolici drach. j. idque reiteraui hora undecima, verum hinc nihil omnino imminutus fuit. Etiam ceratum calefaciens, ex styrace, benzoino, castoreo, galbano, tacamacca, & similibus toti ventriculi regioni impositum est. 1. Decembris æger nullum medicamentum per os assumere voluit, solum enema iniectum est, quo alvus tantum semel dejecit. Postridie

die pilulis Ruffi assumptis, ter alvum exoneravit, sed nihil remisit dolor, ob cuius magnitudinem cum vires prorsus deiicerentur, ad narcoticum deveniendum erat, quod elegi calidissimum, ut summo calore ventriculum roborare, & tenaces frigidosque humores digerere & incidere, opio verò dolores sedare posset; quod erat philonium Romanum cum euphorbio paratum cuius drach. j. circa noctem exhibui, à quo intra tres horas dolores prorsus sedati fuerunt. 3. Decembris, sæpius de die particulam huius conditi assumpsit.

Rec. *specier. diamoschi,*
diambræ, ana scrup. j. ſ.
diagalangæ, scrup. ſ.
radic. calami aromatici condit.
conserua anthos, ana unc. ſ.
nucis moscatæ condit. drach. ij.
confectionis alkermes scrup. ij.
syrupi de limonibus q. ſ.
olei cinnamomi gut. ij.
misce, fiat conditum.

Circa noctem recruduit malum, sed non tantâ vehementiâ ut antè. Sequenti die pilulis Ruffi iterum assumptis bis terve deiecit. Circa vesperam ex pulsu percepi febriculam, quam sequenti potiuncula fugavimus.

Rec. *theriacæ Androm. drach. j.*
aquæ nostræ theriacalis unc. j. ſ.
olei vitrioli gut. vij.
misce, fiat haustus.

5. Decembris ventriculi dolor admodum mitis & in tali statu fuit, qualis erat ante exacerbationem: tussis, & sputa cessarunt: sed febris aliqua adhuc rudimenta apparuerunt, quæ usu sequentis apozematis evanuerunt.

Rec. *radic. cichorei,*
asparagi ana unc. j.
belenii unc. ſ.
herb. endiviæ, centaurii minor.
absinthii Rom. ana m. j.
cardui ben. m. ſ.
sem. anisi drach. j. ſ.
passul. corinth. unc. ij.
cortic. arantiorum sicc.
citri, ana drach. ij.
coquantur in aquæ communis q. ſ. & fiat
apozema ad lib. j. ſ.

Vesperi amygdalatum exhibui, à quo mediocriter dormivit, quod tribus diebus continuatum fuit, quibus diebus etiam iusculum pulli interdum sumens, vires mediocriter corroborabantur. Interea inhærebat adhuc ventriculo affectus quidam qui ægro valde molestus erat (quidnam esset ipsemet verbis exprimere non poterat) unde sæpe aliquid sursum usque ad iugulum ascendere putabat: hoc malum appetitum impediebat, & ciborum digestiones interturbabat, idque idem illud esse dicebat æger, à quo illæ exacerbationes per in-

tervalla originem sumerent. Vt hunc mali totius fomitem radicitus extirparemus, hoc vini num antimoniatum exhibui.

Rec. *croci metallorum nostræ præparationis, gr. xv.*
vini Gallici generosi unc. iij.
macerentur per noctem, sequenti manè
fiat colatura per chartam emporeticam
duplicem: sit haustus.

Assumpsit hanc potionem 12 Decembris hora octava matutina. Hora nona usquè ad decimam valde nauseabundus fuit, nihil tamen evomuit: paulo post, maxima cum anxietate panca quædam tenacissima instar glutinis, & virescentia evomuit. Hora undecima, cessante anxietate, cœpit per alvum purgari, hacque purgatione sine ullis torminibus decies & septies plurima aquosa mixti coloris deiecit, à qua magna euacuatione vires admodum prostratæ fuerunt, quas aqua cinnamomi cum saccharo perlato subinde refecimus. Vesperi haustum vini generosi calefacti cum drachma theriacæ exhibui, atque ita sequenti nocte mediocriter dormivit. Postridie illum mali fomitem è ventriculo prorsus sublatum esse percepit, quem postea nunquam amplius sentiit. Æger ab eo tempore valde appetens fuit & prima die tria iusculà cum bono appetitu comedit, ac bene digessit. Sequentibus diebus adeo famelicus euasit, ut non tantum quater de die, verum etiam semel media nocte ipsi comedendum foret. Primis duabus septimanis alebatur iusculis variis modis præparatis: tertia etiam carnes coctas pullorum, agnorum, vituli, &c. cæpit edere, & interdum haustum vini bibere: quarta septimana ad carnes assatas, & sic paulatim ad consuetam diætam deventum fuit. Ita desperatus ille æger, auxiliante summo Numine, vires suas brevi recuperavit, & cum magno meo honore pristinæ sanitati, præter omnium opinionem, restitutus fuit, hacque curatione, tam inter magnates, quam inter alios, maximum mihi nomen conciliavi.

OBSERVATIO LXVIII.

Nephritis.

DOminus Bronck-horst, qui Dominus est de VVeerdenburch, vir florentis ætatis, vini rhenani amantissimus, 26 Decembris intolerabilibus torquebatur nephriticis doloribus, sed sine urinæ obstructione. Ante lexennium similibus doloribus vexatus, parvum calculum excreuerat; sed exinde ne minimum quidem huius mali rudimentum perceperat, neque etiam fabulum cum urinis unquam excreuerat. Ad dolorem leniendum clyster emolliens iniectus fuit. Deinde hanc mixturam præscripsi:

Rec. *olei amygdalarum dulc. recentis unc. iij. ſ.*
succi limonum drach. vj.
vini malvatici unc. iij.
misceantur, pro tribus dosibus, quarum
singulis tribus horis una exhibeatur.

Tale quoque linimentum lumbis calide illitum fuit.

Rec. *olei scorpionum, laurini,*
amygdalarum amararum, ana unc. ſ.

chame-

chamemelini, anethini, terebinthinæ, ana drach. ij. misceantur.

Circa vesperam dolores sedati sunt. Nocte cum urinæ maiorè impetu excreuit calculum scabrum & inæqualem, magnitudinis pisi. Postea 14 Ianuarii, cum se asperrimo frigori per totum fere diem expositisset, nephriticus dolor simili modo redit, eaque prædicta mixtura iterum assumpta, calculum excreuit, atque sic rursus à malo hoc liberatus fuit. Ad præseruationem consului, ut interdum pilulam unam aut alteram ex aloe lucida, interdum bolum ex terebinthina Venera deglutiret, interdum syrupo dealthea Fernelii uteretur, imprimis autem ut à vini rhenani usu prorsus abstineret, quod vinum postea cane peius & angue fugiens, ab hoc malo multis annis liber remansit.

QVod vinum rhenanum calculos in renibus generet, & arthriticos dolores indicat, à sale tartareo est, quo illud triplo quadruplove magis, & quidem acriore, quam Gallicum, Canarium, Hispanicum, aliudve vinum abundat. Qui sal tartareos nimis copiosus, cum à naturis quibusdam non satis fortiter digeritur, à sanguinis massa separatur, (sicut fermentatione tartarum separatur, à vino in dolus, & doliorum parietibus accrescit) atq; ad renes cum sero delatus, ibidem in calculos concrescit; ad articulos verò expultus, acrimonias sua immanes cruciatus excitat. Nam ea talium natura est, ut alia corpora corrodendo in minimas atomos redigant & sibi associent: quod videmus in solutione metallorum in aqua forti, in qua crassa metalla tali aquæ soluentis acie unguntur, ut per chartam bibulam transcolari possint. Hæc corrosio arthritidis causa est, dum enim tal tartareus ad nervosas & membranosas partes expultus, eas dem corrodit & sibi associare nititur, immanes illi dolores excitantur, qui mitigantur illat affluxus aquosorum humorum, nam multa humiditate solutus tal minorem habet acrimoniam. Verum dicas, quare nic tal in renibus concrescens tibi tantos dolores non facit quantos in articulis? quia continuo urinæ transitu aliud quod tenuissimum & acerrimum à se inest soluitur, & cum urina per vesicam expellitur, quod vero crassum, argillosum ac terreum illi inest, hoc intus subsidens calculosam substantiam retinet, & non tam acrimonia, quã mole & scabritie sua dolores facit. Vina autem Germanica (quæ nostrates male generali nomine Rhenana appellant) propterea tali tartareo sale abundat, quod in plurimis Germaniæ locis ipsum solum, in quo vites crescunt, tali tartaro abundet. Nulla autem est planta, quæ quod salsum, & tartareum terræ ineft, magis exfugat, quam vitis; inde fit ut vinum iis in locis, ubi solum est nitrosum & tartareum, collectum, plurimum humidi modi tartarei salis in se contineat, atque prædictis morbis generandis aptissimum sit. Rationi suffragatur experientia, nam videmus in multis Moraviæ, Austriæ, Bohemiæ, Vngariæ locis, ubi solum tale est, quale iam dictum, plerosque homines arthritide, vel renum & vesicæ calculo, vel utrisque laborare, quia utuntur vinis aliisque nutrimentis in tali solo crescentibus, quæ naturam soli in se suxerunt, eamque postea hominibus iis utentibus communicant. Hanc rem curiosius examinatam deserunt Daniel Sennertus lib. 2. institut. part. 2. cap. 9. & praxeos lib. 3. part. 7. sect. 1. cap. 6. & lib. de arthritide cap. 2. & paralipom. ad dictum caput 2. Multa autem vina arthritidem inducere, ex eo liquet, quod abstinentia vini nonnulli podagrici restituti sint. Sic refert Trincauellius de cur. part. morb. lib. 12. cap. 2. Medicum senem grauiter podagricum, per quinquennium tibi ipsi vinum interdixisse, atque ita a morbo prorsus liberatum fuisse. Sic Rases, Auicenna, Celsus, Gatinaria, Mercurialis aliique medici, vini abstinentiam ad arthritidis curationem plurimum conferre testantur; idque se in se ipso comperisse scribit Marcellus Donatus mitor. med. mirab. lib. 1. cap. 8. cum enim per biennium à vino prorsus abstinuisset, a podagra liberatus est.

OBSERVATIO LXIX.

Dolor immanis sub osse sterno.

VIcecapitaneus Mour, vir florentis ætatis, mense Ianuario subitò incidit in acerrimum quendam dolorem, qui recta linea ab asperæ arteriæ summitate usque ad superius ventriculi orificium, secundum ossis sterni longitudinem, se extendebat, hominemque tam atrociter excruciabat, ut se hinc illinc commouere nullo modo posset, atque hinc immanissimi doloris impatiens ab astantibus obnixè peteret ut pugione vel glacie ipsi vitam finirent. Non tussiebat neque difficulter spirabat æger, pulmones cum aspera arteria planè liberi erant, etiam œsophagus in deglutiendo non dolebat: ad hæc foris recto visu malum percipiebatur. Sub ipso osse sterno, ea parte qua mediastinum ipsi annectitur, vel in membranula ipsi interius annexa, doloris causa latebat, quæ hoc modo inducta fuerat. Vespera præcedente æger in conuiuio quodam vinum gallicum generosum ac forte liberalius ingurgitauerat, eoque ante luculentissimum ignem se valde calefecerat. Cum verò tandem media nocte sudans foras exiret ac domum properaret, subitò in via maximo frigore (nam asperrimum tunc temporis erat gelu) correptus est, hinc protinus occlusis poris vapores calidi & acres condensati & congelati interiori ossis sterni membranæ adhæserunt, atque hinc pars illa cum acri dolore quasi obriguit, qui dolor motu thoracis exacerbabatur. Vt huic intolerabili malo citissimè occurrerem, statim aluo enemate subducta, hoc sudorifera calidè exhibui.

Rec. *theriacæ serup. iv.*
extracti cardui bened.
angelicæ, ana serup. j.
croci Britannici gr. vj.
aquæ theriacalis nostræ unc. ij.
olei anisi gut. iv.
misce, fiat hausstus.

Hinc optime quidem sudauit, sed dolor in eodem statu permansit. Post sudorem ceratum sequens loco dolenti applicaui.

Rec. *pulu. castorei, garioph yllorum*
benzoini, croci, ana scrup. j.
g. galbani vino dissoluti unc. i.
emplastri de meliloto
oxycrocei ana drach. iij.
misceantur & fiat s. art. ceratum, quod
extendatur in corio longitudinis partis
affectæ, & latitudinis quatuor digitorum,
& inungatur oleo nucis moscatæ distillato.

Cum hoc ceratum per sex septemve horas parti adhæsisset, plurimum cessare cæpit dolor, minùsque tolerabilior euasit, ita ut æger se melius mouere posset. Sequenti die medicamento purgante assumpto quinquies alvum deposuit. Prædicto autem cerato adhuc per triduum inhærente, dolor totus euanuit, & æger rursus bene sanus foras prodiit. Postea verò, mense Februario, cum vino hispanico largius hausto rursus nimium incaluisset, idem malum

malum eodem planè modo rediit, atque tunc eodem illo & solo cerato rursus intra triduum curatum fuit.

OBSERVATIO LXX.

Dolor Capitis.

PEtrus Ioannis, famulus cereuisiarius, homo robustus, mense Ianuario, cum acerrimè gelaret, crudelissimo capitis dolore correptus fuit (reliquo corpore se bene habente) ob cuius immensitatem aliquot dies noctesque continuas insomnis traduxerat, unde non tantum appetitus languescebat: verum etiam delirium iam aliudve grauius malum imminebat. Attamen æger adeo pertinax erat (ut plerumque solent huiusmodi rudes homines) ut ad mali sanationem nihil medicamentorum assumere vellet: tandem verò meis & amicorum bonis verbis eo inductus fuit, ut topica admitteret. Proinde, cum præsenti egeret leuamine, sequens fomentum præscripsi, quo caput calide foueri, & linteа quadruplicata ei intincta toti capiti calide circumponi, ac refrigerata rursus eidem fomento calefacto intingi, idque tota nocte (nam circa vesperam vocabar) continuare iussi.

Rec. *rosmarini, verbenæ, betonicæ,*
thymi ana m. j. maioranæ, m. j. ſ.
saluiæ, m. ſ. florum chamomillæ,
melilloti, ana m. j. anethi,
stœchados, ana m. ſ. sem. cumini,
anethi, baccarum lauri, ana unc. ſ.
vini albi q. ſ.
coquantur ſ. art. ad lib. iij.
adde colaturæ
spiritus vini unc. iv.
misce, prosomento.

Sequenti die dolor longe mitior fuit, cumque adhuc omnia alia medicamenta repudiaret æger, in eiusdem fomenti usu continuatum fuit biduum, quo interuallo somnus rediit, & dolor fere totus euanuit, excepto quod in fronte supra nasum adhuc aliquantum remaneret, cum narium etiam obstructione. Hoc cum fieret à tenaci quadam pituita (sicut totus morbus a frigido ac crudo humore in cerebro propter externum frigus coaceruato, atque ibidem obstructo inductus fuerat) ossi ethmoides firmiter impacta, errhinum ex succo radicis betæ præscripsi, de quo cum bis terve aliquantum cum penna utrimque pertusa in nares attraxisset, magnam tenacis pituitæ copiam per palatum & nares excreuit, atque ita ab intolerabili hoc malo prorsus liberatus fuit.

CVrationem hanc, nullâ præmissa euacuatione nec diuersione, non latis tutam fuisse fateor, nam humores pituitosi in cerebri ventriculis coaceruati, & obstructi, a fomentatione calida attenuati, & liquefacti facile ad nobile aliquod viscus, non sine magno periculo, defluere potuissent. Verumtamen cum humorum coaceruatorum copia, vel apoplexiam, vel delirium, vel lethargum, doloris verò magnitudo febrem iam iam minaretur, & pertinax æger nihil omnino per os assumere vellet, imò ne clysteres quidem nec venæsectionem admitteret, necessariò, ut grauiora iam instantia mala præcauerem, curationem dicto modo solis topicis peragere coactus fui, memor illius dicti Cornelii Celsi, *Nihil interest, præsidium an satis tutum sit, quod est unicum.*

OB-

OBSERVATIO LXXI.

Scorbutus.

AGneta Elberti, iuvencula monasterialis, circiter 24 annorum, mense Ianuario conquesta fuit de obtuso seu grauatiuo dolore sinistri lateris sub costis spuriis, ut & de totius spinæ quadam rigiditate: aderant simul parui rigores, crebræ debilitates & quasi leues lypothymiæ, quæ statim rursus cessabant: adhæc nonnullæ maculæ cæruleæ nucicentes in cruribus conspiciebantur, dentes vacillabant, gingiuæ exedebantur & fœtebant. Ipsam scorbuto laborare ex dictis signis facile erat iudicare. Cum autem hyems ac gelu asperrimum tunc esset, & herbæ virides huic morbo appropriatæ inueniri non possent, & horrendum frigus purgationes quoque prohiberet, tantum hoc sequens electuarium præscripsi, cuius ter de die particulam magnitudinis nucis moscatæ comedit, interea etiam diætam conuenientem seruando.

Rec. *speciei. diambræ,*
aromatici rosati
seminis ammeos, apij. ana scrup. ij.
nasturtij, cremoris tartari, ana drach. iij.
cinnamomi opt. drach. j.
salis prunellæ scrup. j.
fiat pulvis subtilis: tunc

Rec. *passularum longarum pinguium q. s.*
coquantur in vino usque ad mollitiem,
deinde pulpa per setaceum extrahatur.

Rec. *huius pulpæ lib. i. cui admisce*
prædictum pulverem totum,
olei anisi, iuniperi, ana, scrup. ß.
syrupi de limonibus q. s.
fiat s. a. ut. electuarium.

Admiscuissem libenter aliqua amara, sed ab his omnino abhorrebat. Consului etiam, si cochlearia vel nasturtium hyemale alicubi inuenire posset, ut illas herbas in cerevisia tenui vel vino per noctem macerata leniter ebulliret, eoque decocto uteretur, ac reliquum curationis utique in mensem aprilem differret. Interea ad firmandos dentes hanc aquam aluminatam præscripsi.

Rec. *aluminis pulverisati drach. j.*
aquæ communis, unc. vj.
aquæ cinnamomi unc. j.
misce, pro collutione oris.

Cum his aliquamdiu usa fuisset, magnum leuamen percepit, & maculæ crurum euanuerunt. 26. Aprilis sequens apozema paratum fuit, quo deinde ter quaterve reiterato, & corpore bis repurgato, ab hoc malo immunis euasit.

Rec. *rad. polypodij querni,*
cort. rad. capparis. ana unc. j.

radic.

radic. fæniculi,
eryngij, petroselini
belenij, ana unc. ß.
herbar. fumariæ,
cusculæ, centaurij minor.
taraxici totius, ana m. j.
absinthij Romani,
florum sambucini, ana m. ß.
sem. apij, anisi, fæniculi,
nasturtij ana drach. j. ß.
passul. corinth. unc. ij.
tartari rhenani unc. j.
aquæ communis q. s. coquantur s. art. addendo sub finem
radic. raphani sylvestris unc. j.
herbar. cochleariæ,
nasturtij aquat.
becabungæ, ana m. j.
fiat apozema ad lib. ij.

SCorbutus, Germanis *Scheurbuyck* quodinterdum ventris dolores adsint, vel potius *Scheurbeck*, quod gingivas corrumpat & quasi disrumpat, atque etiam *Scheurbot*, quod ossium quasi ruptorios dolores inducat, aliis quoque male *Blauiueschayt*, sed bene *Blauiueschent* appellatur, eo quod maculas quasdam liuescentes, quasi ex contusione plumbei bombardæ globuli relictas inducat. Multi scorbutum putant esse ex morbis novis, quem Dodonæus observ. medic. cap. 33. scribit in Brabantia anno 1556 primo visum, antea tamen aliquot annis Belgis, Danis, aliisque septentrionalibus maritimis regionibus cognitum & endemium fuisse. Hippocrates tamen lib. de morbis internis, morbum quendam describit, Volvulum sanguineum dictum, qui cum scorbuto, si non in omnibus saltem in pluribus convenit. nam scribit in eo morbo os male olere, à dentibus gingivas discedere, à naribus sanguinem profluere, aliquando ex cruribus ulcera pullulare, quorum alia senescunt, alia emergunt, & cutem extenuatam nigrescere; talesque ægros ad laborandum & ambulandum minime promptos esse (ubi nota, græcum textum omissione vocis ὦν depravatum esse) Plinius lib. 25. natur. hist. cap. 3. hunc morbum describit per *τὸ μανδικὸν* & scelerturbem, ubi dicit, in castris Germanici Cæsaris trans Rhenum novum morbum exortum fuisse, quo dentes decidierent, compagesque in genibus solverentur. Repertam verò auxilio esse herbam, quæ vocatur Britannica, neruis & oris malis salutarem; foliis oblongis & nigra radice præditam. Sicut lues venerea guaiacum, salsam parillam, aliaque pauca, sic etiam hic morbus certa quædam & pauca habet antidota, cochleariam, nasturtium hortense, aquaticum & hyemale, becabungam, fumariam, & rhaphanum sylvestrem, quibus amara quælibet (non cathartica) admixta, atque ita simul cocta, macerata, aliisve modis præparata, morbum plerumque curare solent; adhibitis etiam oris colluttionibus aliisque ad sanguinis purificationem & viscerum labefactorum corroborationem necessariis. De hoc autem morbo, eiusque causis & curatione, videatur Dodonæus loco citato, Reusnerus lib. de scorbuto: Sennertus praxeos lib. 3. part. 5. sect. 2. Langius, Eugalenus, Ronseus, aliique auctores, qui ex professo huius morbi historiam plenissimè describunt.

OB.

OBSERVATIO LXXII.

Ventriculi imbecillitas.

CApitaneus de Gone, quinquagenarius, per aliquot septimanas ventriculi imbecillitate laboraverat, plane inappetens fuerat, & cibos assumptos difficulter concoxerat, aderant quoque ructus ægrè prorumpentes & molestissimi, cum nausea. Præscripta prius conueniente diæta, ut ventriculum à cruditatum, frigidorum ac vilcidorum humorum saburra clementer expurgarem, sequens apozema dedi, de quo per quatriduum matutinis temporibus haustum bibit, atque inde ter quaterve alvum deiecit.

Rec. *rad. helenii, meeboacannæ,*
fæniculi, ana unc. ſ.
calami aromatici,
galangæ ana drach. ij.
herbar. menthæ,
rosmarini, nepethæ, maieranæ,
centaurii minoris, ana m. j.
absinthii, melissæ hyssopi, ana m. ſ.
sem. carthami unc. j.
fæniculi carui, ana drach. ij.
passularum enuc. unc. ij.
aquæ communis q. ſ. coquantur ſ. art. addendo sub finem
agarici albiſſ. drach. ij.
foliorum sennæ mundat. unc. j. ſ.
sem. anisi drach. v.
fiat apozema ad lib. j. ſ.

Hoc apozemate euacuato, huius pulveris bis de die (nempè semi hora vel horà una post prandium & cænam) unam dosim cum haustu vini generosi assumere iussi.

Rec. *radic. calami aromatici,*
ſpecier. diaqualangæ,
diambræ, ana drach. j. ſ.
macis, cinnamomi electi,
zingiberis, ana drach. i.
fiat pulvis, qui diuidatur in
decem doses æquales.

Consului etiam ut interdum matutino tempore modicum haustum vini absinthites biberet. His paucis ventriculo priſtinum robur brevi restitutum fuit.

AD ventriculi morbos frigidos, præter illa quæ diximus paulo ante obseruat. 58. varia sunt quæ à Medicis plurimum laudantur. Terebinthinæ usum nonnulli magnopere extollunt, atque vlcerum verum ballamum appellant propterea quod calefaciat, abstergat, & viscera clementer repurget. Zechius hunc bolum commendat, & nullum valentius præsidium usurpari posse tradit.

Rec. *terebinthinæ claræ, drach. ij.*

masti ſ.

mastichis pulverisati, drach. ſ.
pulv. aromatici rosati, ſcrup. ſ.
fiat bolus, duabus horis ante
cibum exhibendus.

Sunt qui terebinthinam coquunt ad formam pilularum, ſed male, nam præſtantior eius vis coctione exhalat. Balſamum Peruvianum ad roborandum ventriculum eſt præſtans & efficax, ſi eius guttæ aliquot cum vino Hippocratico, aliove generoſo hora ante paſtum exhibeantur. Riuerius prax. lib. 4. cap. 1. dicit apud Pariſienſes maximo in pretio haberi ſyrupum de abſinthio Penæ, cuius deſcriptionem ibidem ſubiungit. Crollius ſuum elixir proprietatis ventriculum mirabiliter corroborare tradit. Hartmannus, multique alii, zedoariam omnibus aliis præferunt, atque ab eius uſu ventriculum maximè roborari, & nunquam non petitum effectum conſequi tradunt. Ligna guaiacum & ſaſſafras decocta, ſæpius non parum profuerunt. Conueniunt etiam olea diſtillata, gariophyllorum, aniſi carui, cinnamomi, nucis moſcatæ, aliaque ſimilia, cum vino generoſo paucis guttis exhibita. Sequens pulvis digeſtivus, ad coctionem ventriculi adiuvandam, in frequenti uſu eſſe ſolet.

Rec. *coriandri præparati unc. ſ.*
ſem. fœniculi dulcis,
aniſi, ana drach. ij.
cinnamomi,
gariophyllorum, ana drach. ſ.
ſacchari unc. iij. fiat pulvis.
Doſis cochlear 1. poſt paſtum.

Abſinthium quocunque modo exhibitum maximè laudabile exiſtit, cuius efficacia tutis innotuit ex hiſtoria Galeni lib. de theriac. ad Piſon. cap. 2. ubi mulierem grauiter decumbentem, ſtomachi diſſolutione affectam, inappetentem, adeoq; debilem ut ne cibum quidem aſſumere poſſet, ſolo vino abſinthite ſanauit, cuius potu illico ſtomachus ab imbecillitate vindicatus, & appetitus reſtitutus fuit. De abſinthio ſic quoque inquit Montagnana conſil. 107. *Inter medicinas ſtomachales, quæ appetitum & digeſtiuam eius vigorare poſſunt, & aperire oppilationes eius, abſtergere & exſiccare materias in eo inuentas, prima & famoſa eſt abſinthium, & propriè ſiccum, & omnes abſinthiales medicinæ, ſiue iuleb, vel confectiones vel electuaria fuerint.* Quid Dioſcorides de abſinthio ſentiat, vide ſupra in annotatione obſeruationis 37. quo loco eiuſdem nocumenta etiam deſcripſimus. In huiuſmodi ventriculi morbis hoc Langii electuarium admodum conueniens eſt.

Rec. *conſeruæ roſarum unc. ij. ſ.*
flor. roſmarini unc. j.
flor. lauendulæ unc. ſ.
galangæ,
cubebarum
xyloaloes, ana ſcrup. j.
ſem. aniſi, drach. ſ.
cinnamomi, drach. j.
calami aromatici drach. ij.
zingiberis condit. unc. ſ.
pinearum præp. drach. vj.
cum ſyrupo conſeruationis citri
fiat electuarium.

Ego antehac quendam ventriculi debilitate, cum inappetentia ac cruditatibus affectum ſequenti puluere reſtitui.

Rec. *rad. zedoariæ*
galangæ,
calami aromat. ana drach. j.
zingiberis albi, drach. ſ.
cinnamomi, ſcrup. ij.
cremoris tartari drach. ij.
fiat pulvis. Doſis manè,
meridie, poſt prandium, & veſperi
poſt cœnam drach. ſ. vel ſcrup. ij. cum
hauſtu vini generoſi.

Dominus de Spieck quondam pro ordinario utebatur hoc.

Rec. *rad. calami aromat.*
zingiberis albi,
galangæ, ana drach. ſ.
fiat pulvis.

Huiuſmodi electuaria, pulueres, tabellæ, aliaque inſignia ſtomachalia medicamenta quilibet Medicus pro particulari cuiuſque ægri diſpoſitione variis modis præſcribere poteſt, eorumque copia apud auctores paſſim deſcripta reperitur.

Gregorius Horſtius lib. 4. obſeruat. 1. laudat ufum ſequentis tragæ poſt cibum ſumptæ.

Rec. *ſem. coriandri pparati unc. j. ſ.*

anisi,
fœniculi, ana unc. ſ.
Zingiberis,
galangæ ana drach. j. ſ.
cinnamomi drach. j.
ligni aloes drach. ſ.
ſacchari opt. ad pondus omnium,
fiat trages.

OBSERVATIO LXXIII.

Calculus.

RVegero Schorer, filiolo, parvus calculus cum ſummis doloribus per ureterem ad veſicam deſcendit, inde verò paulo poſt in penis meatum expulſus, cum ob magnitudinem tranſire non poſſet, mediæ urethræ inhæſit, atque urinam totaliter obſtruxit. Variis modis illius extractio tentata fuit, ſed fruſtra: tandem autem cum ad doloris immanitatem etiam partis inflammatio accedere animaduerteretur, eundem ſectione extrahere neceſſe fuit, quapropter cute aliquantum ſurſum verſus glandem attracta, chirurgus urethram in latere loco ubi calculus ſubſiſtebat, ſectione aperuit, atque inde calculum extraxit, quod vulnuſculum poſtea facili negotio rurſus conſolidatum fuit, puello nullum incommodum inde retinente.

HAnc chirurgiam, qua calculus in urethra hærens ſectione extrahitur, deſcribunt Aetius tetrabib. 3. ſerm. 3. cap. 5. Steph. Grumelenus, chirurg. lib. 2. & Paræus lib. 16. cap. 40. quæ ſectio quamuis aliquid difficultatis & periculi habere videatur, ſecurè tamen adminiſtrari poteſt. Fonſeca lib. 2. cap. 10. eandem quoque ſuadet. Platerus obſeruationum lib. 3. etiam duo refert exempla calculorum ex urethra ab ipſo feliciter exciſorum. Sunt qui metuant è vulnere illo fiſtulam remanſuram, verum illud ego nunquam vidi.

OBSERVATIO LXXIV.

Nephritis.

FIlius vicecapitanei Sin George, iuvenis circiter 18 annorum (qui renum ſabulo ab infantia laborauerat, & ſæpius etiam paruos calculos excreuerat) menſe Ianuario à calculo in uretere altero hærente tantis torquebatur nephriticis tormentis, ut quo ſe verteret neſciret. Ad malì ſanationem hoc apozema præſcripſi.

Rec. radicum fœniculi,
ſaxifragiæ, ana unc. ſ.
glycyrrizæ raſæ drach. vj.
herbar. altheæ,
malvæ, ana m. j.
florum chamomillæ, m. j. ſ.
hordei mundati unc. j.
ſem. dauci, malvæ,
urticæ, bardanæ, ana drach. j.
4 frigid. maior. ana drach. j. ſ.

ficuum

ficuum ping. n. ix.
dactylorum n. xi.
lactis dulcis recenter mulcti,
aquæ communis ana part. æq.
coquantur ſ. art. & fiat apozema ad lib. iij.

Hoc epoto, eodemque poſtridie reiterato, dolores ceſſarunt, & parvum calculum cum multis arenis excreuit.

Idem ille ſequenti menſe iiſdem doloribus rurſus infeſtatus fuit, atque tunc calculus eodem decocto facile & citò per ureteres in veſicam deductus eſt, verum cum inde in meatum urinarium cum urina extruderetur, adeo magnus fuit, ut tranſire nequiens, mediæ urethræ inhæſerit, atque urinam prorſus obſtruxerit, immaniſſimoſque dolores induxerit: qui calculus cum inde chirurgi opera abſque inciſione extrahi non poſſet, & chirurgus cataplaſmate impoſito partem affectam emollire niteretur, ipſemet pater, tantos filii ſui cruciatus æquis oculis diutius aſpicere nequiens, abſente chirurgo nouaculam arripuit, & filii ſui miſertus, meatum urinarium ſubtus, eo loco ubi calculus hærebat, paruo vulnere incidit, è quo calculus cum impetu protinus exiliit, magna urinæ copia ſubſequente. Poſtea inflictum vulnus, citius quam opinati fueramus, paucis emplaſtris rurſus conſolidatum fuit, nullo poſt ſanationem incommodo remanente.

OBSERVATIO LXXV.

Lac in mamilla virginis.

DOmicella quædam nobilis haud ignota nomine, & notiſſimæ pudicitiæ, virgo circiter 20 annorum, menſe Februario de dolore dextræ mammæ conqueſta fuit, è qua mamma etiam lac ſatis copioſe effluxit. Cum locum affectum diligentius exploraſſem, in media fere mamma duritiem quandam ſenſi, magnitudinis oui columbini, quæ aliquantum compreſſa dolebat. In ſiniſtra mamma nihil horum percipiebatur. Intellexi etiam ex ipſa purgationes menſtruas per quatuor menſes ſuppreſſas fuiſſe. In curatione primò diætam conuenientem attenuantem præſcripſi: deinde purgato corpore apozemata aliquot ad menſtrua emouenda exhibui, & triduo vel quatriduo ante periodi tempus venam in talo ſecui, atque ita paulo poſt euacuatio hæc feliciter ſubſecuta fuit, quæ cum per tres quatuorve dies durauiſſet, mamma omnino detumuit, nec quicquam lactis amplius effluxit. Remanſit tamen durities illa cum dolore, cui impoſui ſequens unguentum in linteo extenſum, idque ſemel ac die renouaui.

Rec. *mellis,*
unguenti populei,
ceræ virgineæ, ana unc. ß.
primo liquefiat cera, deinde reliqua admiſceantur, & ſpatula commoueantur ſimul uſque ad infrigidationem.

Hoc ſolo topico dolor ſtatim multum imminutus fuit, & intra quatriduum durities illa ad maturationem peruenit: apoſtema deinde diſruptum, cum multum puris albi ejeciſſet, eodem illo topico intra paucos dies etiam ſanatum eſt.

Profecto si Domicella hæc non fuisset honestissima, & vitæ castitate omnibus notissima, facile corrupta virginitatis suspicionem apud vulgus incurrisset. Dico, *Apud vulgus*, nam rationales Medici, obstructis purgationibus menstruis lac in virginum mammis interdum generari posse non negabunt, licet id raro fiat. Quod ipsum etiam olim obseruauit Hippocrates, qui lib. 5. Aphorif. 39. sic inquit. *Si mulier, quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet, et menstrua defecerunt.* Memini me antea adhuc semel talem casum vidisse in nobili quadam Domicella Monsfortensi, cuius castitatem nemo in dubium trahere poterat, quæ promotis mensibus etiam cito curata fuit. Crist. a Vega in comment. ad citatum aphorismum, testatur se illud ipsum etiam vidisse in puella Brugensi: cui non absimilem historiam quoque refert Alex. Benedictus, anatom. lib. 3. cap. 4. De generatione huius lactis ita scribit Bartholinus anatom. lib. 2. cap. 1. *Etiam in virginibus & mulieribus non grauidis aliquando (licet raro fiat) lac generari potest, si copioso & spirituoso sanguine refertæ sint mammæ, & accedat suppressio menstruorum, nam ibi glandulosa substantia plus coquit quam mulieri ad nutritionem opus est.* Refert Forestus ibi ab Hugone Medico narratum fuisse, quod semel lac in virgine vidisset: & ab Ericio collega, quod illud ter vidisset. Verum non est quod quispiam miretur talia fieri in iuvenculis quibus menstrua fluere consueta sunt, cum etiam in vetulis id contingere visum sit, quemadmodum Bodinus theatr. natur. lib. 3. refert, infantem, cum aniam vetulam siccissimam mortua matre lugeret, tandem lac emulsisse, eoque abunde nutritum fuisse. Non minus etiam mirum est illud, quod in filiola Domini de Leuvvenburch, infante bene sit, aliisque pluribus illius ætatis infantulis, non semel lac e mammis emulctum viderim: quod ipsum se quoque obseruasse testantur Cardanus subtil. lib. 12. & Ioach. Camerarius de illust. medic. historiis. Omnium autem maxime mirabile est illud, quod etiam lac in virorum mammis nonnunquam generatum fuisse visum sit, sicut Aristoteles testatur de captivo quodam in Lemno, qui plurimum lactis habuit: & Abentina, qui è viro tantum lactis emulctum vidit, ut inde caseus conficeretur. Ita etiam V Valæus Flandrum vidit copiosum lac effundentem, qualem historiam de quodam Laurentio V Vollio narrat Conradus Schenckius. Hujusmodi viros lactantes sē etiam vidisse testantur Vesalius, Alex. Benedictus, Cardanus, Eugubius, Donatus, And. Laurentius, Aquapendens, aliique plures: imò narrant in nouo orbe viros pene omnes magna lactis copia abundare: quid mirum igitur iuvēculis nostris, cum menstrua obstruuntur, lac interdum in mammis generari?

OBSERVATIO LXXVI.

Conuulsiones epileptica.

Filiolus Ioannis ab Vdem, infans septimestris, epilepticis convulsionibus (quas nostrates *Stuypkens* appellant) tere sine ulla intermissione per biduum conuellebatur, ita ut nihil aliud, quam certa mors singulis momentis expectaretur. Tandem meum consilium imploratum fuit tertia die, rebus iam pene desperatis, cum nullum medicamentum exhiberi posset. Ego in miserabili hoc infantis statu, sequentem cucuphum parari & capiti imponi iussi.

Rec. *folior. maioranæ,*
verbenæ, rosmarini.
florum meliloti, ana p. j.
nucis moscatæ scrup. j. ſ.
gariophyllorum scrup. j.

fiat

fiat pulvis grossus, è quo in serico rubro conficiatur §. art. cucuphas.

Hæc cum per quatuor vel quinque horas capiti inhæsisset, cæperunt paulatim cessare illæ convulsiones, atque intra duodecim horas prorsus euanuerunt, ita ut non sine admiratione à tanto malo citissime in totum liberatus fuerit æger.

CVm cerebrum in infantibus in humidissimum, indeque plurimi vapores aquosi ac pituitosi eleuentur, natura ad facilliorem horum vaporum euacuationem, cranium eorum in vertice ad aliquod tempus apertum relinquit. Sed quemadmodum per hanc viam facilis datur vaporum exitus, ita etiam, si in capite bene tegendo non satis diligens habeatur ratio, per eandem facilis datur frigoris externi introitus, à quo tunc occlusis poris & retrigerato ac debilitato cerebro, vapores intus retinentur, atque in cerebri ventriculis in tenacem mucum coeunt; quo onere grauata natura cum se ab illo expedire nititur, & tamen non possit, ex illo motu oriuntur illæ epilepticæ cõuulsiones, quæ in infantibus valde periculosæ sunt, & cum quibus multi commoriuntur, qui verò cũ illis euadunt, si malum vehemens fuit, sæpe vel mentis aliquod vitium, vel membrum aliquod paralyticum aut distortum, vel oculos, luscos, aliudve malum toto vitæ tempore inde retinent. Differt hic morbus à vera epilepsia, quod conuulsiones in eo sint minus vehementes, sæpè tamen frequentiores ac diuturniores quam in epilepsia vera: præterea quod hæ convulsiones ab humorum copia & cerebri in eorundem coctione & expulsione debilitate, epilepsia verò ab humorum malignitate & certa venenositate inducatur. Interdum tamen factum fuisse vitium est, ut illi in cerebro taliter conceruati humores, malo diuturniore existente, paulatim malignam qualitatem acquisuerint, & cerebro vel meningibus paruam aliquam qualitatem aut corruptionem inflixerint, atque ita morbus hic in veram & omnium grauissimam epilepsiam transierit. Curatio huius mali tunc præcipuè consistit, ut cerebrum refrigeratum rursus caleat & corroboretur, simulque pori aperiantur atque ita vaporibus fumum exitus detur: his duobus satis bene & tempestivè administratis, plerique hoc morbo correptos feliciter euasisse animaduerti. Nonnulli oleo succini, rosmarini, aliove simili, cum pluma in nares immisso, pituitæ per nares & palatum euacuationem moliri nituntur; sed cum cerebrum à nimia pituitæ copia adeo obrutum & debilitatum sit, ut se ad expulsionem liberè contrahere nequeat, sæpe curatio vix quicquam prodest; imò interdum cerebrum hoc onore grauatum & debilitatum ad fortiorem, quæ impedita est, expulsionem incitans maiores convulsiones inducit. Ita ut longè præstabilius sit, ante omnia cerebrum calefacere ac corroborare, atque ita humorum crudorum coctionem promouere, & vaporum magnam partem per inconsolidatum cranium euacuare: hoc enim factõ, reliquum pituitæ vel mucí, quod ventriculis inhæret, cerebrum deinde satis coquit, dissipat, & per huic euacuationi dicatos meatus sponte expellit. In huiusmodi casu cucuphas aliquam cephalicam vertici impositam plurimum prodesse multoties compert: hæc enim omnibus intentionibus satisfacit, cerebrum calefacit, corroborat, poros aperit, & humorum crudorum concoctionem ac dissipationem potenter promouet. Hac sola cum magno meo honore innumeros curaui. Interdum etiam guttulam unam aut alteram olei maiorane vertici primò inungi, ac tunc cucuphas supra poni iubeo: interdum etiam, si aliquid assumere possit, exhibere soleo cochleare unum aut alterum ex aquæ florum liliorum conuallium, vel tiliæ, partibus duabus, & syrupi de sæchade parte una: atque his & similibus potissimum utor remediis. Animaduerti etiam si infantes huiusmodi cucuphas gestent usque ad ossium cranii consolidationem, ipsos non solum ab hoc morbo, verum etiam ab innumeris aliis frigidis cerebri affectibus certissimè præseruari. Ad puerorum epilepsiam Nicolaus Fontanus comm. ad cap. 10. lib. de morb. pueror. Scoaltiani Austriæ, ma. nuper laudat urinam puerorum, atque ibidem refert historiam talis ægri, cui cum felicissimo successu iniecit tria clysmata ex herbis conuenientibus

bus in urina coctis, atque etiam syrupum ex urina pueri cum variis cephalicis confectum exhibuit, quorum descriptiones citato loco videri possunt.

OBSERVATIO LXXVII.

Febris tertiana intermittens.

IOsephus VVinties, adolescens, in principio mensis Martii febre tertiana intermittente laborare cæpit, quæ cum ingenti rigore invadebat, & cum magno sudore singulis paroxysmis terminabatur. Ipsimet parentes mensis spatio ex circumforaneorum & anicularum consilio varia adhibuerunt medicamenta, modò vomitoria, modò has illasve purgationes, & nescio quas non specificas (ut vocant) antifebriles potiones: adhæc topica quoque carpis manuum superligarunt, & amuletum quoddam de collo suspenderunt. Quibus omnibus febris non tantum non imminuta, sed in principio Aprilis duplicata fuit, ita ut iam quotidie, & quidem vehementius quam antea, invaderet. Tandem 17. Aprilis meum consilium imploratum est. Inveni ægrum satis debilem, cum appetitu dejecto, & adeo emaciatum ut sola cutis ossa contegere videretur. Præcedente die vomitorium sumpserat, ita ut ipsum amplius purgare necessarium non videretur. Quapropter præscripta convenienti diæta, apozema quoddam aperiens & refrigerans dedi, quod tribus diebus ebibit, sed nihil profuit. Deinde sequentem puppam in vino albo tenui suspendendam præscripsi.

Rec. *foliorum cardui benedicti,*
centaurii minoris.
absinthii, ana p. ij.
aloes lucidæ scrup. ij.
Herbæ minutim conscindantur, & ligentur simul in puppa, quæ suspendatur in vini albi tenuis lib. v. & interdum exprimatur.

Huius vini amari primo die bis, reliquis diebus quotidie semel haustum unciarum quatuor vel quinque bibit. Hinc quotidie leviter purgabatur, & febris rursus simplex cuadebat, atque exinde quotidie minuebatur, eademque puppa adhuc semel reiterata, prorsus cuanuit, & appetitus egregie restitutus fuit.

OBSERVATIO LXXVIII.

Febris tertiana intermittens notha.

DOmina de Nassau, mulier florentis ætatis & macilenta ac delicatula, 23 Aprilis febri tertiana intermittente non exquisita correpta fuit, quæ alternis quidem diebus, sed incertis horis, modò citius modò tardius, cum capitis dolore, nausea, cordis anxietate, & maximo rigore invadens, post quinque sexve horas in immensum sudorem terminabatur. Appetitus planè dejectus, & somnus brevis ac turbulentus erat. A medicamentis valde abhorrebat ægra, cumque vehementer sitiret, nihil aliud quam aquam fontanam bibere voluit, cuius sex vel octo libras durante paroxysmo ebibebat. 25 Aprilis, in-

ingruente paroxysmo ad ipsam vocatus fuit. Vt sudor tunc citius provocaretur hunc haustum exhibui.

Rec. *salis absinthii,*
extracti cardui bened.
confectionis de hyacintho, ana drach. j.
aquæ theriacalis unc. j.
misceantur pro haustu.

Postridie libenter purgans medicamentum exhibuissem, sed noluit assumere, solummodo clysterem admisit, à quo bis deiecit, simulque per quatriduum medicamentorum usum intermisit. 1 May apozema refrigerans & aperiens præscripsi, quod intra biduum ebibit, febre tamen in eodem statu permanente. 3 May Capitaneus de Gone se mixturam quandam scire affirmabat, quæ pulsibus carpi superligata febres certo experimento intra triduum fugabat, eiusque se miraculosos effectus sæpius vidisse dicebat. Ægra morbi pertæsa; eandem applicuit, verum cum tridui spatio nihil levaminis inde perciperet, & febris eo tempore duplicaretur, ac iam quotidie inuaderet, topicum illud cum abominatione rursus abiecit, atque meum consilium iterum expetit. Cum autem ordinariè durioris alvi foret, nec alijs quam fortioribus medicamentis purgari solita, atque omnia quæ vel minimum medicamentosum saporem habebant repudiaret, sequens vomitorium exhibui, quod assumens putabat se vinum purum bibere.

Rec. *croci metallorum gr. xvi.*
vini Gallici albi unc. iij. vel v.
fiat maceratio per noctem, & postridie
fiat colatura per chartam emporeticam
duplicem.

Hunc haustum sexto May, tempore matutino assumpsit. Circa horam nonam cæpit vomere, qui vomitus cum primò sine magna anxietate aliquantum perduraſſet, tandem cum graui molestia bilis flauæ ac viridis, multo tenacissimo pituitoso muco permixtæ, circiter integram matulam plenam euomuit: cessante vomitu, etiam duos tresve secessus per alvum habuit. Magnum à tanta euacuatione sperabatur leuamen, quod ad opinionem subsecutum non fuit, sed febris in eodem planè statu remansit. Tunc vini absinthitis magistralis usum commendaui, à quo licet admodum abhorreret ægra, tamen sanitatis cupida etiam illius periculum facere voluit. 8 igitur May illud sequenti modo præscripsi.

Rec. *herb. cardui bened.*
centaurii minor.
absinthii, ana p. ij.
aloes lucidæ drach. j.
herbis minutim conscissis, fiat puppa
oblonga, cui in vitrea lagena suspensæ
affundantur vini albi tenuis gallici
vel Rhenani, canthari duo, id est,
lib. viii.

Huius vini primo biduo manè & vesperi haustum unciarum quatuor bibit, sed cum alvus ter quaterve de die moueretur copiosius (quod tamen mirum erat, cum ægra vix alijs fortioribus cathartics purgari ordinariè posset) postea semel tantum de die, nempe matutino tem-

tempore, illud assumere iussi. Die quarta ab usu huius vini febris simplex, & multo mitior ac breuior euasit, atque exinde quotidie sic imminuta fuit, ut ægram octaua die prorsus relinqueret. Ad maiorem tamen certitudinem adhuc per quatriduum in vini illius usu cõtinuauit, à quo quotidie duos fecessus habuit: etiam appetitus cum somno rediit, & ægra paucis diebus deperditas vires recuperauit.

HOc tempore febres tertianæ intermittentes nothæ, non tantum Noviomagi, verum etiam in circumiacentis locis passim grassabantur, quæ diuturnæ erant ac pertinaces, in nonnullis simplices, in multis quoque duplices. Rarò medicamentis citius curabantur, multa ordinaria præsidia sæpe frustra admibebantur, & venæsectiones nihil omnino proderant. Nonnulli subinde leues dolores in dextro hypochondrio sentiebant, aliis lingua semper amara erat: aliqui etiam sponte copiosam bilem evomebant: multis capitis dolores, aliis cordis anxietates, omnibus autem sicis ingens in paroxysmo aderat, cum magno frigore in initio, & immenso calore in fine. Causam huius febris è bile excrementitia, in folliculo fellis & circumiacentis locis putrescente, procedere, ipsa signa & mos febris satis indicabant. Interdum vomitoriis potenter euacuata malè cauta, breui cessabat morbus: multoties autem neque his, neque aliis cathartieis cedebat malum, propterea quod bilem quidem copiosam exturbarent, sed non ita, quin saepius adhuc sedem affectam bilis corruptæ reliquiis infectam, relinquerent, ad quam noui humores denuo affluentes, eiusdem quoque corruptionis participes fiebant, atque ita ex hoc fonte febris identidem succendebatur. Venæsectio non proderat, quia malæ sedes non erat in venis aut sanguine. Refrigerantia medicamenta bilem hanc citò edomare non poterant, propterea quod eò vix satis permeare possent, cum folliculus solummodo id attrahat quod est in sanguine amarissimum & calidissimum, ita ut refrigerantia tantum amputando causam antecedentem, nempe biliosorum humorum generationem, prodesse possent. Cum hæc omnia pensiore iudicio mecum scrutinarem, ad huius febris curationem mihi visum fuit requisitum medicamentum aliquod detergens, aperiens, amarum & modicè calidum, idque in substantia tenuiore & liquidiore, ut facilius tenuis liquiditatis venas meseraicas facilius permeare ratione verò caloris & amaritudinis à folliculo fellis commodius attrahi, atque etiam cruditates melius concoquere, obstructiones tollere, putredini resistere, locum affectum detergere, & noxios ac superfluos humores leniter expellere posset. His omnibus intentionibus abundè satisfacere videbatur tale vinum absinthite, quale Iosepho Vvinckes & Domino de Nassau præscriptum, cuius vini nostri salutaris usus, non tantum in his duobus, verum etiam in innumeris aliis ægris ab ipsa experientia confirmatus fuit, utpote quo solo multoties, absque ulla alterius medicamenti exhibitione, plurimos tertianarios curaui: imo etiam in quartana & quotidiana, aliisque mixtis febribus semper plurimum contulisse obseruaui. Non est quod quispiam existimet nos contra omnium veterum institutum male exhibere vinum in febribus, quia veteres de simplici vino, non de medicato sic locuti sunt, quod inde liquet, quod cum Galeno multi alii veteres & neoterici vinum absinthite ad febres plurimum commendauerint. De ipso absinthio etiam quæstio moueri solet inter medicos, an medicamenta ex eo parata conueniant in quibuslibet febribus tertianis, exquisitis nempe & nothis. Trallianus lib. 12. cap. 6. in nothis tantum conuenire scribit minime vero in exquisitis. Idem sentiunt Auicenna lib. 4. fen. tract. 2. cap. 10. Oribasius lib. 14. collect. cap. 49. & Amatus Lusitanus cent. 7. curat. 43. Contra verò Galenus lib. 1. de arte curatiua, cap. 9. illud etiam in exquisita tertiana exhibet: *si tibi (inquit) coctionis signa monstrantur, tam cum fiducia absinthium potes exhibere, quod alioqui summum est stomachi remedium, uti bilis infestauerit, si præsertim ex ipsius coma quantum sufficit accipiens, mellicrato intinxeris.* Ad quæstionis decisionem dico, absinthium in exquisitis non minus quam nothis conuenire, imprimis post coctionem, cum bilem potenter

euacuat

tenter detergat & per alvum aqjurinas euacuet, eaque ratione febrilem tomitem subducendo febrem necessario imminuit: ac proinde etiam calorem & siccitatem eius non multum extimeri debere, inprimis si absinthium cum aliis refrigerantibus detur, quia exturbata bile, calor sponte cessabit.

OBSERVATIO LXXIX.

Colica passio.

PEtrus Galmam, mercator Germanus, mense Martio, tempore pluvioso & frigido mecum in itinere erat; cum autem propter viæ incommoditatem equi nostri tantum lento gradu procederent, equitando calefieri non potuimus, sed ob frigidam pluviæ humiditatem valde refrigerati sumus: quod frigus illi vehementissimam colicam passionem induxit, ita ut vix diutius equo insidere posset. Primum quod in via inuenimus diuersorium ingressi, ante luculentum ignem nos egregie calefecimus, & ad illius colici doloris mitigationem mappas calefactas ventri aliquoties calidissimè imposuimus. Verum cum dolor nihil minueretur, sed magis incresceret, nec ad mali sanationem medicamenta ibi ad manum essent, sumpsi saponis communis & vini albi ana unc. j. hæc misci & super ignem egregie calefeci, calefactis addidi spiritus vini unc. j. Hac mixtura madefacta linteo quadruplicata, magnitudinis palmæ manus, calidissimè umbilico imposui, atque hoc solo topico ab acri illo dolore intra horæ quadrantem omnino liberatus est.

PRæter plurima insignia remedia quæ ad colicæ flatulentæ curationem intus assumuntur, etiam varia topica sunt, quæ foris adhibita nonnunquam plurimum conducunt, quod vidimus in nostro ægro, qui hac mixtura ex sapone egregiè & cito sanatus fuit. Hoc in casu à multis tanquam singulare laudatur etiam oleum è sapone distillatum, cuius extractionem describit Sennertus in institutionibus: nec minus efficax est oleum galbani. Imò galbanum ipsum cum vino vel aqua vitæ dissolutum, & cattoreo mixtum, atque instar emplastri umbilico impositum, ut & gummi caranna & tacamacca cum spiritu terebinthinæ dissoluta, maximopere prodesse comperta sunt. Hollerius parat linimentum ex cruetha: *Probatissimum* (inquit) *mihi est istud linimentum*:

Rec. *olei rutacei,*
nardini, ana drach. vj.
galbani aqua vitæ dissoluti drach. iij.
liquefiant simul, deinde adde,
cinetbæ, gr. iv.
croci gr. vj.
misce fiat litus.

Gregorius Horstius lib. 4. obser. 12. theriacam cum pauxillo zibethi feliciter umbilico inunxit. Multum etiam confert, si sal commune & arena æqualibus partibus calefiant, & sacculo lineo infusa, calide ventri applicentur. In vulgari usu est lapis ophites calefactus, quem Serpentarium vulgo appellant. Non sine magna utilitate sacculi quoque conficiuntur ex floribus anethi, chamomillæ, melilоti, semine cumini, anisi, faniculi, aliisque similibus, qui vino irrorati ac calefacti, vel in vino leuiter excocti, calide ventri applicantur. Vnum adhuc de sapone, quod quondam, cum in Gallia Pictauii versarer, circumforaneum quendam viderim, qui colicam flatulentam unico enemate passim curare dicebatur: ita ut plurimi ægroti ad ipsum concurrerent: quod illius secretum dexteritate quadam resciui, neque erat aliud quam hoc.

Rec. *vini maluatici lib. j.*
saponis hispanici unc. ß. vel drach. vj.
interdum etiam unc. j.
salis drach. ij.
ex his simul dissoluti fiat
enema tepide iniiciendum.

OBSERVATIO LXXX.

Obstructio Lienis.

IVstinus de Nassau, puellus nobilis, sex annorum, circa finem mensis Aprilis obstructione lienis laborare cæpit, quæ intra duas septimanas tantum adaucta est, ut lien durus ad pugni dimidii altitudinem foras protuberaret. 15 May, cum ipsum primò inuiserem, tumorem lienis manibus sentii, & puellum, qui antea satis alacris esse solebat, instar hominis senioris planè melancolicum inueni. Cum autem à medicamentis ita abhorreret, ut vix quicquam assumere posset, tantum diætam conuenientem præscripsi, ac tartari pulueristati drach. ſ. quotidie manè & vesperi cum aliquo iusculo dari iussi. Præterea sequens emplastrum lienis regioni imposui, quod cum per decem dies impositum, & deinde adhuc semel renouatum fuisset, euanuit cum tumore duricies illa lienis, & obstructio dissipata fuit.

Rec. *gummi ammoniaci,*
galbani, aceto dissol. ana unc. ſ.
emplastri de melileto. drach. iij.
misceantur, & extendantur in corio rubro.

OBSERVATIO LXXXI.

Suffocatio Uterina.

GOdefrida ab Essem, mulier circiter triginta annorum, suffocatione uterina, *ideutidem* redeunte, per octiduum laborauerat, ad quod malum toto illo tempore ab obstetricibus & aliis mulierculis ipsi varia exhibita fuerant remedia, sed omnia sine fructu. Maritus eius peregrè versabatur, ita ut etiam Veneris usus præscribi non posset. Tandem 17 May, admodum ingruente paroxysmo, quo ipsam morituram omnes arbitrabantur, meum quoque consilium petitum fuit. Inueni ægram facie aliquo modo rubicundam, omnis tamen sensus expertem, & solo anhelitu, eoque valde exili viuentem. Vterum usque ad guttur ascendisse (quod tamen impossibile erat) aiebant mulieres præsentes: verum in superiore ventriculi regione durities quandam magnitudinis pugni, modò ad unũ, modò ad alterum latus diuagantem, ipsemet manu sentiebam. His ita se habentibus, præsens remedium malum hoc exigere res ipsa indicabat. Per os autem nihil exhiberi poterat, cum enim ægra sui impotens non deglutiret, medicamentum non sine suffocationis periculo in asperam arteriam delapsum fuisset. Primò itaque oleum succini per descensum distillatum, temporibus & naribus infricaui, ac castoreum cum assa fœtida naribus obieci. Deinde iussi ut obstetrix digitum suum tribus quatuorve granis zibethi inunctum, uteri collo inferret, idque aliquantum fricaret. Interea alia quædam mulier prædictam duritiem manu deorsum pellere nitebatur: atque ita intra semi horæ quadrantem ægra nostra semen fœtidum eiecit, & quæ alterum pedem in cymba Charontis iam habere putabatur, reuixit, neque deinde paroxysmus redit.

Odora-

ODorata interius supposita uterum deorsum trahere, non tantum auctorum testimonia, verum ipsa quoque experientia docet. Galenus inquit, odorata, & quæ calefacere ac laxare possunt, hac ipsa ratione iuvare quod calefaciant: quæ verò calefaciunt, etiam extenuant & laxant, unde fit ut quod retinetur præter naturam crassum & difficulter mobile, extenuatum mox per apertos poros facile expurgetur. Habent etiam hoc quod flatus discutiant, qui in uterina suffocatione multoties etiam adesse solent. Paulus Ægineta iubet unguenta odoratissima in uterum infundere. Aetius uterum suffiri præcipit aromaticis remittendi, calefaciendi, flatumque eduendi vim habentibus: idque ex præscripto Hippocratis, 4. Aphoris. 28. dicentis. *Suffitus aromatum muliebria ciet, idemque ad alia non raro valeret, nisi capitis grauitatem adferret.* Quapropter diligenter cauendum ne huiusmodi odorata ad nares perueniant, & caput magis aggrauando suffocationem adaugeant. Solent Medici in hunc usum varia sumere aromata, verum ego interdum moscho cum pauco olei liliorum mixto utor, plerumque tamen solum zibethum pudendo intricari iubeo, eoque solo mirabiles sæpe edidi effectus. Sola etiam fricatio seu titillatio (quam, tanquam Christiano medico illicitam, reiiciunt Mercatus, Sennertus, Riuerius, & nonnulli alij) cum digito facta multum iuvat, eaque à Galeno, Auicenna, Valesco de Taranta, Simone Betreino aliisque magni nominis Medicis summopere commendatur, præcipue in viduis & castè viuentibus, minus tamen in virginibus (quamuis etiam has tali modo seruare, quam Morti prædæ relinquere præstet) & maritum habentibus, cum longè excellentius & gratius remedium sit ut viro copulentur; unde etiam Hollerius, Forestus, Leonellus, Platerus, Sylvius, multique alii dicunt, nullum melius remedium esse marito. Quod maxime intelligendum est de illa suffocatione quæ fit ex retento vel corrupto semine. Qua de re historiam habemus apud Duretum, in enarrat. ad cap. 59. Hollerii: *Nuper* (inquit) *vocatus sum nocte media ad curationem mulieris quæ hysterica suffocatione laborabat, & conciderat quasi mortua: eam inueni frigidiorem marmore, pulsus erat parvus: maritus aderat, de uxoris salute valde sollicitus: bene est, dixi: iussi ut rem cum uxore haberet: rem habuit, indeque statim conualuit.* Aliam historiam scribit Matth. de Gradib. consil. 84. de nobili muliere Germana, mediocris ætatis & bonæ habitudinis, quæ cum senescente marito rarius venere uteretur, furore, mentisque perturbatione ac rugitibus in ventre nonnunquam grauiter corripiebatur, quæ omnia cessabant cum concepisset; at si per annum unum aut alterum à conceptu immunis esset: redibat affectio. Hoc ipsum quoque confirmatur Hippocratis doctrina, qui libro de morbis virginum, circa finem, inquit: *Equidem virginibus suadeo, quibus tale quid accidit, ut cuiusque viris coniungantur, si enim conceperint, sanæ euadunt.* Quod ipsum docet lib. de nat. mulieb. Ita & Valescus de Taranta, philon. pharmac. lib. 6. cap. 10. *Si fiat* (inquit) *affectus in virgine propter retentionem spermatis, nubat illa, & morbum effugiet.* Captuaccius verò prax. lib. 3 cap. 10. ut efficacius sit hoc remedium, iubet ut vir penem inungat oleis aromaticis & zibetho, atque coheat.

OBSERVATIO LXXXII.

Erysipelas cruris.

DOmino Kelsken, urbis Noviomagi consuli, dextrum crus erysipelate correptum fuit, cui malo sæpius etiam antea obnoxius esse consueuerat. Sexagenarius erat, & corpore valde cacochymo. Erysipelati, ex more vulgi, ipsemet imposuerat linteamina intincta in aceto & aqua florum sambuci, quibus erysipelas aliquantum quidem minuebatur, ita vesiculæ quædam hic illic excitatæ fuerunt, quales etiam antea ad huius aceti &

ger a usu sæpius habuerat: his acu pertusis imposuerat folium tabaci viridis (quo præcedentes vesiculas semper curauerat) quod cum per tres quatuorve dies applicatum fuisset, ab acrimonia humorum effluentium cutis magis magisque exulcerata fuit, ac in medio particula quædam nigra & gangrænosa apparuit, qua visa, æger sibi metuens chirurgum accersiri iussit. Hic particulam istam gangrænosam in sola cute hærentem facile excidit, & variis emplastris impositis solutionem sanare conatus fuit, toti eruri propter erysipelas inungens unguentum refrigerans Galeni. Atque isto modo æger per sex septimanas tractatus est. Tandem cum variis & sæpe mutatis emplastris ac unguentis nihil omnino proficeretur, sed malum indies accresceret, mense Iunio etiam ego ad curationem aduocatus fui. Animaduerti ægrum multis aquosis ac pituitosis humoribus abundare, qui fluxi ad crus descendentes huiusmodi continuam exulcerationem inducebant: hinc etiam alvum humidam & liberam, imò quatuor vel quinque secessus quotidie habebat. Appetitus mediocris erat: sed à medicamentis tantopere abhorrebat, ut nihil, nisi extrema urgente necessitate, per os assumere vellet. Inspecto crure, comperi emplastra in causa fuisse quod vicinæ partes exulcerarentur, cum enim ob pinguedinem & densitatem humores acres & salsos effluentes in se retinere vel exfugere non possent, illos ad circumuicinas partes effluere necesse erat, quæ ab eorum acrimonia exedebantur. Proinde crus illud cataplasmatibus curare præstabilius mihi visum fuit, quæ ob mollitiem humores effluentes imbibere ac in se continere, partemque exsiccare possent. In hunc finem sequens cataplasma absque ulla pinguedine præscripti.

Rec. *corticum granatorum,*
flor. balaustiorum, ana unc. ſs
foliorum quercus,
plantaginis, agrimoniæ,
saniculæ, ana m. ij.
pimpinellæ,
flor. rosarum rub. ana m. j.
aquæ communis lib. iv. coquantur ad medias.

Rec. *foliorum quercus m. iv.*
agrimoniæ,
plantaginis, ana m. j. ſ.
pulueriſentur ſimul, tunc adde
farinæ fabarum unc. ij.
decocti prædicti q. ſ. coquantur.
aliquantum, & fiat cataplaſma.

Hoc postea aliquoties reiterato, ulcus omnino sanatum fuit. Circiter tertio post sanationem mense, rursus noua defluxio ad crus descendit, magnum ulcus erysipelatodes inducens. Præter unicum haustum purgantem, & unum decoctum ex radicibus chynæ, salsæparillæ, & similibus, nullum aliud medicamentum assumere voluit. Impositum fuit antedictum cataplasma, quo res ad tempus bene successit: tandem verò noua rursus accedente defluxione cum magno erysipelate, dolores valde accreuerunt, ulcus multum extendebatur, ac paulo post etiam gangræna partem inuasit, & in cruris exteriore latere particula gangrænosa nigricans, latitudinis daleri imperialis, conspiciebatur. Chirurgus vino tepido partem affectam aliquantum abluit, ac postea unguento mundificatiuo ex apio inun-

xit,

xit, & prædictum cataplasma superposuit; atque his aliquot diebus continuatis, gangræ nosæ particulæ tandem exciderunt. Tunc ulcere prius mundato, solum cataplasma impositum est. Interea ad humorum descendentium commodiorem euacuationem, libenter fonticulum in suræ exteriore parte feciſſem, verum illud permittere noluit æger. Mense Martio ulceribus iam sanatis, rursus noua accessit acris defluxio cum erysipelate, hinc ab utroque cruris latere novum ulcus latitudinis palmæ manus excitatum fuit. Cataplasma impositum nihil profuit, vires cum appetitu deiectæ sunt, & æger adeo debilis euasit, ut amplius incedere non posset. Paulo post gangræna ad palmæ latitudinem subito accessit. Æger periclitari nobis visus fuit, tam propter cacochymiam corporis, quam propter magnam virium debilitatem. Ulceribus gangrænosis inunctum fuit unguentum mundificativum ex apio, & cataplasma superpositum; si spiritus vini admoueretur, tantus excitabatur dolor, ut illum protinus abiicere necesse foret. Tunc fonticulum in sura fieri permisit æger, quem sectione nouaculæ libenter feciſſem, verum cum inde nimis abhorreret, cauterium potentiale, holosericum Paræi, impositum fuit, quod sine ullo dolore operationem suam breui peregit. Post tres quatuorve dies gangræna in ulcere multum adaucta est, atque etiam inuasit locum illum cui cauterium impoſueramus, unde eschara nondum exciderat. Hunc proinde locum cauterisatum ad carnem usque viuam scarificauit chirurgus, ut eschara citius separaretur, cuius etiam frustula quædam exscidit. Sequentibus tribus diebus gangræna magis magisque accreuit, ita ut in loco fonticuli carnis emortuæ pars magnitudinis daleri imperialis, & profunditatis latitudinis pollicis, exscindenda foret. Postridie gangrænosæ partes fœtebant instar cadaueris putrescentis, tanto fœtore quem vix quispiam attantum ferre poterat, & gangræna continuo increscebat. Vt mortificationi ac putrefactioni resisteretur, partes infectas abluimus cum spiritu vini in quo sal commune dissolueramus, & petias eodem liquore madefactas imposuimus, ulcusque ter de die religauimus, quo medio fœtor fere totus intra sesqui diem recessit. Deinde ut gangrænosæ & emortuæ partes à vicinis per suppurationem citius separarentur, & sanæ à coruptela præseruarentur, balsamum nostrum magistrale impositum fuit, quod putredini potenter resistebat, & suppurationem egregie promouebat: atque ita partes gangrænosæ paulatim cæperunt excidere; quibus ablatis, per aliquot dies impositum fuit vnguentum digestiuum, ac tandem rursus solum cataplasma, quo ulcera progressu temporis, sed admodum lentè, sanata sunt, humoribus postmodum per fonticulum effluentibus. Hoc ægro, qui ab omnibus pro desperato habebatur, præter medicorum opinionem, sanato, magnum nobis honorem conciliauimus.

OBSERVATIO LXXXIII.

Febris tertiana exquisita.

DOminus VVilmout, capitaneus eques, vir robustus, febre tertiana exquisita intermittente correptus est. Post tertium paroxysmum me vocauit. Exhibui intermissionis die medicamentum purgans, à quo sex septemve vicibus multa bilis deiecit, & bis etiam euomuit. Cum verò postridie febris eadem vehementia reuerteretur, nullum medicamentum amplius assumere voluit, sed alterius Capitanei consilio pulsibus in

utroque

utre que carpo sequentem mixturam applicuit, qua ille alter dicebat se multoties quasi mi-
ri culosè febres intra triduum vel quatriduum ita fugasse, ut non reuerterentur amplius.

Rec. *sem. sinapi albi aceto præparati drach. j. ſ.*
piperis nigri gr. xv.
aliorum bulbos quinque
salis, p. j.
fuligini cumini,
fermenti acidi, ana drach. iij.
contundantur simul, & cum pauxillo
aceti rosacei fiat pasta: cuius particula
magnitudinis dalleri imperialis singulis
carpis applicetur, & adhæreat per triduum.

Hoc triduo febris ita remisit, ut sexto paroxysmo finiretur, septimus enim vix sentiebatur. Ab illo autem topico vesica dolorifica in utroque carpo excitata fuit, quæ deinde pertusa, ablata, & facile rursus consolidata fuit.

NOster æger, multique alii qui illum sic curatum viderant, totam curationem huic solo topico ascribebant sed malè, cum illa febris post corporis expurgationem, etiam absque illo topico, & absque aliorum medicamentorum usu, sponte isto temporis intervallo cessasset, nam æger exactam diætæ normam seruabat, & ipsa febris erat exquisita tertiana intermittens, quæ, ut millies obseruaui, ultra septimum paroxysmum non extenditur, nisi error aliquis, in diæta committatur: de qua habemus regulam Hippocratis 4. Aphoris. 59. *Tertiana exquisita septenis, ad summum, circuitibus iudicatur.* Ego millies varia topica carpis imposita vidi, sed illud plerumque obseruavi, hæc nihil aduersus febres profuisse; & si forte post eorum applicationem febres imminutæ vel curatæ fuerint, illud non istis topicis, sed aliis quibusdam cautis semper necessario asscribendum fuisse. Memini me quendam vidisse diuturna febre tertiana notha detentum, qui cum nullis remediis a duobus Medicis exhibitis curari potuisset, tandem aniculæ consilio zingiber, semel nasturtii, & telas aranearum cum pauxillo unguenti populei iubegit & carpis imposuit. Hoc topico bis terue renouato, intra quatriduum cessavit febris: sed quomodo? anne singulari huius topici facultate? minimè: verum inde, quod hoc topicum casu applicaretur tali tempore quo natura iam iam crisim per alui fluxum biliosum ac copiosum moliebatur, quæ crisis postridie à topici applicatione superueniens, & duobus diebus perdurans, euacuato morbi fomite ægrum à febre liberavit, quæ tamen curatio à medicinæ ignaris huic topico tunc ascribebatur. Alium noui, cui cum post similis topici applicationem enormis criticus vomitus superueniisset, à febre liberatus fuit, non topici, sed vomitus vi. Innumera huiusmodi vidimus exempla. Solent autem vulgares ultimo remedio morbi curationem tribuere, atque ille error de his topicis ad Medicos nonnullos doctiores etiam permanauit, qui medullam rei non satis perscrutantes, alii hæc, alii illa maximis laudibus extollunt, quorum tamen pleraque tantum mera sunt deliramenta, nulla prorsus rationis verisimilitudine suffulta. Ita telas aranearum plurimi magni faciunt, de quibus Abraham Seiler (in epist. à Schorzio collect. ep. 3.) ita scribit: *Expertus sum, si ante accessionem febrilem telæ araneæ cum unguento populeo incorporatæ, carpo & temporibus, ubi pulsus deprehenditur, appositæ fuerint, plurimũ contulisse.* Has telas alii sic miscent.

Rec. *urticæ minoris,*
saluiæ, ana m. ſ.
telæ aranearum unc. ſ.
salis communis drach. iij.
aceti fortis cochlear j.
misce pro emplastro, quod pulsibus
ulnæ usque manus per duas horas
ante paroxysmum applicetur.

Æsy-

Ægyptii, teste Prospero Alpino de medic. Ægypt. lib. 4. cap. 15. ungentum parant ex ipsis araneis cum suis telis contusis, & cum oleo rosaceo ad linimenti formam mistis: vel ex araneis in oleo rosarum coctis, quo calido carpum utriusque manus inungunt. Alii talem mixturam parant.

Rec. *fol. plantaginis,*
chelidoniæ mai. ana m. j.
telæ aranearum,
seminis urticæ,
fuliginis camini,
salis communis, ana drach. j.
aceti fortiss q. s.
fiat cataplasma, carpis paulo ante accessionem applicandum, & ter quaterue renouandum.

Platerus obseruat, lib. 2. horum loco sumit corticem interiorem nucis arboris, eumque in aceti forti maceratum pulsibus applicat: quo loco etiam hoc laudat.

Rec. *fol. iblaspi,*
plantaginis,
bursæ pastoris ana m. s.
cum sale & aceto contusa applicentur.

Alii fuliginem è furno cum fasturtio & oui albumine contusam: alii eandem fuliginem cum allio & capis mixtam: alii folia ranunculi recentia contrita: alii auriculam muris cum sale & aceto contusam: alii sempervivum minimum eodem modo paratum carpis applicant. Noui mulierem medicastram, quæ semel zedoariæ contusum & cum oleo terebinthinæ mixtum pulsibus carpi imponit, atque sic multos sanate creditur. D. Coetius, Medicus Arnhemensis doctrina & experientia celebris, hoc sequens topicum carpis applicat, idque multis profuisse asserit.

Rec. *herb. chelidoniæ mai. viridis,*
matricariæ, ana m. s.
contusis in mortario adde,
pulueris olibani drach. j.
fermenti acidi drach. iij.
aceti fortis q. s. fiat pasta molliuscula.

Atque ita de his topicis alii alia sibi somnia finxerunt. Verum quantumuis hæc à multis laudata existant, non intelligo tamen qua facultate, quibus viribus, qua ratione prodesse possint; imò ipsorum quoque ingredientium notissimæ facultates horum vanitatem plus satis arguũt, & omne quoque ad occultas qualitates refugium præcidunt. Dixi iam quod interdum casu, & in quibus casibus prodesse videantur, cæterum re vera per se nihil prosint. Videtur etiam Sennertus his topicis paruam fidem adhibuisse, nam de febr. lib. 2. cap. 18. de iis sic loquitur: *De modo, si quæratur, quo hæc medicamenta agant, vix alia quam hæc ratio reddi potest, quod ab istiusmodi medicamentis putridus vapor a corde & suo foco reuocatur & reuellitur, ac præcipue inquinamentum illud seu ichor humores corrumpens euocatur, maximè si panca amplius putredo restet, & febris in declinatione sit.* Quæ ratio aliquam habet verisimilitudinem in iis quæ vesicas in carpis excitant, atque secundum illam omnia vesicatoria hac febrifuga vi aliquo modo pollerent. De reliquis verò, ut telis aranearum, plantagine, matricaria, olibano, saluia, zedoaria aliisque pluribus, nulla conueniens ratio non modo non datur, imò ne effingi quidem vel excogitari potest. Attamen Riuerius putat hæc vires suas cordi communicare per arterias insignes ad carpum decurrentes, atque ita aliquid præstare posse. Verum hæc quoque ratio magis speciosa quam efficax est, nam per arterias cor à se expellit, ita ut topicorum vires per has ægerrimè ad cor ascendere queant; præterea hæc ratio nondum docet, qua vi topica hæc, quorum qualitates nouissimæ sunt, prodesse possint, & nisi fiat refugium ad sacram anchoram, nempe occultas aliquas qualitates, non video quomodo Riuerius aut alius quispiam ex hac difficultate se extricare possit, quamvis etiam plurimis horum topicorum ingredientibus qualitates adeo occultæ non sint, quæ non philosophis & medicis nouissimæ existant. Præstat igitur de his topicis febrifugis ita concludere, nempe, abstinendum quidem esse a venenatis & corrosivis, tanta malignitate præditis ut manifestam aliquam noxam inferre possint: verum reliqua (quorum plurima si non prosint, saltem non nocent) interdum à Medicis præscribi posse, non tam ut inde febris profligatio & sanatio ægri expectetur

tur, quam ut opinioni vulgi satisfiat, quod in talibus nugis magnam fiduciam habere solet. In febris enim longioris curatione vulgares sæpe malè loquuntur de Medico, quod morbum citius sanare non potuerit, atque tunc, ut apud tales sciolos honor Medici conseruetur, morbo iam declinante talium topicorum applicatio conveniet & efficax videbitur, atque morbus declinans, qui breui per se cessaturus erat à prudentia Medici, ac huiusmodi topici efficacia fugatus fuisse putabitur.

OBSERVATIO LXXXIV.

Faciei tumor à Casu.

MAria de Trist, iuvencula florentis ætatis, 3 Iunii currui, cui insidebat, per aurigæ imprudentiam ab aggere deiecto, gravi admodum casu cecidit in faciei sinistrum latus. Statim fortiter euomuit: & per semi horam animi deliquium passa fuit. Cum ad se rediret etiam sanguinem euomuit, sed ille per palatum è vena aliqua narinibus diruptæ ad ventriculum descendisse videbatur. Vehementer intumuit totius capitis dimidia pars, ita ut vix oculi sedes in facie conspici posset. In exteriore orbitæ oculi parte exigua erat solutio continui. Ex interiore oculi angulo sanguis etiam effluebat. Cum domum delatam inviserem, ad contusionis & tumoris dissipationem, tale fomentum imponi curavi.

Rec. *fol. betonicæ,*
flor. chamomillæ,
meliloti, rosarum rubr. ana m. ſ.
semin. cumini drach. j.
conscindantur & confundantur in
parvo sacculo, qui aliquantum in vino
coctus & expressus, calidè imponatur.

Non parum de cranii fissura dubitabam, propterea quod statim à casu vomuisset, animi deliquium accessisset, sanguis ex oculo effluxisset, & maximus tumor cum contusione adesset. Post topici applicationem etiam sanguinis lib. ſ. è dextro brachio extraximus. Circa noctem febricula cum rigore accessit, quæ assumpto sudorifero brevi cessavit, neque postea rediit. Sequenti die hausium purgantem dedi, à quo quatuor secessus habuit. Per biduum continuatum fuit in prædicta fomentatione, eandem bis terve de die renouando. 6 Iunii facies multum detumuerat, ita ut oculus mediocriter aperiri potuerit, qui totus rubore suffusus erat, multumque lachrymabat, nec ægra quicquam ex eo videre poterat. Fomentatione adhunc per duos dies continuata, postea oculo per quatriduum hoc collyrium repellens inter duo tenuia linteamina toti oculo impositum fuit, manè & vesperi renouando.

Rec. *albumina ovorum n. ij.*
concutiantur cum frusto aluminis
tam diu donec crassescant in formam
quasi unguenti durioris, tunc stuppa
cannabina excepta, inter duo linteamina
imponantur.

Isto collyrio rubedo oculi brevi sublata, lachrymatio multum imminuta, & visus egregiè restitutus est. Tumore faciei plane dissipato, magnus ac fœdus rubor in tota mala remansit,

sit, qui cum variis domicellarum consuetis lotionibus non euanesceret, tandem à meretrice lactis virginalis curatus fuit: quo facies ter quaterve de die lavabatur. Interea tamen semper remanebat adhuc aliqua oculi illachrymatio, ægræ molestissima, quæ cum variis adhibitis remediis non cederet, placuit ad diversionem vulgare quoddam experimentum (quod etiam aliàs ad oculorum præseruationem non semel feliciter adhibitum fuisse videram) experiri: iussi ut fructum carnis bubulæ crudæ & recentis, è musculis cervicis exscissæ, nudum cervici ægræ imponeretur, linteis deinde leviter collo circumligatis, idque manè & vesperi renovaretur. Hoc cum per quinque sexve dies fecisset, omnis illachrymatio (quod mirũ) totaliter desiit. Atque ita ægra pristinæ sanitati restituta fuit, excepto quod in exteriore oculi angulo circa genam cicatricem parvam retineret, quo loco os à casu depressum fuisse post curationem manifestò apparuit.

OBSERVATIO LXXXV.

Strumæ in collo miraculosè sanatæ.

DOminus Gualterus Vaine, nobilis Anglus, eques torquatus, atque apud nostrates equitum capitaneus, in adolescentia strumis in collo laboraverat. Plurimi ac præstantissimi totius Angliæ Medici & chirurgi, ad huius mali curationem convocati, omnibus optimis remediis adhibitis, nihil omnino proficere potuerunt, sed malum indies magis magisque adauctum fuit, ita ut horribile fuerit visu. Consuluerunt tandem Medici ut Angliæ regem adiret, eiusque benedictionem expeteret, qua sola hunc morbum certò sanari posse asserebant. Pater ægri, qui præsentis Regis Caroli Secretarius erat, Regem adiit, eiusque benedictionem pro filio suo, tunc præsente, supplex petiit. Rex misericordia commotus, manum dextram capiti adolescentis imposuit, atque hæc verba pronunciavit: *Tangit te Rex, sed Deus te sanat*. Et simul etiam nummum quendam (quem *Angelos* vocant) perforatum ac cerulea tæniola traiectum collo eius circumligavit, hunecque in perpetuam huius divinæ sanationis memoriam toto vitæ tempore gestare iussit. Ab eo tempore malum paulatim, absque ullo Medicamentorum usu, sponte euanuit, idque paucis mensibus. Rogavi aliquoties hunc Dominum (cui Medicus ordinarius quondam fui) an nummum illum de collo deponere non auderet? Respondit, se non audere, quia noverat alios quosdam, qui huius divini beneficii immemores, nummum abiecerant, quos eodem malo rursus puniverat Deus, atque hos, licet deinde Regia benedictione iterum donatos, nunquam tamen sanari potuisse, sed miserrimam usque ad mortem vitam degisse.

HOc strumas sanandi diuinum beneficium multi solis Galliæ regibus asscribunt, inter quos primarius est Andreas Laurentius, qui libro proprio de strumarum mirabili curatione, hanc materiam lautissimè tractat, & solis Galliæ regibus hoc beneficium a summo Deo concessum esse asserit, ac lib. 2. cap. 3. omnes alios reges, atque inter cæteros etiam peculiariter Angliæ Regem ab hoc beneficio excludit. Sed experientia satis demonstrat, non solis Galliæ, verum etiam Angliæ Regibus divinum hoc donum à summo Deo diuinitus datum esse, (unde Angli malum hoc sua lingua appellant, *Kings euvel*, id est morbum regium, vel potius morbum talem qui non nisi regia benedictione sanatur) nam præter hunc prædictum Dominum Vaine, mihi familiarem, qui etiamnum in vivis superest, adhuc alium vidi iuvenem,

filium Bippeniferi Capitanei Kellegraef, qui accepta eiuſdem Regis benedictione, ab incurabilibus ſtrumis quoque liberatus fuerat, & ſimilem nummum de collo pendulum geſtabat. Referunt etiam Angli innumeros huiuſmodi ægros ſingulis annis tali regio contactu ſanari.

OBSERVATIO LXXXVI.

Obſtructio Lienis.

CApitaneus Auſſuma, vir florentis ætatis, obſtructione lienis diu laboraverat, atque hinc valde melancolicus euaſerat. Tandem lien etiam induruit, multumque intumuit, ita ut non parum foras protuberaret. Poſtquam in caſtris doctiſſimi Valentii aliorumq; Medicorum caſtrenſium conſilio multis variiſque uſus fuiſſet remediis, & malum nihilominus ingraueſceret, tandem Nouiomagum ad me venit. Præſcripſi primò diætam conuenientem, in qua prohibui cibos muria diu aſſeruatos, fumo induratos, omneſque alios difficilis digeſtionis, viſcoſos ac craſſos, ut & flatulentos crudoſque humores generantes, quales ſunt caro ſuilla, bubula diu ſalita, vel fumata, anates, anſeres, haleces quocunque modo præparatæ, ſalmones, ſoleæ, oſtrea, conchæ, poma, pyra, omneſque fructus horarii, aliique ſimiles. Prohibui quoque vini fortiſſimi & dulcis, ſpiritus vini, cereuſiæ turbidæ ut Bredanæ & Roterodamenſis, atque etiam fortiſſimæ, ut Bremenſis & Brunſvicenſis, uſum. Commendaui cibos facilis digeſtionis & boni nutrimenti, præparatos cum talibus rebus quæ coctiones promouere, flatus diſcutere, & lieni prodeſſe poſſent: pro potu autem vinum tenue & mediocre, ut & ceruiſiam mediocrem claram, amaram potius quam dulcem. Imprimis in cibo & potu mediocritatem ſeruare, etiam ambulationibus aliiſque lenibus exercitiis uti, iucundorum ac facetorum conſortiis intereſſe, ſolitudinem ac ſollicitudines & mærores fugere, ſomnum quoque diuturnum euitare præcepi. His actis, corpus cathartico conuenienter expurgaui, & quia ab omnium medicamentorum uſu maximè abhorrebat, tantum mane & veſperi bonum hauſtum huius vini medicati ſumere iuſſi.

Rec. *cortic. rad. tamariſci*
capparis, fœnic. beleny,
polypody quer. ana unc. ſ.
herb. trifolij paluſtris, m. j.
cuſcutæ, ſcolopendriæ,
fumariæ, centaurij minor.
abſinthij romani, ana m. ſ.
nucis moſcatæ, bacarum iuniperi,
ſem. aniſi, fœniculi,
ameos, ana drach. j.
fiat ſ. art. puppa, cui ſuperfunde
vini albi tenuis lib. v.

Hoc epoto, eadem puppa reiterata fuit, addendo foliorum ſenæ mundat. unc. i. ſ. ſeminis aniſi unc. ſ. atque tunc ſemel tantum de die, nempe matutino tempore, hauſtum bibit, à quo ordinariè bis terve alvum deiiciebat. Ex horum uſu aliquod quidem leuamen percepit, & appetitus reſtitutus eſt, æger quoque aliquanto alacrior euaſit, verum duricies illa lenis cum magno dolore in eodem ſtatu permanſit. Cum autem æger nulla decocta, pul-

ueres,

neres, condita, aliave medicamenta, imò vix iam præscriptum vinum diutius assumere vel-
let, reliquum curationis maximè topicis peragendum erat, quæ in hunc modum præscripsi:

Rec. *herb. absinthij,*
altheæ, maluæ,
flor. chamomillæ,
meliloti, sambuci,
anethi, ana m. j.
sem. cumini unc. ſ.
anisi, leuistici,
fæniculi, ana drach. ij.
ex his fiant ſ. art. duo sacculi insuſuti;

Rec. *radicum ebuli unc. j.*
altheæ, bryoniæ,
faniculi, ana unc. ſ.
foliorum sambuci, brassicæ,
cicutæ, ana m. j. ſ.
maluæ, altheæ, betæ,
florum meliloti,
chamomillæ, ana m. j.
sem. cumini,
anisi, ana drach. vj.
coquantur in aquæ communis q. ſ. ad lib. ij. ſ.
adde, aceti fortis lib. ſ.

Rec. *olei de capparibus,*
absinthij,
amygdalarum amararum
axungiæ anseris, ana unc. j.
olei terebinthinæ unc. ſ.
misce, fiat linimentum.

Matutino tempore his topicis sequenti modo utebatur. Primò lienis regio aliquamdiu durius confricabatur; deinde sacculi illi in decocto calido immersi & aliquantum expressi imponebantur, uno refrigerato alter: atque hæc fomentatio circiter per sesqui horam fiebat: postea oleis calefactis locus affectus inungebatur, & emplastrum ex solo galbano in aceto dissoluto, imponebatur. His per aliquot dies continuatis, & subinde hausto ultimi vini assumpto, lien omnino detumuit, & durities quoque euanuit, ad cuius reliquias dissipandas, relictis aliis topicis, hoc solum emplastrum impositum fuit.

Rec. *galbani aceto dissol. drach. vj.*
ammoniaci, drach. iij.
emplastri de meliloto unc. ſ.
misceantur, & extendantur in corio.

Atque sic æger ab hoc morbo liberatus, iterum ad castra reuersus est.

OBstructiones & durities lienis, cum per os medicamenta exhiberi nequeunt, nonnunquam topicis egregie curantur. Inter quæ maxime celebrata sunt talia qualibus nos in hoc ægro usi sumus. Inprimis autem commendatum exstitit galbanum, nec non ammo-

niacum aceto diſſolutum & applicatum. Hieronymus Fabricius ab Aquapendente chirurg. part. 1. cap. 51. hoc ceratum valde commendat: *In lienis* (inquit) *ſcirrho remedium habeo probatum, quod eſt ceratum meum pro ſplene, factum ex duabus partibus ammoniaci in aceto diſſoluti, una ſucci herbæ regiæ, quam tabacum vocitant, dimidia reſinæ pini & terebinthinæ & ſucci ebuli, una olei de capparibus, & ceræ nouæ q. ſ. ad ceratiformam adipiſcendam. Hoc emolliente & digerente ſua facultate plurimos obduratos lienes ſanauit.* Mercurialis tom. 2. conſult. 49. hoc ut maxime potens commendat.

Rec. *g. ammoniaci aceto diſſoluti unc. ij.*
puluerib. utriuſque hellebori,
colocynthidos, ana drach. i.
miſceantur & applicentur.

Io. Heurnius method. ad prax. lib. 2. cap. 10. efficaciſſimum emplaſtrum ita componit.

Rec. *cicutæ m. iv.*
ammoniaci lib. ſ.

Infunde aceto acerrimo dies octo, dein bulliant dum ammoniacum ſoluatur, hinc per pannum fortem lineum validè exprimantur, iterumque expreſſus liquor ebulliat quinquies, & adiecta cera cum oleo amygdalarum dulcium fiat emplaſtrum. Foreſtus lib. 10. obſeruat. 8. tali unguento utitur.

Rec. *olei de capparibus,*
liliorum alb.
butyri recentis, ana unc. ſ.
ſucci bryoniæ,
cyclaminis, ana drach. v.
coquantur ad ſuccorum conſumptionem, poſtea addantur.
ammoniaci aceto diſſol. drach. ij. ſ.
pinguedinis gallinæ,
medullæ crurum vituli
æſypi humidæ, ana unc. ſ.
puluer. cort. rad. cappar.
tamariſci,
filicis,
ceterach, ana drach. ſ.
ſem. genſtæ,
agni caſti, ana ſcrup. ij.
ceræ parum,
fiat unguentum.

Amatus Luſitanus hoc ſequens tanquam mirabile extollit, quo ſe pertinaciſſimum lienis ſcirrhum curaſſe gloriatur.

Rec. *olei communis lib. iij.*
medullæ crurum bouis lib. i.
butyri recentis lib. ſ.
ſucci bryoniæ,
cyclaminis, ana lib. i.
bulliant lento igne fere ad conſumptionem ſuccorum, colaturæ adde,
ceræ citrinæ unc. viii.
puluer. ceterach.
cortic. cappar.
tamariſci,
ſem. agni caſti, ana unc. iii.
miſce, fiat unguentum.

Sennertus ſcribit efficaciſſimum medicamentum parari ex ſucco florum ſambuci miſto cum decocto maluæ & oxycrato. Galenus de comp. med. ſec. loc. lib. 9. & method. med. lib. 11. & 14. & 5. ſimp. acetum maximè conducere refert, quia humores craſſos obſtruentes incidit & attenuat, & ratione viſceris conuenit, quia fermentatio illi non eſt moleſta, ac proinde omnibus topicis illud utiliſſimè admiſcetur. Aquapendens loco ante citato etiam gloriatur ſe abdominis fotu ex ſpongia in aqua calcis expreſſa ſcyrrhum lienis & hydropem curaſſe, quam experientiam ibidem pluribus verbis deſcribit. Cardanus lib. 8. de rerum varietate cap. 44. mirabilem lienis duri curationem habet: *Splenis ſcirrhoſo* (inquit) *lintea in crucem imponunt, his ſecurim, quam ligneo malleo percutiunt, ſcirrhuſque ſoluitur ſuccedentibus diebus.* De hac mirabili curatione Aquapendens loco ante citato, ita ſcribit: *Vir, cui multum credebant, hic Patauii olim profitebatur chirurgiam in ſcirrho lienis, & nominabat hanc chirurgiam, ſplenem excidere, aut ſplenis exciſionem. Hic charta ſuper lienem obduratum, & ſupra chartam acie ſecuris impoſita, tum malleo ſecurim percutiebat validè, & ita dimittebat patientes, ceu curatos. Eratque hic curandi modus diuulgatus. Tandem ſemel accidit, ut ſecuris acies, ſub valentiore percuſſione, & chartam, & abdomen, & lienem uno ictu præciderit, cum morte ipſius patientis. Et ſcio*

fuiſſe

fuisse hic Patauij Medicum, qui conabatur hanc chirurgiam, de excidendo liene, probabilem reddere, quam ego tanquam absurdam, nunquam volui audire; quia ex Aristotele, finis opiniones disquirere, stultum est.

OBSERVATIO LXXXVII.

Dolor Ischiadicus.

FIlius Alberti Verstegen, iuvenis circiter 24 annorum, nec Veneri; nec ingluviei aut crapulis deditus, mense Martio cæpit ischiadis doloribus in dextro latere infestari, qui paucis diebus tantopere adaucti sunt, ut amplius incedere non posset. Cum per integrum mensem variis chirurgorum & anicularum medicamentis usus esset, & malum interim in peius laberetur, tandem meum consilium expetitum fuit. Nullus aderat in parte tum or, nulla quoque inflammatio, & tamen dolor erat acer, cum tanta articuli debilitate, ut nec ei insistere, nec crus sine magna molestia movere posset. Sumpserat aliorum consilio antea duo purgantia, quapropter malui ad humorum defluxum imminuendum, tale apozema præscribere, de quo singulis matutinis temporibus bibebat unc. iij. vel v. hinc que ter quaterve purgabatur.

Rec. *rad. helenii,*
valerianæ, fœniculi,
bryoniæ, mechoacannæ,
petroselini, ana unc. ſ.
herb. rosmarini,
maioranæ, betonicæ, ana m. j.
thymi, melissæ, salviæ,
chamedryos, chamepyth.
florum sambuci, ana m. ſ.
stœchados, p. ij.
sem. levistici,
anisi ana drach. ij.
carthami unc. j.
passular. mundat. unc. ij.
coquantur in aquæ communis q. ſ. addendo sub finem
folior. sennæ mundat. unc. j. ſ.
agarici albiss. drach. ij.
sem. fœniculi
anethi, ana drach. j. ſ.
fiat apozema ad lib. ij.

Etiam sequens emplastrum part. affectæ applicatum fuit.

Rec. *sulphuris subtilissimè pulverisati drach. v.*
castorei, drach. j.
picis navalis drach. vj.
emplastri oxycrocei unc. ſ.
balsami sulphuris drach. ij.
fiat emplastrum in corio rubro.

Apozemate absumpto, & doloribus in eodem statu remanentibus, aliud decoctum non pur-

purgans præſcripſi, de quo bis de die hauſtum bibit.

Rec. *ligni ſaſſefras drach. vj.*
radic. eryngii, ononidis,
leviſtici, ana unc. j.
oſtrutii, fœniculi,
petroſelini, ana unc. ſ.
herb. verbenæ,
roſmarini, betonicæ
maioranæ, chamedryos,
chamepyth, ana m. j.
ſabinæ,
florum ſtœchados, ana m. ſ.
ſem. aniſi,
bac. iuniperi ana drach. iii.
coquantur in aquæ communis q. ſ. ad lib. ii. adde
ſyrupi de ſtœchade unc. iii.
fiat apozema.

Biduo poſt etiam reiteratum fuit prius emplaſtrum. Finito apozemate tale vomitorium exhibui, à quo cum bile magnam tenaciſſimæ viſcoſitatis pituitæ copiam euomuit.

Rec. *foliorum aſari recent. drach. iij.*
contundantur & exprimatur ſuccus cum
decocti raphani unc. ij. cui adde
oxymelis ſcyllit cum agarico unc. j.
miſce, fiat hauſtus.

Cum his omnibus nihil omnino proficeretur, aliud emplaſtrum aliquantum rubificans applicaui.

Rec. *ſem. ſinapi albi,*
naſturtii, ana drach. j.
caſtorei, ſcrup. ij.
euphorbii ſcrup. j. ſ.
ſaponis hiſpanici drach. x.
reſinæ pini,
terebinthinæ, ana drach. iij.
miſceantur ut ſimul cohæreant, &
extendantur in corio.

Cum hoc per biduum adhæſiſſet, innumeræ exiles veſiculæ in cute excitatæ ſunt, è quibus humoris citrini copia ab interioribus partibus foras extracta continuò effluebat, unde intra quatriduum perſentit magnum leuamen. Amoto emplaſtro non impoſui folia braſſicæ, ut communiter fieri ſolet, ſed cum animaduerterem illud non violenter rubificare, ſed leniter humores internos extrahere, & veſiculas abſque mordicatione apertas tenere, illud ipſum aliquoties renouatum (quod neceſſe erat, cum propter effluentes humores ſapo nimis diſſolueretur) identidem de nouo impoſui, atque ita duodecim dierum ſpatio ab omni dolore liberatus, & articulus adeo roboratus eſt, ut exinde abſque ulla moleſtia incederet. Ne tamen recidiua fieret, prius apozema purgans adhuc ſemel reiteratum, & prius emplaſtrum ex ſulphure adhuc per duas ſeptimanas impoſitum fuit. Atque ita in poſterum ab illo malo prorſus immunis fuit.

Quam-

QVamuis dolor ischiadicus arthritidis sit species, tamen propter loci structuram in nonnullis remediis diuersam curationem obtinet. Plerumque autem difficillimæ curationis solet esse, propterea quod articulus ille est maximè profundus, ad quem topica ob musculorum incumbentium crassitiem vix penetrare queunt; & quod medicamenta per os exhibita non nisi valde longo usu, causam antecedentem imminuendo, iuvent. Interdum inducitur hic morbus à sanguinis repletione, interdum à defluxu humorum frigidorum & acrium ad partem. In sanguinis repletione convenit venæsectio, quæ in maxima repletione primò in brachio instituenda, postea in cruce dolente, quamuis etiam in sano omnem dolorem subito sustulisse visum fuerit. Secanda autem vena in poplite, aut iuxta malleolum exteriorem, illa, quæ ob insignem utilitatem quam adfert in hoc affectu, ischiadica nominatur. Galenus lib. de curand. rat. per sang. miss. cap. 11. inquit: *Memini me ischiadas uno die, factas ex cruribus euacuatione, curasse*. Loco venæsectionis sunt qui sanguinem ex hæmorrhoidibus per hirudines eductum, plurimum opitulari tradant. Paulus & Aurelianus scribunt, hirudinibus octo vel decem parti laboranti affixis, hunc morbum egregiè sanari. Quibus hirundinibus Zacutus Lusitanus gloriatur se decem horarum spatio dolorem ischiadicum sustulisse omnibus aliis remediis incurabilem. Loco hirudinum nonnulli cucurbitulas commendant. Si verò malum producatur à defluxu humorum tartareorum, acrium, & frigidorum ad partem, venæsectiones (nisi forte plethora simul adsit) parum proderunt: tunc præmissis purgantibus tortioribus (inter quæ tanquam specifica commendantur elect. caryocostinum & pilulæ de hermodactylis) aut vomitoriis (inter quæ chymici admodum excellunt antimonium: Rondeletius omnibus præfert alarum) topicis curatio maximè peragenda est. Horum autem alia sunt anodyna, quæ dolorem leniunt, cuilibet perito Medico satis cognita, & ab auctoribus Medicis copiosè descripta. Alia materiam morbificam extrahunt & dissipant insensibiliter, ac simul aculeum corroborant; alia eandem sensibiliter euacuant. Prioris generis multa insignia remedia à Medicis inuenta sunt, quæ tam ad ischiadicos, quam ad alios quoslibet arthriticos dolores plurimum conducunt. Donatus ab Altomari, lib. de vinaceis, tanquam certissimum remedium extollit fomentationem calidam in vinaceis factam. Sumit magnam quantitatem vinaceorum recentium ex dulcibus uvis, è quibus vinum fortiter expressum fuit; hanc cum suo musto feruefacit, atque tunc in pauimentum effundit, & manibus fortiter in cumulum comprimit: deinde facta in his vinaceis scrobe, ægrum usque ad medium ventrem in iis sepelit, & laneis pannis totum acervum contegit, atque sic ægrum semel aut bis de die per semi horam, aut totius horæ spatium in iis sudare facit, ac mirabilia se præstare dicit, & exemplis ascriptis demonstrat. Duretus in Hollerium, vinacea sic commendat in omni arthritide: *Sed mirificè prodest vinaceorum usus tempore vindemiarum, si vinacea exportentur ex torculari in horreum, & stragulis operta incalescant: in his æger contineat pedes, tibias, crura, aut brachia, vel totum corpus: centies expertus sum non dari sub cælo melius remedium*. De iisdem etiam Solenander sect. 4. consil. 21. sic inquit: *Sed inter optima remedia & tutissima, quæ partes etiam affectas roborant, ac calorem innatum fouent, hoc ponendum, & diligenter singulis annis, cum amplius fieri nequeat, usurpandum; videlicet ut tempore vindemiæ immergantur pedes atque manus affectæ, vinaceis post expressionem calentibus adhuc, vel musto calido calefactis, per dies quindecim. Hoc remedium maximum robur membris addit: ac possem nominare virum præstantem, cui hoc medicamentum communicaui, & ab eo præclaro munere sum donatus, qui planè incedere non poterat, & isto remedio, beneficio Dei, restitutus est. Quo autem uvæ maturiores sunt, eo plus adiumenti vinaceorum usus adfert*. Ego noui rusticum qui simili fomentatione aliquot diebus usus in fimo equino calido, optimè restitutus est. Matthiolus refert compertum esse multorum experimentis, dolores ischiadicos nullis aliis remediis curabiles, intus ex aqua limacum mucosa fuisse sanatos (quod remedium Pæus scribit multis experimentis esse com-

comprobatum, idemque plurimum extollit Andr. Laurentius lib. de arthritide cap. 6.) sunt qui radicem sigilli B. Mariæ tritam & coxendici impositam, tanquam singularem commendant. Caseus antiquus putridus cum decoctione pernæ fumatæ salsæ subactus & cataplasmatis vice impositus, dolorem mirabiliter sedat, ac mali causam resolvit & extrahit, partisque rigidam duritiem potenter dissolvit, Cataplasma ex ebulo, farina hordei, & melle communi, laudat Sylvius. Forestus lib. 29. observat. 20. refert duos ischiadicos, cum nulla alia remedia profuissent, tandem miraculi instar fuisse sanatos, imponendo urticam coctam in cervisia, cataplasmatis instar. Nos balsamum sulphuris inter efficacissima ad hoc malum remedia, etiam habendum esse censemus, cuius non semel felices vidimus effectus. Galenus 10. de comp. med. sec. loc. commendat emplastrum, quod recipit picis partes duas, & sulphuris partem unum, misceantur, & loco dolenti imposita relinquantur, donec sponte cadant. Quod emplastrum etiam tantopere extollit Forestus, ut lib. 29. obs. 20. & 22. scribat, se aliud præstantius remedium non invenisse; atque illud efficacius fieri putat, si pix & sulphur pari mensura sumantur.

Si hæc & similia non iuvent, tunc ad ea deveniendum quæ sensibiliter materiam extrahit, idque vel per diuersionem, vel ex ipsa parte affecta. Per diuersionem extrahunt imprimis cauteria brachiis vel cruribus inusta. Sic Ioan. Mich. Paschalius de curat. morb. lib. 1. cap. 16. refert Medicus quendam multos à coxendicum dololore liberasse, causticо sub genu facto, ex capitello calcis viuæ & aluminis. Hippocrates venas retro aures incidere iubet lib. 2. epid. sect. 5. & aliis nonnullis in locis. Zacutus Lusitanus prax. sect. 2. observat. 160. in fluxione à capite, vidit quendam sanatum inustione cauterii retro aures, unde, post lapsum escharæ, decem diebus defluxit tenuis aquosaque humiditas, atque ita morbus cessauit.

E parte affecta materiam morbificam extrahunt vesicatoria & rubificantia. Sic Douynetus apolog. lib. 4. cap. 3. & 4. phœnigmis impositis & vesica excitata, quosdam egregie sanatos fuisse refert. Aculanus & multi alii, in dolore pertinaci, nullis aliis remediis cedente, cataplasmate vesicante feliciter usi sunt.

Rec. *fermenti acris lib.* ſ.
cantharidum unc. j.
pulpæ ficuum unc. ſ.
misceantur.

Andr. Laurentius hoc vesicatorio utitur:

Rec. *fermenti veteris unc.* ij.
cantharidum drach. ij.
sem. sinapi, staphisagriæ ana drach. iij.
malaxentur cum aceto fortissimo, & fiat vesicatorium.

Io. Matth. de Gradib. parat aliud ex sem. sinapi, nasturtii, fimo columbino, decoctione ficuum & aceto: quod rubificat & vesicas excitat, quibus pertusis, & decocto ficuum detersis, imponitur folium brassicæ rubræ tepidum, ut materia magis foras euocetur: atque hoc modo inueteratos coxendicis & podagræ dolores extirpari tradit. Galenus, Aëtius, Paulus, multique alii his præferunt cataplasma ex iberide, quæ planta vesicas excitat, & huic affectui curando peculiariter efficax censetur. Schenckius obseruat. medic. lib. 5. refert quendam ischiadicum post plurima remedia frustra adhibita, tandem proprio consilio fila cannabina cineribus macerata, coxisse in aceto fortissimo, eaque feruentia loco dolenti applicasse, prout tolerare poterat: quibus semotis cutem plurimis vesicis abundasse, è quibus magna aquæ citrinæ copia promanauit, unde à doloribus ita liber euasit, ut nunquam vexatus fuerit amplius. Tagaultius miro encomio celebrat hoc emplastrum Galeni & Auicennæ, quo nec melius, nec præsentius remedium excogitari posse tradit.

Rec. *sem. sinapi,*
urticæ,
sulphuris,
spumæ maris,
aristolochiæ rotundæ,
bdellii, ana unc. j.
olei antiqui,
ceræ, ana unc. ij.
fiat ſ. *ars. emplastrum.*

Ego illud emplastrum quod cum sapone hispanico, in nostro agro, præscripsi, in aliquibus mirabilem effectum edidisse animadverti. Memini

mini quondam iuvenculam quandam Montfortensem miserabiliter arthriticam, ita ut per totum biennium nec incedere, nec humeros, brachia, articulos ischiadicos, genua, vel pedes mouere potuerat, sanatam fuisse emplastris ex solo sapone hispanico cum vino mollefacto, & in corio extenso, quod partibus maximè dolentibus impositum vesicas excitabat, & continuata applicatione multam aquæ citrinæ copiam extrahebat, quo modo ægra præter omnium opinionem paucis hebdomadis integræ sanitati restituta fuit.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Vulnus sclopeto inflictum.

Cuius quidam Nouiomagensis 20 May, anno 1637. bombardam imprudenter deorsum explosit, ita ut globulus plumbeus in plateæ silicem impingens, eadem vi sursum resiliret, atque ita fortuito læderet mulierem quandam, quæ prope D. Stephani portam habitabat, cuius ædibus *gradus* pro insigni erant. Intrauerat globulus pectoris cauitatem tribus circiter digitis à spina dorsi, inter quintam & sextam costam, ac pulmonis exteriorem substantiam transiens, magnum ictum in latere dederat costæ quartæ ab interiore parte, ita ut hæc quidem diffracta foret, sed globulus tamen non transiret, at in pectoris cauitate remaneret, qui ob ictum in silicem non rotundus, sed necessario inæqualis planus vel oblongus fuisse debuit. quod & ipsum vulnus solito maius & inæquale satis testabatur. Ægra sic vulnerata statim domum delata fuit. Fere nihil sanguinis è vulnere effluxit, sed die secunda multum sanguinis cum tussi eiecit. Ex ipso vulnere magnum periculum adesse prædixi, partim quia globulus diaphragmati incumbens, nulla ratione è pectoris cauitate extrahi posset: partim quia pulmonis vulnera difficulter sanantur propter continuum motum, imprimis bombardæ ictu inflicta, quæ non sine magna contusione esse possunt. Vt autem officio nostro debitè fungeremur, chirurgus quotidie vulnus religauit, & ego, corpore prius leuiter expurgato, hoc apozema præscripsi, de quo manè & vesperi haustum bibit.

Rec. *radic. rubiæ tinctorum unc. i.*
eryngii, faniculi,
petroselini, ana unc. ſ.
glycyrrizæ rasæ, drach. vi.
herbar. scabiosæ,
violariæ, tussilaginis,
cherefolii,
fol. ribesii nigri. ana m. i.
chelidoniæ maioris m. iii.
sem. 4. frig. mai.
anisi ana drach. i.
passularum cum toto unc. iii.
coquantur in aquæ communis q. ſ. ad lib. ii. adde
syrupi de glycyrriza,
papaueris rheados ana unc. i. ſ.
misce, fiat apozema.

De nullo conquerebatur dolore, præterquam in vulnere, & iſto in loco ubi coſta diffracta erat, qui dolor paulatim euanuit, impoſito emplaſtro oxycroceo, & coſta rurſus coaluit. Primis ſex diebus valde debilis erat ægra; parum aut nihil comedebat, è vulnere vix parum puris exibat: nulla aderat febris, nec tuſſis, nec anhelitus difficultas: poſt ſecundum diem neque ſanguinem, neque pus per os reiiciebat, de quo mirabamur. 27 May, cum alvus iterum conſtipatior foret, hauſtum laxantem exhibui, à quo bis terve alvum deiecit. 30 May valde angebatur, ita ut ipſam morituram omnes exiſtimarent, verum circa veſperam puris albi bonam quantitatem cum pauco ſanguine ex improuiſo per tuſſim reiecit, unde ſummopere leuata fuit, atque exinde melius habere cæpit. Vulnus etiam nobis inuitis coaluit, nec è thoracis cauitate quicquam puris toto curationis tempore per vulnus efluxit. Poſt hoc reiectum pus, ſeptem diebus ſine tuſſi fuit. 7 Iunii cum parua tuſſi aliquantum puris iterum exſpuit, atque ita tuſſis rurſus ceſſauit. Ægra quotidie fortior euaſit, neque exinde quicquam puris aut ſanguinis amplius exſpuit, ſed poſt ſecundum menſem integræ ſanitati reſtituta, præter meam & omnium opinionem iterum foras prodiit, nullum à tanta plaga incommodum poſtea ſentiens: nonus iam agitur annus quo bene ſana viuit, neque etiam globulum plumbeum in pectore ſentit, excepto cum anhelitum magno cum ſuſpirio trahit, tunc enim ſe aliquid graue ſupra diaphragma ſentire dicit.

PRocul dubio globulus plumbeus medium pulmonum non tranſiit, nec bronchia aut maiora vaſa diſſecuit, ſed tantum in exteriore latere pulmonis ſubſtantiam leuiter oblæſit, nam alioqui grauiora ſubſecuta fuiſſent ſymptomata, nec etiam curatio tam cito peracta fuiſſet, quæ tamen adhuc ſatis mirabilis fuit, cum tale vulnus non ſine magna contuſione inflictum fuiſſe potuerit.

Quamvis omnium Medicorum & chirurgorum teſtimonio grauia pulmonis vulnera inſanabilia, leuia verò curatu difficillima exiſtant, tamen cum talia occurrunt, animus in totum abiiciendus non eſt, cum interdum, tam illa, quam hæc, præter ſpem ſanata fuiſſe viſum fuerit, quod multorum inſignium Medicorum hiſtoriis conſtat. Nos ſupra obſeruat. 38. graviſſimum pulmonis vulnus curatum deſcripſimus, hac vero obſeruatione leue vulnus curatum annotamus. Huiuſmodi graves pulmonum læſiones curatę etiam alias nobis viſæ ſunt. Memini me quondam nouiſſe cauponem in pagokaukerca, prope Letidam, habitantem, qui cum alio ruſtico pugnans, ictum recepit ſub dextræ mammæ papilla, vulnere lato, ac cultro mediũ pulmonem tranſeunte, & poſterius ſub ſcapula exeunte. Hic à variis Medicis & chirurgis diuerſis modis & diu tractatus fuit: tandem cum à continua pulmonis ſuppuratione ager totus extabefactus, morti iam proximus videretur, poſt duos circiter ab accepto vulnere annos Vltraiectum delatus, à chirurgo quodam ſolis decoctis vulnerariis perfecte ſanatus eſt. Pulmonis tamen maxima pars ſuppuratione conſumpta fuerat, quod manifeſto percipiebatur cum ſe antrorſum & retrorſum identidem commoueret, tunc enim pulmo dexter inſtar linguæ campanæ anteriorem & poſteriorem thoracis partem obverberabat. Mirum eſt quod tantum ulcus ad perfectam cicatriſationem perduci potuerit: iſtum tamen (qui erat homo admodum robuſtus) decennio poſt curationem vidi ſine ulla tuſſi, ſine ullo malo, atque adeo ſanum & validum, ut nullum unquam viderim ſanorem. Anno 1635 adhuc alium ruſticum robuſtiſſimum cum chirurgo tractaui in pago Linſchoten, prope Montfurtum, qui pugnãdo, ſub ſiniſtra mammæ papilla ictus fuit cultro lato vſque ad medium pulmonem intrante. Ruſticiani, qui ipſi tunc temporis aderant, interea dum ego cum chirurgo Montfurto vocarer, ipſum pronum in ventrem depoſuerant, ac duabus manibus vulnus apertum retinuerant, ne ſanguis in thoracis capacitate occluderetur, atque ſic ultra tres matulas plenas ſanguine efluxiſſe nobis retulerunt. Poſtquam vulnus à nobis religatum foret, ager ſtatim animo linquebatur, & morituru putabatur, verum exhibitis

hibitis corroborantibus ad se rediit. Primis diebus per os modò sanguinem satis copiosum, modò pus reiecit, sanguis etiam spumosus coagulatus è vulnere, sed pauca quantitate, effluxit: ut breviter dicam, hic æger à tam periculoso vulneri convenienti medicamentorum usu optime sanatus fuit, præter omnium opinionem, neque postea ullum in pectore incommodum retinuit. Guilhelmus Fabricius Hildanus cent. 3. observ. 36. similem etiam casum refert: verum cent. 2. observat. 32. valde memorabilem describit historiam vulneris pulmonis sanati, in quo pars substantiæ ipsius pulmonis fuit abscissa: quale exemplum ex Costero etiam adducit Nicolaus Fontanus. lib. resp. & curat. medic. Similia exempla vulnerum pulmonum curatorum describunt Gregorius Horstius, Iessenius Arcæus, alique plures in quibus non tantum pulmones graviter vulnerati, verum etiam substantiæ particulæ, & venarum majora rudera extracta fuerunt.

OBSERVATIO LXXXIX.

Alvus constipata.

NAb Offendorph, nobilis Germanus, militans sub capitaneo Lex, vir fortis & florentis ætatis, ordinariè tanta alui constipatione laborabat, ut vix unquam absq; medicamenti alicuius usu eandem deiceret, quod malum ipsi multis annis familiare fuerat. Interea tamen non ægrotabat, sed cum alvus iam quinque sexve diebus substitisset, tunc somnolentus & in actionibus omnibus piger fiebat. Accidit mense Augusto, cum alvus per septem dies constipata pilulis suis ordinariis (quæ ex præscripto Medici cujusdam Germani semper secum portabat) non moueretur, ut D. Romphium, Reginæ Bohemiæ medicum ordinarium (qui tunc temporis Principem Auriacum in castris sequebatur) adierit, qui iniectis duobus clysteribus, & duabus potionibus cathartics fortioribus exhibitis, cum alvum euomere non potuisset, non ausus fuit ulterius procedere. Quapropter ipse vitæ suæ metuens, è castris Noviomagum ad me venit, ac totum negotium mihi expoluit, simul aliquod salutare auxilium exposcens. Decimus sextus iam agebatur dies quo alvus constipata erat. Ego eiuldem emotionem sequenti clystere tentare volui.

Rec. *radic. bryoniæ unc. j.*
herb. maluæ, altheæ,
mercurialis, absinthij,
centauri minor.
florum chamomillæ,
meliloti, ana m. j.
fol. sennæ unc. j. ſ.
pomi colocynthidis drach. j.
ficuum ping. n. vij.
sem. anisi unc. ſ.
coquantur in aquæ communis q. ſ. ad unc. x.
colaturæ adde
vini stibiati unc. iv.
fiat enema.

Hoc cum per horæ quadrantem retinuisset, alvus vehementer conturbata fuit, & ultra viginti dejectiones subsecutæ sunt, cum maximo levamine. Postea diætam emollientem &

laxantem præscripsi, atque sic illum tanto onere leuatum, benè lætum ad castra remisi.

INueniuntur nonnulli quibus alvus miral iter constipatur, eorumque varia & stupenda exempla collegit Schenckius observat. lib. 3. In talibus naturis, si cathartica exhibita nihil prosint, non semel observaui vinum stibiatum clysteribus admixtum egregiam operationem edidisse, idque tutò, cum cathartica fortiora per os exhibita, interdum prohibito transitu, facile aliquod periculum inducere possint. Memini me aliquando rustico Batauensi robusto & valde constipato catharticum forte exhibuisse, à quo cum alvus plane non commoueretur, postridie inieci enema, cui præter alia, semi unciam tabaci sicci incoxeram, atque hic alvus egregie deturbata fuit. Noui Capitaneum nauis bellicæ, qui mihi narrauit, sibi quondam in mari alvum nullis diebus constipatam fuisse (unde valde anxius fuerat) neque à chirurgo suo multis variisque medicamentis emoueri potuisse, tandem verò) cum iam de vita desperaret, quendam ex nautis consuluisse ut aliquantum raturæ unguis pollicis cum hausto cervisiæ biberet, quod cum feciset, se maxima anxietate correptum in animi deliquium incidisse, ita ut ipsum moriturum omnes arbitrarentur, postea verò ad se redisse, & sursum deorsumque enormiter purgatum, atque sic ab imminenti mortis periculo liberatum fuisse.

OBSERVATIO XC.

Febris notha.

FIliola Capitanei Riffelaer, ætatis sex annorum, longo tempore febre quadam inordinata, non tamen admodum vehementi, laborauerat, quæ interdum ante, interdum post meridiem nocu, interdum alternis, ac sæpius singulis diebus inuadebat, cum frigore incipiens, & in mediocrem sudorem desinens. Circulus liuescens circum oculos conspiciebatur: somnos turbulentos, & ventrem tumidum ac tensum habebat: nares sæpe fricabat: de nullo tamen conquerebatur dolore. Ex dictis signis crudos ac pituitosos humores in prima ventris regione putrescere, indeque febrem induci, & fortè lumbricos quoque in intestinis generatos esse iudicaui. Cum autem valde delicatula esset ægra, nec quicquam assumere vellet, quod vel minimum ingratum saporem haberet, exhibui cum pauxillo cereuisiæ mercurii dulcis scrup. i. à quo multa viscosa & aquosaquinque sexve sedibus dejecit, simulque tres quatuorve lumbricos magnos excreuit. Sequenti triduo exhibui mane & vesperi dosim huius pulueris, quo spatio adhuc octo lumbricos exoneravit.

Rec. *cornu cerui usti.*
coralliuæ præparatæ, ana scrup. iv. sacchari candi drach. ij.
fiat pulvis, dividendus in sex doses æquales.

Postea cum febrem & ventris tensionem in eodem fere statu permanere animaduerterem, rursus mercurii dulcis scrup. i. exhibui, à qua cum sexies purgata esset, se melius habuit. Ad hunc sequentibus tribus diebus nihil omnino assumere voluit. Quarto autem die mercurium dulcem bonis verbis iterum exhibui, à quo cum viscosa & aquosa multa, sed absque vermibus, excreuisset, ventris tensio & tumor una cum febre desiit, atque ipsa conualuit.

IN huiusmodi casibus mercurio dulci sæpissimè feliciter usus sum; & quamuis non pauci magni nominis Medici eius usum valde suspectum habeant, & nimis periculosum existiment,

ment, ego tamen in naturis humidis nunquam ex eo (dummodo bene præparatus sit, cuius præparationis diligentem curam habere soleo) aliquod incommodum vel periculum resultasse obseruare potui; siccioribus naturis aliquantum obesse putatur, ac propterea in talibus, aut aliis utor medicamentis, aut si mercurium dulcem exhibere placet, illi alia purgantia simul admisceo, ut citius è corpore expellatur. Sic etiam Simeon Iacoz obseruat. Riuerio communic. II. eiusdem gr. xii. exhibuit cum diagridii gr. v. in puello quatuor annorum, atque sic post duas horas 20. lumbrici fuerunt expulsi. Sæpe obseruaui esse præstantissimum remedium ad lumbricos intestinorum, ita ut vix habeat sibi simile, nam non tantum lumbricos occidit & expellit, verum etiam eorundem causam simul expurgat. Sebastianus Stromnaller, epist. ad Gregorium Horstium, de hoc mercurio sic inquit: *Simile medicamentum vix inueniri posse affirmo, quod omnis generis vermes in corpore nostro genitos tam promptè, tutò, citò & iucundè aggrediatur, & specifica quadam virtute absque omni periculo funditus expellat: id quod experientia iam diu satis testatum fecit: ita ut meritò ridiam omnes, qui pro iisdem trucidandis, vel argentum vivum crudum, vel alia violenta medicamenta exhibent, &c.* Soleo huius loco interdum etiam exhibere radicis ialappæ puluerisatæ scrup. i. vel minus pro ætate, quod est medicamentum insipidum nec ingratum, egregiè & clementer causam lumbricorum & febrium il is sæpe coniunctarum, expurgans. Rondeletius maximè extollit elect. diacarthamum, tanquam remedium potentissimum ad vermes deiiciendos & pituitam expurgandam, tum etiam chylum corruptum, unde vermes generantur & nutriuntur. Alii diaturbith cum rhabarbaro commendant. In iis qui ab ingratis medicamentis non abhorrent, efficax remedium est hiera picra, ut & aloe sola in forma pilularum data. Dodoneus in annotat. ad obseruat. Benivenii cap. 85. refert mulierem quadragenariam, grauissimis ventriculi doloribus & nausea subinde correptam, assumpta hiera picra excreuisse vermes quadraginta. Eandem facultatem obtinent omnia medicamenta quibus aloe admiscetur. Ita scribit Ant. Benivenius citato loco, quendam ab assumpto medicamento ex aloe, myrrha & croco, deposuisse 48. vermes. Crato consil. à Scholzio collect. 203. has pilulas habet:

Rec. *aloes rosat. unc. i.*
myrrhæ elect. drach. i.
fiant pilulæ:
dosis drach. ſ.

Sequentes extollit Platerus:

Rec. *aloes drach. ii.*
myrrhæ drach. j.
ſem. contra lumbricos ſcrup. j.
cum ſucco abſinthii
vel gentianæ
fiat maſſa:
dosis drach. ſ.
ad drach. j.

Sennertus tales præscribit:

Rec. *aloes ſcrup. ii.*
rhabarbari ſcrup. i.
myrrhæ ſcrup. ſ.
trochiſc. albandal. gr. iii.
pul. corallinæ drach. ſ.
cum ſucco abſinthii
fiant pil. 22.
dosis pueris ſcrup. i.

Mercurialis tom. 1. consult. med. 13. de aloë sic inquit. *Id minime silentio præterennndum iudico, ad consumendam omnem ascaridum [& lumbricorum] materiam, nec non delendam intestinorum proprietatem [illam nempe à qua vermes generantur] vix quicquam utilius excogitari posse, quam si aloes succocitrinæ scrupulum unum singula quaque hebdomada deuoret æger: aloem enim extremas intestinorum partes arcana quadam facultate eluere atque expurgare, longo usu probatum est.* Saptus etiam rhabarbari drach. i. vel ii. in puppa ligari atque in potu ordinario suspendi iubeo, atque tali modo lumbricos eorumque causam clementer expello. Saxonia & Solenander cum multis aliis valde extollunt decoctum febefugum: in cuius unc. iv. Crato macerat rhabarbari drach. i. atque ita expressum exhibet. Rhabarbarum in substantia datum vermes quoque optime educit. Dodoneus prax. lib. 2. cap. 53. hunc puluerem exhibet:

Rec.

Rec. *sem. fementinæ drach. i.*
ramentorum cornu cerui,
sem. citri,
oxalidis, ana scrup. i.
rhabarbari drach. ii.
fiat pulvis: dosis drach. j.
Riuerius sumit pulv.
rhabarbari &
corallinæ ana drach. ß.
misce.

Duretus in Hollerii lib. 1. cap. 54. hoc præscribit:

Rec. *rhabarbari electi,*
absinthii, santonici,
rasuræ cornu cerui, ana drach. iii.
fiat pulvis:
dosis drach. j.
cum decocto scordii:

Hoc, sui experti sumus, (inquit) *omnium principatum tenet.* Antonius Cermisonius consil. 93. efficacissimum vermium interfectivum & eductivum scribit esse, si enema iniiciatur ex lactis caprilli unc. x. & mellis drach. ii.

OBSERVATIO XCI.

Vermes.

Filius Domini Couper, puellus sex septemve annorum, alui lumbricis diu laborauerat, qui interdum in œsophagum ascendentes, noctu per os egressi erant. Parentes semen contra vermes aliquoties exhibuerant, sed nulli tamen expulsi fuerant, tandem cum puer totus emaciaretur, & interdum de ventris dolore conqueretur, meum consilium petierunt. Ego cum puellum valde sitibundum & ab omnibus medicamentis auersum esse animaduerterem, dixi me iulebum gratum pro potu ordinario missurum sequenti die. Sumpsi Mercurii viui lib. ß. hunc in aquæ graminis lib. ij. horis viginti maceraui, & per aquam illam sæpius concussi, postea separato mercurio, addidi illi aquæ syrupi de limonibus unc. iii. olei vitrioli q. s. ad gratum acorem, fiat iuleb. Huius solius usu spatio bidui triginta sex lumbricos deorsum excreuit, atque sic ab hospitibus his liberatus, egregie conualuit.

Mercurium vivum, etiam in substantia exhibitum, ad vermes intestinorum tanquam præstantissimum remedium nonnulli extollunt, ita ut Sanctorius in meth. vitand. error. lib. 5. cap. 11. dicat, in necandis lumbricis nihil fieri, nisi contugiatur ad valida purgandia, ut aloem. & mercurii scrup. j. Bariellus, in horto geniali, de mercurio sic loquitur: *Hydrargyrum, quod a multis venenum existimatur, felicissimo successu contra vermes exhibetur, tantæque certitudinis illud in Hispania reputatur, ut mulieres tenellis pueris qui lactis vermiu laborant, ad quantitatem granorum trium in propria substantia propinare audeant. Hac autem via morbus cessare videtur frequentatis experimentis. Ego quidem viduam mulierem curaui, qua nouem dierum spatio vomitibus continuis ex vermibus laborauerat, & feretri-*

duo non comederat, nec cibum retinere valuerat: huic cum hydrargyri scrup. ii. cum tantillo cydonii mortificati propinassem, absque ulla molestia per alvum centum & plures emisit vermes, & eadem die liberata est, & solita exercuit domi & foris, negotia, magna profectò parentum admiratione, cum prius debilis & emaciata esset. Alius etiam exhibui, & bono semper eventu. Domi etiam continuò aquam habeo, in qua hydrargyrum infusum retineo, illamque puerulis pro vermibus libentissimè concedo, nec adhuc quemquam ind. noxam accepisse expertus sum. Mercurius datur pueris in substantia scrup. i. grandioribus scrup. ii. vel drach. i. Corrigitur & mortificatur in mortario vitreo cum saccharo rubro, ibique tam diu conteritur, ut in partes insensibiles dissoluatur. Ne autem in pristinam formam iterum redeat, olei amygd. dulc. guttulas

pri-

binas addere oportet, & cum saccharo rosaceo, violato, vel cydoniato, ieiuno stomacho languentibus propinatur. Ioannes Baptista Zappara, de secretis mirabil. cap. 5. insignes proponit historias lumbricis laborantium, mercurii usu sanatorum, in quibus infinita alia remedia, tum aloe & absinthium frustra usurpata fuerant. Hildanus cent. 2. observat. 71. mulierem quandam, quæ innumeris & conuenientibus remediis sanari non potuerat, tandem curauit hydrargyro, quod cum ad drach. i. s. purum, & per corium traiectum, exhibuisset, à lumbricis prorsus liberata fuit. Vbi illud notatu dignum adscribit, quod mulier illa tunc temporis emplastrum pro matrice gestaret, quod postea hydrargyro totum perfusum inuentum est. Sic innumeri alii Medici clarissimi argentum vivum ad enecandos lumbricos celebrant, ut Vidus Vidius de curat. membr. lib. 9. cap. 27. & lib. 2. curat. gener. cap. 2. & lib. 3. cap. 13. Quercetanus contil. 3. de lue Gallica; Cæsalpinus lib. 3. de metall. cap. 11. Burgrauius in Achill. Philippus Mullerus in myst. medic. Huius autem hydrargiri usum multi valde suspectum habent, idque tanquam graue venenum fugiendum, nec unquam per os exhibendum esse iudicant. Alii rursus nihil omnino periculi inde metuendum esse arbitrantur. Sic Platerus in curat. lumbric. illud vermes optimè & citò fugare, atque innoxie sumi posse docet. Cum quo consentit Brassauola lib. de exam. stirp. qui se hydrargyrum tutissime contra lumbricos exhibere scribit. Horat. Augenius tom. 1. lib. 11. epist. 1. tam propria experientia, quam aliorum auctoritate probat mercurium vivum tuto assumi posse, atque ipsis etiam infantibus exhiberi: quod ipsum quoque confirmat Libauius tom. 1. syntag. lib. 1. cap. 13. nec non Angelus Sala in recent. 7. plan. Fallopius de morbo gallic. cap. 76. inquit: *Si bibatur argentum vivum, illud non facit quod facit unctum. Vidi mulieres quæ libras eius biberunt, ut abortum facerent, & sine noxa. Ego exhibeo in vermibus puerorum, & nullum parit symptoma; solum necantur vermes.* Marianus Sanctus testatur sibi visam mulierem quæ plurimis vicibus ultram libram mercurii hauserit sine damno. Similiter Fracastorius lib. de Sy-

phil. scribit, mulieres quasdam argenti viui libram sumpsisse ad perdendum fœtum, quæ tamen voti minime compotes factæ, ne tantillum quidem molestiæ inde perceperunt, fœtu omnino in utero seruato. Matthiolus epist. 4. ad Seph. Laureum med. Cæsar. *Cum* (inquit) *argentum vivum nulla alia letifera facultate* (ut Dioscorides inquit) *interimat, quam quod suo ingenti pondere intestina laceret, nihil sane verendum videtur, minima quantitate id posse moliri unquam, præsertim cum sua grauitate & sphærica forma, facile è corpore per inferiora labatur. Idcirco mirari non debemus, si Brassauolus, tam clarus ætatis nostræ Medicus, ad necandos interaneorum vermes, dari pueris argentum vivum, nullo incommodo, scriptum reliquit, & eo tam feliciter usus sit alter quidam clarissimus Medicus Patauinus. Atqui ego, & si hoc medicamento nunquam usus sum, vidi tamen dari sæpe illud à Goritiensibus obstetricibus ægre parturientibus mulieribus, nullo prorsus incommodo, sed felici semper euentu.* Horum clarissimorum virorum experientia satis docet hydrargyrum in substantia tuto exhiberi posse. Quantum ad me, ego hactenus illud tali modo nunquam dedi, sed illius infusione in aqua graminis, vino, aliove liquore facta, aliquoties summo cum successu usus sum. Sebastianus Stromaier epist. ad Greg. Horstium, ut & Horstius respondet ad eandem epist. mercurium crudum aliquantum suspectum habent, sed rite præparatum & ab impuritatibus repurgatum adeo extollunt, ut simile medicamentum ad vermes vix inueniri posse affirment, quod specifica quadam virtute, tam prompte, tute, cito, & iucunde, absque omni periculo vermes funditus expellat. Sennertus prax. lib. 3. part. 2. sect. 1. cap. 5. hydrargyri usum aliquantum extimescere videtur: *Verum etsi argentum vivum* (inquit) *præcipitato & sublimato longè tutius sit, & in casibus desperatis contulisse atque utile fuisse negandum non sit; tamen ubi necessitas non urget, & aliis mitioribus medicamentis res peragi potest, iis non utendum, cum aliquam pravam dispositionem corpori facile imprimere possit, sicut etiam contactu sensum stupefacere potest.* Idem prax. lib 6. part. 4. cap. 21. De hydrargyri viribus latius agit, ubi curiosius inquirit anne tu-

to

to exhiberi possit: qua de re etiam videatur Zacutus Lusitanus Histor. medic. lib. 1. quæst. 1. quæst. 41. imprimis autem Matthias Untzerus, anatom. mercur. lib. 1. cap. 16.

OBSERVATIO XCII.

Arthritis.

DOminus Hamelcong. nobilis Anglus florentis ætatis, intolerabili torquebatur arthritico dolore in articulo humeri dextri, ita ut se emori malle, quam tantum dolorem diutius perpeti diceret. Tres dies & noctes ob doloris magnitudinem insomnes duxerat: Præscripta conueniente diæta Purgaui ipsum cum pilulis cochiis, decoctum valide diureticum aliquot diebus bibendum dedi, & sequens emplastrum loco affecto applicui.

Rec. *gummi galbani spiritu vini dissoluti,*
tacamahaca spiritu terebinth. dissol.
emplastri oxycrocei, ana unc. ß.
misceantur & extendantur in corio.

Hoc emplastrum per octiduum adhæsit, quo spatio immensus ille dolor totus euanuit, ita ut sine ullo impedimento brachium rursus libere mouere posset. Cum iam sanatus esset, Bredam versus (quod tunc temporis a nostris obsessum erat) profectus fuit, ubi volantarius arma iumens, aliquamdiu post cum hostibus fortissimè puguans interfectus est.

DE arthritidis causis diu litigatum est inter Medicos, dum alii à pituita, alii à bile, melancolia, sero, aliisve humoribus, alii à defluxionibus è capite ad articulos delabentibus, alii ab acribus humoribus ex internis visceribus ad articulos expulsis, arthritidem ortri putarunt: quorum omnium opiniones hic curiosius examinare nimis longum foret, atque etiam inutile, cum illa satis legi possint apud auctores qui ex professo hanc materiam tractant. Si meam opinionem quispiam roget, ego articularium dolorum duas differentias necessarias statuendas esse dicam. Duabus enim è causis hi dolores generantur. Primò, cum à frigidis catharris seu defluxionibus (alicuius salledinis seu acrimoniæ participibus) è capite ad articulos delabentibus, nerui, tendines articulis annexi, & ligamenta refrigerantur, debilitantur atque ab acrimonia corrodiuntur. Hinc dolores magnos induci non est alienum; quam inimicum enim sit frigus neruis & neruosis ac membranosis partibus, docent hyemali tempore vulnera quibus tales partes denudantur, quibus tunc à frigore facile accedunt acres dolores, convulsiones, aliaque mala: unde regulam istam signauit Hippocrates, *Omne frigidum neruis inimicum*. Adde, quod præter frigus, etiam à talibus defluxionibus articulis inducatur debilitas, nimiaque vel rigiditas, vel mollities & relaxatio, unde inepti ad motū nō sine dolore mouentur; imò suomet pōdere grauati ab ipso pondere extendūtur cū dolorifico sensu. Hæc autem arthritidis species minus est acerba. Altero modo inducuntur arthritici dolores, ab humoribus salsis, acribus & tartareis è sanguine secretis & ad articulos expulsis. Quod ipsum quoque Sennertus lib. de arthritide, quæst. 6. validissimis præmissis rationibus, tandem sic concludit: *Aliter* (inquit) *statuere non possum, quam humorem salsum, acrem, subtilem, & spirituum salinorum naturam plerumque referentem, arthritidis causam esse. Appellet eum iam quis bilem, pituitam bili permistam, salem, tartarum, vel pro ut lubet, per me licet, modo res recte explicetur.* Qua ratione hi salsi humores à sanguinis massa seiparentur, & articulis magis inhæsisse quam aliis partibus, alio loco docui. Quomodo autem neruosis par-

partibus, dolores inferant, explicui supra annotat. ad obseruat. 68. Huius causæ pauciores Medici ante nostra tempora meminerunt, his verò temporibus omnibus fere nota euasit: qui eandem curiosius inquirere, & solidissimas, quibus fulcitur, rationes scire volet, legat Sennertum lib. de arthritide cap. 2. & quæst. 6. 7. 8. ut & lib. 2. institut. part. 2. cap. 9. & prax. lib. 3. part. 7. sect. 1. cap. 6. & paralipom. ad cap. 2. lib. de arthrit. nec non Quercetanum consil. de arthrit. & calculo.

Frustra igitur Medici hactenus in calore & siccitate bilis, vel in humiditate ac frigiditate pituitæ arthritidis causam quæsiuerũt, eo quod non primæ qualitates, sed secundæ hos dolores inducere queant, nempe salsedo & acrimonia, qua partes roduntur, vellicantur ac lancinantur. Huc referri poterit illud quod Hippocrates lib. de prisca medicina, eleganter tradidit: *Non calidum* (inquit) *frigidum, humidum & siccum magnam habet vim agendi, sed amarum & salsum, dulce & acidum, insipidum & acerbum: quæ & si in mistione, & mutua inter se contemperatione neque cernantur, neque molestia afficiant, tamen ubi horum quippiam secretũ fuerit, & per se extiterit, tum & conspicuum fieri, & hominem molestia afficere, & noxam inferre, &c.* Pro diuersitate verò & magnitudine causarum curationem diuersis modis instituere necesse est. In priore arthritide, cum à cerebri praua dispositione mali causa maxime descendat, illud omnibus modis euacuandum & corroborandum erit, ut huiusmodi excrementa in eo amplius non colligantur: præterea ipsæ partes affectæ topicis calefacientibus, crudos humores dissipantibus, & exsiccantibus erunt corroborandæ. In altera arthritide internis medicamentis salsi humores erunt euacuandi & dissipandi, antequam ad articulos expellantur, eorumque generatio prorsus impedienda. Partibus verò affectis necessario topicis quoque erit prouidendum, quibus salsorum humorum acrimonia temperatur, atque sic dolor mitigatur; postea talibus quæ huiusmodi humores dissolvunt, dissipant, & per cutis spiracula euacuant, partesque debilitatas corroborant; qualia innumera & varia sunt (non enim eadem omnibus conueniunt ac prosunt) alia temperata, alia calida, alia salsa & acria, &c. quorum alibi varias insigniores & usu comprobatas formulas dabimus.

OBSERVATIO XCIII.

Dolor ventriculi cum vomitu.

PEtronella Beekman, iuvencula circiter 27 aut 28 annorum, 19 Iunii intolerabili cruciabatur dolore in aluo superiore, nempe in toto ventriculi regione, qui se modò aliquantum ad dextrum, modò ad sinistrum latus, ut plurimum autem ad lumbos fere extendebat, atque adeo crudelis erat, ut quilibet astantes commiseratione ægræ commouerentur. Vomitus aderat, interdum mitior interdum vehemens, quo omnem cibum & potum euomebat. Subinde etiam vehementiori vomitu aquam quandam nigricantem ad lib. j. vel lib. j. ſ. eiiciebat, cui aliquantum tenacis pituitæ admixtum erat: huic aquæ, (quæ magna cum violentia euomebatur) ordinariè corpuscula quædam (quatuor vel quinque, interdum plura) innatabant, magnitudinis paruæ auellanæ, colore & consistentia butyrum recens adeo exactè referentia, ut etiam ipsos butyri mercatores fefellisset. His vomitu eiectis, dabatur aliquod doloris leuamen ad duas treſve horas, post quas dolor iterum recrudescebat. Nulla aderat febris, nullus in liene tumor, neque etiam dolor eò usque se extendebat; antea quoque nulla lienis affecti signa animaduersa fuerant. Nulla quoque in renibus erat obstructio, nec dolor in ureteribus, urina absque molestia, & satis crassa fluebat; nec calculos, nec sabulum unquam antea, nec postea, nec durante morbo excreuit. Menstruæ

ordinario modo bene fluxerant, nec ullum in utero vitium percipi poterat. Neque etiam dictæ vitiò inductus fuerat morbus, neque bilem huc quicquam feciſſe docebat vomitus, quo raro & tantum pauxillum flauæ bilis euomebatur. Hæc omnia mihi de loco affecto & cauſa mali non paruam dubitationem iniecerunt: indicant tamen cauſam morbificam vel in ventriculo reſidere, vel potius è parte aliqua vicina ipſi ſuggeri, & propter vomitus violentiam ligamentorum communione etiam lumbis & vicinis partibus dolores communicari. Sed unde igitur iſte vomitus aquæ nigricantis, & illud butyrum? non à ventriculo, cum ibi tanta aquæ nigræ copia occulcari, & talis butyracea ſubſtantia in eius parenchymate inueniri non poſſit: non à liene nec hepate, cum hæc viſcera nullo modo afficerentur: non à renibus, cum dolor in lumbis parvus ac leuis eſſet, nec ullum in urina vitium. Formatis igitur illa aqua nigricans in meſenterio vel pancreate collecta, atque inde ad ventriculum expulſa fuit; & butyracea illa materia fortè fuit bilis aliquo modo corrupta, ac in talem ſubſtantiam præter naturam mutata. Atqui tunc talia etiam per alvum excreta fuiſſent! verum in hac ægra raræ erant alui deiectiones, æque naturalis coloris & conſiſtentiæ. Ita ut verè fatear, hunc morbum mihi admodum obſcurum viſum fuiſſe, de quo nihil certi iudicare potui, de quo etiam alii Medici, quibus caſum hunc notum feci, non minus quam ego dubitarunt. Curationem aggreſſurus, cum nihil retineret, primò topicis vomitum ſiſtere, ac ventriculum corroborare viſum fuit: in quem finem ventriculum oleo nucis moſcatæ inunximus, eique calidè impoſuimus cataplaſma, ex mentha, roſis rubris, nuce moſcata, gariophyllis, maſtiche, olibano, fermento acido & aceto roſaceo concinnatum, quod tota nocte inhæſit, ſed nihil profuit. Poſtridie à violento vomitu & continuis ac truculentiſſimis doloribus valde debilis erat ægra, ita ut ad ſpirituum refectionem corroborans medicamentum præſcripſerim, ex aquæ vitæ Matthioli, aq. theriacali, aq. cinnamomi, & ſyrupo de limonibus, æqualibus partibus mixtis; de quo ſubinde cochleare ſumpſit, & retinuit, cum tamen omnem alium potum euomeret. 21 Iunii emplaſtrum corroborans ex tacamacca, galbano, gariophyllis, benzoino, & ſimilibus concinnatum ventriculi regioni impoſui. 22 Iunii hauſtum leuiter purgantem exhibui, quem ſtatim euomuit. Tunc clyſma inici curaui, à quo bis terve alvum diecit. Horribilis dolor in eodem ſtatu permanſit, cui per interualla vomitus adiungebatur. Præter corroborans ante præſcriptum, nihil retinebat ventriculus. 24 Iunii, cum alvus iterum non reſponderet, exhibui pilularum Ruffi ſcrup. ß. quas retinuit, atque ab iis circa veſperam tres ſedes habuit. Quia emplaſtrum ægræ moleſtum erat, neque leuamen adferebat, illud detraxit, cuius loco ſaculum lineum impoſuimus his interſutum, nempe mentha, abſinthio, ſalua, floribus chamomillæ, melilоti, anethi, nuce moſcata, ſemine cumini, fæniculi, anethi, qui ſaculus in vino forti ſemel ebulliebat, atque tunc expreſſus calidiſſimè applicabatur. 28 Iunii reiteratum fuit enema. 29 Iunii circa noctem exhibui philonii Romani cum euphorbio parati ſcrup. ij. cum pauxillo vini, à quo ita nocte quatuor horis dormiuit, cum hactenus à principio morbi omnes dies noctesque inſomnes duxiſſet. Poſtridie dolor ad antiquum ſtatum redit: videbatur tamen calidiſſimum illud philonium aliquam coctionem moliſſe, nam ventriculus ſubinde ructus aliquos difficiles cum leuamine edebat, qui ut facilius promouerentur apozema gratum ex flatus discutientibus aliiſque ſimilibus, præſcripſi, ſed non potuit retinere. Quapropter circa veſperam iterum exhibui philonii ſcrup. ij. 1. Iulii, ructus faciliores prodibant. illa veſpera iterum philonium dedi ut antè. Sequenti die dolores erant mitiores, & vomitus nullus: tunc poſtridie ſorbſit iuſculum pulli, idque fuit primum nutrimentum quod toto morbi decurſu retinuit.

retinuit. 3 Iulii alvus constipata pilulis Ruffi rursus emota fuit. 4 Iulii dolores rursus exacerbati sunt: præscripsi amygdalatum, sed nullam dosim retinere potuit, etiam omnia alia assumpta evomuit, præter corroborans ante præscriptum. Varia topica ventriculi regioni dolenti applicui, sed nihil profuerunt. 6 Iulii, rursus ad philonium confugere coactus fui, cuius scrup. ii. ſ. exhibui, à quo mediocriter dormiuit. Postridie dolores erant mitiores, tunc circa noctem eadem dosis philonii rursus data fuit, ut & sequenti die circa vesperam. 9 Iulii matutino tempore pilulis Ruffi purgata est, & vesperi rursus philonium sumpsit, quod etiam sequenti triduo singulis vespertinis temporibus datum est: atque sic huius usu dolores & vomitus prorsus cessarunt, rediit appetitus, & ægra pristinæ sanitati restituta fuit.

23 Novembris iisdem truculentissimis doloribus cum vomitu violento, ut antè, infestata fuit. Exhibitis pilulis corpus expurgaui, & vesperi rursus dedi philonium, cum leuamine, in cuius solius usu libenter per aliquot dies continuassem, sed fuit illud medicamentum nimis suspectum D. Breulio, medico docto, qui tunc temporis etiam aduocatus, maluit topicis, amygdalatis, apozematibus, conditis, aliisve conuenientibus medicamentis curationem peragere, quæ omnia ad illius beneplacitum, frustra tentata fuerunt, denique illo non redeunte, ego rursus philonium duodecim diebus continuis circa noctem exhibui, singulis quatuor diebus alvum pilulis citando, atque ita tandem pertinacissimum morbum philonii narcosi & calidissima qualitate cuici, a quo sic liberata fuit ægra ut postea toto sexennio ab eodem immunis fuerit, & ut spero, semper futura est.

OBSERVATIO XCIV.

Febris tertiana intermittens notha.

HErmannus N. institor, vir florentis ætatis, in principio mensis Martii febri tertiana intermittente notha correptus est, quæ cum magno frigore inuadens, ægrum graviter affligebat, & post sex horas cum sudore copioso rursus terminabatur: alternis quidem diebus, sed incertis horis, modò citius, modò tardius inuadebat. Tempore paroxysmi etiam caput valde dolebat, summaque aderat anxietas. Appetitus prostratus fuit, atque hinc vires admodum debilitatæ. Alterius Medici consilio variis usus est medicamentis, atque hinc adeo nauseabundus evasit, ut post duas tresve septimanas ab omnibus abhorreret, & Medico suo valedicens, omnium medicamentorum usum intermitteret. Tandem tamen, cum morbus usque ad finem Aprilis extenderetur, magisque increscceret, relicto priore Medico, meum consilium expetit. Cum autem propter nauseam se vix quicquam assumere posse, & amara maximè diligere diceret, exhibui drach. ſ. aloes lucidæ in pilulas redactæ, unde quinquies alvum dejecit. Postea, quia non erat dives nec magnos sumptus ferre poterat, iussi, ut ipsemet sumeret absinthii sicci m. i. centaurii minoris M. ii. cardui bened. florum chamomillæ, ana m. i. ſ. atque hæc omnia minutim consciſſa coqueret in cerusiæ tenuis lib. iii. circiter per horæ quadrantem, vel paulo diutius, deinde colaret cum forti expressione, & de ista colatura die paroxysmi bis, intermissionis verò die ter haustum calide biberet, idque decoctum aliquoties repeteret. Huius usu, cum bono Deo, magna immutatio secuta est; febris, quæ admodum vehemens fuerat, statim initio cuasit, & a. t. a q. artum paroxysmum se non extendit amplius: capitis dolor euanuit, appetitus redi-

& æger, cum magno meo honore, citius quam quispiam opinatus fuerat, à diuturna febre liberatus est.

HOc decoctum, quo hic æger à longa febre liberatus fuit, quamuis non reciperet multa pretiosa, vel longe petita, aut graui & fastuoso chymico labore præparata ingredientia, tamen ex talibus fuit compositum, quæ ad febrium curationem maximè sunt celebrata. Absinthium enim, carduus benedictus & centaurium minus, omnes obstructiones viscerum insigniter aperiunt, cruditates tollunt & coquunt, detergunt, crassa incidunt, putredini maximè resistunt, eamque tollunt & impediunt, omni malignitati ex quacunque putredine aduersantur potentissimè, & noxios humores per urinas ac sudores expellunt, quin & febrilem fomitem euincunt & eiciunt. Quæ harum herbarum virtutes omnium Medicorum & ipsius quotidianæ experientiæ testimonio sunt notissimæ, imò de iis ipsi quoque vulgo plus satis constat, quod in febribus vel pulueremcardui benedicti assumere, vel vinum absinthite bibere, vel centaureum (quod ab effectu *febrifuga* appellatur) decoquere, atque ita sibi ipsi medicinam facere solet. Ego his, propter flatus qui in hypochondriis sentiebantur, etiam addidi chamæmelum, propterea quod aduersus huiusmodi febres admodum utile existat; de quo Galenus 3. de simpl. med. fac. cap. 110. ita scribit: *Chamæmelum febres, quæ citra visceris alicuius inflammationem infestant, discutit dissolutque, ac præsertim quæ ex humoribus biliosis, aut cutis densitate proueniunt. Qua de re & ab Ægyptiorum sapientioribus Soli consecratum est, febriumque omnium putatur remedium. Verum hac quidem in re a veritate aberrant. Solas autem eas, quas dixi, febres sanare potest, easque percoctas; licet reliquas etiam adiuuet, quæ melancholicæ sunt aut pituitosæ, aut ex viscerum inflammatione procreatæ. Nam & harum remedium strenuissimum est chamæmelum, ubi concoctis adhibetur scilicet. Quapropter & hypochondriis, ut si quid aliud, gratum existit.* Quamuis autem Galenus hoc loco doceat, chamæmelo tantum utendum esse post materiæ coctionem, tamen cum per se coctionem illam potenter promouere valeat, ad hæc crassos humores incidat, obstructiones aperiat, cruditates tollat, flatus discutiat, sudores & urinas insigniter promoueat, etiam ante materiæ morbificæ coctionem illud summa cum utilitate exhiberi posse ipsa ratio satis demonstrat. Sic quoque refert Sennertus, Ioannem Anglicum scribere, quod chamæmelum promisque in omnibus, tam ante quam post coctionem, exhibere soleat, atque obseruasse illud semper plurimum profuisse. His igitur quatuor nobilissimis febrifugis simul decoctis, non est mirum quod in ægro nostro materia morbifica citò cocta, discussa, expulsa, & patiens à graui ac molesta febre breui liberatus fuerit.

OBSERVATIO XCV.

Fulmine icti.

ANno 1637. 24 Augusti, paulo post meridiem, magna subito ingruit tempestas, cum fulmine ac tonitru horribili. Tunc temporis Noviomagi ante urbem ad monte Gallinaceo, fortè rustici cuiusdam famulus frumenta colligebat, secum habens ancillam, & anum quandam cum infante, ut & currum, qui ab unico robusto equo trahebatur. Ipsi hac horribili tempestate perterrefacti, fugam parant, anus cum infante sub carum ob pluviam confugit, interea dum famulus cum ancilla equo frenum inicere studet. Dum hæc agunt, validum fulmen ab æthere descendens, famulum, ancillam, equum & carrum cum

comminuebatur. Equus ipso momento mortuus concidit, nec tamen in toto corpore ullâ læsio percipi potuit. Fulmen ancillæ femur & crus dextrum percusserat, quæ partes omnino lividæ & purpureæ erant, præterea partem tunicæ & indusii in mille filamenta dissecuerat: ipsa statim ab ictu in terram corruit, ac circiter duabus horis sine loquela prostrata iacuit. Famulus toto corpore percussus erat, præcipua verò ictus violentia in latus maximè dextrum sæuiit, à quo latere thorax, bracca, caliga, indusium laneum, & ipsum etiam lineum indusium, non simpliciter dilacerata, sed quasi dissecta & in tenuia filamenta discerpta fuerunt, & simul ingentem combustionis fœtorem retinebant, ac si paulisper in igne iacuissent. Calceus dexter, ex fortissimo corio confectus, quasi miraculose in tenuia longa filamenta (qualia ne studio quidem quispiam conscindere posset) discerptus, & triginta passuum longitudine à pede proiectus fuit. A tanto ictu in terram prostratus fortis ille iuvenis in syncopen incidit, atque sic pro mortuo domum delatus fuit. Durauit hic animi defectus circiter per tres horas deinde paulatim ad se rediit. Inuisi hominem, ac totum corpus inspexi: totum latus dextrum à pede usque ad caput colorem ex nigro purpurascentem habebat, eique cuticula plurimis in locis abrasa erat, haud aliter atque ab ictu baculi inæqualis fieri solet; magna quoque aderat contusio, cui & ardentem combustionem coniunctam esse manifestissime apparebat. Æger parum loquebatur, & de maximo totius dextri lateris dolore, ut & de summo cordis ardore (cui tamen febris non erat adiuncta) ac pectoris compressione, atque hinc impedito anhelitu conquerebatur: artus dextri lateris omnino commouere non poterat, atque ita sui impotens per duos menses remansit, & postea paulatim pristinæ sanitati restitutus est. Interrogatus quomodo se habuisset ingruente malo, dicebat sibi nihil aliud inde constare, quam quod ipso momento, quo fulmen percussit, sibi cor candenti ferro uti visum fuisset, atque anhelitum quoque trahere non potuisset, & sic statim suffocatus concidisset. Varia ipsi exhibui, varia etiam topica medicamenta partibus percussis adhibui, sed omnia hæc ad ignem istum æthereum nihil vel parum profuerunt, tandem æger ipsomet sine medicamentis Diuino auxilio sanatus fuit, ut & ancillæ, quæ sibi nulla medicamenta adhiberi permisit. Anus illa quæ cum infante sub carro latuerat & intacta remanserat, narrabat cum ingenti illo fulminis ictu pessimum simul ingruisse fœtorem, cum maximo ardore, quem haud aliter se sentisse dicebat, quam si caput in furnum pistoris ignitum ad momentum immisisset, ita ut ob breuem istum ardorem etiam ipsa anhelitum trahere vix potuisset. Sed cum fulmen corpora solidiora imprimis ferire soleat, mirum est nec in ancilla, nec in equo ullum os confractum fuisse.

QVanta vi & quam mirabiliter fulminares interiores interdum feriant, tam veterum quam recentiorum testimoniis satis constat, quod etiam nos ipsimet aliquoties vidimus. Anno 1626 octiduo ante festum Paschatis, subita ingruit tempestas cum fulmine & tonitru horribili, qua unico fulminis ictu in Blocklandia prope Montfurtum quatuor domus & tex horrea penitus euerta sunt, & arborum plus quam tria millia non tantum contracta, sed penitus eradicata, & cum totis radicibus longe e suis areis electa fuerunt, nonnullis tamen & bellis omnibus illæsis. Anno 1628. prope pagum Bodegravum rusticus quidam in campis fulminis ictu occisus fuit, in cuius corpore pleraque ossa minutim confracta erant, cute cum carne plane illæsa. Vidimus in Gallia Pictauii in turri quadam fulmen illæso plumbo subiectas tabulas incendisse, quæ flamma non sine summa molestia extincta fuit: quod ipsum quoque nostra ætate semel atque iterum euenisse visum fuit Vltraiecti in turri Dominicali. Anno 1638. mense Iulio, Noutomagi in deambulacro illo, quod Sylvam vitulorum appellant, plus quam mille aviculæ à fulmine simul occisæ fuerunt: eadem que illa.

illa tempestate etiam boves aliquot in pratis à fulmine percussi & ossibus contractis occisi sunt, & variæ arbores deiectæ ac contractæ fuerunt, quarum folia corrugata, & quasi flamma ignis ustulata erant. Cardanus de rerum varietat. lib. 14. cap. 70. refert anno 1521. arcem Mediolanensem vehementi fulmine penitus deiectam, in eaque 113. homines occisos fuisse. Hildanus cent. 3. obseru. 26. valde mirabilem refert historiam, de nobili quodam, qui fulmine grauiter percussus concidit, eiusque equus, ut & famulus cum altero equo statim enecati sunt: à fulmine præterea nobilis vestes dilaceratæ erant, & gladius, illasa vagina, circa cuspidem haud aliter liquefactus, ac si ex plumbo fuisset, imò & extremum vaginæ ferrum eodem modo liquefactum conspiciebatur. Cardanus de Subtil. lib. 2. harum mirabilium operationum causas inquirens, sic inquit: *Verum motus non solum penetrare magis cogit, sed & calorem ipsum accendit, atque ignem igne calidiorem reddit. Nihil mirum igitur est fulmini tantam inesse vim, ac ignem illum, quasi ab aliorum ignium natura alienum, miracula quædam efficere: namque ob motum celerem non solum magis penetrat, sed ignis ille multo calidior reliquo omni igne existit. &c. Quis vero est alius ignis qui solo contactu occidat? hoc igitur est proprium est, quod calidissimus sit calidissimorum, atque, ut ita dicere liceat, ignis ignium. Itaque illasa quandoque crumenæ, pecunias colliquat. &c.*

OBSERVATIO XCVI.

Tussis.

Nicolaus Kerckvvegius, Hollandus, vir florentis ætatis, molestissima tussi per tres quatuorve annes infestatus fuerat: tandem totus emaciatus est, ita ut plane phthisicus esse videretur, ossa enim sola tantum cute tegebantur. In Zelandia, ubi longo tempore habitaverat, variorum Medicorum consiliis per biennium frustra usus fuerat. Unde, his nihil proficientibus, & malo indies in peius vergente, per tres quatuorve menses in Hollandia ex præscripto duorum Medicorum varijs usus fuit medicamentis, verum absque ullo fructu. Tandem anno 1637 mense Iulio Novimagum deuectus fuit, ubi etiam meum consilium experiri voluit. Examinavi diligenter ægri & morbi conditionem, inspexi etiam sputa, quæ muccosa erant & tenacia, absque ullo pure aut sanguine, quapropter neque ex his, neque ex aliis signis comperire potui ipsum vera phthisi laborare (quod ex toti. corporis emaciatione priores Medici iudicasse videbantur) sed a tenui catharro, ad pulmones continuo decidente, tussim hanc induci, quæ temporis diuturnitate pulmones totumque corpus admodum debilitaverat. Ad morbi curationem, præscripta prius diæta conueniente, pauca usus sum remedijs, propterea quod propter ægri summam a medicamentis nauseam, & virium debilitatem multa exhiberi non possent. Corpore igitur leniente medicamento clementer expurgato, sequentis decocti ter quaterve de die haustum bibere iussi.

Rec. *marubii albi m. iij.*
conscindantur minutim,
& macerentur per noctem in aquæ communis lib. j. ſ.
cui postriae adde caput papaveris alb. conscissum n. j.
fol. byssopi m. j.
mellicrati optimi lib. j. ſ.
In olla fictili bene cooperta coquantur simul ad consumptionem tertiæ partis colatura seruetur usui.

Huius

Huius decocti (quod ipsemet præparabat) usum per tres quatuorve mēnses continuavit; & hinc tussis quotidie magis magisque imminuta fuit, ac tandem desiit: æger quoque vires recuperavit, carnosus & pinguis evasit, denique hoc solo decocto perfectè sanatus Noviomago discessit, atque exinde optime sanus vixit, quemadmodum ipsemet quadriennio post mihi retulit.

OBSERVATIO XCVII.

Suffocatio uterina.

VXor Petri, fabri cementarii Noviomagensis, mulier circiter 28 annorum, mense Iulio magna uteri suffocatione laborabat, cum magno lateris sinistri dolore & summa anhelitus difficultate, ita ut astantes ipsam pleuritide laborare existimarent. Circa vesperam vocatus, sequentem haustum exhibui, quo assumpto magna ex parte cessavit malum, atque ista nocte mediocriter quievit.

Rec. *croci britannici,*
castorei, anagr. ʒ.
trochiscorum de myrrha scrup. ſ.
succini præparati scrup. i.
theriacæ scrup. ii.
aquæ theriacalis unc. i.
artemisiæ unc. ſ.
olei succini, gut. ix.
misceantur, & fiat haustus.

Postridie malum eadem vehementia rediit, cumque per tres dies alvum non exonerāsset, hoc purgans dedi.

Rec. *fol. sennæ mundat. unc. ſ.*
seminis lenistici drach. i. ſ.
aquæ artemisiæ q. ſ.
fiat infusio ſ. art. adde colaturæ
electi. diaphœnici,
hierapicræ ana drach. i. ſ.
fiat haustus.

Hinc quinquies alvum deiecit, manente tamen suffocatione, imo magis ingravescente. Deinde sequens decoctum præscripsi, de quo sæpius, nempe singulis fere horis, unc. j. vel unc. j. ſ. tepide bibit, cuius usu toto die continuato, menstrua copiosè fluxerunt, & simul cessavit suffocatio.

Rec. *radic. ostrutii,*
valerianæ ana unc. ſ.
diptamni,
bryoniæ, ana drach. iij.
sabinæ m. j.
seminis lenistici drach. vj.

dauci drach. ij.
vini albi q. s.
coquantur s. art. & fiat apozema ad lib. j. f.

OBSERVATIO XCVIII.

Surditas.

VXor Henrici Iordens, menſe Auguſto conquerebatur ſe per ſemi annum magna ſurditate affectam fuiſſe, ita ut non niſi magnos clamores audiret, meumque ad hanc moleſtiam conſilium expetiit. Erat mulier quadraginta annorum, eique durante hac ſurditate alvus admodum obſtructa ſemper fuerat, ita ut vix ſingulis quatuor vel quinque diebus eandem ſemel dejiceret: atque hac de cauſa judicavi multos vapores ſurſum ad cerebrum deferri, ab iſque ibidem hærentibus, & auditorium nervum ac tympanum obfuſcantibus, ſurditatem hanc induci. Proinde corpore pilulis expurgato, juſſi ut ſingulis veſpertinis temporibus cubitum itura deglutiret duas pilulas piſi magnitudinis ex ſola aloe lucida confectas. Harum uſu alvus exinde naturaliter laxabatur, atque ſic ingens illa ſurditas ſine alio remedio, intra duas ſeptimanas, penitus ſublata fuit, tum multorum admiratione.

CAput inſtar cucurbitæ ſeu alembici ſubiectarum partium vapores recipit: qui ſi copioſiores eò ferantur, quam ut à cerebro digeri ac diſcuti poſſint, varios capitis morbos inducere ſolent, dolores, catharros, ophthalmias, ſurditates, alioſque. Horum autem vaporum nimis copioſus aſcenſus inprimis fit in iis quibus alvus conſtipata eſt. Hac de cauſa ſi grauis auditus vel ſurditas non admodum inueterata, originem ſumpſerit, tunc morbus optimè ſanatur alui ſolutione, utpote qua materia morbifica continens deriuatur ad inteſtina, & antecedentis via ad partem affectam amputatur. Quod etiam ſignificare voluit Cornelius Celſus, lib. 2. cap. 8. dum inquit: *Nihil plus aduerſus ſurditatem, quam bilioſa alvus, poteſt.* Illud ipſum quoque docuit Hippocrates 4. Aphor. 28. *Quibus ſurditas ſuperuenientibus bilioſis dejectionibus, ceſſat.* Cuius hanc adfert rationem Galenus, quod bilis ad auditorios meatus delata & ſurditatem faciens, ſi ab iis ad infernas partes depellatur, per dejectiones bilioſas ſiniatur ſurditas. Hoc autem non tantum verum eſt in ſurditate, ſed etiam in lippitudine (unde Hippocrates 6. Aphor. 27. *Lippientem alui profluvio corripi bonum*) & aliis capitis affectibus, iuxta id quod ſcriptum eſt 2. Epidem. *abſceſſus omnes inferiores tollere morbos ſuperiorum partium.* Atqui hinc illud non tantum de bilioſis, verum etiam de aliis dejectionibus intelligendum eſt. Hippocrates autem & Celſus de bilioſis humoribus ſpeciatim loquuntur, quia ab iis frequentius, quam ab aliis, ſurditas inducitur, propterea quod bilis ad aures tranſitum hanc familiarem. ut oſtendit amaritudo ſordium aurium: quem ſuccum amarum Mercurialis putat naturam co ferri voluiſſe, ut organum auditorium continuo abſtergeretur, & mundum teneretur. Quapropter in talibus capitis affectibus medicamenta purgantia & alvum lenientia plurimum conducunt, partim ut iis impediatur copioſus talium humorum & vaporum aſcenſus ſurſum, partim ut qui iam ad caput aſcenderunt his remediis iterum detrahantur, cuius rei felicem euentum vidimus in noſtra agra, ut & apud Hippocratem 3. Epid. in hiſtoria Heropythi. Quamquam autem non appareat conſpicua via, qua poſſit huiuſmodi materia à cerebro depelli ad inferiora, tamen natura, ut dicebat Hippocrates, ignotas nobis vias reperire ſolet, quibus euacuans noxiam materiam, agros à morbis liberat.

OB-

OBSERVATIO XCIX.

Scabies.

DOmicella nobilis scabiem contraxerat, quæ præcipue manus cum summo pruritu infestabat, easque multis pustulis desœdabat. Duraverat hoc malum per sexti annum, cumque ab exiguis principiis inceptum quotidie majora incrementa susciperet, tandem meum consilium ea conditione experiri ne ipsi fœtida aliqua unguenta præscriberem, nam delicatula erat & pulchritudinis amans. Proinde cum ab his tantopere abhorreret, purgato prius corpore, jussi ut partes infectas matutino & vespertino tempore aliquantulum lavaret cum aquæ mercuriatæ & lactis virginalis ana part. æq. & sponte absque detersione siccari permitteret. Hujus usu primo biduo scabies adhuc magis undique expullulavit, sequentibus verò tribus quatuorve diebus iterum exsiccata atque in totum sanata fuit.

OBSERVATIO C.

Ventriculi affectus.

ISaacus Aquisgranensis, ætatis 46 annorum, antiquo laborabat ventriculi affectu, ructibus nempe molestissimis ac cum difficillimo conatu prodeuntibus: cum aliquid edisset, vel bibisset, interdum quinquaginta, interdum centum & plures ructus cum maxima molestia eructabat, idque sæpius etiam diu noctuque, neque eos ructus ullo modo sistere vel retinere poterat, & si per se non satis erumperent, præ anxietate distumpi videbatur. Præterea visus ipsi valde debilis erat, ita ut non nisi in propinquo, idque adhuc cum specillis quicquam legeret. Utrumque affectum se à vigesimo anno ad hanc usque ætatem produxisse aiebat, quo tempore uterque simul invadere cœperat. Plurimis præstantissimorum Medicorum consiliis usus, nihil omnino profecerat, ita ut hæc mala pro desperatis haberentur. Ego ut unicum meum consilium adhuc experiretur rogavi, nempe ut ordinarie post prandium & post cœnam tabaci optimi fistulam unam fumisuctione exhauriret. Hoc meum consilium, etsi magnus esset tabaci hostis, tamen experiri voluit. Primò igitur addidicit sumere semi fistulam, deinde integram, tandem ultra meum præscriptum tam egregie in hac arte profecit, ut duas, tres, pluresve una vice exhaurire posset. Huius tabaci usum cum per mensem continuasset, ructus illi omnino cessarunt, & visus etiam multo melior evasit, atque eò usque restitutus est, ut sine specillis majorem scripturam commodè legere posset, at cum specillis quamlibet sine molestia legeret. Hinc ipse gavisus, tabacum summis laudibus ad cælum usque extulit, eoque postea pro ordinario semper usus fuit.

NIcolaus Monardes scribit tabacum esse calidum & siccum gradu secundo, præterea attenuare, concoquere, detergere, discutere, & dolores sedare ac stupefaciendi vim habere, ad odontalgiam prodesse, capitis quoscunque dolores foris impositum lenire, ventriculo frigido applicatum, eundem sanare, &c. Quas facultates etiam in tabaco agnoscunt

Dodonæus & alii. Verum cum illorum tempore huius herbæ uſus minus frequens fuerit, eiuſdem utilitas ita minus quam poſteris nota fuiſſe potuit, quibus (proh dolor) uſus in abuſum plerumque conuertitur. Quam utilitatem in variis morbis, ut & utendi modum, aliaque circa eius uſum obſeruanda latius deſcripſimus in tractatu noſtro de Peſte, lib. 2. cap. 10. annot. 4. eiuſque etiam mentionem fecimus ante obſeruat. 18. ut & lib. 4. de Peſte, hiſtor. 17. & 40.

INDEX OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICARVM.

Observ.		Fol.	Observ.		Fol.
1	*Peripneumonia.*	360	2	*Odontaglia.*	362
3	*Febris peſtilentialis.*	363	4	*Gonorrhœa.*	364
5	*Ambuſtio.*	365	6	*Palpebræ occluſio &c.*	ibi.
7	*Dyſuria.*	366	8	*Menſtruorum ſuppreſſio.*	367
9	*Raucedo incurabilis.*	368	10	*Paralyſis.*	370
11	*Hæmorrhagia narium.*	371	12	*Scabies ſicca*	ib.
13	*Sphacelus crurum a frigore.*	373	14	*Lienis*	374
15	*Vulnus tibiæ.*	376	16	*Suppreſſo urinæ.*	377
17	*Dyſenteria.*	378	18	*Dyſenteria.*	380
19	*Lochiorum ſuppreſſio.*	ib.	20	*Nephritis.*	382
21	*Vermes.*	383	22	*Ambuſtio.*	ibid.
23	*Odontaglia.*	385	24	*Febris Gallica &c.*	ibid.
25	*Febris maligna.*	388	26	*Febris maligna.*	390
27	*Febris Maligna.*	391	28	*Dyſenteria &c.*	392
29	*Dyſenteria.*	393	30	*Phthiſis.*	394
31	*Vomitus.*	396	32	*Vulnus cruris.*	397
33	*Dolor Capitis.*	399	34	*Suppreſſio &c.*	ibid.
35	*Hypercatharſis.*	402	36	*Anhelitus fœtor.*	403
37	*Aſtitia.*	ibid.	38	*Pulmonis vulnus &c.*	405
39	*Hernia inteſtinalis.*	406	40	*Dyſuria.*	407
41	*Hæmoptyſis.*	ib.	41	*Secundina & Loch.*	411
42	*Cerebri vulnus &c.*	412	43	*Aſthma.*	413
44	*Nephritis.*	415	45	*Vlcus Tibiæ.*	ibid.
46	*Dolor faſcino &c.*	416	47	*Gonagra.*	417
48	*Tumor frontis &c.*	418	49	*Colica paſſio.*	ib.
50	*Vulnus capitis.*	421	51	*Fiſſura Cranij.*	423
52	*Dolor Capitis.*	424	53	*Singultus.*	421
54	*Vulnus Capitis &c.*	422	55	*Ophtalmia.*	425
56	*Hæmoptyſis.*	427	57	*Suffocatio Hyſterica.*	428
58	*Anorexia.*	430	59	*Superfœtatio.*	432
60	*Tinea capitis.*	433	61	*Febris tertiana &c.*	434
62	*Hæmorrhagia narium.*	435	63	*Lues &c.*	438
64	*Diarrhœa.*	440	65	*Suffocatio uterina.*	ibi.
66	*Hernia inguin. &c.*	442	67	*Extabeſcētia.*	443
68	*Nephritis.*	446	69	*Dolor immanis &c.*	448
70	*Dolor Capitis.*	449	71	*Scorbutus.*	450
72	*Ventriculi imbecillitas.*	452	73	*Calculus.*	454
74	*Nephritis.*	ib.	75	*Lac in mamilla &c.*	455
76	*Convulſiones &c.*	456	77	*Febris tert. &c.*	458
78	*Febris tertiana intermittens notha.*				ibid.
79	*Colica Paſſio.*	461	80	*Obſtructio lienis.*	462
81	*Suffocatio uterina*	ib.	82	*Eryſipelas cruris.*	463
83	*Febris tertiana &c.*	465	84	*Faciei &c.*	468
85	*Strumæ in collo miraculoſe ſanatæ.*				469
86	*Obſtructio Lienis.*				470
87	*Dolor Iſchiadicus.*				473
88	*Vulnus ſclopeto mſtictum,*				477
89	*Alvus conſtipata.*				479
90	*Febris notha.*				480
91	*Vermes.*	482	92	*Arthritis.*	484
93	*Dolor ventriculi cum vomitu.*				485
94	*Febris tertiana intermittens notha.*				487
95	*Fulmine ictis.*				488
96	*Tuſſis*	490	97	*Suffocatio uterina.*	491
98	*Surditas.*	492	99	*Scabies.*	493
110	*Ventriculi affectus.*				ibid.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Benevole Lector,

EX quo ad publicam Medicinæ Practicæ Professionem vocatus fui, illud unicè semper annixus sum, ut brevem quandam & succinctam Medendi Methodum Auditoribus meis inculcarem, qua ægros brevi certaque via, parvis sumptibus, & suavi modo curare possent, secus quam ante hac à multis aliis Medicis præstitum est, qui per longas ambages, magnosque sumptus, curationes fastoso, imo fastidioso magis, quam utili apparatu docere & peragere consueverunt. Interea autem dum in erudiendis meis discipulis, cum publicè, tum privatim, totus occupatus fui, subinde nonnulli generosiores Medicinæ studiosi à me petierunt, ut ipsis ad historias quorumdam in praxi mea occurrentium ægrorum medicationes aliquas conscriberem, publicè disputandas, ut sic ipsi, & publica exanthlatæ laboris specimina edere, & hoc exercitio methodum nostram melius percipere possent. Ego laudabili eorum petitioni satisfacere volens, ordine quodam disputationes istas auspicatus sum, incipiendo à morbis capitis: sed tam avidè & citò distracta fuerunt exemplaria, more Academico non magno numero edita, adeoque à multis postmodum desiderata, ut vix finitis disputationibus de Morbis thoracis, plurimorum incitatione permotus Typographus, obnixè à me veniam petierit, primas duas disputationum nostrarum (scilicet de Capitis, & Thoracis morbis) partes minori quadam forma conjunctas in lucem edendi; ut sic desiderio plurimorum, quibus mea Methodus curandi placere videbatur, aliquo modo satisfieret, dum in futuro inferioris ventris aliisque corporis morbi, sequentibus disputationibus simili stylo conscribi, & publici juris fieri possent. Verum etsi ego hoc qualecunque opusculum tanti non facerem, ut illud secunda vice edendum judicarem, antequam disputationes de inferioris ventris Morbis & de Febribus adjungerentur, tamen in consensu facilem me præstiti, & sublatis, quæ in prima rudiore editione irrepserunt, crassioribus typographicis erroribus, permisi ut hæ disputationes prælo subjicerentur. Tu interim his utere, & vale.

A SERIES

SERIES DISPVTATIONVM DE MORBIS CAPITIS.

I. De Dolore Capitis.
II. De Phrenitide.
III. De Melancholia.
IV. De Melancholia Hypochondriaca.
V. De Mania.
VI. De Comate Somnolento & Vigili.
VII. De Lethargo.
VIII. De Caro.
IX. De Catalepsi.
X. De Vertigine.
XI. De Incubo.
XII. De Apoplexia.
XIII. De Paralysi & Tremore.
XIV. De Convulsione.
XV. De Epilepsia.
XVI. De Catarrho.
XVII. De Ophthalmia.
XVIII. De Suffusione & Suggillatione Oculorum.
XIX. De Cæcitate.
XX. De Graui auditu, & Aurium tinnitu.
XXI. De Narium Hæmorrhagia, Grauedine, & Odoratu Perdito.
XXII. De Odontalgia.
XXIII. De Aphtis.
XXIV. De Ranula.
XXV. De Hydrocephalo.

De Morbis Thoracis.

I. De Pleuritide.
II. De Empyemate.
III. De Tussi.
IV. De Asthmate.
V. De Angina.
VI. De Peripneumonia.
VII. De Sanguinis Iputo.
VIII. De Phthisi.
IX. De Syncope.
X. De Palpitatione Cordis.

De Morbis Infimi Ventris.

I. De Fame præternaturali.
II. De Ventriculi difficili coctione.
III. De Affectione Hypochondriaca, nausea, & vomitu.

Pri-

MEDICATIONES;

Viginti quinque Disputationibus

AD

HISTORIAS ÆGRORVM

PROPOSITÆ

HISTORIA I.

De Dolore Capitis.

VIr quinquagenarius, temperamento pituitosus, catarrhis subinde obnoxius, media hyeme, tempore frigidissimo, per quatriduum iter fecit, & in itinere victu inordinato, cibisque flatulentis, viscosis, duræ digestionis, aliisque sibi insuetis usus est, ac defectu vini, cerevisiam turbulentam bibit. Tandem domum reversus, conqueritur de molestissimo totius capitis dolore, gravativo magis quam acuto, qui capite foris manu compresso non exasperatur, sed aliquantum mitescit. Adsunt aurium tinnitus, procliuitas ad somnum (qui tamen à dolore impeditur) inappetentia, totius corporis lassitudo, & faciei pallor,

AFficitur in hoc ægro inprimis caput, quod ex dolore cum aurium tinnitu satis innotescit: atque hinc per consensum etiam reliquum corpus patitur, ut ex lassitudine, aliisque symptomatibus constat.

II. Malum de quo omnium maximè conqueritur, est κεφαλαλγία, seu capitis dolor, qui est molestia sensus tactus in partibus membranosis à solutione continui facta.

III. Dolorem hunc internum esse, in partibus intra cranium contentis, ex eo liquet, quod compressione foris manu facta non exasperetur, sed mitescat.

IV. Causa remota hujus mali est victus inordinatus, quo ex pravis ac duris cibis in hoc subiecto pituitoso plurimi crudi pituitosique humores in toto quidem corpore, sed imprimis in capite geniti ac congregati sunt, antecedentem causam constituentes; quæ à causa procatarctica (scilicet frigore externo, in quo per quatriduum iter fecit) aucta, & membranosis cerebri partibus accrescens seu affixa, continuitatem causam præbuit.

VI. Hi pituitosi humores, cum ob externum frigus in capite condensati sunt, nec per frigore obstructos poros, aliosque cerebri excrementis evacuandis dicatos meatus evacuati, magna copia in ventriculis & meatibus cerebri accumulati fuerunt, ita ut sua copia membranosas cerebri partes distendendo malè afficiant, & continuum solvendo dolorem inducant.

VI. Curatio festinanda erit, quia si diutius in capite restagnet copiosa illa pituita, metus incumbit ne in soporem grauem, apoplexiam, aliudue grauius malum affectus hic degeneret, vel si citius inqueſcat, sibique inconuenientem viam faciat, ne catarrhus periculosus fiat, qui ad inferiores partes destillans, vel in pulmonibus grauissimam tussim aut suffocationem, vel in alia aliqua parte maguum periculum inferat.

VII. Indicationes curatiuæ quatuor occurrunt: 1. Vt pituita in capite & toto corpore abundans euacuetur. 2. Vt speciatim euacuetur ex ipso capite. 3. Vt dolor sedetur. 4. Vt caput corroboretur, & viscerum coctiones promoueantur, sicque noua copiosæ pituitæ generatio & accumulatio, tam in capite, quam in toto corpore impediatur, & pituita modò generata & abundans consumatur.

VIII. Ad pituitæ in toto corpore abundantis euacuationem assumet hunc hausium purgantem:

Rec. *agarici trochiſcati drach.* j.
sol. ſena mund. unc. ß
ſem. anisi drach. j. ß
Zingiberis albi ſcrup. j.
decocti hord. q. ſ. fiat infuſio ſ. art.
addantur colatura
electi. diaphanici drach. ij.
diagridy gr. iiij.
misce, fiat hauſtus.

Hunc si æger forte assumere nequeat, dentur scrup. ij. aut scrup. iij pilularum cochiarum, vel earum loco, pulueris diacarthami, aut diaturbith cum theo drach. j. Hæc purgatio bis terve repetenda erit, scilicet ad humorum præparationem tribus quatuorve diebus interiectis singulas purgationes interpositis.

IX. Ad pituitæ in capite accumulatæ ibique detentæ euacuationem, maxime proderunt sternutatoria & errhina: hæc quia viscidos & tenaces humores magna copia è capite per nares & palatum educunt: illa, quia cerebrum iis irritatum se cum violentia quadam corrahens, magno impetu tenaces humores ossi ethmoideo aliisque vias infarctos exprimit & expellit, sicque soluta obstructione excrementis intus detentis exitum præbet.

X. Huius igitur pulueris sternutatorii bis terue de die aliquantum in nares attrahat:

Rec. *sol. maiorana ſcrup.* j.
radic. hellebori albi ſcrup. j. ß
pyrethri ſcrup ß
piperis nigri, benzoini ana gr. v.
fiat pulvis.

Si verò sternutatio ad votum non succedat, sequentis errhini aliquantum in nares attrahat:

Rec *ſucci maiorane unc.* ß
ſucci rad. betæ albæ unc. j.
misceantur pro errhino.

XI. Interea ad doloris mitigationem fiat inunctio frontis, temporum & verticis, cum unguento martiato vel alabastrino, cui sexta pars olei anethini destillati admixta sit. Vel cataplasma ex floribus chamomillæ, meliloti & anethi, addito pauxillo nucis moscatæ & croci, cum mica panis albi recentis & vini albi q. ſ. confectum, temporibus & fronti inter duo linteola calide applicetur. A narcoticis in hoc ægro abstinendum.

XII. Ad capitis aliorumque viscerum corroborationem, & pituitæ imminutionem, conuenient medicamenta interna & externa, ut & dieta. Vtatur itaque æger ter de die unc. iiij. huius apozematis.

Rec. *radic. calami aromat. bolenÿ.*
ſanic. ana unc. ß
galangæ drach. iij.
herbar. betonicæ, maiorana, roſmarini,
hyſſopi, melissæ, thymi, ana m. j.
ſalviæ, florum chamæmillæ, ſtachados ana m. ß
ſem. fanic. aniſi, carui, ana drach. j. ß
bacar. iuniperi drach. vj.
paſſular. mund unc. iij.
aquæ communis. & vini albi ana part. æq.
coquantur. ſ. art & fiat apozema ad lib. j. ß
cui admiſce ſyrupi de ſtachade unc. ij *vel* iij.

Si post huius usum, magis exsiccandum videatur, poterunt prædicta illa simplicia coqui in decocto guaiacino, vel salsaparillæ, & sassafras, atque tali modò longè efficacius euadet medicamentum. In huius decocti usu aliquamdiu continuandum est, cuius sapor si ægro tandem displiceat, eius loco subinde utatur particula huius conditi.

Rec *ſpecier. diambræ ſcrup.* iiij.
aromatici roſati ſcrup ij.
Zingiberis conditi, conſerua florum ſalviæ,
anthos, ana unc. ß
ſyrupi de ſtachade q. ſ.
misce, fiat conditum.

XIII. Cum topica quoque efficaciter caput corroborare, & frigidos humores in eo reliquos potenter consumere queant, illinat æger manè & vesperi tempora & sinciput ad futuram cotonalem hoc linimento:

Rec. *olei nucis moſcatæ expreſſi drach.* ß
olei thymi, roſmarini, anethini
deſtillati ana ſcrup j
misce, fiat linimentum.

Post hanc inunctionem sequens cucupha capiti imponatur.

Rec. *ſol. roſmarini. maiorana ana drach.* ß
flor. meliloti, roſar. rubr.
lauendulæ ana drach. ß
rad iridis florent. nucis moſcatæ;
gariophyllor. benzoini, ana ſcrup. ß
fiat pulvis groſſus pro cucupha:

Hunc per meatum unum aut alterum capiti impositam gerat.

XIV.

XIV. Diæta seruet æger conuenientem: versetur in aere modicè calido: utatur cibis cuchymis & cupeptis calidioribus, qui condiantur cum rosmarino, majorana, petroselino, salura, betonica, hyssopo, pipere, zingibere, aliisque aromatibus. Potus sit vinum mediocre, vel melicratum, vel cerevisia mediæ notæ. Somnus non sit longus: exercitia sint mediocria. Alvus quotidie respondeat, vel sponte, vel arte. Animus tranquillus sit, à tristitia & metu alienus, vitentur repentini terrores.

HISTORIA II.

De Phrenitide.

IVuenis robustus, temperamento biliosus, sanguine abundans, & intemperanter viuens, cum in symposio vinum copiosius bibisset, atque hinc multum incaluisset, tandem ab alio contumelijs affectus, magna ira incanduit; cumque à præsenti vindicta detineretur, ac domum deduceretur, tota nocte non dormiuit, sed furentis instar per cubiculum discurrit, nil nisi de vulneribus, pugnis, litibus & vindicta locutus, idque cum ferocia & multis admixtis inceptis. Postridie omnino delirauit, & ipsis quoque domesticis violentas manus inferre cæpit, ita ut à robustis viris detineri debuerit. Secundam quoque noctem vigil cum summo dilirio ac furore transigit, modò floccos & festucas colligens, modò in astantes irruens. Oculi rubent, torvum videt, vociferatur, valde sitit, febricitat, urina pallet. Die tertia Medici consilium imploratur.

I. COntinuum & ferox delirium cum vigiliis cerebrum in hoc ægro grauiter laborare demonstrat, sicut febris reliquum quoque corpus male affici.

II. Morbus quo affligitur est inflammatio membranarum cerebri, hinc que procedens intemperies calida cerebri & spirituum, unde producuntur febris continua, & illa mentis emotio, quam *phrenitidem* appellant Medici, quæ est *delirium ferox & continuum cum febre continua, ab inflammatione membranarum cerebri ortum*.

III. Remota morbi causa est intemperans victus, quo biliosi sanguinis magna copia in corpore genita, antecedentem causam præbuit. Sanguis ille biliosus à nimio vini potu & ita excalefactus ac vehementer commotus, & ad caput copiosior delatus, ibique in substantiam membranarum cerebri nimia copia effusus, morbi huius continentem causam constituit, quem morbum hoc symptoma sequitur.

IV. In illas enim membranas nimia copia percalidus irruens, ibique putrescens, illas inflammauit; ac parte illius putredinis per venas cordi communicata, indeque feruidiore per arterias ad totum corpus expulsa, febrem accendit, cuius magnum calorem œsophagi & oris siccitas cum siti immensa sequitur.

V. Ab hac membranarum inflammatione etiam calida intemperies ipsi cerebro & spiritibus eius nocuit, à quorum nimia calidirate ac mobilitate & inordinato motu, principes cerebri functiones deprauantur, sicque delirium generatur: quod ferox ac continuum euasit, & cum vigiliis coniunctum est, propter nimium continuumque calorem, spirituumque feruentium rapidum motum.

VI. Morbus hic variis de causis periculosus est. 1. Quia pars princeps laborat. 2. Quia continuæ vigiliæ ægrum valde fatigant. 3. Quia febris adest continua. 4. Quia hoc delirium non est cum risu, sed cum ferocia. 5. Quia dicta inflammatio inde etiam multum fouetur & augetur, quod biliosa materia, quæ urinam tingere solebat, tota ad caput abripiatur, sicque urinam pallidam relinquat. Sanationis tamen spem faciunt virium robur & absentia pessimorum symptomatum, qualia sunt, convulsiones, aphonia, singultus, dentium stridor, aliaque similia. Ac proinde curatio quam primum erit instituenda, antequam malum in peius vergat.

VII. Hæc curatio consistit in causæ antecedentis ac continentis ablatione, & intemperiei correctione.

VIII. Biliosus sanguis qui ad caput copiosior affluit, necessariò quam primum est euacuandus, reuellendus, deriuandus, & repellendus. Quapropter clyster emolliens præmisso, vena in brachio aperiatur, & sanguinis unc. x. vel xij. extrahantur: quæ venæsectio postridie in altero brachio reiteretur, atque etiam tertia die, si necesse videatur: primarium enim in hoc malo remedium est sanguinis detractio; quæ, si æger id permitteret, non incommode secunda vel tertia die institueretur, in vena frontis.

IX. Ad

IX. Ad humorum bilioſorum expurgationem detur hic hauſtus.

Rec. *rhabarbari ſept.*
ſol. ſenæ mundat. ana drach. ij.
tartari vitriolati drach. iij.
ſem. aniſi ſcrup. j. aquæ cichorei q. ſ.
fiat infuſio ſ. art. colatura addantur
electr. diaprun. ſolut. drach. ij.
diagridij gr. iii. miſce fiat hauſtus,

Si ſequentibus diebus alvus quotidie non reſpondeat, clyſteribus proritetur, & tertia vel quarta die præſcriptus hauſtus iterum exhibeatur.

X. Bis terve de die inungantur tempora & frons hoc linimento:

Rec. *unguenti populei drach. vj.*
olei papaverini drach. iij.
miſce, fiat linimentum.

Poſt huius inunctionem ſequens oxyrrhodinum cum linteis capiti tepidè applicetur:

Rec. *olei roſacei unc. ij.*
ſuccl lactucæ unc. iij.
ſuccl ſemper viri maioris, aquæ roſarum, aceti roſacei; ana unc. j ſ.
miſceantur bene, & fiat oxyrrhodinum.

XI. Ad materiæ morbificæ diverſionem columbæ vivæ diſſectæ, vel hoc ſuppedaneum plantis pedum applicetur.

Rec. *ſol. braſſicæ rubræ, betæ albæ ana m. i. ſ.*
contundantur in mortario,
& cum fermenti acidi unc. iv.
ſalis drach. ii. aceti roſacei q. ſ.
fiat paſta ſuppedanea.

XII. Sub noctem exhibeatur pilula ex laudani opiati gr. iv. Vel ſi pilulam reſpuat, aut abiiciat æger, diſſoluantur iſtius laudani gr. iii. in decocti hordei unc. i. & addita ſyrupi papaveris rhœados unc. i. fiat hauſtus ad ſomnum provocandum.

XIII. Interea dum hæc fiunt, bibat æger pro potu ordinario cerevisiam tenuem vel tenuiſſimam, vel ſerum lactis acidi, vel aquam fontanam, in qua pomum citri in fruſta conſectum immaceratum eſt, addito pauxillo ſacchari & aquæ roſaceæ, vel huiuſmodi iuſculum:

Rec. *ſol. lactucæ m. iv. endiviæ m. ii.*
fruct. ribeſiorum rubr. m. i.
aquæ hordei q. ſ. coquantur ad lib. i.
colaturæ refrigeratæ addantur
ſyrupi violacei, de limonibus, ana unc. j.
de papavere unc. ſ.
ſuccl citri recentis q. ſ. ad gratum acorem,
miſce, fiat iuſculum.

XIV. Utatur etiam ſæpe de die particula huius conditi:

Rec. *pulv. diamargariti frig. ſcrup. iv.*
pulpæ tamarindorum, conſervæ violarum,
roſarum pallid.
rob ribeſiorum rubr. ana drach. iij.
ſyrupi violacei q. ſ. fiat conditum.

Circa veſperam (nempe, cum laudanum opiatum non ſumit) bibat hauſtum unum aut alterum huius emulſionis:

Rec. *ſem. 4. frigid. maj. ana drach. ij.*
ſem. papaveris albi unc. ſ.
decocti ordei q. ſ. fiat emulſio ad unc. viij.
cui adde, ſyrupi papaveris rhœados,
violacei ana drach. v. miſceantur.

XV. Cum malum nonnihil incipit mitescere, ad materiam peccantem citius reſoluendam, capiti admoneatur gallina viva per medium diſſecta, vel pulmo vituli aut ovis recenter è mactato animali evulſus, tepidus imponatur.

XVI. In dieta ſit aer aliquantum ad frigidum & humidum inclinans, & ſubducidus. Cibus ſit parcus, & refrigerans, cum lactuca, endivia, borragine, acetoſa, aliſque refrigerantibus præparatus. Qualis potus conveniat, ante dictum. Abſint ab ægro multa colloquia, multique colloquutores, & quies ac ſomnus omnibus modis concilietur. Furibundus animi affectus paucis ac blandis ſermonibus demulceatur, imprimis à talibus, quorum præſentiam tempore ſanitatis amavit æger. Alvus quotidie vel ſponte, vel arte reſpondeat.

HISTORIA III.

De Melancholia.

VIr quadragenarius & doctus, temperamento melancholicus, cum æſtivo calido tempore una cum Filio 12. annorum extra urbem deambulans ad flumen perveniſſet, exutis veſtibus in aquam inſiluit, ut ſe natatione oblectaret; ad quam natationem etiam Filium natandi imperitum invitavit: qui cum in aquam inſiliret, mox fundum petiit & ſubmerſus eſt, antequam Pater, qui paulo longius aberat, accedere, eique ſuppe-

suppetias ferre posset. Hinc admodum contristatus Pater, ac de infortunio hoc continuò cogitans, eiusdemque se auctorem esse putans, dies noctesque cum fletu & suspiriis insomnes duxit: imò intra paucos dies res eò deuenit, ut se homicidium commisisse, hacque de causa in æternum condemnatum, & horribilem Dæmonem in perpetuam tentationem sibi à summo Deo adiunctum esse diceret, propterea quod sua persuasione Filius in aquam descendisset, sicque sua culpa perisset. Hunc autem Dæmonem sibi continuò à latere adstare putabat, eiusdemque horribilem figuram adstantibus enarrabat, ac mirabatur alios illum non videre, cum sæpe proximè illi adessent. De omnibus aliis rebus bene iudicabat, hæc sola falsa imaginatio tam firmiter animo eius insedit, ut hactenus nullis amicorum consolationibus, aliisque rationibus euelli potuerit. Quapropter medicum tandem consilium & auxilium imploratur.

CVm principium facultatum in cerebro sedes sit, & imaginatio in hoc ægro læsa sit, cerebrum affligi manifestum est: quod etiam ex tristitia & timore liquet.

II. Affectus hic est Melancholica, aepraua cerebri intemperies, imaginationem lædens & falsis spectris eludens, hincque simul timorem & tristitiam sine causa continuo exhibens. Quæ duo Hippocrates statuit indubitata esse Melancholiæ signa, si nimirum adsint: nam hæc sola signa non sunt, quoniam non omnes Melancholici timidi sunt & tristes, imò non nulli lætitia affici videntur, cum se reges, diuites &c. esse imaginantur. Quapropter Melancholiam bene definiri putamus, *quod sit auersum sine febre & furore, à phantasmate melancholico ortum.*

III. Prima & externa huius mali causa fuit graue illud infortunium, quod Filio contigit, quo nostet æger, natura Melancholicus, valde contristatus ac perturbatus est: cumque cordolium illud obliuisci non potuerit, sed dies noctesque cum anxietate de eo cogitans, insomnes duceret, spiritus animales ad Melancholiam prompti, inordinate in cerebro agitati sunt, sicque malam ac specificam seu occultam intemperiem contraxerunt, quam non tantum cerebro, sed per hunc etiam cordi reliquoque corpori communicarunt. Hinc horrendæ cogitationes, tristitia & timor exorta sunt.

IV. Quia autem continua illi cogitatio est de Filio, quem sua culpa interisse putat, homicidium se commisisse sibi persuadet; quod cum sit vtic execrabile apud summum Deum, qui homicidas grauiter punire soleat, hinc in eam venit imaginationem, se hac de causa in æternum condemnatum, & horribilem Dæmonem sibi adiunctum esse; à qua cogitatione cum non desistat, sed illud pro verissimo habeat, certam quandam imaginem illius dæmonis firmissimè cerebro impressit, quæ cerebri & spirituum motu animæ tam euidenter offertur, ut se dæmonem istum continuò videre putet, nec ab illa imaginatione dimoueri possit. In reliquis autem non delirat, sed mens ottimum sanè facit, propterea quod aliarum rerum perceptio & iudicium a falsa hac imaginatione non impediantur: quod etiam circa hanc imaginationem continuò totus non occupatus, neque de aliis rebus tam intentè, diu, & tanta cum animi emotione cogitet.

V. Quia verò hæc cerebri & spirituum animalium occulta intemperies in ipso cerebro genita est, melancholiam hanc primariam seu idiopathicam esse liquet.

VI. Melancholicum huius ægri delirium, quamvis graue & molestum sit, tamen lethale non est, & magnam sanationis spem exhibet, quod sola imaginatio deprauata sit, ratiocinatione vix læsa, & memoria integra existente: deinde quod corpus morbis non infestetur: quod etiam æger ipse sit vir doctus, qui commodis rationibus à falsa imaginatione melius deduci poterit. Adde, quod tempus ut æstivum, ad curationem optime conueniens.

VII. In curatione materia melancholica praua, cerebrique intemperies sunt corrigenda, ut spiritus puriores, a specifica illa melancholica labe immunes fieri & de nouo generari possint: nec non euacuatio istius praue materiæ est instituenda, ipsumque caput roborandum, & omnibus modis tentandum, ut æger à falsis & horrendis imaginationibus abducatur.

VIII. Primo igitur alvus subducatur & euacuetur hoc modo:

Rec. *confect. hamech* ʒ
electi diaphœnicis, ana drach. ʃ. ſ.
diagridii gr. vij. misce, fiat bolus.

Vel si illum assumere nolit, iniiciatur hic clyster:

Rec. *decocti emollientis, cui nunc.* ʃ
sal gemma addita sit, unc. iß
electi diaphœnicis, unc. ij.
olei chamamelini unc. ß. ſ.
salis drach. ʃ *misce, fiat clyster.*

IX. Quia in hoc ægro sanguis non abundat, & vires conseruandæ sunt, ne iis detectis animum prorsus abijciat; quia etiam temperamentum eius frigidius est, à venæsectione abstineri poterit, nisi vel palpitatio cordis,

dis, vel aliud quid accedat, quod sanguinis missionem suadeat.

X. Post expurgatam primi ventris saburram, ad melancholici humoris præparationem & capitis corroborationem, bibat ter quaterve de die haustum huius apozematis:

Rec. *radic polypodii querni unc. j.*
calami aromatici, faniculi,
cort. rad. capparum, tamarisci. ana unc. ß
herb. melissæ, boraginis, violariæ,
summitat. lupuli, betonicæ,
chamædryos, maioranæ, ana m. i.
florum stachados m. ß
flor. cordialium, ana p. i.
corticum citri, arantiorum, ana drach. iij.
semin faniculi, cæsni, ana drach. j. ß
passularum corinth. unc. ij.
aquæ & vini, ana part. æq.
coquantur s. art. & fiat apozema ad lib. i. ß
cui admisceantur syrupi de stœchade,
de boragine, ana unc. j ß.

XI. Præmissa tali præparatione, instituatur purgatio hac potione:

Rec. *fol. sennæ mund. unc. ß*
agarici albiss. drach. j.
sem. anisi drach. j. zingiberis scrup. i.
decoct. hordei q. S.
fiat infusio per noctem, adde colaturæ
confectionis hamech drach. iii.
misce, fiat haustus.

XII. Deinde, reuertatur æger ad usum antedicti apozematis, quo, vel alio simili, longo tempore uti debet, singulis tribus vel quatriduis alvum clementer subducendo, vel haustu prædicto, vel confectione hamech, vel pilulis cochiis, vel etiam syrupo de pomis composito Mesues, cuius magnum encomium in tali casu describit Rondeletius.

XIII. Post singulas doses apozematis, nec non meridie & vesperi post pastum comedat huius conditi particulam magnitudinis nucis moscatæ:

Rec. *specier. diambræ, diamoschi dulcis,*
dianthos, ana scrup. ij
corticum citri & arantiorum condit. ana drach. iii.
conserua flor. boraginis,
melissæ, anthos, ana unc. ß
confect. alkermes scrup. i. ß
syrupi cortic. citri. q. S.
misceantur, & fiat conditum.

XIV. Interea dum hæc aguntur, non inutiliter subinde fient peculiares capitis euacuationes per masticatoria, vel per pulueres sternutatorios ex maiorana, semine nigellæ, radicibus hellebori albi, pyrethri, aliisque similibus paratum.

XV. Imprimis etiam curandum ut æger dormiat: quapropter interdum pro cœna dandum est hordeatum, vel amygdalatum cum decocto hordei & lactucæ paratum, cui, si vigiliæ pertinaces sint, nonnun quam syrupi de papauere unc. ß. vel paulo plus admiscere licet: vel si hæc non iuuent, pilula ex massa pil. de styrace gr. xv. vel ex laudani opiati gr. iii. sed ratò, exhibenda. In minoribus vigiliis interdum prodesse posset, si opii pauca grana cum unguento populeo mixta temporibus illinerentur. Notandum tamen, rarius & non nisi urgente necessitate narcoticis utendum esse, ne æger frequentiore eorum usu vel lædatur, vel iis nimis adsuescat.

XVI. Maximè quoque necessaria est conueniens victus ratio, utpote qui sanguis bonus & purior generatur, & melancholici succi vitium prauaque quantitas corrigitur. Aer igitur ad calidum & humidum vergat, sitque lucidus, & suauoleus. Cibi sint boni succi & concoctu faciles moderatè calidi & humidi, conditi cum hordeo mundato, boragine, melissa, betonica, maiorana, bugiossa, uuis passis, &c. fugiendo porrum, cæpas, allium, brassicam, pisces & carnes muria diu asseruatas vel fumo siccatas, aliosque cibos, qui vel corpori pravum nutrimentum, vel succo melancholico materiam præbent. Nec adsumentia se maceret æger, nec multa ciborum quantitate se oneret. Potus sit vinum tenue aut mediocre, cui non male melissa, rosmarinus, aliudve simile immaceratum esse posset: vel bibat cerevisiam bene defœcatam mediocris notæ. Excreta sint mediocria. Somnus sit longior. Excernentia bene procedant, vel sponte, vel arte. Et quod in hac curatione maximi momenti est, omnibus modis studendum, ut animus à mœrore abducatur, omnisque metus & tristitiæ occasio vitetur: ut gratis & solidis quoque rationibus illi sæpius demonstretur quod falsa imaginatione detineatur, quod homicidium non commiserit, quod nullus dæmon illi adhæserit, quod filius sua culpa non perierit, &c. Tales enim errorum demonstrationes apud huiusmodi ægros, inprimis doctos, qualis hic est, tantum valent, ut iis solis, accedente conuenienti victu, non pauci fuerint restituti.

HISTORIA IV.

De Melancholia Hypochondriaca.

NObilis Germanus quadragenarius, temperamento Melancholicus, cum in nupero Germanico bello hostium inuasiones, captiuitatem exilium, famem, aliasque ærumnas perpessus, prauaque diæta diu usus fuisset, atque hinc longo tempore circa præcordia flatus, rugitus tensiones, & ponderosam quandam molestiam (imprimis circa sinistrum hypochondrium) cum respiratione difficiliore, cordisque palpitatione non continua, & appetitus læsione persentisset, simulque tristis, meticulosus & cogitabundus fuisset; tandem morte uxoris intellecta, adeo consternatus est, ut nullis sermonum blandimentis tristitia eius leniri potuerit: hinc pervigiliis, inquietudine & horrendis cogitationibus ac insomniis subsequentibus, per intervalla primò, postea verò continuò delirare cœpit. Omnes vitæ suæ inhiare putat, ac proinde solitudinem quærit, hominumque consortia fugit: si præter domesticos (à quibus sibi etiam metuit) alius quispiam cubiculum eius ingrediatur, mox orat ne ipsum inopinanter occidat, sed tempus concedat quo ad mortem se præparet. Soli Medico confidere videtur, nam alexipharmaca adversus venena, quæ cibis sæpius immisceri putat, ab illo exposcit, & quælibet oblata medicamenta assumit.

IN hoc ægro variæ partes grauiter affliguntur, imprimis autem cerebrum, ut patet ex delirio; & viscera medii ac infimi ventris, quod cordis palpitatio difficilis respiratio, tensio grauitasque in hypochondriis, appetitus læsio, &c. facis educent.

II. Symptoma quod maximè infestat Melancholia appellatur, quæ est, *delirium sine furore & febre à phantasmate Melancholico ortum*.

III. Causæ mali remotæ sunt metus, terrores, mœstitia ab infortunijs illata, aliaque similia quæ spiritus diu turbarunt & inordinatè mouerunt: quibus accessit prava diæta ex cibis crassis, praui succi, dyspepsis; aquæ potationibus &c. Quo prauo victu eruditates primò generatæ sunt in viscetibus infimi ventris, hincque obstructiones in hepate & circumvicinis locis; atque etiam lienis victus non parum labefactata fuit, ita ut in chymificatione officio tuo non satisfaciens; & chymi materiam ad humorum conuenientem fermentationem ineptam gignens, multos humores fæculentos, acidos, acerbos, crassos & crudiores reliquerit, qui cum ob crassitiem minima vasa transmeare satis non potuerint, in hypochondriis, imprimis sinistro circa lienem, maiore copia coacernati sunt, unde ponderosa illa molestia processit; cui flatus & rugitus iungunturi, propterea quod dum natura acidæ huius materiæ coctionem molitur, quam satis bene perficere nequit, acidi illi humores fermentationem aliquam suscipiant, qua flatus copiosi gignuntur, qui cum omnes facilem non inueniant exitum, rugitus partiumque tensiones faciunt. Hæc crassior, acerba & acida Melancholica materia per venas ad cor delata, sæpe palpitationes in eo facit, quia cor actem illam pungentem materiam cum impetu à se expellere nititur; cumque succus ille Melancholicus inæqualis sit, nec omnibus suis partibus cordi æqualiter infestus, hinc etiam fit quod palpitatio cordis non ut continua, sed sæpius quidem, at per intervalla contingat, partibus nempe magis infestis cor ingredientibus. Idem ille succus cum è dextro cordis ventriculo ad pulmones expulsus, ob crassitiem & acerbitatem minimos ramos venæ arteriosæ & arteriæ venosæ, cum difficultate transeat, multisque vaporibus pectus repleat, difficilem facit respirationem: ad cerebrum verò per arterias cum sanguine vitali delatus, animales spiritus inordinatè commouet, impuriores reddit, & specifica prauaque intemperie alterat; unde tunc phantasmata tristitia menti continuò offeruntur, quibus operationes eius, maximè imaginatio & ratiocinatio, læduntur, sicque delirium inducitur cum timore & tristitia.

IV. Quia verò Melancholicus ille humor in ipso capite primitus generatus non est, verum ex hypochondriis maximè sinistro, ad caput ascendit, hinc *Melancholia* hæc non est primaria seu idiopathica, sed lymphatica, quæ à loco in quo mali fomes latet, *Hypochondriaca* nominari consuevit.

V. Melancholicum huius ægri delirium curatu difficile erit, neque periculi expers. I. Quia graues & diuturnas causas remotas habuit, quarum ratione pluri-

mum causæ antecedentis, nimirum fæculentæ Melancholicæ materiæ, in hypochondriis generatum & collectum est. II. Quia copiosa illa fæculenta materia pertinax est, ac medicamentis non facile edomatur, & spiritus animales peculiari prava intemperie afficit. III. Quia, cum ad curationem longiore tempore opus sit, metuendum est ne æger tam diu medicamentis uti velit. IV. Quia diuturnus Melancholici humoris ad cerebrum adscensus paulatim priorem cerebro dispositionem imprimit, unde malum à sympathetico propriè dictum fieri posset. V. Quia hi humores Melancholici occulta qualitate & manifesta, nempe acrimonia, acerbitate, &c. membranis cerebri & nervis infesti sunt, unde metuendum est à diuturno & copioso eorum ad caput affluxu tandem convulsiones, epilepsiam, aliudve grauius malum secuturum. VI. Quia delirium hoc non est cum risu, sed cum tristi ac serio studio. Tamen spem aliquam sanationis exhibet virium robur, & ad medicamenta sumenda promptitudo: præterea quod malum non sit idiopathicum sed sympathicum.

VII. In curatione studendum est ut causa continens discutiatur, spirituumque animalium intemperies tollatur, & ut causa antecedens, nempe humor Melancholicus in hypochondriis, incidatur, attenuetur, digeratur & euacuetur, eiusque noua generatio & accumulatio prohibeatur, obstructiones tollantur, cerebrum, lien, aliaque viscera corroborentur.

Medicamenta clementiora, non admodum calida, conuenient, ne fortioribus, aut valde calidis exagitata materia multo copiosior ad cor & cerebrum deferatur.

VIII. Primò alvus subducatur hoc clysmate:

Rec. *decocti emollientis unc.* x.
electi. hiera picra, diacatholici ana unc. i. ß.
olei chamamelini unc. i. ß.
salis drach. i. *misce, fiat clyster.*

Postridie vel tertia die exhibeatur hæc potio:

Rec *sol. sena mund. unc.* ß.
agarici albiss. sem. anisi ana drach. i.
zingiberis scrup. i. *decocti hordei q. s.*
fiat infusio s. art. adde colaturæ.
confect. hamech drach. ij.
electi hiera picra drach. i.
misce, fiat haustus.

IX. Quia venæ huic ægro tument, pulsus durus est, cordis palpitatio nonnunquam infestat, & vires mediocriter constant, non malè post expurgatum corpus venæsectio instituetur in brachio: & si venæ hæmorrhoidales aliquo modo in conspectum prodeant subtilissimè hirudines iis apponentur.

X. His præmissis bibat ter quaterve de die haustum huius apozematis:

Rec *radic. polypodii querni unc.* ij
syngis, enomidis,
cort. rad capparum, tamarisci, ana unc. ß.
herb boraginis, absinthii rom.
fragaria, taraxici totius, scolopendriæ,
chamedryos, trifolii aquatici, ana m. i.
violariæ, melissæ, ana m. ß.
corticum citri, arantiorum, ana unc. ß.
prunorum damasc par. viij.
passul. corinth unc. ij.
chalybis in nodulo ligati unc. j.
sem. anisi dr. cib ß j.
aqua communis q. s. fiat. s. art.
apozema ad lib. j. ß.

XI. Cum per quatuor dies hoc apozemate usus est; iterum purgetur hausto antè præscripto, & deinde reuertatur ad usum apozematis, hocque ordine per aliquod tempus procedat; & si iis diebus, quibus apozemate utitur, alvus subsistat, clysteribus quotidie proficietur. Per intervalla etiam dictum apozema purgans fieri poterit, *adiectis sol sena mundat unc.* ij. *rad hellebori nigri, drach.* ij. *myrobalanorum indor. drach.* vj. *sem. anisi unc* ß. atque inde ægro quotidie mane haustus unc. iv. exhiberi. Si verò æger nauseabundus & ad vomitum promptus euadat, non inutiliter hac potione vomitus prouocabitur:

Rec. *conserua foliorum asari drach.* ß.
decocti raphani unc. ij.
oxymelis scyllitici cum agarico unc. ß.
vini vomitiui drach. ij.
misce, fiat haustus.

XII. Interea dum hæc fiunt, æger ad capitis & visceruum corroborationem sumat aliquoties de die unam ex his tabellis:

Rec. *specierum diambræ drach* j.
dianthos, aromatici rosati, ana scrup. ij.
pulu flauedinis citri scrup. i. ß.
sacchari aqua betonicæ dissoluti unc. ij.
fiant. s. art tabellæ.

Vel utatur interdum particula huius conditi:

Rec. *specierum diambræ drach.* j
conserua boraginis melissæ, anthos,
rosarum pall. ana drach. ij.
syrupi de cort. citri q. s.
fiat conditum.

XIII. Diætam seruet conuenientem; versetur in aere temperato & lucido: solitudinem vitet. Grauis & iucundis amicorum, quibus confidit, colloquiis exhilaretur. Corpus ambulationibus modicè exerceat. Somnum quoquo modo capescat. Abstineat à cibis duris ac difficilis coctionis, vel prauæ nutrimenti, præcipuè antiquis, salitis, vel fumo siccatis: item à viscosis, flatulentis, & facile corruptibus: utatur cibis euchymis & eupeptis, quales diantur cum talibus quæ attenuandi, aperiendi coctiones promouendi vim habent, &

men à valde calidis: Bibat cerevisiam mediocrem bene defæcatam, & in prandio ac cœna pauxillum vini tenuis, diuretici. Abstineat ab omni potu valde sumpso. Tristitiam, metum, terrorem, eorumque occasiones, quantum possibile, euitet: hilaritatem amplectatur: curas omnes & inanes cogitationes reiiciat.

HISTORIA V.

De Mania.

DOmicella nobilis circiter a 8. annorum, robusta, sagax, Melancholica, subtristis, cogitabunda, diætam inordinatam seruans, obstructionibus in hypochondriis interdum obnoxia; cum se à parentibus parui fieri animaduerteret, diu altum pressit corde dolorem, ac magna cum simulatione hilaritatem quidem in propatulo finxit, solitaria vero integras noctes insomnis cum tristitia, morositate, fletu, ac suspiriis transegit. Tandem capitis dolore cum febricula inordinata continua correpta est; quem dolorem paucis post diebus non sentiit amplius, sed mente laborare comperta est; nam quæ taciturnior esse solebat, loquacissima præter consuetudinem euasit, ita ut sine ulla fere cessatione continuè loqueretur, & non dies tantum, sed integras quoque noctes garriendo insumeret, nullo propemodum intercedente somno. Primo biduo vel triduo, quamuis multa loqueretur, nihil tamen à ratione alienum dicere videbatur: postea vero multa delira admiscebantur. Hoc tempore febricula desiit. Vigiliæ tamen permanserunt. Delirium illud intra paucos dies valde adauctum est, ita ut ægra vix quippiam sani loqueretur amplius, morosa euadebat, & iracunda, per cubiculum discurrebat, vociferabatur, & tandem omnino furibunda adeoque sui impos facta est, ut in quoslibet adstantes violentas manus inferret, impudica loqueretur, suaque vestimenta dilaceraret: ita ut, ne vim faceret sibi aut aliis, à quatuor fortissimis mulieribus continue brachia cruraque eius continenda forent, cum illam ligari non permitterent parentes. Interim vires robustæ sunt, menstrua ordinatis periodis satis copiosè fluunt, appetitus mediocriter constat, nec magna sitis adest. Ab intensissimo hyberni aeris frigore & asperrimo gelu non admodum refrigeratur, licet sæpe vestibus parum aut vix contecta sit, semper tamen calida reperitur. Furore hoc per aliquot menses durante & magis ingraueſcente, Medicorum consilia expetuntur.

I. C[illegible]erebrum in hac ægra graniter affici, liq[illegible]indu[illegible] ex continuo furore cum vigilijs perp[illegible]a[illegible] audacia, & ira: cor quoque reliq[illegible] pus pati, liquet, ex totius magno calore.

II. Delirium hoc *Mania* appellatur *diuturna timoris cum ferore audacia, à ortu*.

III. Inter causas euidentes r[illegible] lium ipsi à dicto parentum vili[illegible] etsi simulatione quadam suppre[illegible] subiecto iuvenili per se melan[illegible] dum inordinatum ex parte[illegible] bus melancholicis hum[illegible] morbos proclivi, h[illegible]

ritus animales etiam incanduerunt, & rapidè ac inordinatè moti sunt, hinc que delirium accessit, primo minus, spiritibus nondum valde excalefactis & agitatis; deinde violentum cum ira, audacia & furore, ob auctum spirituum animalium acrem feruorem, unde nimis attenuati & acriores redditi, rapide mouentur, & inordinate ac violenter agitantur.

IV. Quia vero feruor ille non tantum ineſt ſpiritibus animalibus, ſed etiam vitalibus, totique ſanguinis maſſæ, hinc fit quod totum corpus adeo caleat, ut etiam ab externo aeris frigore non refrigeretur, ſed ſemper calidum permaneat.

V. Febris tamen non adeſt, quia feruor ille ſanguinis & ſpirituum magnus quidem eſt & acer, verum ſine putredine & inflammatione, quia magis in ſallis, quam ſulphureis particulis conſiſtit.

VI. Malum hoc difficulter curabitur; partim quod hic nobiliſſima viſcera afficiantur; partim quod cauſa lateat in humore prauo, pertinaci & copioſo; denique quod ægram, propter furorem, prorſus inobedientem habeamus, ita ut conuenientia remedia commode adhiberi nequeant. Quo tamen diutius differatur, eo difficilior evadet curatio, ac proinde quam citiſſime, & quocunque fieri poteſt modo tentanda erit.

VII. Indicationes curatiuæ primariæ hæ ſunt I. Vt humor melancholicus in corpore abundans præparetur, euacuetur, eiuſdemque & totius ſanguinis ac ſpirituum feruor exſtinguatur. II. Vt noua eiuſdem humoris & feruoris generatio impediatur. III. Vt viſcera, imprimis cor, cerebrum, hepar, & lien, corroborentur. His autem indicationibus ſatisfaciendum eſt diæta, chirurgia, & pharmacia.

VIII. Diæta quamuis in hac ægra, furore pereita, debito modo inſtitui nequeat, illius tamen, quantum fieri poterit, ratio habenda eſt. Cubiculum igitur in quo decumbit, tubo bi cutum ſit; in quo à viris vel mulieribus robuſtis bene ſeruetur, vel latis faſciis brachia ligentur, ne vel ſibi vel aliis violentas manus inferat. Nemo ad illam accedat, præter paucos, qui continuè cum illa verſantur, & quorum conſortio ſanitatis tempore gaudere ſolebat, neque illi multa loquantur. Aer ſit temperatus. Cibi afferantur humectantes, & modice refrigerantes, humidi potius quam ſicci. Potus ſit ptiſana vel cerevſia tenuis. Animi emotiones paucis & blandis verbis ſubinde demulceantur, iſque continuè blandis actionibus ſine multa loquela obuiam eatur. Omni modo ſtudendum, ut ægra quieta detineatur & dormiat quantum poſſit: Menſtrua, alvus, aliæque euacuationes, vel ſponte, vel arte proueniant.

IX. Quamuis ob furorem medicamenta ſæpe abiciat ægra, tentandum tamen an blandis verbis, vel loco potus, illi hic hauſtus obtrudi, & exhiberi poſſit.

Rec. *fol. ſen. mund. unc* ſ. *ſem. anis. drach.* j.
decoct. hordei q. ſ. fiat infuſio ſ. art.
adde colaturæ confectionis hamech. drach. iij.
extracti hellebori ſcrup ij
miſce, fiat hauſtus.

X. Corpore expurgato ad ſanguinis miſſionem deueniendum eſt, quæ non ſemel facienda, ſed poſtea ſæpius erit reiteranda: primo in brachio, deinde in manibus, in pedibus, in fronte, aliiſue locis conuenientibus, & pro ratione virium bona ſanguinis quantitas eſt detrahenda. Poſt venæſectionem bene ſeruanda eſt ægra, ne ligacula venæ diſſectæ intecta detrahat, ſibique nimiam hæmorrhagiam faciat.

XI. Inter ſingulas venæſectiones ſubinde purgetur ægra hauſtu modo præſcripto, vel *pulvere diaſenna*, vel *ſola confectione hamech*, aliove ſimili medicamento. Vel ſi hæc omnia abhorreat, dentur illi talia quibus delectatur, *ut myua cydoneorum* vel *rob ribeſiorum rubrorum*, ad quorum ſingulas uncias, ipſa nociente, *diagridij gr.* xxiv. admiſceantur, atque talis mixturæ *dentur drach.* vi. vel viii. plus minuſue, prout inde purgari obſeruabitur. Vel ſi *paſſulas corinthiacas* amet, coquantur illæ in decocto *foliorum ſenna & radic hellebori nigri*, uſque dum intumeſcant, poſt a inde exemptæ in loco ventis expoſito aliquantum ſiccentur, ut coctas non animaduertat, ſicque comedendæ offerantur. Quod enim ſtudio haberi non poteſt fallacijs ab hac ægra impetrandum eſt.

XII. Videndum etiam an blandis verbis vel fallaciis aliquoties de die hauſtus huius apozematis exhiberi poſſit:

Rec. *rad polypod. querni*,
cichorei, ana unc j.
cort. rad capparis tamariſci, ana unc. ſ.
herbar cuſcut. capilli veneris, lactuc.
taraxici cum toto, acetoſ ſcolopend.
borag. bugloſ ana M. i.
florum cerealium ana P. i
cortic. citri, aranior. ana drach. iij.
fruct. tamarind unc j.
aquæ q. ſ. coquantur ſ. art. &
fiat apozema ad lib i. ſ.

Si in hoc apozemate macerentur.

fol. ſenn. mund. unc. i. ſ. *rad. hellebori nigri drach.* ij *ſem. aniſi drach.* ij fiet tali modo apozema purgans, quo, ſi ægra id allumere vellet, corpus ſubinde poſſet expurgari.

XIII. Hoc quoque conditum per occaſiones offeratur.

Rec. *Conſerv violar. roſar pallid.*
rob ribeſior rubror.
cort. citri condit. ana drach iij.
pulpæ tamarind drach. vj
ſyrup violacei q. ſ. fiat conditum.

XIV. Quies omnis huic ægræ maxime neceſſaria eſt, ut ille etiam prouocetur, ſtudendum; vel exhibito circa veſperam *ampygdalato*, cui (ſyrupi papauerini unc. ſ. vel paulo plus admixtum ſit; vel tria quatuorue gra-

ris laudani opiati, semel aut bis in septimana exhibendo; vel caput unum aut alterum papaueris albi in apozemate antedicto coquendo: vel condito præscripto drach i. vel ij vequei Nicolai cum pauxillo syrupi papaverini addendo: vel frontem & tempora oleo papaverino & unguento populeo inunguendo. Cauendo tamen ne nimis frequenter, nimis diu, & nimis forte soporiferum detur.

XV. Interea caput ablatis capillis, matutino tempore per horam unam aut alteram hoc fomento tepido foueatur.

Rec herb betonic. verben. majoran.
plantag. ana m. ß. lactuca, fin. iv.
flor. rosar. meliloti anethi,
chamomili. ana M. ß.
sem. cannabis, coriandri ana unc. ß.
aquæ communis q. s.
coquantur pro fomento.

Post fomentationem caput bene seruandum & contegendum, ne ab aere frigido male afficiatur. Huiusmodi tamen fomentatio non conueniet, nisi corpore prius bene expurgato, & sanguine aliquoties detracto.

XVI. Cum malum incipit mitescere, non male capiti imponetur gallina viua dissecta, vel pulmo ouis aut vituli recenter è mactato animali evulsus.

XVII. Sunt qui in Mania etiam laudant suppedanea, & columbas dissectas, vel tincam dissectam, vel folia brassicæ & ruthæ, cum fermento acido, sale & aceto, in formam pastæ contusa, plantis pedum alligant, quæ si non profint, saltem non nocent, ac proinde tuto adhiberi possunt in hac ægra, imprimis ut satisfiat iis qui curationem hinc dependere putant.

HISTORIA VI.

De Comate somnolento & vigili.

VIr quadragenarius, mediocriter fortis, temperamento aliquantum pituitosus; bis terue in anno catarrhis ad dentes vel pulmones delabentibus, per aliquot dies affici consuetus erat, qui interdum nullo, interdum leui aliquo capitis dolore præcedente, inuadebant. Tandem autumni tempore in postica capitis parte dolorem tensiuum ac grauatiuum rursus sensit, qualis catarrhum præcedere solebat, nullo tamen catarrho subsequente. Dolori huic indies adaucto, cum vertigo adiungeretur, Medici consilio corpus purgatum, vena secta, aliaque conuenientia remedia adhibita sunt, quibus dolor adeo mitis euasit, ut æger rursus foras prodiret; verum cum se intempestiue nimis aeri frigido exponeret, increscente subitò dolore, una cum vertigine, cubitum discedere coactus fuit, ac subinde aliquantum delirare compertus est. Dolore hoc magis magisque increscente, secundo die ante lectum casu pedibus insistens, concidit, nec se erigere rursus potuit, sed ab adstantibus lecto impositus est, in quo paulo post tanto somno obrutus fuit, ut non nisi magnis corporis concussionibus ac vellicationibus excitari potuerit, excitatus oculos tantum aliquantulum eleuaret, nihil autem loqueretur, sed mox in somnum relaberetur. Tertio die excitari amplius non potuit. Cum altus ille sopor circiter per quatriduum durasset, postea subinde paulisper euigilare cœpit, tunc que plerumque nihil, interdum pauca cum delirio loquebatur. Tali modo soporosus vixit per octiduum. Postea continuam quidem habebat inclinationem ad somnum, cum oculis conniuentibus, sed dormire tamen non poterat, plurimaque deliramenta secum loquebatur; interdu inquietens, cum dormire putaretur, repente e lecto exsilire (quod tamen ob debilitatem non poterat) & hoc illudve peragere volebat. In ista inclinatione ad somnum cum continuo delirio, per octo decemue dies remansit. Postea omnino dormire non potuit, neque ulla inclinatione ad somnum per duas septimanas tenebatur: interea tamen delirium indies magis imminutum est, ita ut eo spatio mentis plane compos euaserit, virisque pristinis recuperatis, tandem lumum Dei & Medicorum ope pristinæ sanitati restituere-

tur

fuit. Toto morbi decursu non febricitauit. Appetitus constitit usque ad profundum soporem, & postea euigilans, nihil quidem petiit, sed oblata assumpsit & bene digessit. Ex dictis responsis, præter imaginationem ac ratiocinationem, etiam valde labefactatam fuisse memoriam, compertum est. Quæritur quo morbo hic æger laborauerit, & quibus remediis curari debuerit?

CErebrum in hoc ægro omnium maximè laborasse, hincque sensus principes & externos valde afflictos fuisse, clarissimè patet ex historia.

II. Grauis ille sopor, quo in principio detinebatur æger, fuit *Catarhora seu Coma somnolentum, quod est, sopor grauis ob sensum communem torpescentem exortus.* Quæ vero postea, cessante sopore, accessit grauis ad somnum inclinatio, cum impotentia tamen dormiendi, fuit *Coma vigil, quod est grauis ad somnum propensio, & ad eundem impotentia, à vasorum in ventriculis cerebri compressione vel obstructione, & spirituum inordinato motu ventrem turbante producta.*

III. Causa antecedens huius mali fuit pituitæ in partibus inferioribus paulo copiosior generatio; quæ ad cerebrum delata, in eiusque ventriculis copiosior collecta, causam continentem constituit. cum enim hæc pituita, more solito, non deflueret ad partes inferiores, sed ibi detineretur, paulatim ventriculos sua copia distendit, unde primo dolor capitis tensivus ac grauativus exortus est. Deinde verò, illa pituita magis adaucta, plexum choroidem una cum reti mirabili, aliquo modo compressit, & magna parte obstruxit: hinc cum spiritus vitales, in animales mutandi, non sufficienti copia transirent, spiritus animales tam pauci generati sunt, qui ad sensuum principum & externorum officia non sufficerent, unde æger, motu immunito, primò concidit, neque se erigere rursus potuit; & deinde sensibus externis quiescentibus altus ille sopor obortus est. Tandem verò naturæ & medicamentorum beneficio, illa plexus choroidis obstructione aliquantum imminuta, cum spiritus vitales tam paulo copiosiores transirent, atque hinc plures generarentur spiritus animales, nondum tamen satis copiosi, neque per impeditas vias inordinate mouerentur, inde factum ut mens admodum turbata sit, & spiritus quidem plures ad sensuum externorum organa effluerent, sed non satis copiosi ad eorum munia bene peragenda, quæ causa fuit magnæ inclinationis ad somnum qui tamen à continua mentis turbatione impediebatur, ita ut æger dormituriens dormire non potuerit, sed cum continuis delirijs dormituriendo vigilauerit. Vltimò, cum soluta penitus obstructione, spiritus iam satis libere quidem transirent, sed ob magnam corporis transitionem pauciſſimi ad cerebrum ascenderent vapores, qui illos debito tempore aliquantum in cerebro sisterent, hinc continuæ secutæ sunt vigiliæ, quæ postea pluribus vaporibus, à copiosore alimentorum usu, ad cerebrum elatis, paulatim rursus imminutæ sunt. Febris non adfuit, quia nulla humorum putredo cor infestauit.

IV. Coma somnolentum, ut & vigil, periculosissimum malum est, quo plurimi intereunt, imprimis si ultra quartum diem sopor profundus extenderetur: propterea quod nobilissimum viscus, cerebrum, in eo grauiter afficiatur. Ex obstructione enim & compressione illa plexus choroidis duplici de causa periculum immineret: vel quod à spirituum animalium defectu, coma in Apoplexiam mutari, ægrumque cito extinguere possit. Vel quod à spiritibus vitalibus calidis solitas vias transire nequeuntibus, facile inflammatio in cerebri membranis fieri, hincque malum in Phrenitidem mutari possit.

V. Indicationes curatiuæ primariæ sunt, ut materia continentis in ipso principio instituatur revulsio & euacuatio, sicque soluatur obstructio. Deinde ut causa antecedens tollatur, cerebrum corroboretur, & impediatur ne in eo noua pituitæ collectio fiat.

VI. Quia æger profundo sopore oppressus, nihil per os assumere potest, clysteres, ad minimum semel de die, sunt iniiciendi. Asperæ frictiones & ligaturæ dolorificæ in extremis partibus faciendæ. Sanguis è brachio detrahendus. Cucurbitulæ cum & sine scarificatione scapulis, dorso & collo imponendæ. Corporis concussionibus & vellicationibus dolorificis æger, si fieri possit, sæpius è somno excitandus est. Vtque materia continens excutiatur & euacuetur, hic pulvis sternutatorius subinde cum penna in nares sufflandus est:

Rec. *rad. hellebori albi scrup. j.*
pyrethri scrup. ſ. sol. maiorana scrup. j.
piperis, castorei, ana gr. v.
fiat pulvis.

VII. Sopore aliquantum imminuto, exhibeantur hæ pilulæ.

Rec. *massæ pil. cochiarum scrup. j.*
extracti catholici scrup. ſ.
fiant pilulæ v.

Vel si illas deglutire nequeat, detur drach. j. pulueris diaturbith, aut diacarthami. cum pauxillo cerevisiæ tenuis: vel haustus purgans ex tolutis senæ, agarico, radice ialappæ, aliisque similibus paratus.

VIII. Corpore satis purgato, præscribendum tale apozema:

Rec.

Rec. Rad. acori drach. vi.
helenii, fœniculi, anã unc. ß.
galanga drach. ij.
herb maiorana, betonicæ, rosmarini,
melissæ, calamenthæ, anã m. j.
salviæ, florum stœchados, anã m. ß.
bac iuniperi drach. vi. lauri drach. ij.
passularum mundat. unc. ii.
aquæ q. S coquantur, ſ art. ℞
fiat apozema ad lib. j. ß.
cui admisceri possunt syrupi
de stœchade unc. ij. vel iij.

Huius decocti ter quaterue de die hausti exhibeatur. Interea tamen continuandum est in usu sternutatorii.

IX. Si apozemate continuò uti nequeat, detur subinde particula huius conditi.

Rec. Species. diambræ, drachm. j. ß.
conserua melissæ,
flor salviæ, betonicæ, anthos, anã unc. ß.
syrupi de stœchade q. S.
misce, fiat conditum.

X. Conficiatur quoque sequens cucupha, vel potius capitium capiti imponendum:

Rec. fol. maiorana, rosmarini,
flor. lauendulæ, melilоti anã scrup. iv.
benzoini, nucis moscatæ,
gariophyllorum, anã scrup. ii.
fiat pulvis grossus pro cucupha.

Tempora & vertex capitis illinantur hoc linimento:

Rec. olei rosmarini, maiorana,
nucis moscatæ, anã scrup. i.
ung. martiati drach. ii.
misceantur pro linimento.

Illud autem capitium medicatum æger morbo iam cessante diu adhuc gestet.

XI. In diæta, aer sit purus, mediocriter lucidus, ad calidum vergens. Cibi dentur pauciores, euchymi & cupepti, cum rosmarino, maiorana, aliisque cephalicis conditi. Potus sit ptisana, cereuisia tenuis bene defœcata, vel iulepus aliquis cephalicus. A continuo somno æger arcendus est: postea tamen ubi ad continuas vigilias deuentum erit, conueniente amygdalata, aliaque, quæ corpori bonum nutrimentum exhibere, & capiti blandum soporem conciliare possunt. Euacuationes naturales (ponte, vel arte procedant. Æger autem bene seruandus est, ne in delirio se è lecto deuoluat, aliouе modo lædat.

HISTORIA VII.

De Lethargo.

VIr sexagenarius, temperamento pituitosus, pro ætate mediocriter fortis, cum toto autumni tempore nullam diætæ rationem habuisset, sed fructus horarios, lactucas, cucumeres, melones, aliaque similia copiosius ingessisset, per aliquot dies totius corporis lassitudinem, cum magna ad somnum promtitate persentiit. Deinde miti, sed continua febricula corripitur, sub noctem quotidie aliquantum recrudescente, & quotidianæ normam gerente. Hanc statim maxima somnolentia comitari cæpit, tanta scilicet ut à somno detineri nequeat æger; qui somnus adeo profundus est, ut nec adstantium altos clamores, nec ullum in cubiculo excitatum strepitum æger audiat. Si somno non sine molestia & valida corporis agitatione excitatus, adstantes paulisper aspicit, atque ad interrogata paucis verbis, & sæpe non satis ad rem, respondet, se dormisse nesciens: matula si detur, mingere obliuiscitur: sicque oculis & ore clausis in somnum mox relabitur. Pulsus est mediocriter magnus, tardus & rarus, cui subinde, imprimis circa noctem, inæqualitas quædam, & paulo maior celeritas adest. Vrina turbida est, quæ refrigerata sedimentum pituitosum copiosum deponit. Quæritur medici consilium.

I. In hoc ægro caput & totum corpus afficitur: illud liquet ex graui sopore; hoc ex febri continua & totius corporis lassitudine.

II. Grauis ille sopor, quo æger noster laborat, *Lethargus* appellatur, qui *est inexplebilis in somnum propensio, cum febre lenta, & principum facultatum læsione.*

III. Causa remota huius mali imprimis fuit victus pravus & refrigerans, quo in corpore pituitoso multi crudi

crudi ac pituitosi humores generati, causam antecedentem præbuerunt.

IV. Hi pituitosi humores partim ad cerebrum copiosiores delati, idque frigida intemperie afficientes, partim in vasis maioribus putrescentes, & in corde accensi, indeque per totum corpus, & simul etiam per arterias carotides ad caput impulsi, continentem soporis & febris causam constituerunt.

V. Cum enim per arterias carotides crudiores illi humores, iam in corde accensi, ad plexum choroidem perueniunt (cuius minimæ arteriolæ ob frigidam cerebri intemperiem solito angustiores sunt) & partim propter arteriolarum istarum angustiam, partim ob propriam crassitiem, plexum illum lentius tranieunt, in eodem à frigida cerebri constitutione magis incrassantur, sicque adhuc tardior fit eorum transitus. Quæ causa est, quod spiritus animales solito pauciores & tardius conficiantur, propter spiritus vitales, è quibus confici debent, parcius & tardius per plexum choroidem transeuntes. Qui pauciores spiritus cum ob paucitatem non sufficiant ad continua munia sensuum externorum, hinc fit quies in sensuum istorum organis; per quorum quietem cum nulla obiecta ad sensus principes deferantur, etiam illi quiescunt, sicque alius fit sopor. A quo cum æger excitatur, etiam sensus principes læsi comperiuntur, ob eandem spirituum paucitatem, eorumque inordinatum per impeditas vias motum.

VI. Periculosus est hic affectus: 1. Quia nobile viscus cerebrum hic grauiter afficitur. 2. Quia febris adest, unde cor totumque corpus patitur. 3. Quia æger senex est, ob caloris nativi debilitatem, tam grauem malum vix euincere poterit: adde, quod in illa vires facile collabantur, & difficulter restaurentur. Spem tamen sanationis exhibent vires mediocriter fortes, ac proinde curatio quam primum instituenda est, antequam illæ collabantur.

VII. In curatione materia pituitosa, in toto corpore redundans, euacuanda, à capite reuellenda, & ad partes inferiores deriuanda est: præterea cerebri frigida intemperies tollenda, caput corroborandum, atque in eo contenta materia educenda ac retoluenda.

VIII. Iniecto clystere instituantur ligaturæ dolorificæ, & asperæ frictiones in cruribus, quæ sæpius repetantur. Venæsectio in hoc simili corpore minus conuenire videtur, sed eius loco cucurbitulæ, partim cum, partim sine scarificatione, admoueri possunt scapulis, dorso, humeris & ceruici. Ab oxyrhodino, aliisque similibus repellentibus frigidis hic abstinendum iudicamus.

IX. Deinde excitato ægro hic haustus purgans exhibeatur:

Rec. *Agarici albiss. drach. i.*
fol. Sennæ mundat. unc. ſ.
sem. Anisi drachm. j. zingiberis scrup. i.
decocti hordei q. ℈.
fiat infusio ſ. Art. Adde colaturæ
elect. Diaphanici drach. iii.
misce, fiat haustus.

Postea si alvus quotidie non satis respondeat, clysteribus proritetur.

X. Corpore expurgato, subinde detur ægro haustus huius apozematis:

Rec. *Rad. Calami aromat. Helenii, faniculi;*
Petroselini, ana unc. ſ.
Herb. Betonicæ, capilli ven.
Cardui ben. Centaurii min. Taraxici, ana m. j.
rosmarini, maioranæ, hyssopi,
florum stœchados,
chamomillæ, ana m. ſ.
baccarum iuniperi drach. vi.
sem. Anisi scrup. i. ſ.
corticum citri, aurantiorum, ana unc. ſ.
aquæ q. ſ. coquantur ſ. Art. &
fiat apozema ad lib. j. ſ.
cui admisceantur syrupi de
stœchade unc. ii. vel iii.

XII. Post usum huius apozematis corpus iterum expurgetur haustu purgante ante dicto: cuius loco si æger pilulas malit, detur scrup. ii. vel scrup. iii. pilularum cochiarum; vel si puluerem melius assumere possit, detur drach. i. pulueris diacarthami aut diaturbith, cum decocto hordei dissoluta.

XIII. Secunda hac purgatione peracta, ad prædictum apozema redeundum, cui tunc plura diuretica (ut radices ononidis, asparagi, eryngii, herb. Petroselinum, fragaria, aliaque similia) commode adiicientur. Et quia castoreum in hoc morbo admodum laudatur, non malè interdum cum haustu istius apozematis, aut cum oxymeli scyllitico, castorei pulueris grana quinque aut sex exhibebuntur.

XIV. Interea dum hæc fiunt, fodendum etiam, ut materia e capite specialim euacuetur, & ipsum caput topicis roboretur, in eoque contenta residua materia discutiatur. Prius impetrabimus, si succum radicum betæ & foliorum maioranæ æqualibus portionibus pro erhino in nares immittamus: vel si hunc pulueren sternutatorium in nares sufflemus:

Rec. *Rad. Hellebori albi scrup. i.*
rad. Pyrethri, fol. maioranæ, ana scrup. ſ.
piperis nigri gr. v. castorei,
benzoini ana gr. iv. fiat pulvis.

Posterius consequemur, si verticem & tempora sæpe illinamus hoc linimento, & sequentem cucuphamimponamus:

Rec. *Olei succini, rosmarini,*
maioranæ, ana scrup. i.
unguenti martiati drach. ii.
castorei pulueris sat. scrup. ſ.
misceantur pro linimento.

Rec.

Rec. *fol. maiorana m. ſ.*
roſmarini, ſaluiæ, flor. meliloti, ana p. i.
gariophyllorum, nucis moſcatæ ana ſcrup. ß.
caſtorei ſcrup. ſ.
fiat pulvis groſſus pro cucupha.

XIV. Potio dictam conuenientem inſtituere neceſſe eſt. Aer ſit purus, lucidus, moderatè calidus, & alteratus odoribus ex caſtoreo, pulegio, roſmarino, ſaluia thymo, maiorana, meliſſa, &c. Cibi dentur pauci & facilis digeſtionis, conditi roſmarino, maiorana, betonica, hyſſopo, aliſque quæ humorem pituitoſum attenuandi & coquendi, caputque corroborandi vim habent: (non enim hic ratione febris victus merè refrigerans eſt inſtituendus, ſed potius ratione humoris peccantis, aliquo modo calefaciens: nam hoc modo ſublata humoris pituitoſi generatione, eiuſque coctione peracta, febris facile euaneſcet) Abſtineat æger à lacte, leguminibus, fructibus horatiis, aliſſque frigidis alimentis, ut & abſis quæ ſubtili calore attenuatos humores copioſe & ſubito ad caput deducunt, qualia ſunt cæpe, allium, ſynapi, raphanus, &c. Potus ſit aqua hordei, cum hyſſopo, maiorana, roſmarino, & ſimilibus decocta, melle vel hydromelite dulcorata, & cum pauxillo cinnamomi aromatiſata. A continuo ſomno æger omnibus modis arceatur, & quam ſæpiſſimè excitetur. Euacuationes naturales, ſi ſponte non ſuccedant, arte promouentur: cumque lethargirici mictionis & egeſtionis alui obliuiſci ſoleant, ſæpe admonendus eſt æger ad urinæ & alui excretionem.

HISTORIA VIII.

De Caro.

IVuenis robuſtus cum è loco editiore in caput decidiſſet, mox alto ſopore oppreſſus eſt. Ab amicis præſentibus, qui illum ebrium eſſe putabant, in lecto depoſitus, toto biduo in iſto ſtatu remanſit; cumque illo temporis ſpatio ſponte non euigilaret, tandem Medici conſilium imploratum eſt. In capite nullum vulnus animaduertitur, propterea quod pileus durior caput à vulnere defenderat. In vertice tamen aliqua non magna contuſio obſeruatur. Pulſus bene ſeſe habet, neque cordis malè affecti ſigna exhibet. Reſpiratio facilis eſt. Si pungatur æger, compunctum membrum aliquantillum contrahit. Interim, nullis clamoribus, pilorum vellicationibus, aliſque medijs è ſomno excitari poteſt.

I. QVamobrem in hoc ægro caput afficiatur, grauiſſimus ille ſopor ſatis oſtendit.

II. Sopor hic *Carus* appellatur, *eſtque ſomnus maximè profundus cum actionum animalium læſione.*

III. Apoplexiam non eſſe liquet, quod reſpiratio libera ſit, & æger compuncta membra aliquantillum contrahat. Neque Lethargum, quia febris abeſt, & æger excitari nequit; quo ſigno etiam à Comate diſtinguitur, ut pote in quo ægri ſubinde excitantur, & membra loco dimouent.

IV. Mali huius cauſa eſt depreſſio ſuperioris cranij, ſiue oſſium bregmatis, læſu iſto facta, qua etiam depreſſum cerebrum in ſuo motu impeditur, ita ut ſe dilatare commode non poſſit: hinc propter impeditam illius actionem, omnes quoque animales actiones læduntur. Adde, quod propter compreſſum, & hinc magna ex parte obſtructum plexum choroidem ſpiritus vitales pauciores ad cerebrum penetrent, hincque pauciores etiam generentur animales ſpiritus; quorum ſuccurſus ad ſenſuum organa, aliaſque partes ab eadem compreſſione non parum impeditur: atque ſic propter ſpirituum animalium tum non ſatis liberum influxum, deficiunt partium actiones, & fit quies aliuſque ſopor.

V. Sopor hic graue periculum minatur, & niſi quam primum commoda remedia adhibeantur, metuenda eſt mali huius in fortem Apoplexiam mutatio.

VI. Indicationes curatiuæ ſunt: 1. Vt cranium depreſſum eleuetur. 2. Vt cerebrum à depreſſione illa debilitatum corroboretur. 3. Vt totius corporis ratio habeatur: & ne humores multi ad caput affluant, vel alius in corpore morbus generetur, præcaueatur.

VII. Præmiſſo igitur clyſtere, ſanguinis vnc. viij vel ix. è brachio extrahantur. Quo facto ad generalem maximeque neceſſarium remedium deueniendum eſt, ſcilicet cranij denudationem, &, ſi neceſſe ſit, perforationem.

VIII. Eadem die (nam periculum eſt in mora) quo clyſter iniicitur, & ſanguis detrahitur, etiam circa excipiendam cranium, eo loco ubi extrinſecus in vec-

die, vel aliud quid accedat, quod sanguinis missionem suadeat.

X. Post expurgatam primi ventris saburrham, ad melancholici humoris præparationem & capitis corroborationem, bibat ter quaterue de die haustum huius apozematis:

Rec. *radic. polypodii querni unc. j.*
calami aromatici, faniculi,
cort. rad. capparum, tamariſci. ana unc. ß
herb. meliſſæ, boraginis, violariæ,
ſummitat. lupuli, betonicæ,
chamædryos, maiorana, ana m. i.
florum ſtachados m. ß.
flor. cordialium, ana p. i.
corticum citri, arantiorum, ana drach. iij.
ſem. faniculi, carui, ana drach. j. ß.
paſſularum corinth. unc. ij.
aquæ & vini, ana part. æq.
coquantur ſ. art. & fiat apozema ad lib. i. ß.
cui admiſceantur ſyrupi de ſtœchade,
de boragine, ana unc. ß.

XI. Præmissa tali præparatione, instituatur purgatio hac potione:

Rec. *fol. ſenna mund. unc. ß.*
agarici albiſſ. drach. j.
ſem. aniſi drach. j. zingiberis ſcrup. i.
decocti hordei q. S.
fiat infuſio per noctem, adde colaturæ
confectionis hamech drach. iij.
miſce, fiat hauſtus.

XII. Deinde reuertatur æger ad usum antedicti apozematis, quo, vel alio simili, longo tempore uti debet, singulis triduis vel quatriduis alvum clementer subducendo, vel haustu prædicto, vel confectione hamech, vel pilulis cochiis, vel etiam syrupo de pomis composito Mesues, cuius magnum encomium in tali casu describit Rondeletius.

XIII. Post singulas dotes apozematis, nec non meridie & vespere post pastum comedat huius conditi particulam magnitudinis nucis moscatæ:

Rec. *ſpecier. diambra, diamoſchi dulcis,*
dianthos, ana ſcrup. ii
corticum citri & arantiorum condit. ana drach. iii.
conſerua flor. boraginis,
meliſſæ, anthos, ana unc. ß.
conf. alkermes ſcrup. i. ß.
ſyrupi cortic. citri. q. S.
miſceantur, & fiat condium.

XIV. Interea dum hæc aguntur, non inutiliter subinde fient peculiares capitis emunctiones per masticatoria, vel per pulueres sternutatorios ex maiorana, semine nigellæ, radicibus hellebori albi, pyrethri, aliisque similibus paratum.

XV. Imprimis etiam curandum ut æger dormiat: quapropter interdum pro cœna dandum est hordeatum, vel amygdalatum cum decocto hordei & lactucæ paratum, cui, si vigiliæ pertinaces sint, nonnunquam syrupi de papauere unc. ß. vel paulo plus admiscere licet: vel si hæc non iuuent, pilula ex massa pil. de styrace gr. xv. vel ex laudani opiati gr. iii. sed ratò, exhibenda. In minoribus vigiliis interdum prodesset, si opii pauca grana cum unguento populeo mixta temporibus illinerentur. Notandum tamen, rarius & non nisi urgente necessitate narcoticis utendum esse, ne æger frequentiore eorum usu vel lædatur, vel iis nimis adsuescat.

XVI. Maximè quoque necessaria est conueniens victus ratio, utpote qua sanguis bonus & purior generatur, & melancholici succi vitium pravaque qualitas corrigitur. Aer igitur ad calidum & humidum vergat, sitque lucidus, & suaueolens. Cibi sint boni succi & concocti facilis moderatè calidi & humidi, condiri cum hordeo mundato, boragine, melissa, betonica, maiorana, bugiosa, uva passis, &c. fugiendo porrum, cæpas, allium, brassicam, pisces & carnes muria diu asseruatas vel fumo siccatas, aliosque cibos, qui vel corpori pravum nutrimentum, vel succo melancholico materiam præbent. Nec potus sit vinum tenue aut mediocre, cui non male melissa, rosmarinus, aliudve simile immaceratum posset: vel bibat cerevisiam bene defœcatam mediocris notæ. Exercitia sint mediocria. Somnus sit longior. Excrementa bene procedant, vel sponte, vel arte. Et quod in hac curatione maximi momenti est, omnibus modis studendum, ut animus à mœrore abducatur, omnisque metus & tristitiæ occasio vitetur: ut gratis & solidis quoque rationibus illi sæpius demonstretur quod falsa imaginatione detineatur, quod homicidium non commiserit, quod nullus dæmon illi adsit, quod filius sua culpa non perierit, &c. Tales enim erroris demonstrationes apud huiusmodi ægros, inprimis doctos, qualis hic est, tantum valent, ut his solis, accedente consentiente victu, non pauci fuerint restituti.

HISTORIA IV.

De Melancholia Hypochondriaca.

NObilis Germanus quadragenarius, temperamento Melancholicus, cum in nupero Germanico bello hostium inuasiones, captiuitatem exilium, famem, aliasque ærumnas perpessus, prauaque diæta diu usus fuisset, atque hinc longo tempore circa præcordia flatus, rugitus tensiones, & ponderosam quandam molestiam (imprimis circa sinistrum hypochondrium) cum respiratione difficiliore, cordisque palpitatione non continua, & appetitus læsione persentisset, simulque tristis, meticulosus & cogitabundus fuisset; tandem morte uxoris intellecta, adeo consternatus est, ut nullis sermonum blandimentis tristitia eius leniri potuerit: hinc pervigilis, inquietudine & horrendis cogitationibus ac insomniis subsequentibus, per intervalla primò, postea verò continuò delirare cœpit. Omnes vitæ suæ inhiare putat, ac proinde solitudinem quærit, hominumque consortia fugit: si præter domesticos (à quibus sibi etiam metuit) alius quispiam cubiculum eius ingrediatur, mox orat ne ipsum inopinanter occidat, sed tempus concedat quo ad mortem se præparet. Soli Medico confidere videtur, nam alexipharmaca adversus venena, quæ cibis sæpius immisceri putat, ab illo exposcit, & quælibet oblata medicamenta assumit.

IN hoc ægro variæ partes grauiter affliguntur, imprimis autem cerebrum, ut patet ex delirio; & viscera medii ac infimi ventris, quod cordis palpitatio difficilis respiratio, tensio grauitasque in hypochondriis, appetitus læsio, &c. facis eduocent.

II. Symptoma quod maximè infestat Melancholia appellatur, quæ est, *delirium sine furore & febre à phantasmate Melancholico ortum*.

III. Causæ mali remotæ sunt metus, terrores, mœstitia ab infortuniis illata, aliaque similia quæ spiritus diu turbarunt & inordinatè mouerunt: quibus accessit prava diæta ex cibis crassis, pravi succi, dyspepsiis; aquæ potationibus &c. Quo pravo victu eruditates primò generatæ sunt in visceribus infimi ventris, hinc que obstructiones in hepate & circumvicinis locis; atque etiam lienis virtus non parum labefactata fuit, ita ut in chymificatione officio suo non satisfaciens; & chymi materiam ad humorum conuenientem fermentationem ineptam gignens, multos humores fæculentos, acidos, acerbos, crassos & crudiores reliquerit, qui cum ob crassitiem minima vasa transmeare satis non potuerint, in hypochondriis, imprimis sinistro circa lienem, maiore copia coacernati sunt, unde ponderosa illa molestia processit; cui flatus & rugitus iunguntur, propterea quod dum natura acidæ huius materiæ coctionem molitur, quam satis bene perficere nequit, acidi illi humores fermentationem aliquam suscipiant, qua flatus copiosi gignuntur, qui cum omnes facilem non inueniant exitum, rugitus partiumque tensiones faciunt. Hæc crassior, acerba & acida Melancholica materia per venas ad cor delata, sæpe palpitationes in eo facit, quia cor acrem illam pungentem materiam cum impetu à se expellere nititur; eumque succus ille Melancholicus inæqualis sit, nec omnibus suis partibus cordi æqualiter infestus, hinc etiam fit quod palpitatio cordis non sit continua, sed sæpius quidem, at per intervalla contingat, partibus nempe magis infestis cor ingredientibus. Idem ille succus cum è dextro cordis ventriculo ad pulmones expulsus, ob crassitiem & acerbitatem minimos ramos venæ arteriosæ & arteriæ venosæ, cum difficultate transeat, multisque vapotibus pectus repleat, difficilem facit respirationem: ad cerebrum verò per arterias cum sanguine vitali delatus, animales spiritus inordinatè commouet, impuriores reddit, & specifica prauaque intemperie alterat; unde tunc phantasmata tristitia menti continuò offeruntur, quibus operationes eius, maximè imaginatio & ratiocinatio, lædantur, sicque delirium inducitur cum timore & tristitia.

IV. Quia verò Melancholicus ille humor in ipso capite primitus generatus non est, verum ex hypochondriis maximè sinistro, ad caput ascendit, hinc *Melancholia* hæc non est primaria seu idiopathica, sed symphatica, quæ à loco in quo mali fomes latet, *Hypochondriaca* nominari consuevit.

V. Melancholicum huius ægri delirium curatu difficile erit, neque periculi expers. I. Quia graues & diuturnas causas remotas habuit, quarum ratione pluri-

mum causæ antecedentis, nimirum fæculentæ Melancholicæ materiæ, in hypochondriis generatum & collectum est. II. Quia copiosa illa fæculenta materia pertinax est, ac medicamentis non facile edomatur, & spiritus animales peculiari prava intemperie afficit. III. Quia, cum ad curationem longiore tempore opus sit, metuendum est ne ager tam diu medicamentis uti velit. IV. Quia diuturnus Melancholici humoris ad cerebrum adscensus paulatim peritem cerebri dispositionem imprimit, unde malum à sympathetico in idiopathicum fieri posset. V. Quia hi humores Melancholici occulta qualitate & manifesta, nempe acrimonia, acerbitate, &c. membranis cerebri & nervis infesti sunt, unde metuendum est à diuturno & copioso eorum ad caput affluxu tandem convulsiones, epilepsiam, aliudve grauius malum secuturum. VI. Quia delirium hoc non est cum risu, sed cum tristi ac serio studio. Tamen spem aliquam sanationis exhibet virium robur, & ad medicamenta sumenda promptitudo; præterea quod malum non sit idiopathicum sed sympathicum.

VII. In curatione studendum est ut causa continens discutiatur, spirituumque animalium intemperies tollatur, & ut causa antecedens, nempe humor Melancholicus in hypochondriis, incidatur, attenuetur, digeratur & euacuetur, eiusque noua generatio & accumulatio prohibeatur, obstructiones tollantur, cerebrum, lien, aliaque viscera corroborentur.

Medicamenta clementiora, non admodum calida, conuenient, ne fortioribus, aut valde calidis exagitata materia multo copiosior ad cor & cerebrum deferatur.

VIII. Primò alvus subducatur hoc clysmate:

Rec. *decocti emollientis unc. x.*
electi. hiera picra, diacatholici ana unc. i. ſ.
olei chamæmelini unc. i. ſ.
salis drach. i. misce, fiat clyster.

Postridie vel tertia die exhibeatur hæc potio:

Rec *syr. sena mund unc. ſ.*
agarico albiss. sem. anisi ana drach. i.
zingiberis scrup. i. decocti hordei q ſ
fiat infusio ſ. art. addc colaturæ.
confect. hamech drach. iij.
electi hiera picra drach. i.
misce, fiat haustus.

IX. Quia venæ huic ægro tument, pulsus durus est, cordis palpitatio nonnunquam infestat, & vires mediocriter confiant, non malè post expurgatum corpus venæsectio instituetur in brachio: & si venæ hæmorrhoidales aliquo modo in conspectum prodeant utilissimè hirudines iis apponentur.

X. His præmissis bibat ter quaterve de die haustum huius apozematis:

Rec *radic. polypodii querni unc. ij.*
syngij, enneadis
cort. rad capparum, tamarisci, ana unc. ſ.
herb boraginis, absinthii rom.
fragaria, taraxici totius, scolopendriæ,
chamedryos, trifolii aquatici, ana m. i.
violaria, melissæ, ana m. ſ.
corticum citri, arantiorum, ana unc. ſ.
prunorum damasc par. viij.
passul. corinth unc. ij.
chalybis in nodulo ligati unc. j.
sem. anisi drach i j.
aquæ communis q ſ fiat. ſ. art.
apozema ad lib. j. ſ.

XI. Cum per quatuor dies hoc apozemate usus est; ilcerum purgetur haustu antè præscripto, & deinde roboretur ad usum apozematis, hocque ordine per aliquod tempus procedat; & si iis diebus, quibus apozemate utitur, alvus subsistat, clysteribus quotidie provideatur. Per intervalla etiam dictum apozema purgans fieri poterit, *adiectis fol sena mundat. unc. ij. rad hellebori nigri, drach. ij. myrobalanorum indor. drach. vj. sem. anisi unc ſ.* atque inde ægro quotidie mane haustus unc. iv. exhibeat. Si verò æger nauseabundus & ad vomitum prochius euadat, non inutiliter hac potione vomitus provocabitur:

Rec. *conserua foliorum asari drach. ij.*
decocti raphani unc. iij.
oxymelis scyllitici cum agarico unc. ſ.
vini vomitini drach. iij.
misce, fiat haustus.

XII. Interea dum hæc fiunt, æger ad capitis & visceruum corroborationem sumat aliquoties de die unam ex his tabellis:

Rec. *specierum diambræ drach j.*
dianthos, aromatici rosati, ana scrup. ij.
pulv flamedinis citri scrup. i. ſ.
sacchari aquæ betonicæ dissoluti unc. ij.
fiant. ſ. art tabellæ.

Vel utatur interdum particula huius conditi:

Rec. *specierum diambræ drach. j*
confectæ boraginis melissæ. ambos q
rosarum pall. ana drach. iij.
syrupi de cort. citri q ſ.
fiat conditum.

XIII. Diætam teneat conuenientem; versetur in aere temperato & lucido: solitudinem vitet. Gratis & iucundis amicorum, quibus confidit, colloquiis exhilaretur. Corpus ambulationibus modicè exerceat. Somnum quoquo modo capescat. Abstineat à cibis duris ac difficilis coctionis, vel prauæ nutrimenti, præcipuè antiquis, salitis, vel fumo siccatis; item à viscosis, flatulentis, & facile corruptibilibus: utatur cibis euchymis & cupeptis, qui condiantur cum talibus quæ attenuandi, aperiendi, & coctionem promouendi vim habent, abstinendo tamen

men à valde calidis; Bibat cerevisiam mediocrem bene defæcatam, & in prandio ac cœna pauxillum vini tenuis, diuretici. Abstineat ab omni potu valde sumpso. Tristitiam, metum, terrorem, eorumque occasiones, quantum possibile, euitet: hilaritatem amplectatur: curas omnes & inanes cogitationes reiiciat.

HISTORIA V.

De Mania.

DOmicella nobilis circiter a 8. annorum, robusta, sagax, Melancholica, subtristis, cogitabunda, diætam inordinatam seruans, obstructionibus in hypochondriis interdum obnoxia; cum se à parentibus parui fieri animaduerteret, diu altum pressit corde dolorem, ac magna cum simulatione hilaritatem quidem in propatulo finxit, solitaria vero integras noctes insomnis cum tristitia, morositate, fletu, ac suspiriis transegit. Tandem capitis dolore cum febricula inordinata continua correpta est; quem dolorem paucis post diebus non sentiit amplius, sed mente laborare comperta est; nam quæ taciturnior esse solebat, loquacissima præter consuetudinem euasit, ita ut sine ulla fere cessatione continuè loqueretur, & non dies tantum, sed integras quoque noctes garriendo insumeret, nullo propemodum intercedente somno. Primo biduo vel triduo, quamuis multa loqueretur, nihil tamen à ratione alienum dicere videbatur: postea vero multa delira admiscebantur. Hoc tempore febricula desiit. Vigiliæ tamen permanserunt. Delirium illud intra paucos dies valde adauctum est, ita ut ægra vix quippiam sani loqueretur amplius, morosa euadebat, & iracunda, per cubiculum discurrebat, vociferabatur, & tandem omnino furibunda adeoque sui impos facta est, ut in quoslibet adstantes violentas manus inferret, impudica loqueretur, suaque vestimenta dilaceraret; ita ut, ne vim faceret sibi aut aliis, à quatuor fortissimis mulieribus continue brachia cruraque eius continenda forent, cum illam ligari non permitterent parentes. Interim vires robustæ sunt, menstrua ordinariis periodis satis copiosè fluunt, appetitus mediocriter constat, nec magna sitis adest. Ab intentissimo hyberni aeris frigore & asperrimo gelu non admodum refrigeratur, licet sæpe vestibus parum aut vix contecta sit, semper tamen calida reperitur. Furore hoc per aliquot menses durante & magis ingraueſcente, Medicorum consilia expetuntur.

I. CErebrum in hac ægra graviter affici, liquet ex continuo furore cum vigilus perpetuis, audacia, & ira: cor quoque reliquum corpus pati, liquet, ex totius magno calore.

II. Delirium hoc *Mania* appellatur, *est que mentis diuturna emotio cum feroci audacia, à feruore spirituum orta*.

III. Inter causas euidentes primaria fuit cordolium ipsi à dicto parentum vilipendio illatum: quod etsi simulatione quadam suppressum fuerit, tamen in subiecto iuvenili per se melancholico, & propter victum inordinatum ex parte quidem biliosis, sed plurimis melancholicis humoribus abundante, hincque ad morbos proclivi, huiusmodi delirium cum furore inducere potuit: Hoc enim vilipendiorum modò iracundiam ipsi mouit, bile, quæ melancholico humori admixta est, effervescente; modò tristitiam, melancholicis succis emotis & bilem superantibus, & ab illa inordinata lucta & effervescentia bilis cum melancholia, tota sanguinis massa effebuit, hincque procellit aliqua leuis putredo, quæ febriculam inordinatam genevit, capitis dolore comitatam, quem induxere acres vapores biliosi & melancholici simul ad caput delati. Tandem illa bilis sanguinisque effervescentia à melancholici humoris feruentis copia & qualitate superata, euanuit febricula, atque à feruidis humoribus melancholicis in corpore & capite prædominantibus, à præcedente bilis effervescentia æstuantibus, ipse

ritus animales etiam incanduerunt, & rapidè ac inordinatè moti sunt, hinc que delirium accessit. primo motus, spiritibus nondum valde excalefactis & agitatis; deinde violentum cum ira, audacia & furore, ob auctum spirituum animalium aerem feruorem, unde nimis attenuati & acriores redditi, rapide mouentur, & inordinate ac violenter agitantur.

IV. Quia vero feruor ille non tantum inest spiritibus animalibus, sed etiam vitalibus, totique sanguinis massæ, hinc fit quod totum corpus adeo caleat, ut etiam ab externo aeris frigore non refrigeretur, sed semper calidum permaneat.

V. Febris tamen non adest, quia feruor ille sanguinis & spirituum magnus quidem est & acer, verum sine putredine & inflammatione, quia magis in salibus, quam sulphureis particulis consistit.

VI. Malum hoc difficulter curabitur; partim quod hic nobilissima viscera afficiantur; partim quod causa lateat in humore prauo, pertinaci & copioso; denique quod ægram, propter furorem, prorsus inobedientem habeamus, ita ut conuenientia remedia commode adhiberi nequeant. Quo tamen diutius differetur, eo difficilior evadet curatio, ac proinde quam citissime, & quocunque fieri potest modo tentanda erit.

VII. Indicationes curativæ primariæ hæ sunt I. Vt humor melancholicus in corpore abundans præparetur, euacuetur, eiusdemque & totius sanguinis ac spirituum feruor extinguatur. II. Vt noua eiusdem humoris & feruoris generatio impediatur. III. Vt viscera, imprimis cor, cerebrum, hepar, & lien, corroborentur. His autem indicationibus satisfaciendum est diæta, chirurgia, & pharmacia.

VIII. Diæta quamuis in hac ægra, furore pereita, debito modo institui nequeat, illius tamen, quantum fieri poterit, ratio habenda est. Cubiculum igitur in quo decumbit, subobscurum sit; in quo à viris vel mulieribus robustis bene seruetur, vel latis fasciis brachia ligentur, ne vel sibi vel aliis violentas manus inferat. Nemo ad illam accedat, præter paucos, qui continuè cum illa versantur, & quorum consortio sanitatis tempore gaudere solebat, neque illi multa loquantur. Aer sit temperatus. Cibi afferantur humectantes, & modice refrigerantes, humidi potius quam sicci. Potus sit prisana vel cerevisia tenuis. Animi emotiones paucis & blandis verbis subinde demulceantur, itaque continuè blandis actionibus hinc multa loquela obtusa eatur. Omni modo studendum, ut ægra quieta detineatur & dormiat quantum potest: Menstrua, alvus, aliæque euacuationes, vel sponte, vel arte procedant.

IX. Quamuis ob furorem med camenta sæpe abiiciat ægra, tentandum tamen an blandis verbis, vel loco positus, illi hic hauitus obtrudi, & exhiberi possit.

Rec. *sol. sen mund. unc* ℔ *sem. anis. drach.* j.
decocti hordei q. s. fiat infusio s. art.
adde colatura confectionis hamech. drach. iij.
extracti hellebori seruph j
misce, fiat haustus.

X. Corpore expurgato ad sanguinis missionem deueniendum est, quæ non semel facienda, sed postea sæpius erit reiteranda: primo in brachio, deinde in manibus, in pedibus, in fronte, aliisue locis conuenientibus, & pro ratione virium bona sanguinis quantitas est detrahenda. Post venæsectionem bene seruanda est ægra, ne ligacula venæ dissectæ iniecta detrahat, sibique nimiam hæmorrhagiam faciat.

XI. Inter singulas venæsectiones subinde purgetur ægra haustu modo præscripto, vel *pulvere diasenna*, vel *sola confectione hamech*, aliove simili medicamento. Vel si hæc omnia abhorreat, dentur illi talia quibus delectatur, *ut myna cydoneorum* vel *rob ribesiorum rubrorum*, ad quorum singulas uncias, ipta nociente, *diagridy gr.* xxiv. admisceantur, atque talis mixturæ *dentur drach.* vi. vel viii. plus minusve, prout inde purgari obseruabitur. Vel si *passulas corinthiacas* amet, coquantur illæ in decocto *foliorum sennæ & radice hellebori nigri*, usque dum intumescant, postea inde exemptæ in loco ventis exposito aliquantum siccentur, ut coctas non animaduertat, sicque comedendæ offerantur. Quod enim studio haberi non potest fallacijs ab hac ægra impetrandum est.

XII. Videndum etiam an blandis verbis vel fallaciis aliquoties de die haustus huius apozematis exhiberi possit:

Rec. *rad polyped. querni*,
cichorei, ana unc. j.
cort. rad cappar tamariscí, ana unc. ℔.
herbar cuscut. capilli veneris, lactuc.
tamarici cum toto, acetos. scolopend.
boragin, bugloss ana M. i.
florum cordialium ana ℔ i.
cortic citri, aurantior. ana drach. iij.
fruct. tamarind unc. ℔
aqua q. s. coquantur s. art. &
fiat apozema ad lib. i. ℔.

Si in hoc apozemate macerentur.

fol. senn. mundat. unc. i. ℔ *rad. hellebori nigri drach.* ij *sem. anisi drach.* ij fiet tali modo apozema purgans, quo, ægra id assumere vellet, corpus subinde poslet expurgari.

XIII. Hoc quoque conditum per occasiones offeratur.

Rec. *Conserv violar. rosar. pallid.*
rob ribesior rubror.
cort. citri condit. ana drach iij.
pulpæ tamarind drach. vj
syrup violacei q. s. fiat conditum.

XIV. Quies somnus huic ægræ maxime necessarius est, ut ille etiam prouocetur, studendum; vel exhibito circa vesperam *amygdalato*, cui syrupi papauerini unc. ℔, vel paulo plus admixtum sit; vel ægra quatuorue gra-

ex laudani epiati, semel aut bis in septimana exhibendo; vel caput unum aut alterum *papaueris albi* in apozemate antedicto coquendo: vel condito præscripto *drach* i. *vel* ij *requiei Nicolai* cum pauxillo *syrupi papauerini* addendo: vel frontem & tempora *oleo papaueris & unguento populeo inunguendo*. Caueudo tamen ne nimis frequenter, nimis diu, & nimis forte soporiferum detur.

XV. Interea caput ablatis capillis, matutino tempore per horam unam aut alteram hoc fomento tepido foueatur.

Rec *herb betonic. verben. maioran.*
plantag. ana M. I. lactuce, m. iv.
flor. rosar. meliloti anethi,
chamomili, ana M. I.
sem. cannabis, coriandri ana unc. ſ.
aque commun. q. ſ.
coquantur pro fomento.

Post fomentationem caput bene seruandum & contegendum, ne ab aere frigido male afficiatur. Huiusmodi tamen fomentatio non conueniet, nisi corpore prius bene expurgato, & sanguine aliquoties detracto.

XVI. Cum malum incipit mitescere, non male capiti imponetur gallina viua dissecta, vel pulmo ouis aut vituli recenter è mactato animali evulsus.

XVII. Sunt qui in Mania etiam laudant suppedanea, & columbas dissectas, vel tincam dissectam, vel solita brassicæ & ruthæ, cum fermento acido, sale & aceto, in formam pastæ contusa, plantis pedum alligant, quæ si non prosint, saltem non nocent. ac proinde tuto adhiberi possunt in hac ægra, imprimis ut satisfiat iis qui curationem hinc dependere putant.

HISTORIA VI.

De Comate somnolento & vigili.

VIr quadragenarius, mediocriter fortis, temperamento aliquantum pituitosus; bis terue in anno catarrhis ad dentes vel pulmones delabentibus, per aliquot dies affici consuetus erat, qui interdum nullo, interdum leui aliquo capitis dolore præcedente, inuadebant. Tandem autumni tempore in postica capitis parte dolorem tensiuum ac grauativum rursus sensit, qualis catarrhum præcedere solebat, nullo tamen catarrho subsequente. Dolori huic indies adaucto, cum vertigo adiungeretur, Medici consilio corpus purgatum, vena secta, aliaque conuenientia remedia adhibita sunt, quibus dolor adeo mitis euasit, ut æger rursus foras prodiret; verum cum se intempestiue nimis aeri frigido exponeret, increscente subitò dolore, una cum vertigine, cubitum discedere coactus fuit, ac subinde aliquantum delirare compertus est. Dolore hoc magis magisque increscente, secundo die ante lectum casu pedibus insistens, concidit, nec se erigere rursus potuit, sed ab adstantibus lecto impositus est, in quo paulo post tanto somno obrutus fuit, ut non nisi magnis corporis conuulsionibus ac vellicationibus excitari potuerit, excitatus oculos tantum aliquantulum eleuaret, nihil autem loqueretur, sed mox in somnum relaberetur. Tertio die excitari amplius non potuit. Cum altus ille sopor circiter per quatriduum duraſſet, postea subinde paulisper euigilare cœpit, tunc que plerumque nihil, interdum pauca cum delirio loquebatur. Tali modo soporosus vixit per octiduum. Postea continuam quidem habebat inclinationem ad somnum, cum oculis conniuentibus, sed dormire tamen non poterat, plurimaque deliramenta secum loquebatur; interdum quiescens, cum dormire putaretur, repente e lecto exsilire (quod tamen ob debilitatem non poterat) & hoc illudve peragere volebat. In ista inclinatione ad somnum cum continuo delirio, per octo decemue dies remansit. Postea omnino dormire non potuit, neque ulla inclinatione ad somnum per duas septimanas tenebatur: interea tamen deliriam indies magis imminutum est, ita ut eo spatio mentis plane compos euaserit, viribusque paulatim recuperatis, tandem tumuli Dei & Medicorum ope pristinæ sanitati restituere-

tur

tur. Toto morbi decursu non febricitauit. Appetitus constitit usque ad profundum soporem, & postea euigilans, nihil quidem petiit, sed oblata assumpsit & bene digessit. Ex delirris responsis, præter imaginationem ac ratiocinationem, etiam valde labefactatam fuisse memoriam, compertum est. Quæritur quo morbo hic æger laborauerit, & quibus remediis curari debuerit?

CErebrum in hoc ægro omnium maximè laborasse, hincque sensus principes & externos valde afflictos fuisse, clarissimè patet ex historia.

II. Grauis ille sopor, quo in principio detinebatur æger, fuit *Catarhora seu Coma somnolentum, quod est, sopor grauis ob sensum communem torpescentem exortus.* Quæ vero postea, cessante sopore, accessit grauis ad somnum inclinatio, cum impotentia tamen dormiendi, fuit *Coma vigil, quod est grauis ad somnum propensio, & ad eundem impotentia, à vaforum in ventriculis cerebri compressione vel obstructione, & spirituum inordinato motu mentem turbante producta.*

III. Causa antecedens huius mali fuit pituitæ in partibus inferioribus paulo copiosior generatio; quæ ad cerebrum delata, in eiusque ventriculis copiosior collecta, causam continentem constituit. cum enim hæc pituita, more solito, non deflueret ad partes inferiores, sed ibi detineretur, paulatim ventriculos sua copia distendit, unde primo dolor capitis tensivus ac grauativus exortus est. Deinde verò, illa pituita magis adaucta, plexum choroidem una cum reti mirabili, aliquo modo compressit, & magna parte obstruxit: hinc cum spiritus vitales, in animales mutandi, non sufficienti copia transirent, spiritus animales tam pauci generati sunt, qui ad sensuum principum & externorum officia non sufficerent, unde æger, motu immunito, primò concidit, neque se erigere rursus potuit; & deinde sensibus externis quiescentibus altus ille sopor obortus est. Tandem verò naturæ & medicamentorum beneficio, illa plexus choroidis obstructione aliquantum imminuta, cum spiritus vitales tam paulo copiosiores transirent, atque hinc plures generarentur spiritus animales, nondum tamen satis copiosi, iique per impeditas vias inordinate moverentur, inde factum ut mens admodum turbata sit, & spiritus quidem plures ad sensuum externorum organa effluerent, sed non satis copiosi ad eorum munia bene peragenda, quæ causa fuit magnæ inclinationis ad somnum qui tamen à continua mentis turbatione impediebatur, ita ut æger dormituriens dormire non posset, sed cum continuis delirris dormiturienda vigilauerit. Vltimò, cum soluta penitus obstructione, spiritus tam satis libere quidem transirent, sed ob magnam corporis inanitionem paucissimi ad cerebrum ascenderent vapores, qui illos debito tempore aliquantum in cerebro sisterent, hinc continuæ secutæ sunt vigiliæ, quæ postea pluribus vaporibus, à copiosiore alimentorum usu, ad cerebrum elatis, paulatim rursus imminutæ sunt. Febris non adfuit, quia nulla humorum putredo eos infestauit.

IV. Coma somnolentum, ut & vigil, periculosissimum malum est, quo plurimi intereunt, imprimis si ultra quartum diem sopor profundus extendatur: propterea quod nobilissimum viscus, cerebrum, in eo grauiter afficiatur. Ex obstructione enim & compressione illa plexus choroidis duplici de causa periculum immineret: vel quod à spirituum animalium defectu, coma in Apoplexiam mutari, ægrumque cito extinguere possit. Vel quod à spiritibus vitalibus calidis solitas vias transire nequeuntibus, facile inflammatio in cerebri membranis fieri, hincque malum in Phrenitidem mutari possit.

V. Indicationes curatiuæ primariæ sunt, ut materiæ continentis in ipso principio instituatur revulsio & euacuatio, sicque soluatur obstructio. Deinde ut causa antecedens tollatur, cerebrum corroboretur, & impediatur ne in eo noua pituitæ collectio fiat.

VI. Quia æger profundo sopore oppressus, nihil per os assumere potest, clysteres, ad minimum semel de die, sunt iniciendi. Asperæ frictiones & ligaturæ dolorificæ in extremis partibus faciendæ. Sanguis è brachio detrahendus. Cucurbitulæ cum & sine scarificatione scapulis, dorso & collo imponendæ. Corporis concussionibus & vellicationibus dolorificis æger, si fieri possit, sæpius è somno excitandus est. Vtque materia continens exutiatur & euacuetur, hic pulvis sternutatorius subinde cum penna in nares sufflandus est?

Rec. *rad. hellebori albi scrup. j.*
pyrethri scrup. ß. fol. maioranæ scrup. j.
piperis, castorei, ana gr. v.
fiat pulvis.

VII. Sopore aliquantum imminuto, exhibeantur hæ pilulæ.

Rec. *massæ pil. cochiarum scrup. j.*
extracti catholici scrup. ß.
fiant pilulæ v.

Vel si illas deglutire nequeat, detur drach. j. pulueris diatarbith, aut diacarthami. cum pauxillo cerevisiæ tenuis: vel haustus purgans ex tolutis senæ, agarico & radice ialappæ, aliisque similibus paratus.

VIII. Corpore satis purgato, præscribendum talis apozema:

Rec.

Rec. Rad. acori drach. vi.
belenii, fœniculi, ana unc. ℔.
galanga drach. ij.
herb maiorana, betonica, rosmarini,
melissæ, calamenthæ, ana m. j.
salviæ, florum stœchados, ana m. ℔.
bac iuniperi drach. vi. lauri drach. ij.
passularum mundat. unc. ii.
æquæq. S coquantur, f. art. & fiat apozema ad lib. j. ℔.
cui admisceri possunt syrupi de stœchade unc. ij. vel iij.

Huius decocti ter quaterue de die hausti exhibeatur: Interea tamen continuandum est in usu sternutatorii.

IX. Si apozemate continuè uti nequeat, detur subinde particula huius condit.

Rec. specier. diambræ, drach. j. ℔.
conserua melissæ,
flor salviæ, betonicæ, anthos, ana unc. ℔.
syrupi de stœchade q. S.
misce, fiat conditum.

X. Confectatur quoque sequens cucupha, vel potius capitium capiti imponendum:

Rec. sol. maiorana, rosmarini,
flor. lauendulæ, melilloti ana scrup. iv.
benzoini, nucis moscatæ,
cariophyllorum, ana scrup. ii.
fiat pulvis grossus pro cucupha.

Tempora & vertex capitis illinantur hoc linimento:

Rec. olei rosmarini, maiorana,
nucis moscatæ, ana scrup. i.
ung. martiati drach. ii.
misceantur pro linimento.

Illud autem capitium medicatum æger morbo iam cessante diu adhuc gestet.

XI. In dieta, aer sit purus, mediocriter lucidus, ad calidum vergens. Cibi detur pauciores, euchymi & cupepti, cum rosmarino, maiorana, aliisque cephalicis condiri. Potus sit ptisana, cereuisia tenuis bene defœcata, vel iulepus aliquis cephalicus. A continuo somno æger accendus est: postea tamen ubi ad continuas vigilias deventum erit, conuenient amygdalata, aliaque, quæ corpori bonum nutrimentum exhibere, & capiti blandum soporem conciliare possunt. Euacuationes naturales sponte, vel arte procedant. Æger autem bene seruandus est, ne in delirio se è lecto deuoluat, aliouo modo lædat.

HISTORIA VII.

De Lethargo.

VIr sexagenarius, temperamento pituitosus, pro ætate mediocriter fortis, cum toto autumni tempore nullam dietæ rationem habuisset, sed fructus horatios, lactucas, cucumeres, melones, aliaque similia copiosius ingessisset, per aliquot dies totius corporis lassitudinem, cum magna ad somnum proclivitate persentiit. Deinde nihil, sed continua febricula corripitur, sub noctem quotidie aliquantum recrudescente, & quotidianæ normam gerente. Hanc statim maxima somnolentia comitari cæpit, tanta scilicet ut à somno detineri nequeat æger; qui somnus adeo profundus est, ut nec adstantium altos clamores, nec ullum in cubiculo excitatum strepitum æger audiat. Si somno non sine molestia & valida corporis agitatione excitatus, adstantes paulisper aspicit, atque ad interrogata paucis verbis, & sæpe non satis ad rem, respondet, se dormisse nesciens: matula si detur, mingere obliuiscitur: sicque oculis & ore clausis in somnum mox relabitur. Pulsus est mediocriter magnus, tardus & rarus, cui subinde, imprimis circa noctem, inæqualitas quædam, & paulo maior celeritas adest. Vrina turbida est, quæ refrigerata sedimentum pituitosum copiosum deponit. Quæritur medici consilium.

I. In hoc ægro caput & totum corpus afficitur: illud liquet ex graui sopore; hoc ex febri continua & totius corporis lassitudine.

II. Grauis ille sopor, quo æger noster laborat, *Lethargus* appellatur, qui *est inexplebilis in somnum propensio, cum febre lenta, & principium sæculi tum læsione.*

III. Cauta remota huius mali imprimis fuit victus pravus & refrigerans, quo in corpore pituitoso multi crudi

rendi ac pituitosi humores generati, causam antecedentem præbuerunt.

IV. Hi pituitosi humores partim ad cerebrum copiosiores delati, idque frigida intemperie afficientes, partim in vasis maioribus putrescentes, & in corde accensi, indeque per totum corpus, & simul etiam per arterias carotides ad caput impulsi, continentem soporis & febris causam constituerunt.

V. Cum enim per arterias carotides crudiores illi humores, tam in corde accensi, ad plexum choroidem perueniunt (cuius minimæ arteriolæ ob frigidam cerebri intemperiem solito angustiores sunt) & partim propter arteriolarum istarum angustiam, partim ob propriam crassitiem, plexum illum lentius tranſeunt, in eodem à frigida cerebri constitutione magis incrassantur, sicque adhuc tardior fit eorum transitus. Quæ causa est, quod spiritus animales solito pauciores & tardius conficiantur, propter spiritus vitales, è quibus confici debent, parcius & tardius per plexum choroidem transeuntes. Qui pauciores spiritus cum ob paucitatem non sufficiant ad continua munia sensuum externorum, hinc fit quies in sensuum istorum organis; per quorum quietem cum nulla obiecta ad sensus principes deferantur, etiam illi quiescunt, sicque altus fit sopor. A quo cum æger excitatur, etiam sensus principes læsi comperiuntur, ob eandem spirituum paucitatem, eorumque inordinatum per impeditas vias motum.

VI. Periculosus est hic affectus: 1. Quia nobile viscus cerebrum hic grauiter afficitur. 2. Quia febris adest, unde cor totumque corpus patitur. 3. Quia æger senex est, ob caloris nativi debilitatem, tam graue malum vix euincere potuerit: adde, quod in illa vires facile collabantur, & difficulter restaurentur. Spem tamen sanationis exhibent vires mediocriter fortes, ac proinde curatio quam primum instituenda est, antequam illæ collabantur.

VII. In curatione materia pituitosa, in toto corpore redundans, euacuanda, à capite reuellenda, & ad partes inferiores deriuanda est: præterea cerebri frigida intemperies tollenda, caput corroborandum, atque in eo contenta materia educenda ac resoluenda.

VIII. Iniecto clystere instituantur ligaturæ dolorificæ, & asperæ frictiones in cruribus, quæ sæpius reperiantur. Venæsectio in hoc simili corpore minus conueniens videtur, sed eius loco cucurbitulæ, partim cum, partim sine scarificatione, admoueri possunt scapulis, dorso, humeris & ceruici. Ab oxyrhodino, aliisque similibus repellentibus frigidis hic abstinendum iudicamus.

IX. Deinde excitato ægro hic haustus purgans exhibeatur:

Rec. *Agarici albiss. drach.* i.
fol. Senna mundat. nunc. ſ.
sem. Anisi drach. j. *zinziberis scrup.* ij
decocti hordei q. ſ.
fiat infusio ſ. Art. Adde colaturæ
electi Diaphanici drach. iij.
misce, fiat haustus.

Postea si alvus quotidie non satis respondeat, clysteribus prouidetur.

X. Corpore expurgato, subinde detur ægro haustus huius apozematis:

Rec. *Rad. Calami aromat. Helenii, faniculi;*
Petroselini, ana unc. ſ.
Herb. Betonicæ, capilli ven.
Cardui ben. Centaurii min. Taraxici, ana m. ſ.
rosmarini, maiorana, hyssopi,
florum stœchados,
chamomillæ, ana m. ſ.
baccarum iuniperi drach. vj.
sem. Anisi scrup. j. ſ.
corticum citri, aurantiorum, ana unc. ſ.
aquæ q. s. coquantur ſ. Art. &
fiat apozema ad lib. j. ſ.
cui admisceantur syrupi de
stœchade unc. ij. *vel* iij.

XII. Post usum huius apozematis corpus iterum expurgetur haustu purgante ante dicto: cuius loco si æger pilulas malit, detur scrup. ij. vel scrup. iij. pilularum cochiarum: vel si puluerem melius assumere possit, detur drach. i. pulueris diacarthami aut diaturbith, cum decocto hordei dissoluta.

XIII. Secunda hac purgatione peracta, ad prædictum apozema redeundum erit, cui tunc plura diuretica (ut radices ononidis, asparagi, eryngii, herb. Petroselinum, fragaria, aliaque similia) commode adiicientur. Et quia castoreum in hoc morbo admodum laudatur, non malè interdum cum haustu istius apozematis, aut cum oxymeli scyllitico, castorei puluerisati grana quinque aut sex exhibebantur.

XIV. Interea dum hæc fiunt, studendum etiam, ut materia e capite specialim euacuetur, & ipsum caput topicis roboretur, in eoque contenta residua materia discutiatur. Prius imperabimus, si succum radicum betæ & foliorum maioranæ æqualibus portionibus pro errhino in nares immittamus: vel si hunc puluerem sternutatorium in nares sufflemus:

Rec. *Rad. Hellebori albi scrup.* j.
rad. Pyrethri, fol. maiorana, ana scrup. ſ.
piperis nigri gr. v. *castorei,*
benzoini ana gr. iv. *fiat pulvis.*

Posterius consequemur, si verticem & tempora sæpe illinamus hoc linimento, & sequentem cucupham imponamus:

Rec. *Olei succini, rosmarini,*
maiorana, ana scrup. j.
unguenti martiati drach. ij.
castorei pulverisati scrup. ſ.
misceantur pro linimento;

Rec.

Rec. *fol. maiorana m. ſ.*
roſmarini, ſaluiæ, flor. meliloti, aa p. i.
gariophyllorum, nucis moſcatæ aa ſcrup. ſ.
caſtorei ſcrup. ſ.
fiat pulvis groſſus pro cucupha.

XIV. Potro dictam conuenientem inſtituere neceſſe eſt. Aer ſit purus, lucidus, moderatè calidus, & alteratus odoribus ex caſtoreo, pulegio, roſmarino, ſaluia thymo, maiorana, meliſſa, &c. Cibi dentur pauci & facilis digeſtionis, conditi roſmarino, maiorana, betonica, hyſſopo, aliſque quæ humorem pituitoſum attenuandi & coquendi, caputque corroborandi vim habent: (non enim hic ratione febris victus merè reſtringerans eſt inſtituendus, ſed potius ratione humoris peccantis, aliquo modo calefaciens: nam hoc modo ſublata humoris pituitoſi generatione, eiuſque coctione peracta, febris facile euaneſcet) Abſtineat æger à lacte, leguminibus, fructibus horatiis, aliſque frigidis alimentis, ut & ab iis quæ ſubtili calore attenuatos humores copioſe & ſubito ad caput deducunt, qualia ſunt cæpe, allium, ſynapi, raphanus, &c. Potus ſit aqua hordei, cum hyſſopo, maiorana, roſmarino, & ſimilibus decocta, melle vel hydromelite dulcorata, & cum pauxillo cinnamomi aromatiſata. A continuo ſomno æger omnibus modis arceatur, & quam ſæpiſſimè excitetur. Euacuationes naturales, ſi ſponte non ſuccedant, arte promittentur: cumque lethargirici mictionis & egeſtionis alui obliuiſci ſoleant, ſæpe admonendus eſt æger ad urinæ & alui excretionem.

HISTORIA VIII.

De Caro.

IVuenis robuſtus cum è loco editiore in caput decidiſſet, mox alto ſopore oppreſſus eſt. Ab amicis præſentibus, qui illum ebrium eſſe putabant, in lecto depoſitus, toto biduo in iſto ſtatu remanſit; cumque illo temporis ſpatio ſponte non euigilaret, tandem Medici conſilium imploratum eſt. In capite nullum vulnus animaduertitur, propterea quod pileus durior caput à vulnere defenderat. In vertice tamen aliqua non magna contuſio obſeruatur. Pulſus bene ſeſe habet, neque cordis malè affecti ſigna exhibet. Reſpiratio facilis eſt. Si pungatur æger, compunctum membrum aliquantillum contrahit. Interim, nullis clamoribus, pilorum vellicationibus, aliſque medijs è ſomno excitari poteſt.

I. QVanto opere in hoc ægro caput afficiatur, grauiſſimus ille ſopor ſatis oſtendit.

II. Sopor hic *Carus* appellatur, *eſtque ſomnus maximè profundus cum actionum animalium læſione.*

III. Apoplexiam non eſſe liquet, quod reſpiratio libera ſit, & æger compuncta membra aliquantillum contrahat. Neque Lethargum, quia febris abeſt, & æger excitari nequit; quo ſigno etiam à Comate diſtinguitur, ut pote in quo ægri ſubinde excitantur, & membra loco dimouent.

IV. Malí huius cauſa eſt depreſſio ſuperioris cranij, ſiue oſſium bregmatis, lapſu iſto facta, qua etiam depreſſum cerebrum in ſuo motu impeditur, ita ut ſe dilatare commode non poſſit: hinc propter impeditam illius actionem, omnes quoque animales actiones læduntur. Adde, quod propter compreſſum, & hinc magna ex parte obſtructum plexum choroidem ſpiritus vitales pauciores ad cerebrum penetrent, hincque pauciores etiam generentur animales ſpiritus; quorum influxus ad ſenſuum organa, aliaſque partes ab eadem compreſſione non parum impeditur: atque ſic propter ſpirituum animalium tum non ſatis liberum influxum, deficiunt partium actiones, & fit quies altuſque ſopor.

V. Sopor hic graue periculum minatur, & niſi quam primum commoda remedia adhibeantur, metuenda eſt mali huius in fortem Apoplexiam mutatio.

VI. Indicationes curatiuæ ſunt: 1. Vt cranium depreſſum eleuetur. 2. Vt cerebrum à depreſſione illa debilitatum corroboretur. 3. Vt totius corporis ratio habeatur: & ne humores multi ad caput affluant, vel alius in corpore morbus generetur, præcaueatur.

VII. Præmiſſo igitur clyſtere, ſanguinis unc. viii vel ix. è brachio extrahantur. Quo facto ad genetotum maximeque neceſſarium remedium deueniendum eſt, ſcilicet cranij denudationem, &, ſi neceſſe ſis, perforationem.

VIII. Eadem die (nam periculum eſt in mora) qua clyſter iniicitur, & ſanguis detrahitur, etiam circa ceruicem cranium, eo loco ubi extrinſecus in ver-

tice contusio apparet, cruciali incisione, in partibus carnosis facta, satis lato vulnere denudetur. Postridie matutino tempore animadvertendum, ut commodis instrumentis depressum os elevari possit. Sed quia non sine ratione metus est, a violenta illa depressione aliquas in dura meninge venulas discrepas esse, ex hisque non nihil sanguinis inter illam meningem & cranium effluxisse, qui postea ibidem putrescens mortem inferre posset, tutissimum foret si cranium trepano perforaretur in parte firma depressæ parti proxima, ut hic extravasatus ille sanguis effluere, & cranium, immissis per illud foramen instrumentis, commodius elevari possit.

IX. Elevato cranio, & vulnere f. art. peritis obstricto, toti capiti hoc fomentum tepidè circumponatur, & cum refrigerari incipit, mox renovetur:

Rec. herb betonicæ m. iv.
maioranæ, rosmarini, verbenæ, faniculi,
fol. lauri melissæ, thymi, rutæ,
flor stachados, chamomillæ,
meliloti ana m. j.
aquæ communis q. s. coquantur f. art.
adijciendo sub finem, vini albi lib. j.
fiat fomentum ad lib. iij.

X. Temporibus illinatur hoc linimentum:

Rec. olei succini, rosmarini,
maioranæ distill. ana semp. j.
castorei pulverisati gr. ix.
unguenti martiati drach. ij.
misceantur.

XI. Ægro è somno iam excitato (quod paulo post cranii elevationem plerumque fieri solet) hic haustus purgans exhibeatur.

Rec. fol. sennæ mund. drach. iij.
rhabarbari opt. drach. j. ß.
agarici albiss. drach. ß.
fem. anisi drach. j. decoct. hordei q. s.
fiat infusio f. art. Adde colaturæ
elect. diaprani solutivi drach. iij.
misce fiat haustus.

XII. Corpore purgato, bibat bis terve de die hanc potum huius apozematis:

Rec. radic. cichorei, succ ana unc. ß.
faniculi, acori, ana unc. ß.
herb. betonicæ, taraxici, boraginis,
melissæ, rutæ, ana m. j.
rosmarini, maioranæ,
florum stachadis, ana m. ß.
corticum citri. aurantiorum, ana unc. ß.
passularum corinth. unc. ij.
aquæ q. s. coquantur. f. art. &
fiat apozema ad lib. j. ß.

XIII. Loco apozematis subinde etiam dari potest particula talis conditi:

Rec. specier. diambræ, drach. j.
vad. acori cond. corticum aurantiorum cond.
conserv. anthos, rosarum pallid. ana unc. ß.
syrupi de stachade q. s.
fiat conditum.

XIV. Si interea alvus non respondeat, clysteribus subinde proritetur: vel suspendatur hæc puppa in cerevisiæ tenuis lib. j. ß. de qua subinde matutinis temporibus haustus detur.

Rec. foliorum sennæ mund. unc. j. ß.
rhabarbari drach. ij.
rad. ialappæ, drach. j.
sem. anisi drach. ij.
fol. maioranæ, cardui ben. ana m. ß.
fiat puppa.

XV. In dieta, sit aer temperatus & clarus: Cibi offerantur euchymi & eupepti, primis diebus pauciores. Potus sit cerevisia tenuis & vinum tenue. Somnus primis diebus brevior sit, postea moderatus. Exercitia sint mediocria. Excretiones naturales vel sponte, vel arte debito modo procedant. Animi pathemata fugiantur.

HISTORIA IX.

De Catalepsi.

DOmicella 20. annorum ob menses parcius fluentes, uterinis suffocationibus subinde obnoxia, hac diebus subito prehensa, omnis sensus expers remansit, & in illo, quo prehensa fuit corporis situ, obriguit, oculos apertos ac fixos detinens, nihil tamen videns. Si adstantes brachium illius sursum, deorsum, vel ad latus inflecterent illud in tali situ remanebat. Si ægram in pedes deponerent, stabat, si corpus impellerent, pedem promouebat: si caput ad latus detorquerent in illo situ remanebat. Respiratio tamen libera persistebat. Cum hic paroxysmus per horam duraisset, tandem ad se rediit ægra immemor omnium, quæ ipsi contigerant. Post biduum simili paroxysmo de novo detenta fuit, qui etiam sponte cessavit.

In

IN capite mali huius sedem esse, actionum animalium grauis læsio satis ostendit, sicut uteri affectionem indicant Hystericæ suffocationes.

II. Affectio hæc est *Catalepsis*, quæ etiam Catoche, & Prehensio appellatur, *estque actionum animalium, exceptæ respirationem, subita & maxima læsio cum totius corporis rigiditate, qua ægri ipsum corporis situm seruant, in quo erant, cum illo affectu corripierentur.*

III. Afficitur in hac ægra cerebrum, non quidem totum, sed secundum illam partem, in qua sit sensus communis afficitur autem hæc pars à vitioso humore, aut vapore ex utero eo translato.

IV. *Causa antecedens*, est vitiosus & viscidus humor, aut vapor crassus in utero genitus vel collectus, indeque per cæcos ductus ad caput translatus. (quod ex præcedentibus uteri suffocationibus liquet) qui sensorio communi, partibusque ei vicinis adhærens, easque subito inuoluens, spirituum à sensorio communi determinationem impedit, sicque huius Catalepseos *Causam continentem* constituit.

V. Quia autem hic totum cerebrum non afficitur & Spiritus satis copiosi in eo generantur, quorum etiam influxus in neruos, nulla principii neruorum compressione, vel obstructione impeditur, hinc fit quod Spiritus illi in determinatas partes influentes, cum iam sensorium commune à prædicto vitioso humore, crassoue vapore subitò occupatur, inuoluitur, & detinetur, non determinentur ad alias partes, sed continue copiosi influant ad illas partes, ad quas determinati erant, mox ante illam prehensionem, seu detentionem. Atque hæc causa est, quod singulæ partes in illo situ deteneantur, in quo erant mox ante prehensionem, & oculi, brachia, crura, &c. quasi fixa remaneant.

VI. Quod autem ægra in pedes deposita stet, & membra ab adstantibus aliorsum reflexa in nouo rursus statu contineat, hoc fit, quod mutato musculorum situ, mutatur etiam influxus Spirituum; & pori antea aperti, per quos Spiritus influebant, claudantur: alii vero, qui antea clausi fuerant, aperiantur, ac Spirituum influxum recipiunt, ita ut qui Spiritus modo copiosi influebant in hos musculos, statim, mutato pororum situ, copiosiores influant in illos; in quos etiam continue influere, partemque in tali statu continere non desinunt; usque dum situs ille rursus mutetur.

VII. Respiratio eodem modo perficitur ut in dormientibus, & illæsa manet, partim propter insignem magnitudinem & latitudinem pororum, maximeque necessarium usum neruorum respiratoriorum: partim consuetam & continuam determinationem ad musculos respiratorios.

VIII. Cessat paroxysmus & ad se redit ægra, vapore illo vel humore, qui sensorium commune occupat, discusso ac dissipato. Redit paroxysmus cum ab utero similis humor vel crassus vapor ad sensorium commune de nouo peruenit, idque subito occupat & inuoluit.

IX. Periculosum est hoc malum, propterea quod pars nobilis hic afficiatur, & tenaces viscidique humores, sensorio communi adhærentes, non facile dispellantur. Magnam tamen sanationis in nostra ægra spem facit, quod malum non sit idiopathicum, eiusque causa in ipso cerebro non generetur, sed aliunde eo feratur: præterea quod inuasiones sint breuiores, unde iudicamus sensorium commune non tam detineri ab humore tenaci, & viscido, quam potius à crasso quodam vapore, qui facilius attenuatur & dispellitur. Hic tamen crassus vapor, quia in tenacem humorem ibi aliquando concrescere, sicque grauissimam Catalepsin, cum summo vitæ periculo, inducere posset, curatio quam citò primum instituenda, antequam res eo deueniat.

X. Indicationes curatiuæ sunt. 1. Vt in accessione crassus ille vapor per humor, sensorium commune occupans, discutiatur. 2. Vt uterus expurgetur, eius obstructiones tollantur, nouæque huius praui humoris generatio in eo præueniatur. 3. Vt praui istius humoris vel vaporis ad caput translatio impediatur. 4. Vt caput ita corroboretur, ut huiusmodi crassos ac praui vapores vel amplius non admittat, vel admissos protinus dissipet, ac dispellat.

XI. In paroxysmo hic puluis Sternutatorius in nares suffletur, ut irritata (si fieri possit) facultate expultrice, vapor ille vel humor, sensorium commune occupans, valide excutiatur.

Rec. rad. Hellebori alb. scrup. j. ſ.
Pyrethri. fol. Maiorana, flor. Lilior. conuallium ana scrup. ſ. Piperis nigri n. viij.
Castorei gr. iv. f pulvis

Postea hoc linimentum naribus, temporibus ac vertici illinatur, eiusque nonnihil cum gossypio naribus immittatur.

Rec. Olei Thymi, Rosmarini, Salvia, Cerui, Castorei, succini ana scrup. ſ.
Vng. Martiati drach. j.
Misce pro linimento.

Hic quoque nodulus de collo suspendatur.

Rec. Castorei, Asæ fœtidæ, Camphoræ ana scrup. i. ſ.
fiat nodulus in tenui serico.

Interea etiam clyster acrior inijciatur.

XII. Si his paratis, paroxysmus adhuc perduret, cucurbitulæ sine & cum scarificatione imponantur, Ceruici, Scapulis, & Humeris, fiantque ligaturæ dolorificæ, & asperæ frictiones in cruribus ac pedibus. Præterea hic sacculus in vino paulisper coctus, & deinde expressus, summo capiti calide imponatur.

Rec. Fol Rosmarini, Maiorana, Thymi, calamenthæ, Flor. Chamomillæ, Stœchados ana m. ſ. sem. Cumini, Carui, Lenistici ana drach. j ſ.
Baccar. Lauri, Nucis Moſchatæ ana drach. i.

Fiat. S. a. in
sanni linteamine sacculus intersutus,
vel capitium.

XIII. Soluto paroxysmo, cum ægra ad se reuersa fuerit, detur hic haustus purgans:

Rec. *Fol. Sennæ munda unc. ſ.*
Agarici albiss. drach. ij.
Sem. Lenitici scrup. ij. decoct. hord. q. ſ.
fiat infusio S. a. adde colaturæ.
Elect. Hiera Picra drach. ij.
m. Fiat haustus.

XIV. Corpore sic expurgato, secetur vena in malleolo, & sanguinis unc. vj. aut viij. extrahantur.

XV. Bibat tunc ægra ter quaterue de die haustum huius apozematis.

Rec. *Rad. funiculi, valerianæ, dictamni, calami Aromat.*
paeoniæ maris ana unc. ſ.
Herb. Maioranæ, Nepetæ,
Calamenthæ, Rutæ, Pulegij,
Trifolij aquatici, Melissæ, ana m. j.
Flor. Chamom., Meliloti,
stachados ana m. ſ.
Sem. lenitici, dauci ana drach. ij.
Baccar. Iuniperi drach. vi.
aquæ q. ſ. f. ſ. ars.
Apozema ad lib. j. f.

XVI. Prædicta medicamenta subinde reiteranda sunt, iisque dicta conuenientia adiungenda. Aer sit temperatus, lucidus, & purus, alteratus herbis odoriferis, rosmarino, Melissa, Thymo, Rutha, Leuistico, Castoreo, aliisque similibus.

Cibi sint Euchymi & Eupepti cum talibus conditi, quæ cerebrum & uterum corroborant. Potus sit cerevisia tenuis bene defæcata, vel subinde pauxillum vini tenuis.

Somnus & Exercitia sint mediocria. Alui excrementa & menses vel sponte vel arte debito modo & iusta quantitate procedant. Animi pathemata vehementiora, imprimis tristia, vitentur.

HISTORIA X.

De Vertigine.

MVlier 30. annorum, obesa & fortis, temperamento pituitosa, cum præterita hyeme grauatiuo capitis dolore & aurium tinnitu multoties laborasset, tandem hoc verno tempore vertigine sæpius recurrente correpta est, primò mitiore, deinde vehementiore, qua omnes res in gyrum rapi & moueri videntur, ita ut se interdum sustinere nequeat, sed in terram prolabatur, neque inde assurgere possit, nisi vertigine aliquantum cessante; quæ facillimè redit, si rotarum circumgyrationes, flammam, fumumve ascendentem, vel fluminis fluctuantem aquam aspiciat, vel res profundas aut in præcipitio positas intueatur. Appetitus illi satis constat, & ventriculus bene concoquit: menstrua debito modo & tempore fluunt, omniaque infimi & medii ventris viscera bene se habere videntur. Quia autem hæc vertigo illi valde molesta est, indeque grauius malum sibi metuit, consilium Medici implorat.

I. IN cerebro hanc affectionem fieri manifestum est, cum visionis illa læsio non procedat a vitio oculi, vel medii, vel obiecti.

II. Affectio hæc Medicis *Vertigo* dicitur, *estque visionis fallacia, qua obiecta visibilia in orbem verti vel circumgyrari agris videntur, orta à spirituum animalium in cerebro motu vorticoso.*

III. Causa remota est frigus externum, cerebrum reti gerana, eiusque meatus excrementis euacuandis dicatos constringens: hinc causa antecedens, pituita scilicet in corpore abundans, in ventriculis cerebri copiosior collecta est, ibique continentem causam constituit.

IV. Ab his humoribus pituitosis ibi maiore copia collectis, primò distenti fuere ventriculi, unde præcedens tensiuus ac grauativus capitis dolor originem sumpsit. Deinde adaucta illa copia, etiam cerebri meatus, per quos spiritus transire debent, partim à pituitæ frigidæ repletione & constrictione, partim à compressione, hic illic nimis angustati fuerunt, ita ut spiritibus eo impulsis non satis liber transitus fuerit, qui hic illic in angustiorem vel obstructum locum impingentes, & recta transire nequeuntes, in orbem moti transeunt: eodem modo sicut aqua fluminis cum impetu descendens, si offendat agerem flumini iniectum, bis terve in orbem mouetur, antequam agerem præterlabatur.

V. His spiritibus ita circumgyrantibus ad mentis sedem delatis, imagines rerum visibilium, ad eandem sedem delatæ, miscentur, unaque circumgyratæ tem-

sorio communi offerantur; neque sic visus illam fallaciam inducunt, qua omnia obiecta visibilia eodem modo, quo imagines rerum visibilium, in orbem agi videntur.

VI. Hæc autem spirituum circumgyratio non est continua, partim quia angustia meatum cerebri modò maior, modò minor est; partim etiam quia spiritus modò crassiores, modò tenuiores transeunt, & modò cum maiore, modò cum minore impetu. Atque hinc est quod vertigo suos paroxysmos habeat. Nam in motu corporis spiritus maiore impetu & copiosiores mouentur, qui si per cerebri poros ac meatus ordinarios liberè & recta transire nequeant, sed hic illic in constrictos meatus impingant, paroxysmum faciunt, siue tenues, siue crassiores illi fuerint. Tenues enim ob maiorem copiam & fortiorem impulsum, crassi verò ob crassitiem difficilius transeunt, & in angustiores vel obstructas vias impingentes, circumgyrantur. Atque hinc est quod posita meatuum quorundam cerebri nimia angustia, vertigo æque fiat in ebrijs, iuuenibus, aliisque qui tenuibus spiritibus abundant, ob eorum copiam & impulsionis vehementiam, quam in senibus, ob eorum crassitiem; frequentior tamen & diuturnior si in senibus, quia in illis ob copiosiorem, qua abundant, pituitam, frequentius & diutius angustantur meatus plexus chorioidis. Hinc etiam est quod vertigo frequentior fiat in motu corporis, rarius in quiete: sed quiete potius imminuatur & sedetur.

VII. Quia verò spiritus circumrotati non satis copiosi per dictos cerebri meatus feruntur, neque ob illam circumgyrationem in neruos satis copiosi ingredi possunt, fit quod nostra ægra ob defectum spirituum, animalium in musculis, subinde in terram prolabatur neque inde assurgere possit, antequam vertigine cessante spiritus animales iterum copiosiores in musculos influant.

VIII. Ab aspectu motus inæqualis, undarum fluminis, flammæ, fimi, vel rotarum circumgyrantium, redit paroxysmus: quia ab istarum rerum imaginibus inæqualiter motis vel circumrotatis & ad interiora delatis, etiam spiritus animales, ob modò dictas causas ad circumgyrationem apti, facile agitantur & in gyrum mouentur. Sic etiam à conspectu rerum in præcipitio positarum redit vertigo: quia aspectus ille subitum terrorem ægræ incutit, à quo spiritus subitò, propter meatuum constrictionem detenti, à subsequentibus tamen spiritibus impulsi, cum libere non transeant, interius agitantur, & in orbem mouentur.

IX. Affectio hæc (teste Hippoc. 2. *proreth.*) est grauissima ac curatu difficilis, & (teste Galeno *in comm. ad 3. aphor.* 27. & 23.) facile mutatur in Epilepsiam vel Apoplexiam, aliudve graue cerebri malum: proinde in hac quoque ægra curatio festinanda est.

X. Curatio consistit in causæ procatarcticæ, antecedentis & continentis ablatione, ac denique cerebri corroboratione.

XI. Primo igitur purgetur hic pilulis:

Rec. *Massæ pil. cochiarum scrup. i.*
extracti catholici scrup. ß.
diagridij gr. ii.
syrupi de stachade parum,
fiant ß. ant. pil. vij.

Vel si illas deglutire nequeat, detur drach. j. pulueris diatutibith cum rheo, cum pauxillo decocti hordei.

XII. Licet à venæsectione magnum subsidium non sit expectandum, tamen ne sanguis nimia quantitate ad caput propellatur, poterit illius modica quantitas è secta brachij, vel (si menstruorum fluxus forte instet) pedis vena extrahi. Fiat autem venæsectio ægra iacente, neque sanguinem suum aspiciente.

XIII. Bibat deinde ter quaterue de die haustum huius apozematis.

Rec. *Rad. acori unc. j.*
belenij, fœniculi, ana unc. ß.
herb. beton. maiorana, rosmarini,
calamenthæ, thymi, ana m. j.
saluiæ, fol. lauri,
flor. stœchados, ana m. ß.
sem. anisi, fœnic. carui, ana drach. i. ß.
passularum mund. unc. ii.
aquæ q. ℔ coquantur ß. art.
addendo sub finem vini albi lib. ß.
fiat apozema ad lib. i. ß.

Interdum loco apozematis poterit sumere particulam huius conditi:

Rec. *Specier. diambræ, drach. i.*
diamoschi dulcis scrup. i.
vnd acori condit.
conserua flor. salu. anthos, melissæ ana unc. ß.
syrupi de stachade q. s.
misce fiat conditum.

XIV. Interea utatur subinde hoc masticatorio:

Rec. *Rad. pyrethri, belenii, ana drach. j.*
herb. maiorana, hyssopi, ana drach ß.
piperis nigri, scrup. ß.
masticches drach. v.
fiat puluis, è quo cum pauxillo
terebinthina & cera,
fiant trochisci masticandi.

XV. Tempora, nares, & vertex bis de die illinantur hoc oleo:

Rec. *Olei nucis moschatæ distil drach. j.*
olei rosmarini, succini, maiorana, ana scrup. ß.
misceantur.

Sequens etiam cucupha capiti per aliquot menses imponatur.

Rec. *Fol. rosmarini, maiorana, salu. a,*
flor. meliloti, ana p. ij. nucis moschatæ scrup. ii.
gariophyllorum scrup j.
benzoini scrup. ß.
fiat pulvis grossus pro cucupha.

XVI.

XVI. In dieta, sit aer calidior & purus. Cibi sint parciores, concoctu faciles, & minimè flatulenti, conditi cum cephalicis calidioribus & seminibus carminativis. Potus sit cereuisiæ mediocris, vel vinum tenue, in quo si puppa ex maiorana, rosmarino, & pauxillo cinnamomi suspendatur, tanto melius erit. Somnus sit mediocris. Præsente vertigine corporis quies magis conuenit, illa verò absente, modicum exercitium laudabile erit. Excreta naturalia procedant natura vel arte. Animi perbemata maxima sunt vitanda.

HISTORIA XI.

De Incubo.

MVlier quinquagenaria, boni habitus, carnosa, fortis & plethorica; capitis granitate & catarrhis ad pectus delabentibus hyberno tempore interdum obnoxia, hac hyeme nullis catarrhis infestata, interdiu bene sana, mente sensibusque integris vixit, sed nocte ad quietem composita frequenter in somno nocturnis ludibriis afficitur: interdum enim putat se dæmone obrui & detineri interdum à magno cane vel latrone corpori incumbente suffocari, adeo ut vix loqui aut respirare possit; cumque se ab hoc onere expedire nititur, quasi fortiter detenta, non potest membra mouere, tantaque anxietudine premitur, ut se iam suffocatum iri putet: atque dum in illa lucta est, tandem difficulter & summa cum perturbatione interdum sponte euigilat, interdum a marito, obscuram, inarticulatam & anxiam eius vocem audiente, è somno excitatur, moxque se in lecto erigens aliquamdiu celeriter respirare cogitur, ut anxietatem illam dispellat. Sæpe etiam contingit, ut postea ad somnum se iterum componens, in idem malum rursus incidat. Menses illi ante decennium ætatis ratione defecerunt.

I. IN hac ægra primariò afficitur cerebrum, maxime secundum partem posteriorem, seu posticum cerebri ventriculum, prope spinalem medullam. Afficiuntur etiam musculi partium infra caput sitarum, quod ex difficili respiratione, & impedito motu thoracis, crurum & brachiorum innotescit. Hinc cum pulmonibus etiam cor afficitur.

II. Affectio hæc *incubus* nominatur, qui *est motus, periss. mam respirationis, & vocis interceptio, cum falso rei grauis thoraci incumbentis insomnio, ob impeditum tiberum spirituum ad neruos influxum.*

III. Causa antecedens huius mali est sanguinis in toto corpore nimia redundantia, unde multi vapores ad caput delati, ibique a causa procatarctica frigore (scilicet hyberno poros constringente, istosque vapores incrassante) detenti, & meatum ad principium spinalis medullæ angustantes, spirituumque animalium sufficientem ad neruos transitum impedientes, causam continentem constituunt.

IV. Dum enim à vapore crassiore, detento circa inferiorem cerebri partem, ad ingressum medullæ in foramen, meatus neruorum comprimuntur, spiritus animales sufficienti copia ad inferiores partes non influunt, unde statim motus musculorum imminuitur vel deficit. Quia verò musculorum motus in somno per se maxima ex parte quiescit, exceptis musculis respirationi inseruientibus, quorum actio continue proceedere debet, propterea non tam aliorum, quam respiratorium, actionis imminutio primò sentitur, ob summam angustiam quæ ex necessariæ respirationis defectu oboritur. Cum autem ægra somno obruta, angustiam illam percipiat, causam verò ob sensuum stuporem ignoret, sibi per insomnium imaginatur, se à Dæmone, latrone, aliove corpori incumbente graui onere premi, hincque nec thoracem mouere, nec respirare posse. Deinde cum ab illa angustia suffocationem secuturam persentiens, se à graui illo incumbente, ut putat, pondere expedire nititur, reliqua autem membra mouere quoque non possit (ob spirituum animalium in musculis paucitatem) etiam illa ab eodem Dæmone vel latrone detineri putat: atque hinc alios in subsidium vocare volens, propter respirationis verò angustiam clarè & perfectè eloqui nequiens, obscuram & inarticulatam vocem cum difficultate profert. In conamine autem isto laborioso perseuerat, usque dum spiritus animales, ob medullæ cerebri ad eius basin compressionem detenti, & ibi magna copia collecti, atque à continue succedentibus è corde spiritibus propulsi, vi tandem perrumpant, sicque per medullam in neruos & musculos omnes copiosi influentes, motum in integrum restituant: unde ægra mox corpus mouet, hincque expergiscitur; & illo motu corporis

statim

statim dissipantur crassi illi vapores, neruorum principium dicto loco comprimentes: & verò sponte non expergefiat, sed à marito excitetur, etiam corpus mouendo vapores illi eodem modo statim dissipantur. Expergefacta verò aliquamdiu celeriter respirare cogitur, ut damnum illud, quod ex defectu respirationis passa est, resarciat. Quia autem huiusmodi crassorum vaporum maior copia in capite continetur, hinc fæpe fit ut ægra post hanc excitationem, si de nouo in somnum incidat, in idem malum facile relabatur, inprimis si supina iaceat, propterea quod crassi illi vapores tunc facilius versus posteriorem cerebri partem ad medullam subsidant.

V. Vapores autem esse, non verò humores, qui dicto loco spirituum animalium influxum impediunt, ex eo liquet, quod malum tam facile dispellatur, quod in humoribus tam facile non fieret, qui potius apoplexiam, aliudve graue malum inducerent. Illos verò vapores crassos esse, non autem tenues, ex eo manifestum est, quod tenues eo loco non hærerent, sed per poros, licet angustiores, facile transirent & euacuarentur, quod crassi non possunt, quis ut dissipentur, motu corporis calefieri & attenuari debent, quo motu in somno deficiente, hærent dicto loco, neruorumque poros angustant. Si verò frigida aliqua cerebri dyscrasia accesserit, facile illi vapores frigore isto condensantur in humores; qui si in capite detinerentur, eiusdem grauitatem, coma, apoplexiam, aliudve malum inducere possent; si verò è capite ad inferiores partes defluant, catarrhos faciunt, quibus ad thoracem delabentibus ægra nostra hybernis temporibus subinde laborare consueta est.

VI. Affectio hæc periculosa est, & vaporibus in humores condensatis ac in capite coacernatis, facile in coma somnolentum, carum, vel apoplexiam mutari posset; ac proinde illius curatio quam primum est instituenda:

VII. Consistit autem curatio in causæ antecedentis, procatarcticæ, & continentis ablatione, cerebri que corroboratione.

VIII. Vt causa antecedens, humorum scilicet copia (è qua vapores copiosi ad caput eleuantur) tollatur, corpus primò expurgetur cum pilulis cochiis aureis, puluere diatarbith, vel hac potione:

Rec. *Fol. senna mun. drach.* iij.
agaric. albiss. Rhabarbari, ana drach. j. ß
fem. anisi scrup. ij.
zingiberis albi scrup. ß
decocti hordei q. s.
fiat infusio s. art. adde
colatur. elect. diaphanici drach. iij
misce fiat potio.

IX. Deinde, quia plethorica est, sanguinis vncias viij. vel ix. è brachio extrahantur.

X. Post venæsectionem utatur aliquot diebus mane tino tempore hausto huius apozematis:

Rec. *Rad calami aromatici, funiculi,*
petroselini capparum ana drach. vj.
herb. betonicæ, maioranæ, cuscutæ,
cichorei, boraginis acetosæ, anam. ß
florum stachados m. ß
bac. iuniper unc. ß
passularum corinth unc. ij.
aquæ q. s. coquantur s. art.
addendo sub finem,
fol. sennæ mundat. unc. i. ß
rhabarbari opt. agarici albiss. ana drach. ij.
fem anisi unc ß
cinnamomi scrup. j. ß
fiat apozema ad lib. j ß

XI. Ad continentis causæ dispulsionem, proderunt errhina in nares attracta, vel pulvis sternutatorius ex rad. hellebori albi, pyrethri, fol. maioranæ & floribus liliorum conuallium compositus.

XII. Ad capitis corroborationem interdum sumat particulam huius confecti:

Rec. *Specier. diambræ,*
aromatici rosati ana scrup. ij.
conserua flor. betonicæ, saluiæ, anthos,
rad. acori condit. ana unc. ß
syrupi de stachade q. s.
misce fiat condit. um.

XIII. In eundem finem etiam talem cucuphan capiti impositam gestabit:

Rec. *Fol. maioranæ rosmarini, thymi,*
flor. lauendulæ, ana drac. ß
nucis moscatæ, scrup. ij.
gariophyllorum scrup. ß
benzoini scrup. ß
fiat pulvis grossus pro cucupha.

XIV. In dieta sit aer purus & moderate calidus. Cibi sint euchymi & cupepti, sed aliquanto tamen pauciores quam pro consuetudine; in iisque assumendis satietas omnino vitetur, inprimis, vespertino tempore, quo cœna tenuior magis conuenit. Potus sit cereuisiæ tenuis vel mediocris, aut inter cibos vinum tenue parcius sumptum. Corpus mediocriter exerceatur. Somnus sit mediocris, & decubitus fiat in alterutro latere, viteturque supinus, quantum fieri potest. Si maritus illam in somno obscurè querentem audiat, mox expergefaciat. Alvus quotidie respondeat, vel sponte, vel arte. Sit animo quieto, fugiatque pathematum excessus.

HISTORIA XII.

De Apoplexia.

VIr quadragenarius ac fortis, crapulæ & ebrietati admodum deditus, postquam de capitis grauatiuo dolore, modò maiore, modò minore, per duos menses conquestus fuisset, nec remedia adhibuisset, sed more solito, tam ante meridianis quam pomeridianis temporibus, aliorum sanitatem magnis multisque poculis bibendo, suam citissimæ profligare diligenter studuisset, tandem matutino tempore in cubiculo deambulans, postquam tria quatuorve inarticulata verba protulisset, repente concidit, omnis sensus & motus expers, sola respiratione excepta, quam Medicus post tesqui horam vocatus aliquantum ingraueiere percepit, pulsu mediocriter valido etiamnum existente.

I. CAput in hoc ægro grauissimè affligi, animalium functionum prostratio satis docet.

II. Affectio hæc *Apoplexia* nominatur, quæ *est subita omnium functionum animalium, excepta respiratione, priuatio.*

III. Non esse lethargum, syncopen, comam somnolentum, catum, catalepsin, aut epilepsiam, ex eo liquet, quod æger sine febri existens, prorsus immobilis iaceat, nihil omnino sentiat, nullis medijs excitari possit, & omnia membra flaccida habeat, cum pulsu mediocriter valido, & respiratione iam ingraueiente; quæ omnia simul in prædictis affectibus non adsunt.

IV. Cerebrum autem in hoc ægro imprimis afficitur circa principium medullæ, è qua omnium neruorum origo procedit: quod principium ab humore pituitoso obsidetur.

V. Causa remota fuit continua ebrietas & crapula, qua longiore tempore debilitatum est cerebrum, in eoque multi crudi ac pituitosi humores generati, & in ventriculis cumulati, causam antecedentem dederunt; qui postea ad neruorum principium decumbentes constituerunt causam continentem.

VI. Illius enim neruorum principij poros obstructione & compressione repentè angustantes, ingressum spirituum animalium prohibent; qui cum ea de causa subito substantut & in neruos non influant, subito etiam concidunt omnes animales functiones, ægerque omnis motus & sensus expers relinquitur; excepta tamen respiratione, quæ aliquandiu persistit, quia spiritus animales in principio mali ad solos musculos respiratorios adhuc influunt, propter porotum in neruis respiratoriis maiorem latitudinem, qui ea de causa tam citò non obstruuntur, ut aliorum neruorum pori angustiores. Verum malo perdurante, & humore pituitoso se magis magisque in eorum poros paulatim inserente, vel eos compressione angustante, etiam magis magisque impeditur spirituum animalium in eos influxus, unde tunc actio musculorum respiratoriorum imminuitur, & respiratio cum stertore ingraueiit.

VII. Pulsus integer sentitur, quia malum est in principio, & sanguis è dextro cordis ventriculo in pulmonem impulsus propter respirationem adhuc permanentem, satis refrigeratur. At si perduret malum, etiam pulsus paulatim imminuetur ac deficiet, non quod cordis motus ab influxu spirituum animalium dependeat, ab eoque deficiente etiam deficiat, sed quod dextri ventriculi sanguis, propter respirationem desinentem, non satis euentiletur & refrigeretur, atque hinc pauca quantitate ad sinistrum ventriculum deueniat, unde cor debilitatum in suo motu deficit.

VIII. Malum hoc periculosissimum est, nam iuxta 2. aphor. 42. *Apoplexiam fortem soluere impossibile, debilem vero non facile.* Quia tamen in principio est, & respiratio nondum sit cum stertore, ægrique calor ratione ætatis validior existit, aliqua sanationis spes elucere videtur, sed non sine metu paralyseos, post morbi solutionem secuturæ.

IX. Curatio igitur citissime instituenda est; ac studendum primò ut humores pituitosi neruorum principium obstruentes, loco moueantur, sicque spiritus in neruos transitus pateat: deinde ut eorum nouæ generatio & in capite collectio impediatur, ac cerebrum corroboretur,

X. Corpus itaque moderatè commoueatur, fiantque pilorum vellicationes & aliæ frictiones ac ligaturæ in brachijs & cruribus. Hic quoque clyster iniectetur.

Rec. *Herb. absinthij, ruthæ, parietariæ, mercurialis, hyssopi, betæ, centaurij minoris, aa m. i. fol. sennæ unc. ß. colocynthidos in puppi ligatæ dracm. ß. sem. anisi drach. v. aquæ q. s. coquantur f. art.*

Rec. *colaturæ unc. x.*

elect. hiera picra, diaphœnici ana unc. j.
olei chamamelini, rutacei, ana unc. j.
salis scrup. iv. misce fiat clyster,
Vel eius loco uti licet tali suppositorio:
Rec. *Specierum hiera drach j.*
trochisc alhandal scrup. ß.
salis gemma scrup. j mellis scrup. vi.
Fiat s. art. suppositorium: cuius extremitati adhæreant diagridii gr. iv.

XI. Post iniectum clysterem secetur vena in brachio & sanguis mediocri quantitate educatur. Deinde cucurbitulæ cum & sine scarificatione applicentur collo, humeris, scapulis, & cruribus.

XII. Naribus etiam hic pulvis sternutatorius inflctur.

Rec. *Radic. hellebori albi scrup. j.*
pyrethri scrup. ß.
fol. maiorana scrup j.
piperis nigri, castorei, ana gr. v.
Fiat pulvis.

XIII. Foris capiti calide imponatur hic sacculus:
Rec. *Salis m. j. ß.*
sabuli marini m ii. sem. cumini,
feniculi, leuistici, ana drach. ij.
cariophyllorum drach. i. ß.
calefiant simul in olla lapidea sicca,
ac sacculo lineo infusa, capiti calido applicentur.

XIV. Naribus temporibus & vertici illinatur hoc linimentum.

Rec. *Olei castorei, lauandula,*
rosmarini, succini, ana scrup. j.
unguenti martiati drach. i.
misce, fiat linimentum.

XV. Cum æger incipit ad se redire, detur interdum cochleare huius aquæ.

Rec. *Aqua florum tilia, lilii conuallium, vitæ Matthioli, syrupi de stachade, ana unc. j.*
misceantur.

XVI. Deinde purgetur cum pilulis cochiis, vel extracto catholico, vel elect. diaphœnico aut hieræ picræ, vel puluere diacurbith, vel infusione ex phlegmagogis parata. Quæ purgatio subinde repetenda est.

XVII. Corpore purgato præscribatur hoc apozema:

Rec. *Rad. acori, feniculi, ana drach. vij.*
galanga unc ij.
herb maiorana, betonica,
rosmarini, rutha, calamenta,
hyssopi ana m. j.
florum stachados m. ß.
cordialium ana p. i.
bac. iuniperi drach. vj.
sem. anisi, feniculi, ana drach. ii.
aqua & hydromeliitis, ana part. æq.
coquantur s. art. &
fiat apozema ad lib. j. ß.

De quo sumat æger ter de die unc. iv, vel v. cum particula huius conditi:

Rec. *Specier. diambra scrup. iiij.*
diamoschi dulcis drach. ß.
rad. acori condit. conserua florum saluia, anthos, betonica, ana drach. v.
syrupi de stœchade q. s.
fiat conditum.

XVIII. Capiti imponatur hoc capitium:
Rec. *Fol maiorana m j.*
rosmarini, flor. lauendula, ana p. ij.
cariophyllorum, uncis moscata, ana scrup. ii.
benzoini scrup. i.
fiat pulvis grossus, è quo in serico rubro fiat s. art. capitium.

XIX. In diæta sit aer modice calidus & siccus, vel natura vel arte. Cibi sint boni nutrimenti & facilis coctionis, conditi cum iis quæ attenuandi, calefaciendi, & caput corroborandi vim habent, qualia sunt, rosmarinus, maiorana, serpillum, salvia, betonica, melissa, hyssopus, semina carminatiua, & aromata. Potus sit melicratum, vinum tenue, & nonnunquam pauxillum vini hippocratici. Somnus sit breuior, & corporis exercitatio mediocris. Excreta naturalia bene procedant. Fugiantur animi pathemata.

HISTORIA XIII.

De Paralysi, & Tremore.

VIrgo 25. annorum, temperamento pituitoso prædito, postquam longo tempore lactucis, cucumeris, & fructibus horariis copiosius usa, ac postea de capitis doloribus grauatiuis sæpe conquesta fuisset, tandem subitò in terram concidit apoplectica, sensu motuque excepta respiratione, priuata. Vocatus statim Medicus conuenientibus remediis eo deduxit, ut post sex horas oculos rursus aperiret, & post 20. horas plane mentis compos

fieret, ac denuo loqueretur: sed totum sinistrum corporis latus infra caput omnino immobile remansit, cum sensu valde obtuso. Menses ipsi statis quidem periodis, sed non adnodum copioli fluere consueuerunt.

I. AFfectio quæ huic ægræ post solutam debilem apoplexiam relinquitur, *Paralysis* nominatur, quæ *est motus voluntarii, aut sensus, vel utriusque, in una vel pluribus corporis partibus abolitio.*

II. Pars affecta est spinæ medulla, maximè circa suum principium; in quo dimidia eius pars ab humore pituitoso, e cerebro excusso, obstructa vel compressa, neruorum omnium ex illo latere prodeuntium, & per consequens musculorum etiam usum lædit.

III. Causa remota est victus inordinatus, & rerum frigidarum nimius usus, unde multi pituitosi humores in corpore pituitoso generati, & nimia copia in capite cumulati, capitis dolorem grauativum induxerunt, & huius mali causam antecedentem dederunt. Deinde verò principium totius medullæ cerebri intra cranium obstruentes primò apoplexiæ, ac postea inde ad dimidium eius partem excussi, & eandem in principio suo obstruentes, huius Paralysis causam continentem constituerunt.

IV. Aboletur hac de causa motus sinistri lateris, quia propter dictam dimidiæ medullæ obstructionem, denegatur spirituum animalium in illam dimidiam medullam, omnesque inde prodeuntes neruos influxus, unde mox omnino concidit actio instrumentorum motus voluntarii, scilicet musculorum, quæ à copioso istorum spirituum in neruos influxu procedit, atque ita totius dicti lateris omnia membra prorsus immobilia manent. Sensus verò non quidem in totum aboletur, sed valde obtusus relinquitur, quia licet per medullæ angustatos poros tam multi spiritus non transfluant, qui ad motum sufficere possint pauci tamen tranſeuntes partibus sentientibus sensum tribuunt, eumque stupidum, propter nimiam paucitatem.

V. Malum hoc erit longum & curatu difficile, propter frigidi, viscosi & pertinacis humoris in parte frigida detentionem, qui tam ratione propriæ naturæ, quam ratione partis eam detinentis difficulter discutietur. Ætas tamen iuuenilis, robur corporis, & quod una cum motu etiam sensus in affecto latere omnino non perierit, magnam recuperandæ sanitatis spem promittunt, si modo conuenientia remedia quam primum adhibeantur.

VI. In curatione studendum 1. Vt humor pituitosus medullam obstruens, vel è loco illo excutiatur, vel attenuetur & dissipetur, sicque obstructi pori rursus aperiantur. 2. Vt præcaueatur ne noui humores ad locum illum affluant. 3. Vt causa antecedens tollatur, nouaque talis humoris generatio impediatur. 4 Vt cerebrum & spinæ medulla cum neruis, totumque latus paralyticum corroborentur.

VII Ad humoris pituitosi è toto corpore euacuationem exhibeantur hæ pilulæ:

Rec. *massæ pil. cochiarum drach.* ß,
extracti catholici scrup. ß.
cum pauxillo syrupi de
stœchade, fiant pil. vij.

Harum loco etiam dari potest pulueris diarrhodon aut diacarthami drach. j. vel hausus ex infusione foliorum sennæ, rad. ialappæ, agarici, &c. Hæc purgantia per interualla sunt repetenda, quibus si ægra uti nequeat, clysteribus alvus subducenda erit.

VIII. Venæsectio in hoc casu non conuenit.

IX. Ad cerebri totiusque neruosi generis corroborationem, frigidæ intemperiei, ac generationis pituitosorum humorum sublationem, præscribatur hoc apozema:

Rec. *rad. acori, fœniculi. ana drach. vj.*
iridis florent. drach iij.
herb. betonicæ, iuæ arthriticæ,
maioranæ, rosmarini,
calamenthæ, thymi, ana m. i.
Flor. stœchadis m ß.
sem. fœniculi, carui,
amcos ana drach j. ß.
aquæ & vini ana part. æq.
coquantur ſ. art. ad lib. j. ß.
colaturæ, admisce
syrupi de stœchade unc. iij.
fit apozema.

De quo utatur ægra ter quaterve de die unc. iiij. cum particula huius conditi:

Rec. *species. diambræ, diamoschi*
dulcis, ana scrup. iv.
conserua florum sabiæ, anthos,
rad. acori condit. ana drach. v.
syrupi de stœchade q. ſ.
misce, fiat conditum.

X. Conueniens hic etiam erit usus aquarum paralyticarum & apoplecticarum, quæ calefaciunt & corroborant cerebrum, omnesque neruosas partes, quarum multæ existunt apud Medicos descriptiones.

XI. Si his non cedat malum, utatur ægra singulis matutinis temporibus unc v. sequentis decocti, & pro ratione virium in lecto sudet:

Rec. *ligni guaiaci unc. iiij.*
sassafras, salsaparillæ, ana unc. ij.
aquæ lib. viij.
fiat macerationis horis viginti,
postea coquantur ſ. art. addendo sub finem

rad.

rad. asari valeriana,
petasitidis, faniculi, ana drach. vi.
galanga, glycyrrhiza rasa, ana drach. ii.
herb. betonica m. iii.
sua arthritica, m. ii.
thymi, maiorana, rosmarini,
florum stachados, ana m. i.
salvia m. f. bac. iuniperi unc. j.
fiat decoctum ad lib. iii.

XII. Ad cerebri corroborationem hæc quoque cucupha capiti imponatur.

Rec. *fol rosmarini, maiorana, thymi, flor.*
lauendula, meliloti, ana p. i.
gariophyllorum,
nucis moscata, ana scrup ii.
fiat pulvis grossus pro cucupha.

XIII. Interea dum hæc fiunt, spina dorsi, inprimis in cervice prope caput, linteis calidis fortiter fricetur, & deinde foueatur cum fomento ex cephalicis calidis in vino coctis præparato; ac denique calide inungatur hoc linimento:

Rec *oles vulpini, spica, rutacei,*
axungia anseris, cati ana drach. vj.
olei terebinthyna, unc. ß.
olei petræ, rosmarini, succini, ana scrup. ii.
pulveris castorei scrup. iv.
misceantur pro linimento.

Post huius inunctionem & affricationem imponatur hoc emplastrum:

Rec. *pul. castorei drach. ii.*
benzoini drach. i.
gummi galbani, opoponacis spiritu vini dissolutor;
emplastri de betonica, de baccis lauri,
de meliloto, ana drach. vi.
ex his f. ars. mixtis fiat emplastrum.

XIV. In dicta sit aer calidus, siccus & purus. Cibi sint euchymi & eupepti, calefaciendi & attenuandi vim habentes, conditi cum aromatibus, seminibus carminatiuis, foliis lauri, betonica, maiorana, aliisque cephalicis calidis. Potus sit hydromel, aut vinum alteratum cum rosmarino, maiorana, betonica, cardamomo, &c. Conueniet etiam subinde haustus vini hippocratici; aut cochleare spiritus vini iuniperini, vel anthosati, vel aquæ vitæ Matthioli. In omni cibo & potu repletio maximè fugienda est. Somnus brevior sit. Excretiones naturales bene procedant, & vehementiora animi pathemata fugiantur.

HISTORIA.

De Tremore.

VIr quinquagenarius pituitosus, magno repentino terrore perculsus, subitò concidit, adstantes aspiciens quidem, sed loqui nequiens. Paulo post animum resumens, satis bene locutus est, & toto corpore tremens surrexit. Ab eo tempore cum membra mouet, tremor ille remanst, qui corpore frigescente maior, calente verò minor existit.

I. *TRemor hic est deprauatio motus voluntarii membrorum, qua illa perpetua vicissitudine in contrarium agitantur.*

II. Causa antecedens est pituitosus humor in cerebro contentus, qui propter magnam, repentinam, & inordinatam spirituum à causa procatarctica (terrore scilicet) commotionem simul etiam cominotus, & ad spinæ medullam excussus, eausam continentem constituit.

III. Eo enim loco poros medullæ angustans, satis liberum spirituum animalium per medullam in neruos & musculos influxum impedit. Qui spiritus parciore quantitate transeuntes, cum non sufficiant ad motum voluntarium sufficienter perficiendum, fit ut membra à voluntario motu promoueantur, à sua vero grauitate deprimantur, atque sic ex his duobus fit motus tremulus.

IV. Tremor hic maior est corpore frigidiore, minor calidiore existente: quia à frigore magis constringuntur obstructi pori, hincque pauciores spiritus animales transeunt: à calore verò magis dilatantur pori, & obstruentes humores discutiuntur; hincque ob liberiorem transitum plures spiritus in neruos & musculos influunt, membraque cum minore tremore mouentur.

V. Tremor hic periculo non vacat, facile enim in paralysim transiret, vel et apoplexia, catus, aut lethargus adiungi posset.

VI. Curatio eodem modo, iisdemque fere remediis perficitur, ut in paralysi.

HISTORIA XIV.

De Convulsione;

VIro 30. annorum vulnus inflictum fuit in brachio dextro, quo nervus denudatus est, sed illæsus tamen remansit, decumbit loco frigido, neque, ob paupertatem, aduersus aeris iniurias satis munitus habitat Imperitus chirurgus, subsistente hæmorrhagia, imposuit vulneri petiam unguento Apostolorum & Ægyptiaco inunctam, unde convulsio vehemens & dolorosa vulneratum brachium corripuit; quam paulo post cruris eiusdem lateris, deinde & in altero latere brachii ac cruris convulsio subsecuta est, interdum ad semi quadrantem horæ, interdum horæ, interdum ad quadrantem aut paulo diutius perdurans, atque sic per intervalla modò intermittens, modo rediens. Æger præ summo dolore adeo turbatus est, ut subinde etiam deliret.

I. AFficiuntur in hoc ægro nervi & musculi, quod ex motu involuntario nimisque aucto; & subinde etiam cerebrum, quod ex delirio satis patet.

II. Symptoma hoc *Convulsio* appellatur, quæ *est nervorum musculorumque suum principium versus perpetua & involuntaria contractio*. Perpetua autem dicitur, quia diutius durat.

III. Causa remota est inflictio vulneris nervum denudantis: proxima verò causa est irritatio molesta ab unguento acri, & mordicante, nec non aere frigido, nervo illata, eumque vellicante.

IV. Vbi enim molestia huic nervo illata cerebro est communicata, & à mente percepta, mox, ut ille hostis excluderetur, eique ingressus denegaretur, spiritus copiosiores è cerebro ad locum affectum determinati fuere, à quorum copia nervus, & musculus ille cui nervus inseritur, secundum latitudinem magno cum dolore distensus, secundum longitudinem verò contractus est. Postea à maximo isto dolore per nervi vellicationem & dictæ partis contractionem violentam illato, turbatum fuit cerebrum, quod ea de causa spiritus animales inordinatè ad has illatæ partes inferiores copiose dimittens, alias quoque partes eodem modo contrahit, sicque convulsio non solum in parte vulnerata, sed in aliis etiam partibus contingit; & à magna illa cerebri, spirituumque animalium turbatione delirium quoque subinde accedit.

V. Periculosum est hoc malum, quia præter nervos & musculos, nobile quoque viscus cerebrum afficitur. Et semper teste Hippocrate 5. *Aphorism.* 2. *Convulsio vulneri supervenions lethalis*, id est, valde periculosa. Quia tamen æger hic iuvenis ac fortis est, & hæc convulsio oboritur a causa externa, quæ facile removeri potest, magna recuperandæ sanitatis spes affulget, si conuenientia remedia adhibeantur.

VI. Curatio igitur quam citissimè instituenda, & ante omnia æger loco calido deponendus, ab aeriisque iniuriis defendendus est. Deinde statim à vulnere removendum est unguentum illud acre & mordicans, ac vulnus eluendum aqua hordei cum pauxillo hyssopi cocta, in qua parum mellis solutum sit, eique immittenda petia hoc unguento inuncta:

Rec. *vitellum oui n.* i.
mellis, terebinthina, ana drach. iii.
spiritus vini drach. ii.
misce fiat ung.

Denique emplastrum de betonica vel melilloto imponendum.

VII. Fomentari poterunt partes convulsæ, & inprimis brachium vulneratum tali fomento:

Rec. *herb. maioranæ, rosmarini, betonicæ, calamenthæ, hyssopi, origani ana m.* i.
flor. anethi, m. ii.
chamom. meliloti, ana m. i. ſ.
sem. cumini unc. i. *leniſtici drach.* iii.
sem. anethi unc. ſ.
vini albi q. ſ. coquantur ad lib. iii.
pro fomento.

VIII. Post fomentationem, cum sotti frictione calide inungantur partes convulsæ hoc linimento.

Rec. *unguenti martiati, olei irini, vulpini, lumbricorum, spicæ, ana unc.* i.
olei caſtorei unc. ſ.
misceantur pro linimento.

IX. Interea præmisso clystere, interdum dabitur haustus apozematis cerebrum nervosque corroborantis.

Rec. *radic. aceri, faniculi, paeoniæ maris, ana drach.* vi.
herb. maioranæ, rutha. betonicæ, rosmarini, melissæ, origani, calamenthæ, ana m. i.
flor.

flor. stachados, m. ſ.
ſem. fœniculi drach. ij.
paſſularum mundat. unc. ij.
aqua q. ſ. coquantur. ſ. art.
& fiat apozema ad lib. i. ſ.
cui admiſce aquæ florum tiliæ, ſyrupi de ſtachade, ana unc. iij.

℥. Subinde etiam exhibeatur particula huius conditi:

Rec. *ſpeciar. diambræ ſcrup. iiij.*
rad. aceri condit. conſerua flor. ſaluiæ, betonicæ, anthos. ana unc. ſ.
ſyrupi de ſtachade q. ſ.
miſce fiat conditum.

℥I. In eundem finem etiam tale capitium capiti imponatur:

Rec. *ſol. maioranæ m. ſ.*
roſmarini, betonicæ, flor. anthi,
meliloti, ana p. ii. nucis moſcatæ drach. ſ.
benzoini drach. ſ.
fiat pulvis groſſus pro capitio vel cucubha.

℥II. Cellante convulſione corpus clementer est purgetur cum infuſione foliorum ſennæ, Rhabarbari, agarici, &c. Vel cum pilulis cochiis, aureis, electuario diaphœnico, diaturbith cum rheo, &c. Poſt purgationem redeat ad uſum antedicti apozematis & conditi.

℥III. *In* dieta ſit aer calidior. Cibi ſint euchymi & eupepti, condit cum maiorana, hyſſopo, roſmarino, betonica, ſaluia, ſemine aniſi, fœniculi, aliiſve ſimilibus. Potus ſit ptiſana, melicratum, vel cereuiſia mediocris notæ, bene fermentata. Somnus longus ſit, magnaque corporis quies. Excreta naturalia bene procedant, & fugiantur animi pathemata.

HISTORIA XV.

De Epilepsia.

PVero octo annorum, mediocriter fortis, nullam dietæ rationem habens, (propterea quod nimium ipſi indulgerent parentes) paulatim triſtior euaſit, & præterita hyeme de capitis grauitate ſæpius conqueſtus fuit. Poſtea menſe Martio huius anni cum ſodalibus colludens, repente corruit, ſenſus expers, oculos diſtorſit, ac pollices pugno firmiſſimè inſerto detinuit. Paroxyſmus ille breui ceſſauit, poſtridie bis rediit multo grauior, nam corporis manifeſtæ acceſſerunt convulſiones. Exinde bis, ter, quaterve ſingulis ſeptimanis rediere paroxyſmi, cum convulſionibus multo grauioribus. Verum ætate paroxyſmi fuere mitiore & rariores, ita ut vix ſemel in hebdomada inuaderent. Hoc verò autumno, præcipue circa hyemem, frequentiſſimi & violentiſſimi euaſerunt, ita ut ſingulis dieibus bis terve, atque repente, nullo præcedente præſagio, inuadant, cum horrendis convulſionibus, multaque ſpuma in ore. A malæ magnitudine & diuturnitate principes animales functiones valde læſæ ſunt, ita ut æger iam quaſi aliquo modo fatuus ſit.

I. CErebrum in hoc ægro grauiter affligi, animalium actionum læſio ſatis teſtatur.

II. Malum quo infeſtatur *Epilepſia* dicitur, *qua eſt totius corporis convulſio non perpetua, qua homo ſubitò concidit, cum ſenſuum mentiſque functionum interceptione, à peculiari maligna & acri materia orta.*

III. Ad generationem cauſæ huius mali plurimum fecit dieta inordinata (fortaſſe fructuum horatiorum, aliorumque prauorum ciborum copioſior ingeſtio) unde in corpore pituitoſo crudi ac pituitoſi humores copioſiores generati ſunt: qui in cerebro matore copia collecti, primò capitis grauitatem per aliquod tempus induxerunt: deinde ob diuturnam in cerebro moram ſibi peculiarem quandam prauitatem & acrimoniam concipientes, Epilepſiæ cauſam continentem conſtituerunt.

IV. Hic enim pravus & acer humor quoties aeres maliguoſque vapores de ſe exhalat, qui neruorum principium circa ſenſorii communis ſedem male afficiunt & vellicant, toties paroxyſmum inducit. Dum enim natura à partibus illis ſenſibilibus moleſtam acrimoniam excutere conatur; fit, ac ſpiritibus modò copioſis, modò paucis in eas influentibus, iſte alternatim contrahant & relaxent, unaque reliquos corporis neruos & muſculos eodem modo moueant, atque hinc vehementes illæ, breues, crebræque convulſiones procedant.

V. Quia verò hic pravus & acer vapor exiles minutiſſimoſque nervulos prope ſenſorii communis ſedem maximè & repente affligit, hinc fit, ut repente inualeſcat paroxyſmus: nam ſimul ac nervuli illi acrimoniam illam ſentiunt, mox natura illam excutere nititur.

Quia verò illa convulsoria excussio fit & incipit circa sensorium commune, hinc etiam sensuum mentisque suæ actiones mox intercipiuntur. Nam cerarium ipsum statim male afficitur, & spirituum animalium (à quorum integritate & debito influxu functiones bonæ procedunt) influxus per nervos modo contractos, modò relaxatos conuenienter fieri nequit, atque hinc etiam sensuum organa deficiunt in suis officiis, & propter istum inordinatum spirituum influxum in nervos & musculos, æger statim corruit.

VI. Æstate rariores & mitiores huic ægro fuerunt paroxysmi: quia propter calorem externum pori totius corporis fuerunt magis aperti, ita ut maior facta sit humorum dissipatio, & ratione temporis anni tunc etiam minus pituitæ generatum & in cerebrum coacervatum est. Autumno autem & hyeme frequentissimi & violentissimi euaserunt, quia multo copiosior pituita generata, minusque per frigore constrictos pores dissipata est: quæ maiore copia in capite cumulata, ibique prauam & acrem qualitatem adepta, & calore agitata, plures & acriores vapores versus nervorum principium de se emittit, atque hinc violentiores magisque frequentes paroxysmos facit.

VII. Spuma in ore producitur, quod pituitosi illi humores per vehementem istam agitationem è cerebro in fauces & pulmones depulsi, ob impeditam respirationem nimis illic molestent, deinde aeri in respiratione inæqualiter & difficulter transeunti commisceantur, atque sic vehementi respiratione spumefacti ad os protrudantur.

VIII. Paroxysmus durat quousque malignus & acer ille vapor omnino discussus sit: redit vero, cum prava materia de nouo agitata similem vaporem ad nervorum principium rursus emittit. Maior est vel minor, & magis minusque principes functiones lædit, prout pravitas est maior vel minor, magisque vel minus copiosa fuerit materia. Hinc fit ut in nonnullis Epilepticis supersint aliquo modo Sensus, Imaginatio & Reminiscentia: cum scilicet propter minorem pravitatem & acrimoniam, materiæque paucitatem, convulsiones fiunt minores, ita ut mentis sedes hinc non magnopere afficiatur. Contra verò in plerisque nulli sensus superstant, ob mentis sedem gravius affectam à maximis convulsionibus, ex materia magis prava & copiosa procedentibus.

IX. Quia pravitas & acrimonia humoris, huius ægri epilepsiam facientis, in cerebro gignitur, cuiusque paroxysmi frequentes & vehementes sunt, & ipsum malum per novem iam menses duravit, difficilis erit eius curatio, cuius tamen magnam spem exhibent robur ægri & ætas puerilis, cuius mutatio, teste Hippocrate, plurimum ad huius mali ablationem facit.

X. Curatio facienda est vel in paroxysmo, vel extra paroxysmum. In paroxysmo cauendum ne æger lædat, & curandum ut paroxysmus cito solvatur. Vinque igitur brachius è terra elevatus capite sursum detinendus est, ne illud in pauimentum fortiter incutiat: vel si tempus & occasio id ferat, lecto statim imponendus. Lignum etiam dentibus inserendum, ut linguam mordicus non præcidat, & spumæ ex ore liberior detur exitus. Deinde castoreum, rutha viridis, oleum maioranæ, succini, nucis moscatæ, aliaque similia naribus admouenda. Adstantium aliquis in ægri auribus clamet vel sonitum fortiorem excitet. Manus fortiter occlusæ vi aperiantur, reliquaque convulsa membra, quantum fieri potest, in conuenienti situ detineantur.

XI. Extra paroxysmum causæ procatarcticæ sunt auertendæ, & antecedens causa tollenda, ac continentis praua qualitas corrigenda, totumque cerebrum corroborandum est.

XII. Corpus clementer expurgetur cum drach. ii. hieræ picræ aut diaphœnici, si exhiberi possit: vel cum pulueris diacarthami scrup. i. ß. vel cum pastillarum corinth. purgantium unc. i.

XIII. Deinde bibat ter quaterve de die haustum huius decocti:

Rec. *Radic. pæoniæ maris, visci quercini, ligni sassafras, ana drach. vj.*
calami aromatici, valerianæ, ana unc. ß.
herb. maioranæ, rutha, calamenthæ, rorismarini, verbenæ, fol. lauri, flor. stœchados ana m. i.
bacc. iuniperi unc. ß.
sem. anethi, dauci, fœniculi, ana drach. ß.
sem. pæoniæ maris drach. iij.
passularum mund. unc. ii.
aqua q. s. fiat s. art. apozema ad lib. j. ß.

Ante huius usum sumat particulam sequentis conditi:

Rec. *Specierum diambræ drach. i. ß.*
rad. acori condit. confectæ anthos, flor. balaustæ, ocymoidis, ana unc. ß.
cum syrupi de stœchade q. s. fiat conditum.

XIV. Loco apozematis interdum exhiberi potest cochleare huius mixturæ:

Rec. *Aquæ epilepticæ Langii unc. iij.*
aquæ florum tiliæ, liliorum conuallium, ana unc. i.
syrupi de stœchade unc. i. ß.
misceantur.

XV. Capiti hanc cucuphan capitis forma impositam gestet.

Rec. *Fol. maioranæ, rorismarini, thymi, flor. lauendulæ, rosarum rubr. aun p. ii.*
nucis moscatæ scrup. ii.
cariophyllorum, benzoini, ana scrup. i.
fiat pulvis grossus pro cucupha.

XVI. Imo diæta sit aer ad calidum vergens. Vitet æger fumi ascendentis: undarum fluminis, præcipitiorum, & rerum terribilium aspectum. Cibi sint boni

succi

succi & concoctu faciles; cum melissa, rotemarino, maiorana, aliisque cephalicis conditi. Vitentur fructus horarii, allia, cæpæ, caro porcina, aliaque duræ digestionis vel praui succi alimenta. Potus sit cereuisia tenuis vel mediocris, bene defæcata, & subinde pauxillum vini tenuis. Somnus sit moderatus, ut & corporis motus. Vitentur animi pathemata, inprimis terror. Excrementa alui bene procedant.

HISTORIA XVI.

De Catarrho.

VIr quadragenarius, temperamenti frigidioris, cum victu refrigerante & humectante diutius usus fuisset, incidit primò in grauativum capitis dolorem, modò maiorem, modo minorem, cum procliuitate ad somnum. Hinc modò valida tussi, modo graui auditu, tinnitu aurium, dentium, ceruicis, humeri, aliarumve partium grauibus doloribus infestatur, quibus subinde grauiter per aliquot dies excruciatur: interdum validissima tussi corripitur, cum impedimento respirationis, non sine suffocationis periculo: sæpe nauseabundus est, & ventriculi molestis ructibus ac dolore torquetur: sub maxilla inferiore œdematosi tumores oboriuntur, qui postea dissipati rursus euanescunt. Nares ipsi præter consuetudinem ficcæ sunt, & per os pauca eiicit. Conqueritur se in vertice capitis continuam quandam frigiditatem sentire, & capillos non esse adeo humidos ut solent.

I. AEger hic *Catarrhis* infestatur, qui *sunt humorum excrementitiorum defluxiones præter naturam à capite ad partes inferiores*.

II. Victus refrigerans crudius ac pituitosum nutrimentum corpori exhibens remota mali causa fuit, hinc enim refrigerata & debilitata sunt viscera coctionibus inseruientia, multaque in corpore generata est pituita excrementitia, antecedentem huius mali causam præbens: quæ in cerebro maiore copia collecta, illud nimis frigida & humida intemperie afficit, atque inde qua data porta defluens ad alias inferiores partes, causam continentem constituit.

III. Pituita autem illa collecta fuit in cerebro, partim quia cerebrum intemperie frigida affectum, exiguo suo calore tam frigidum crassumque humorem coquere & dissipare non potuit; partim quia obstructi fuerunt meatus, per quos talia excrementa naturaliter euacuari solent, & debent: scilicet viæ quæ ducunt ad nares & palatum, nec non pori in vertice capitis.

IV. Contingit autem hæc obstructio partim in interioribus, partim in exterioribus capitis partibus. In interioribus ob crassitiem & viscositatem istorum humorum angustos meatus, excretioni talium excrementorum dicatos, infarcientium. Vnde, cum per debitas vias euacuari nequeant, defluunt, modò ad aurium interiora, ubi tinnitum, dolorem grauem auditum: modò ad laryngem & pulmones, ubi validam tussim & suffocationis periculum: modò ad ventriculum aliasve interiores partes, in quibus grauia mala excitant. In exterioribus, ob pororum in vertice capitis ab isdem humoribus repletionem, eorundemque à frigore externo constrictionem: à quo frigore externæ capitis partes adeo refrigeratæ sunt, ut æger frigus illud continuum in vertice præsentiat. Quod frigus præterquam quod poros constringat, in causa est ut quicunque vapores è cerebro per suturas & cranii poros transeunt, illic extra cranium subeunte vel pericranio condententur in humorem serosum ac pituitosum, qui ob prauam coctionem sæpe salsus & acris existit. Hic cum ob suam crassitiem & pororum constrictionem dissipari nequeat, secundum externas capitis partes defluens ad maxillas, dentes, ceruicem, scapulas, aliasve quascunque partes, ibi dolores aliave mala inducit.

V. Vias ordinarias, excrementorum istorum euacuationi dicatas, esse obstructas, ex eo liquet, quod nares ægro præter consuetudinem ficcæ, & capilli quoque ficciores sint, quodque pauca sputa eiiciat: nam per palatum, nares, & verticis poros, maxima horum excrementorum pars naturaliter euacuari solet & debet, quod hic non fieri manifestum est.

VI. Affectio hæc præterquam quod symptomatum multitudine ac grauitate molestissima est, etiam periculo non vacat: nam humoribus his copiosis & acribus subito ad fauces & pulmones defluentibus, repentina suffocatio, vel pulmonis erosio & exulceratio, hinc que tabes metuenda est: ad alias verò partes interiores ructibus, apostemata occulta & periculosa induci facile possent.

VII. In curatione (quæ sine periculo differri non potest) primò corpus bis terve expurgandum est pilulis cochiis; puluere diatribi vel diacarthami: aut tali hausu:

Rec.

Rec. *foliorum senæ mund. drach.* iij.
agarici albi drach. j. ſ.
ſem. aniſi drach. j.
cinnamomi electi, zingiberis albi, ana ſcrup. ſ.
decocti hordei q. ſ. fiat infuſio ſ. ar. adde
colaturæ eloſ. hiera picra, drach. j.
diaphanici drach. ij.
miſce fiat hauſtus.

VIII. Deinde ſequenti apozemate corpus & cerebrum corroborandum & ſiccandum:

Rec. *rad. aceri, ſanic. ana drach.* vj.
galangæ drach. iij.
herb. maioranæ, betonicæ, thymi, roſmarini, melliſſæ, calaminthæ, ana m. j.
fol. lauri, flor. ſtœchados, ana m. ſ.
ſem. aniſi, ſaniculæ ana drach. ij.
baccarum lauri drach. j ſ.
aquæ & vini ana part. aq. coquantur.
ſ. ar. & fiat apozema ad lib. j. ſ.
de qua ſumantur tres quatuorve
hauſtus de die.

IX. Meridie & veſperi utatur poſt paſtum particula huius conditi.

Rec. *ſpecierum diambræ, diamoſchi,*
diagalangæ, ana drach. ſ.
conſervæ anthos, roſarum rubr. ana drach. vj.
rad. aceri condit. drach. ij.
ſyrupi de ſtœchade q. ſ. miſce fiat conditum.

X. Magnum hic etiam locum habebunt decocta guaiaci, ſalſæparillæ & ſaſſafras; imprimis ſi cum cephalicis calefacientibus & ſiccantibus præparentur, itaque ſudor ſemel de die prouocetur.

XI. Interea dum hæc fiunt, etiam maſticatoria, & errhina ſunt adhibenda, ut dictorum meatuum obſtructiones tolli, & excrementa per debitas ac conuenientes vias educi ſeu euacuari queant. Tabaci uſus eundem in finem etiam multum proderit.

XII. Capiti imponatur huiuſmodi cucupha vel capitium.

Rec. *fol. roſmarini, maioranæ, thymi,*
flor. lauendulæ, ana p. ij.
maſtichis, thuris ana drach. j.
gariophyllorum, nucis moſcatæ ana ſcrup. ij.
fiat pulvis pro cucupha.

Tempora & vertex illinantur quotidie hoc linimento.

Rec. *olei roſmarini, ſuccini,*
maioranæ, ana ſcrup. j.
olei nucis moſcatæ expreſſi ſcrup. ij.
unguenti martiati drach. ij.
miſceantur pro linimento.

XIII. Si malum his adhibitis diutius perſeueret, ut catarrhus à principalioribus partibus diuerti poſſit, conuenit fonticulus in altero brachio aut ceruice excitatus.

XIV. In dieta ſit aer modicè calidus. Cibi ſint euchymi & cupepti, aſſi potius quam elixi, condite cum aromatibus & cephalicis calefacientibus, attenuantibus & ſiccantibus: fugienda autem, raphanus, allium, ſynapi, cepe, aliaque quæ copioſos vapores excitant, & ſic caput replent. Potus ſit paucus & generoſus. Somnus moderatus, potius breuior, quam longus. Corpus mediocriter exerceatur & animus quietus ſit.

HISTORIA XVII.

De Ophthalmia.

VIr triginta annorum, ſanguine calido ac bilioſo abundans, cum præterita hyeme vino generoſo admodum excalefactus, maximo nocturno hyberno frigori ſe paulo diutius expoſuiſſet, acutum in oculis ſenſit dolorem, cum ardore. Poſtridie magna quoque rubedo conſpecta eſt in adnata tunica ſeu albo oculi, cum venularum manifeſta intumeſcentia. Lucem ferre omnino non potuit, ita ut clauſis oculis continue ſederet. Lachrymæ acres ex oculis aſſatim profluxerunt, & apertis oculis vitus obſcuritas obſeruata eſt.

I. PArs affecta in hoc ægro eſt oculus, in quo primario afficitur tunica adnata ſeu coniunctiua dicta, reliquæ vero oculi partes per accidens.

II. Hic autem morbus Medicis *Ophthalmia & Lippitudo* appellatur, quæ *eſt inflammatio adnatæ ſeu albæ tunicæ cum rubore, ardore, dolore & lachrymis.*

III. Cauſa mali antecedens fuit corporis totius ſanguis copioſus & calidus, qui ob excandeſcentiam à vino inductam valide commotus, cum à cauſa procatarctica, externo ſcilicet magno frigore, in oculo repente detineretur, in eius adnatam tunicam copioſior effuſus, cauſam continentem conſtituit.

IV. Cum enim ſanguis, ob magnam incaleſcentiam a vino, rapidius per arterias & venas moueretur, ab externo illo frigore oculis recepto in adnata tunica ſubitò inceſſatus eſt, ita ut per minimas eius venulas

cum

tam citò cranſire & circulari non poterit, quam à corde per arterias eo propelleretur. Hinc cum plus eo impelleretur quam cranſire poſſet, intumuerunt adnatæ tunicæ venulæ, & ipſa quoque tunica à ſanguinis copia diſtenta fuit: qui ſanguis diutius ibi detentus & aliquam putredinem ſuſcipiens nimis calidus & acris factus eſt, ac inflammationem induxit.

V. Dolor autem acceſſit, partim propter adnatæ tunicæ (quæ acutiſſimi tenſus eſt) diſtentionem; partim propter acrimoniam humorum eandem tunicam erodentium.

VI. Clauſis oculis ſedet æger & lucem perferre nequit, partim quia ab aere externo admiſſo exaſperatur dolor: partim quia, cum apertis in luce oculis radii oculum ferant, ſicque viſio fiat, atque in eum finem, ut viſio fiat, copioſiores ſpiritus animales ad locum determinentur & confluant, oculumque diſtendant, hinc ab illa diſtenſione longe acrior fit dolor, quem ut æger euitet, oculos clauſos tenere cogitur, ut ita radios illos euitet, ſicque minor fiat ſpirituum determinatio, & ad oculum influxus, ac per conſequens minor diſtenſio tunicæ adnatæ.

VII. Cum autem viſus fiat à copioſo ſpirituum ad oculum influxu, eumque influxum ob doloroſam diſtenſionem adnata tunica perferre nequeat, hinc apertis oculis viſus ægrio obſcurior eſt; nam pauciores ſpiritus in principio viſum obſcuriorem præſtant; cum verò copioſiores influere incipiunt, ob diſtentionem & dolorem adnatæ tunicæ cogitur æger oculum occludere, ut ſic maiorem ſpirituum influxum ſiſtat.

VIII. Lachrymæ verò profluunt, imprimis aperto oculo, quia caruncula, quæ in cantho maiore inſidet puncto lachrymali, ſeu foramini naſi oſſi inſculpto, in utroque oculo à victima inflammatione etiam vellicatur, hincque dolet & contrahitur; imprimis ſi aperto oculo aeris iniuria accedat; atque propter illam doloroſam contractionem minus exactè tegit ante dictum punctum lachrymale, unde per foramen nimis laxum & apertum lachrymæ liberius effluunt. Quæ acres ſunt propter ſalem iſti ſeroſo humori admixtum; & multo acriores ægro videntur quam per ſe ſunt, quia fluunt ad acutiſſime ſentientem tunicam adnatam, nunc male affectam, & cuiuſlibet rei, etiam aeris, quam minimam acrimoniam facillime ſentientem.

IX. Ophthalmia hæc oculis periculum minatur, quia ob aeris hyberni frigidi aliaptum, difficilior eſt humorum in adnata tunica influxorum diſcuſſio; qui ſi diutius ibi hæſerint, metuendum eſt ne nimis erodatur & tandem exulceretur tunica adnata, atque etiam cornea, indeque albugo, cicatrix, aliudve vitium remaneat, quod viſum lædat.

X. In curatione quamprimum tollenda eſt cauſa antecedens, utpote quæ continentem fouet; procatarctica quoque remouenda eſt, ut ſic continens melius diſcuti poſſit.

XI. Corpus primo expurgandum cum pilulaſum cochiarum drach. j. vel electuarii diaprunι ſolutiui unc. ſ. additis paucis granis hiera picridi, vel tali hauſtu;

Rec *rhabarbari electi drach.* j. ſ.
fol. ſenæ mundat drach. iij.
tartari drach. i. *ſem. anisi drach.* ſ.
decocti hordei q. ſ. fiat infuſio ſ. ars addo colaturæ, electi diaprunι ſolutiui drach. iij.
miſce, fiat potio.

XII. Purgato corpore, mox vena brachii ſecanda eſt, & ſanguinis unc. viij. aut x. educendæ. Deinde rurſus purgandum, & poſt purgationem iterum vena ſecanda, ſi neceſſe ſit.

XIII. Vt verò pauciores humores excrementitii è cerebro ad oculos affluant, revulſiones inſtituendæ ſunt per cucurbitulas ceruici & ſcapulis appoſitas; nec non per veſicatoria poſt aures applicata. Quæ ſi affluxum humorum ad oculum non ſatis auertant aut reuellant, & malum diuturnius fieri videatur, ceruici ſe-taceum, vel etiam cauterium actuale aut potentiale eidem, aut brachio adhibendum.

XIV. Ad dolotis ſedationem ſanguis è pennis viuorum pipionum recenter evulſis in oculum exprimendus eſt; vel lac mulierbre recens mulctum inſtillandum, vel mucilago ſeminis pſyllii & cydoniorum in aqua roſacea extracta adhibenda: vel vitellum ouι ad duritiem coctum, aut ſequens cataplaſma imponēdum.

Rec. *pulpa pomi aſſati nuc.* j. ſ.
micæ panis albi recentis unc. iij.
croci pulueriſati ſcrup. i. ſ.
lactis recentis & aquæ roſaceæ, ana part. æq. fiat cataplaſma.

XV. Dolore aliquantum ſedato, tale collyrium immittendum.

Rec. *ſarcocollæ lacte nutritæ drach.* j.
tragacanthæ drach. ſ.
mucilaginis ſem. cydoniorum q. ſ. fiat collyrium.

XVI. Ad diſcuſſionem humoris in tunica adnata contenti, ſequenti fotu tepido oculi cum molli ſpongia ſæpe fouendi ſunt;

Rec. *herb. altheæ, faniculi, flor. chamomillæ, melilotι, ana m* j.
aquæ q. ſ. coquantur ad unc. viij.
quibus adde, aquæ roſarum unc. iij. *miſce.*

XVII. Poſt fotum imponatur cataplaſma ante præſcriptum: vel tale collyrium oculo inſtilletur;

Rec. *aloes aquæ faniculi lotæ ſcrup.* i.
ſarcocollæ lacte nutritæ drach. i.
croci gr. viij.
aquæ euphragiæ, faniculi, ana unc. ſ.
miſce, fiat collyrium.

XVIII. In diæta ſit aer temperatus ac purus, expers fumi, pulueris & ventorum, obſcurior tamen & tenebricoſior, habeatque æger linteolum atrum, ceruo-

leum, vel potius viride oculis obductum. Cibi sint pauciores & facilis digestionis ac boni succi, conditi cum euphragia, fœniculo, cichoreo, borragine, &c. Potus sit ptisana, cerevisia tenuis, & in passu pauxillum vini valde tenuis. In cibo & potu vitetur semper acetum: vitentur etiam ea quæ caput replent; rhaphanus, cepæ, allium &c. ut & ea quæ peculiari vi oculis nocere solent, qualia sunt caules, fabæ, lentes, oleum, &c. Somnus longior sit, & quies corporis solito maior. Alvus liquida teneatur; & fugiantur animi pathemata, inprimis ira.

HISTORIA XVIII.

De Suffusione & suggillatione oculorum.

ADolescens duodecim annorum temperamenti frigidioris, ante quinque menses visus aliquam obscuritatem in utroque oculo percepit, qua primò culices, puluisculos ac paleas ante oculos volitare putabat. Postea tanquam per nebulam densiorem vidit: sicque visus paulatim magis magisque imminutus est, ita ut nunc homines quidem aliquo modo videat, sed neminem cognoscere possit, imò vix equum à boue distinguat. In pupilla albicans quiddam, crystallinum humorem contegens, conspicitur, quod, oculis digito pressis, loco cedit, seque dilatat.

I. HVius ægri affectio Medicis *Suffusio* appellatur, quæ *est pupilla siue uuea foraminis obstructio, facta ab humore præter naturam inter corneam tunicam ac pupillam collecto ac consistente, visionemque impediente.*

II. In hoc ægro humor ille est pituitosus, ut ex colore albicante in pupilla conspicuo patet: ibique colligitur, quia ob oculorum frigidius temperamentum, eorum nutrimentum non ita bene coquitur, quin ex uvea tunica exhalent subinde pauci crassiusculi vapores, qui in interstitio inter crystallinum humorem, foramini uveæ incumbentem, & corneam tunicam, ab aeris externi frigore in humorem crassiusculum condensati, sistuntur, & humori aqueo admiscentur, ac crassiusculis visciditique particulis eidem innatant.

III. Humor hic cum in principio paucior ac tenuior esset, radiorum quidem ingressum ad crystallinum humorem non prorsus impediuit, sed crassioribus suis particulis hic illic impedimento fuit, ut omnes radii non ingrederentur, atque hinc æger in principio putauit puluisculos, paleas ac culices ante oculos volitare, quæ tamen non fuere nisi crassiusculæ dicti humoris particulæ, aqueo humori ante crystallinum innatantes. Postea verò ubi paulatim copiosior & æqualiter crassior euasit, quasi per densiorem nebulam vidit, sicque pro incremento istius crassitiei visus paulatim magis magisque obscuratus est.

IV. Difficilis erit huius mali curatio, quia humor ille pupillam contegens nunc valde incrassatus est; & medicamentis non facile discutietur, unde metuendum ne in pelliculam concrescat, & omnimodam cæcitatem inducat. Aliqua tamen sanationis spes apparere videtur, quia ad absolutam cæcitatem nondum est deuentum; & oculis digito compressis, suffusio aliquantum loco cedit, neque firmata est.

V. In curatione primò corpus aliquoties purgandum est cum pilulis lucis, aureis, vel cochijs, electuario diaphœnico, hiera picra, diacarthamo, vel haustu aliquo phlegmagogo, ex agarico, turbith, ialappa, sena, aliisque similibus compositio.

VI. Deinde ad humorum frigidorum discussionem bis in septimana promouendi erunt sudores, cum theriaca, mithridatio, decocto falsæ parillæ, chynæ, & sassafras. Intermedijs diebus conuenient decocta cephalica ex maiorana, rosmarino, euphragia, fœniculo, betonica, rutha, & similibus confecta: ut & condita cephalica ex confectis euphragiæ, flor. iaciniæ, betonicæ, anthos, &c.

VII. Ad capitis corroborationem cucupha ex cephalicis calefacientibus vertici imponenda est. Capitis humores excrementitij etiam ab oculis diuertendi, & ad alias vias deducendi sunt; quod commode fiet per vesicatorija post aures sæpe applicata, vel per fonticulum in brachio aut cervice excitatum, qui diu apertus seruandus est.

VIII. His præmissis, ad topica ipsi oculo adhibenda deueniendum, ac primo talis decoctio paranda.

Rec. *radicum raphani unc. ij.*
valerianæ unc. ß.
herb rutha, fœniculi, euphragiæ,
lenticis, maiorana,
fol. lauri, ana m. ß.
flor. chamomillæ m ij.
sem. fœniculi, carui, ana drach. ij.

aquæ

aquæ q. s. fiat s. art. decoctio ad lib. i. s.

Inter coquendum recipiat æger in oculos decocti vaporem: postea ipso decocto tepido oculos cum molli spongia diu multumque foueat, in eiusque usu per duas tresve septimanas procedat.

IX. Postea hoc collyrium in oculos instilletur.

Rec. *succi chelidoniæ maioris, rutæ, faniculi, aquæ mellis, ana unc.* s.
misce fiat collyrium.

Hoc cum aliquandiu usus fuerit, fortius reddetur, addendo *fellis perdicis & lucii piscis ana drach.* j. & postmodum *ana drach* i. s.

X. In diæta sit aer ad calidum vergens, non valde lucidus. Cibi & potus sint modice calefacientes, attenuantes, & discutientes, vitenturque talia quæ caput vaporibus replent. In somno & corporis motu seruetur mediocritas. Excretiones naturales bene procedant, & fugiantur animi pathemata.

XI. Si, his omnibus non iuvantibus, absoluta tamen excitas fiat, ad chirurgiam deueniendum, & suffusio acu à pupilla remouenda est.

HISTORIA.

De Suggillatione Oculorum.

IVeni plethorico in sphæristerio ludenti per infortunium pila inflicta fuit in oculum sinistrum. Hinc ipsi oculus adeo doluit, ut oculum per totum diem aperire non potuerit. Postridie dolore pene cessante, magna sanguinea rubedo per totum oculi album conspecta est, sine ulla inflammatione; & palpebræ quoque simili rubedine infectæ visæ sunt. Attamen nullo modo visus immutatus aut oblæsus est.

I. HVius ægri affectio, oculum occupans, *Suggillatio* dicitur, *estque sanguinis extra vasa in oculorum tunicas & palpebras effusio.*

II. Sanguis hic imprimis profluxit è minimis vasculis tunicæ adnatæ & palpebrarum, ictu pilæ disruptis & apertis. Corneam autem tunicam illæsam esse patet ex visu, qui nullo modo immutatus est: nam si in illam quoque sanguis effluxisset, præcipuè anteriore parte, obiecta visibilia rubro colore ægro offerentur.

III. Affectus hic periculo vacat, si modo remedia conuenientia tempestiue adhibeantur, antequam sanguis extrauasatus putrescat & inflammetur, tunc enim ophthalmiam aliudve grauius malum induceret.

IV. Primo igitur corpus purgandum, ac vena brachii secanda. Deinde iac mulierbre recens mulctum in oculum instillandum, vel sanguis è pipionum viuorum pennis in oculum exprimendus est, hicque fotus oculo frequenter adhibendus.

Rec *foliorum salicis, plantaginis;*
flor. chamomillæ, meliloti ana m. i.
coquantur
in aqua q. s. ad lib. s.
adde colaturæ aquæ rosaceæ unc. i. s.
misceantur pro fomento.

V. Postridie, cum maior sanguinis extra vasa effluxus non metuatur, fomentum sit solum discutiens;

Rec. *herb. faniculi, euphragiæ, betonicæ;*
chelidoniæ maioris,
flor. chamomillæ, meliloti ana m. i.
sem. fœnugreci unc. s.
sem. anisi, faniculi, ana drach. i. s.
aquæ q. s. coquantur ad lib. j.
fiat fomentum, cum spongia molli adhibendum.

Post fotum inungatur unguentum rosaceum cum pauxillo olei ceræ.

HISTORIA XIX.

De Cæcitate.

VIr quadragenarius & fortis, crapulæ nimis addictus, cum per aliquot tempus de leui aliqua vertigine cum molesta grauedine conquestus fuisset, tandem ipsi visus bidui spatio adeo imminutus est, ut nihil prorsus videre; imò ne lucem quidem percipere amplius potuerit; & exinde omnino cæcus remanserit. Oculi tamen bene sese habere videntur,

in iis enim nihil mali, nec decoloratio, nec suffusio, nec aliud quid præter naturam apparet. Æger quidem à crapulis per aliquot tempus absti nuit, sed remanet cæcitas. A vertigine autem & grauedine maxima ex parte liberatus est. Reliquo alioqui corpore mediocriter bene valet.

I. AFfectio nostri ægri est *cæcitas* seu abolita visio.

II. Huius mali causa antecedens est pituita in cerebri ventriculis collecta, quæ inde ad neruos opticos defluens, eosque obstruens, atque sic spirituum animalium ad oculos influxum, & obiectorum visibilium perceptionem impediens, causam continentem constituit.

III. Collecta autem fuit in cerebro ex crudis vaporibus & humoribus è nimia crapula genitis, & ad caput delatis; ibique ob partis frigidiorem naturam nec satis excussis, nec dissipatis, sed magis incrassatis.

IV. Ab iisdem crudioribus humoribus per arterias carotides ad plexum choroidem delatis, eiusque angustissimos meatus hic illic aliquantulum obstruentibus, primò verticosus spirituum transitus factus, ac vertigo generata est. Cui accessit maxima grauedo, à crassis viscosisque humoribus, quos natura per os cribriforme euacuare nitebatur. Verum cum illi ob copiam & crassitiem non satis cito euacuari potuerint, pars eorum ad neruos opticos decubuit, eosque obstruxit.

V. Oculi interea bene se habent, quia nulla in iis est intemperies aut praua conformatio; nec visus abolitus est propter oculos male dispositos, sed propter defectum spirituum animalium, factum ab obstructione viarum per quas ad oculum defluere debent, scilicet neruorum opticorum.

VI. Hi nerui tantum in suo principio obstructi sunt à dicto pituitoso humore, qui in principii medullæ lationibus poris se aliquantulum insinuauit: credibile tamen non est illum humorem ulterius neruos ingressum esse, cum ob eius crassitiem & potorum in neruis angustiam id fieri vix possit.

VII. A vertigine & grauedine postmodum maxima ex parte liberatus est æger, quia desiit à crapulis & confuetis potationibus: unde cruditates in valido corpore magis magisque excoctæ fuere, sicque immunita est causa antecedens, quæ dictorum affectuum continentium causam fouebat, atque hinc etiam à natura paulatim consumpta est continens.

VIII. Remansit tamen cæcitas, quia humor crudus neruorum poris ut fixus, tam ratione propriæ crassitiei & viscositatis, quam ratione densitatis & angustiæ potorum in neruis, neque excuti, neque contorqui potuit: & licet ab antecedente causa amplius non foueatur, tamen ratione sui, & partis cui inhæret, ibi remanere, & continuam illam obstructionem facere potest.

IX. Hæc cæcitas curatu difficilis erit, quod humor neruis opticis impactus non facile discutiatur. Quia tamen malum recens est, aliquam sanationis spem exhibet, si modo conuenientia remedia quamprimum adhibeantur.

X. In curatione primò corpus purgandum his pilulis.

Rec. *massæ pilularum lucis,*
cochiarum, ana drach. ß.
cum pauxillo syrupi de stœchade,
fiant pilulæ nouem.

Quarum loco etiam dari potest drach. j. pulueris diatrubith cum rheo.

XI. Quia sanguis in hoc ægro redundant, postridie à purgatione aliquantum sanguinis detrahendum. Quo facto, post biduum vel triduum rursus est purgandum.

XII. Postea bibat æger ter de die haustum huius apozematis:

Rec. *radic. acori, valerianæ, fœniculi,*
helenii ana unc. ß.
herb. betonicæ, euphragiæ
serpilli, maiorana,
rosmarini, fol. lauri, ana m. i.
florum chamomillæ, stœchados, ana m. ß
sem. fœniculi, carui, ana drach. ij.
bacc. iuniperi unc. ß.
passularum mundat. unc. ii.
aquæ q. s. coquantur.
f. ars & fiat apozema ad lib. i. ß.

Hoc abiumpto, illud ipsum apozema fiat purgans, addendo.

folior. sennæ mund. drach. i. ß.
rhabarbari opt. agarici albiss. ana drach. ij.
sem. anisi drach. ij.
cinnamomi drach. j.

Tunc æger ex eo tantum semel de die haustum sumat.

XIII. Corpore satis purgato, & sanguine conuenienter extracto, hoc errhinum sæpe in nares attrahat, ut pituita in cerebro contenta euacuari possit.

Rec. *succi maiorana, fasciculi, ana unc.* ß.
betæ drach. i. ß.
misceantur pro errhino.

XIV. Ad diuersionem & simul reuulsionem cucurbitulæ dorso & scapulis, cum & sine scarificatione apponendæ: vesicatoria etiam post aures applicanda: vel, quod efficacius erit, cericei setaceum adhibendum, aut fonticulus in ea excitandus.

XV. Ad diuersionem reliquiarum in cerebro, & imprimis in neruis opticis contentarum, & capitis corroborationem, fiat sæpe oculorum, frontis, verticis & temporum fomentatio cum hoc decocto.

Rec.

Rec. *herb. fæniculi, maioranæ, ruthæ, betonicæ, rosmarini, euphragiæ, florum chamomillæ melilloti, stœchados, ana m. i. sem. anisi, carui, leuistici. ana drach. ii. aquæ q. s. coquantur ad l. b. ii. pro fomento.*

XVI. Post fotum imponatur capiti cucupha ex cephalicis calefacientibus & attenuantibus consuta. In aures quoque cum pertis ex bombace immittatur gutta una aut altera olei fœniculi.

XVII. His peractis in ipsos oculos etiam instillanda talia, quorum incidens & attenuans vis usque ad nervum opticum penetrare potest, quale est hoc collyrium.

Rec. *succi fœniculi unc. ii. chelidoniæ, ruthæ, ana unc. s. misceantur.*

Illud postea actius fiet, addendo succi raphani sylvestris drach. iii.

XVIII. In victu sit ac modice calidus. Cibi sint boni succi & facilis digestionis, conditi cum maiorana, fœniculo, betonica, rosmarino, euphragia, lemine fœniculi, anisi, aliisque similibus: abstinendo ab allio, capis, synapi, aliisve quæ caput replent. Potus sit cerevisia mediocris, bene defœcata, & vinum tenue: fugienda vina omnia generosa, & quilibet potus fumosus; nec minus repletio, tam in cibis, quam in potu. Somnus & exercitia sint mediocria. Alvus bene respondeat, & fugiantur animi pathemata.

HISTORIA XX.

De Graui auditu & aurium tinnitu.

MVlier 36. annorum, temperamento pituitoso prædita, præterita hyeme catarrhis subinde laborauit, à quibus tamen circa principium mensis Februarii prorsus immunis euasit, sed tunc per paucos dies de leuiore grauatiuo capitis dolore conquesta fuit, qui breui euanuit, subsequente magno aurium tinnitu, cum tanta auditus grauitate, ut vix altos clamores audire posset, quæ auditus grauitas cum tinnitu iam per tres menses continuo remansit. Reliquo alioqui corpore bene valet, & menstrua statis periodis satis fluunt. s

I. AFficitur in hoc ægra instrumentum auditus secundum partem interiorem.

II. Affectus duplex est: *Auditus grauitas, & Aurium tinnitus. Illa est, auditus imminutus ac difficilis, quo non nisi magni soni ab obiectis externis moti audiuntur, leues vero non percipiuntur. Hic est, sonitus molestus inter ipsas aures, à nullo externos obiecto excitatus.*

III. Grauis auditus causa est humor pituitosus versus utriusque auris interiora decumbens, & partim nervum acusticum compressione angustando, sufficientem spirituum animalium influxum ad auris interiora prohibens: partim tympani liberum motum impediens. Hinc enim fit ut leues soni tympanum impeditum & inclusum aerem congenitum vix moueant, isque ex illis motus ob spirituum paucitatem non percipiatur, nec sensorio communi communicetur: fortes verò soni tympanum & inclusum aerem fortius quidem commoueant, sed motus tamen, ob spirituum paucitatem & nervi acustici angustiam, tantum leuiter sensorio communi communicatus percipiatur.

IV. Tinnitus seu boulus aurium fit à spiritibus vitalibus arteriolas aurium interiores tranieuntibus, atque motu suo proxime vicinum, auri interiori inclusum, aëreq congenitum simul etiam mouentibus; cuius motus cum ob locum continentem à pituita, quæ versus aurium interiora decubuit, angustatum, libere fieri nequeat, hinc dictus aer commotus continuo in tympanum impingit, ab eoque repercussus, in forma leuis sibili seu tinnitus sensorio communi offertur.

V. Per tres circiter menses perduraruut hi affectus, partim quia a pituitoso totius corporis temperamento fouetur causa proxima: partim quia pituita illa in parte affecta hærens ob crassitiem & frigiditatem ægrè dissipatur.

VI. Licet hi affectus per se non magnum vitæ periculum minentur, attamen metuendum ne ingraue scentes, tandem in absolutam & incurabilem surditatem desinant. Nam pituitosus humor, qui a laudatus organum decubuit paulatim augeri potest, & dissipatis tenuioribus partibus adeo incrassescere, ut postea nullis remediis attenuari & rursus discuti queat. Si tamen curatio quam primum instituatur, spes est illum dissipatum iri posse, quia paucus est, ut ex eo liquet, quod nullus adsit dolor tensivus nec auditus omnino perierit.

VII. Corpus igitur singulis septimanis semel aut bis purgetur cum pilulis cochiis vel aureis, paulatim diaturbith, electuario hiera aut diaphœnico, vel infusione

ex

ex sparico, salappa, aliisque phlegmagogis.

VIII. Ad totius corporis pituitam imminuendam, conuenient decocta salsaparillæ, sassefras, & guaiaci, quibus cephalica calida sub finem decoctionis adiicienda. Humores verò in cerebri ventriculis contenti euacuabuntur masticatoriis, errhinis & sternutatoriis. Deinde ad capitis corroborationem præscribenda, erunt epozemata & condita cephalica modice calefacientia.

IX. Ad dissipandas reliquias in capite & parte affecta residuas, conueniet fomentum ex cephalicis calidis ac discutientibus (betonica, rosmarino, maiorana, saluia, calamenta, thymo, chamemelo. &c.) confectum, & cum magna spongia, vel panno laneo sæpius calide capiti admotum: Post cuius usum capilli mappis calidis sunt exsiccandi, & caput contegendum cuscuha ex cephalicis calefacientibus consuta.

X. Postea ad incidendos, attenuandos ac dissipandos pituitosos humore, in auditus organo contentos præparabitur huiusmodi decoctum.

Rec. *rad. raphani syluest. unc.* iii.
herb. thymi, betonica, hyssopi, maiorana,
rosmarini, serpilli, fol. lauri.
flor. chamomil. meliloti, ana m. j.
sem. cumini, carui, leuistici,
fanic. ana unc. ß.
aquæ q. f. fiat f. art decoctio.

Inter coquendum, per infundibuli ollæ impositi tubulum vapor calidus modo in unam, modo in alteram aurem admittatur, ac postea cum spongijs decocto immersis aures fomententur. Post fomentationem verò cum petijs ex bombace immittantur in aures duæ guttulæ olei amsi, fœniculi, aut cari.

XI. Plurimum etiam proderit hoc cataplasma, inter duo linteamina utrique auri nocturnis temporibus calide impositum.

Rec. *herb maiorana, saluiæ,*
flor. chamomillæ, meliloti, ana m. j.
sem. nasturtii, cumini, fanic, ana drach. i ß.
pulueriscentur: pulueri adde,
bulbos coparum sub cineribus assatos n. ij.
rapam assatam mediocrem n j.
farinæ sem. fænugraci unc i.
aquæ q. f. coquantur paulisper, & addendo
olei anethini, amygdalarum
amararum, ana unc i.
fiat. S. art cataplasma.

XII. De die poterit loco cataplasmatis utrique auri calide admoueri talis sacculus siccus.

Rec. *herb. maiorana m.* j *rosmarini*
flor. chamomillæ ana m. ß.
sem. cumini, fœniculi, carui,
leuistici, ana scrup. ij.
ex his concisis & grosso modo contusis, fiant
ß art. in serico duo sacculi insersuti.

XIII. Si horum remediorum usus aliquamdiu continuatus manifestum leuamen non inducat, multum proderit fonticules in ceruice & brachijs excitare, ut pituitosa materia versus aures decumbere solita, per alias vias deduci & euacuari possit.

XIV. In victu sit aer modice calidus & vitetur turbulentus ac ventosus, inprimis aquiloneus. Cibi sint boni succi & facilis digestionis, conditi cum maiorana, foliis lauri, serpillo, rosmarino, betonica, seminibus carminatiuis, nuce moscata, & similibus. Potus sit vinum tenue, & cereuisia mediocris notæ ac bene defæcata. Caueat sibi ægra ab omnibus iis quæ caput replent, ut raphano, synapi, allio, cœpis, vino generoso nimia quantitate sumpto, spiritu vini, &c. Etiam à repletione, tam in cibo, quam in potu. Somnus non sit nimius, & corpus mediocriter exerceatur. Alvus si sponte quotidie non respondeat, arte laxa seruetur. Fugiantur vehementiora animi pathemata.

HISTORIA XXI.

De Narium Hæmorrhagia, Grauedine & Odoratu Perdito.

VIr quadragenarius mediocriter fortis & multo sanguine abundans, potui interdum nimis indulgens, cum catarrhis acribus & salsis partim ad nares, partim ad fauces & pulmones delabentibus aliquamdiu infestatus fuisset, hincque valide tussiisset, tandem in vehementiori tussi sanguis ipsi è naribus prosiliit, & per aliquot horas satis largiter effluxit. Eo sistente, mox Remedijs ad tussim & catharrhum adhibitis, tussis intra biduum omnino cessauit. Sed tamen cessante tussi, illud sanguinis effluuium per interualla reuertitur (inprimis si æger corpus paulo validius commoueat) & copiosum est, cum vitæ periculo.

1. Hic

I. HIc affectus, qui per se satis notus existit, est narium hæmorrhagia.

II. Causa antecedens duplex est. 1. Sanguinis redundantia. 2. Humor acris in capite collectus.

III. Sanguis in toto corpore redundans, a causa procatarctica (scilicet valida tussi) cum impetu magna copia sursum impulsus, venasque & arterias narium distendens atque aperiens, ratione sui causa continens evasit.

IV. Sanguis autem à tussi magna copia sursum impulsus fuit, quia ob validam contractionem musculorum thoracis & abdominis, quæ in tussi fit, compressus & angustatus est arteriæ aortæ truncus deorsum descendens, ita ut à corde multo minus sanguinis per illum depelli potuerit, qui proinde per dictæ arteriæ trunci partem sursum ascendentem versus caput multo maiore copia impulsus fuit, sicque omnes capitis arterias & venas distendit.

V. Ab illa autem copia distendente in naribus facilius quam in aliis capitis partibus aliqua vascula resecta & aperta sunt, quia illic sita sunt in parte humida ac molli, & tenella tantum pellicula investiuntur, quæ facile dehiscit, & disrumpitur.

VI. Quia vero acres & salsi catarrhi præcesserunt, hinc certum est, non tantum ob nimiam distensionem à copia sanguinis inductam, verum etiam propter erosionem, ab acri humore versus nares delapso factam, vascula aliqua in naribus aperta fuisse. Quod inde liquet, quia si sola distensione aperta essent, postea breui tempore (nimirum cessante tussi) rursus satis firmiter conglutinata fuissent, nec toties redisset illa hæmorrhagia, quæ nunc sæpe recurrit, quia solutio etoli ne tam cito & firmiter conglutinari nequit, sed à quolibet impulsu mox iterum dissoluitur.

VII. Si æger se paulo validius commoueat deambulatione, aliove exercitio, mox redit hæmorrhagia, quia ab illo corporis motu incalescit & rapidius mouetur sanguis, qui hac de causa paulo copiosior & calidior ad nares deueniens, à debilibus vasorum extremitatibus, nondum satis firmiter conglutinatis, continueri nequit; hinc de nouo solutione facta foras erumpit.

VIII. Hæc crebro recurrens hæmorrhagia periculosa est, partim quia erosa vasa non ita facile conglutinantur: partim quia metuendum est ne à copiosi sanguinis effluxu, vel æger aliquando in lypothymiam incidat, sicque moriatur; vel tandem nimis refrigeretur & debilitetur hepar, hincque cachexia vel hydrops sequatur.

IX. In curatione venæsectio quam primum instituenda in brachio dextro, ac paulo post in sinistro, & sanguis mediocri quantitate extrahendus, habita tamen virium ratione. Alvus vel rhabarbaro cum tamarindis exhibito, vel clystere iniecta subducenda.

X. Durante hæmorrhagia, aqua frigida, vel oxycratum aßu frigidum cerui & testibus admouendum, ac cucurbitulæ cum multa flamma cruribus & pedibus, cum & sine scarificatione, imponendæ.

XI. Fronti cum stupa aliigetur hæc mixtura:

Rec. *boli arm terræ sigillatæ, sanguinis draconis, coralli rubri, ana drach. j.*
farinæ volatilis drach. ij.
albumen unius oui, aceti fortis parum, misceantur.

XII. In nares insietur hic pulvis:

Rec. *trochiscorum de terra sigillata,*
lapidis hæmatitis, ana drach. j.
thuris, coralli rub.
sang draconis, ana scrup. j.
fiat pulvis.

Vel pennæ oblongæ albumine oui madefactæ hoc pulvere obducuntur, sicque in nares immittantur. Vel misceatur idem pulvis cum albumine oui in formam unguenti, quo pennæ istæ inungantur; quæ diu in naribus detinendæ sunt.

XIII. Simplicia etiam in nares immitti possunt, ut equisetum viride recens contusum, pimpinella vel plantago contusa, stercus porcinum vel asininum, aliaque similia, quæ sæpe plurimum profuisse docuit usus.

XIV. Non negligenda etiam ea quæ ab occulta qualitate prosunt, in eumque finem tale amuletum de collo suspendatur:

Rec. *pulueris bufonis exsiccati drach. ij.*
lapidis hæmatitis drach. j ß.
trochiscorum de terra sigillata,
musci cranii humani ana drach. j.
coralli rubri drach ß.
telæ aranearum scrup. j.
fiat pulvis, qui cum albumine oui aut mucagine tragacanthæ redigatur in pastam, è qua formentur placentulæ exsiccandæ, & in serico de collo sic pendendæ.

XV. Interea dum hæc fiunt, exhibeatur aliquoties de dicti haustus huius decocti:

Rec. *radic. tormentillæ, consolidæ maioris, bistortæ, ana drach vj.*
herb polygoni, pimpinellæ, plantaginis,
bursæ pastoris, sanicula, portulacæ, ana m. j.
rosarum rubr. m. ß.
sem papaueris albi drach. v.
sem. cydoniorum luctuæ ana drach. ß.
nucum cypressi drach. ij.
passularum cum toto unc. iß.
aquæ q. s. coquantur s. art.
fiat apozema ad lib. j. ß.
cui admisce syrupi cydoniorum, granatorum acid ana unc. j. ß.

XVI. Per intervalla detur particula huius conditi:

Rec. *trochiscor. de terra sigillata scrup. ij.*
myrrhæ cydoniorum, conf. rosarum rubr. ana drach. vj.

syrupi

syrupi papaueris rhœados q. s.
misce, fiat conditum.

XVII. Si his omnibus adhibitis non ceſſet hæmorrhagia, utrumque hypochondrio magna cucurbitula cum multa flamma imponatur ſine ſcarificatione; & exhibeantur maſſæ pilularum de cynogloſſa gr. XIV. in tres pilulas redacta. Vel detur hoc amygdalatum.

Rec. amygdalarum dulc. decorticat. nucl. j.
ſem. 4. frigid. maj. ana drach. ß.
ſem. papaueris albi drach. ij.
decocti hordei q. ſ. fiat ſ. art. emulſio ad lib. ß.
cui admiſce ſyrupi de papauere drach. j ſ.

ſacchari q. ſ. miſceantur, pro duabus doſibus.

XVIII. In dieta ſit aer frigidus & ſiccus, non valde lucidus. Cibi ſint incraſſantes & refrigerantes. Potus ſit piſana vel cereuiſia tenuis. Abſtineat æger ab exercitiis, nec corpus multum contegat, nec ad ignem accedat, vinum etiam cauet, aliaque omnia quæ corpus & ſanguinem excalefacere poſſunt, niſi forte propter hypothymiam aliquantum vini rubelli concedere cogat neceſſitas, ſomnus ſit longus. Alvus facilis & lubrica ſit, natura vel arte, & fugiantur animi pathemata.

HISTORIA

De Grauedine & Odoratu perdito.

VIr generoſus triginta annorum, animi gratia puluèrem tabaci naribus ſubinde attrahere, ab eoque ſternutare per aliquod tempus conſueuerat. Tandem grauedine correptus, tamen perſtitit in dicti puluèris uſu, quemter quaterve aut pluries de die ſumebat; unde multos quidem humores pituitoſos per nares & palatum excreuit, ſed interim adeo adaucta eſt grauedo, ut tandem odoratu prorſus ſit priuatus, nullos omnino odores percipiens. Ad hæc pauciſſimus nunc, & ſæpe nullus mucus per ſternutationes excernitur.

I. HVic ægro periit odoratus propter grauedinem, quæ eſt, *frigida pituitoſaque diſtillatio è cerebri ventriculis (raro è partibus circum cerebrum) in os ethmoides eiuſque membranas incidens.*

II. Hæc pituitoſa materia, quæ antea in huius ægri cerebro attenuari, & per eius, ut & meningum ac cranii poros euaporare ac diſcuti, pauca vero quantitate (quæ per os ethmoides facile & ſponte euacuari poterat) in cerebri ventriculis colligi ſolebat, propter creberrimas longo tempore excitatas ſternutationes, & membranarum cerebri contractiones, hincque pororum anguſtationes & vaporum retentiones, magna copia in ventriculis cumulata, & continuo ad os ethmoides depulſa fuit: cuius minima foraminula ob craſſitiem commode tranſire nequiens, illa tandem ita obſtruxit, ut vix pauciſſimi amplius nunc tranſire poſſint, & odores etiam ad interiora narium peruenire nequeant, unde odoratus periit.

III. Quia hæc grauedo, odoratum impediens, dui perduranit, non facile ſanabitur, niſi quamprimum remedia adhibeantur.

IV. Præmiſſa corporis euacuatione, inprimis capitis ratio habenda, idque cephalicis calefacientibus, in forma apozematum, conditorum, puluerum &c eorum roborandum, ut vapores eo venientes melius attenuare & diſcutere poſſit.

V. Ad pororum apertionem conueniunt capitis frictiones, ut & fomentationes cum decoctis cephalicis calidis & aperientibus factæ. Poſt quas exſiccatis capillis, ſiccum capitium ex iiſdem cephalicis confectum, capiti imponendum.

VI. Naribus obiicientur talia, quæ craſſos humores attenuandi & incidendi vim habent: ut camphora, acetum ſcyliticum, radix raphani ſylueſtris contuſa, aliaque ſimilia.

VII. In horum uſu aliquamdiu continuandum. Quæ ſi non profint, fonticulus in ceruice excitatus plurimum iuuabit.

VIII. In victu condiantur cibi & potus cum cephalicis calefacientibus, vitando nimiam repletionem. Viuat æger in aere modice calido. In exercitiis & ſomno mediocritas, in aluo laxitas ſeruetur. Animus ad hilaritatem ſit compoſitus.

HISTORIA XXII.

De Odontalgia.

ADolescens 15. annorum temperamento pituitoso præditus, cum à validiore exercitio excalefactus, nudo capite se aeri frigido & ventoso diutius exposuisset, in atrocissimum maxillæ sinistri lateris plurium dentium incidit dolorem, usque ad capitis interiora & superiora se extendentem, quo diu noctuque continuo infestatur. Nullus in gingivis aut maxilla exteriore tumor, nulla rubedo aut inflammatio apparet. Sentit è dente quodam molari excavato serosum, salsum, acrem, ac instar glaciei frigidum humorem in os exstillare.

I. HVius ægri affectio Medicis *Odontalgia* & *Dentium dolor* appellatur.

II. Causa antecedens sunt humores pituitosi ac frigidi in toto corpore collecti, qui à maiore calore exercitio conquisito in vapores attenuati, sicque copiosiores ad caput delati, à causa procatarctica, scilicet frigore externo, non tantum ob pororum occlusionem intus detenti, verum etiam in liquorem serosum, & ob crudit atem salsum atque acrem rursus condensati sunt, qui cum ad vias excrementorum cerebri evacuationi dicatas non decurreret, sed ad sinistri lateris maxillares dentes defluxerit, acerrimum ibi dolorem excitavit.

III. Frigidum, serosum, ac salsum esse hunc humorem ipse æger lingua satis percipit ex guttulis per excavatum dentem in os delabentibus.

IV. Dolor autem inde fit, quod nervulus cavitati cuiusque dentis molaris insertus, una cum periostio, quo cavitas & radix investitur, ab acri humore eroditur, ab eiusque summo frigore (quod neruis maxime inimicum) male afficitur.

V. Dolor autem surſum usque ad capitis interiora extenditur, quia nervuli dentium cavitatibus inserti, sunt propagines tertii & sexti paris; iis igitur male affectis, non est mirum totos illos neruos usque ad capitis interiora dolere: imò credibile est hunc frigidum & acrem humorem per cranii foramina, ex quibus nervi illi egrediuntur, secundum neruorum istorum longitudinem usque ad dentes defluere; sicque non tantum eas particulas, quæ radicibus dentium inseruntur, sed integros neruos secundum longitudinem à cranio usque ad dentes à dicto humore affligi.

VI. Nullus autem tumor est in exteriore maxilla, quia humor ille, unde fluxio procedit, non est copiosus, sed paucus & acer. Neque etiam tumor fit in gingivis, quia humor in iis non diu subsistit aut colligitur, sed paulatim per excavati dentis foramen in os effluit.

VII Nulla etiam rubedo præter naturam aut inflammatio in gingivis aut maxilla apparet, quia licet humor defluens sit acer, est tamen actu & potentia frigidus, ita ut inflammatio aliave calida intemperies ab eo produci nequeat.

VIII. Atrox hic dolor, licet in parte sit ignobili, atque hinc minoris momenti esse videatur, tamen contemnendus non est, cum propter summam crudelitatem, & continuas quas inducit vigilias, humorumque & spirituum commotionem, facile delirium, convulsionem periculosissimam, aut febrem validam inducere posset. Ac proinde illius curatio differenda non est.

IX. In curatione primo imminuenda est causa antecedens, mox continens, ac procatarctica statim removenda, dolor sedandus, & caput corroborandum.

X. Corpus igitur purgetur cum pulueris diaturbith aut diacatthami drach 1 aut cum his pilulis:

Rec. *massæ pilul. cochiarum,*
aureorum ana scrup. j.
diagridij gr. iv.
cum panxillo syrupi de stachade,
fiant pil. vij.

XI. Ad humoris in cerebri ventriculis contenti evacuationem hoc errhinum in nares attrahatur:

Rec. *succi mercurialis,*
maioranæ ana unc. ß. betæ unc. j. ß.
misce pro errhino

Huius loco æger hoc puluere sternutatorio subinde uti potest:

Rec. *rad. pyrethri, hellebori albi,*
fol maioranæ ana scrup. j.
piperis nigri gr. v.
fiat pulvis.

XII. Ad capitis corroborationem, pororum apertionem, & frigidi humoris dissipationem, præparetur hoc capitium:

Rec. *fol rosmarini, maioranæ,*
salviæ, ana m ß.
flor lavendulæ, meliloti,
rosarum rubr. ana p j.
nucis moscatæ, gariophyllorum, ana scrup ij.
iburis, mastichis, ana drach. j.

flat puluis grossus, à quo in tenui serico consuatur s. aut capitium.

XIII. Temporibus utrinque imponatur hoc emplastrum:

Rec. *thuris, mastichis ana scrup. j*
sagapini, tacamaccæ ana scrup. j. s.
misceantur, & extendantur in serico nigro; fiantque duo emplastra rotunda.

Interea etiam exhibeantur conchita & apozemata cephalica, ex maiorana, rosmarino, saluia, betonica, conserua anthos, saluiæ, aliusve similibus confecta. Tabaci etiam fumus per fistulam communi modo sumptus non erit inconueniens.

XIV. Æger os sæpe colluat hoc decocto calido:

Rec. *radic. cyclaminis mund. j.*
paeoniæ maris mund. s.
herb. maioranæ, saluiæ, hyssopi, thymi, betonicæ, rosmarini, ana m. j.
sem. fanic. anisi ana drach. ij.
vini q. s. coquantur s. art. ad lib. j.
pro collutione.

XV. Post collutionem denti excauato cum petia ex gossypio immittatur guttula una olei origani, aut geriophyllorum. In summo dolore interdum etiam pauxillum spiritus vini in ore ad dentes affectos detineatur, quod tamen non est sæpe faciendum, ne gingiuæ inde lædantur.

XVI. Interea etiam ad humorum diuersionem summa cum utilitate vesicatorium post aurem, atque in ceruice applicabitur, & locus diu apertus seruabitur.

XVII. His omnibus non iuuantibus, in summa doloris atrocitate exhibeatur sub vesperam pilula ex laudani opiati gr. iij. aut tres pilulæ ex massa pilularum de cynoglossa gr. xiij. aut dentur philonii romani scrup. ij. vel iij.

XVIII. In victu sit aer calidus & siccus, viteturque turbolentus, pluviosus, inprimis aquilonius. Cibi conchantur cum cephalicis calefacientibus; fugiantur autem omnia salsa, acria, acida, & ea quæ capiti vaporibus replent, ut allium, porrum, raphanus, &c. Potus sit cereuisia mediocris notæ, & vinum tenue. Somnus longior. Exercitium mediocre: & alvus facilis sit.

HISTORIA XXIII.

De Aphthis.

MVlier triginta annorum continua febre correpta est, cum magna anxietate, sine vehementi calore, sine magna siti, qua intra biduum vires admodum prostratæ sunt. Pulsus est parvus & inæqualis: urina instar urinæ hominis sani. De nullius partis excelenti dolore, sed de maxima totius corporis conqueritur debilitate, quæ tanta est ut in lecto erecta sedere nequeat. Quarta die in deglutiendo sentiit aliquam difficultatem, ita ut potus non sine dolorosa molestia & impedimento per gulam & æsophagum descenderet. Eo tempore palacum, gingiuæ, lingua, & fauces innumeris exiguis pustulis albicantibus obtideri comperta sunt. Gustus etiam adeo læsus est, ut assumptorum verum saporem vix percipiat.

I. LAborat hæc ægra febri maligna, ad quam accedunt *Aphthæ*, quæ *sunt exulcerationes quædam in summa oris superficie, cum caliditate coniuncta.*

II. Causa antecedens sunt humores putridi, acres, maligni, in corpore contenti, qui à calore febrili attenuati, per arterias & occultos meatus ad os delati, in eoque exulcerationem hanc facientes, causam proximam constituerunt.

III. Has aphthas à maligno quodam putrido humore excitari, liquet ex febre putrida maligna præcedente vel adiuncta; cuius malignitas satis innotescit ex maxima anxietate & vitium ægræ prostratione, cum tamen febris nullas manifestas tantæ debilitatis causas exhibere videatur. Humorem autem illum magna ex parte pituitosum esse, patet ex minori febris calore, & pustularum seu aleuseulorum albedine.

IV. Hic humor à calore febrili attenuatus & acer ad os deuenientes, eius interiora (palatum, linguam, gingiuas, fauces, &c.) magis quam alias partes per quas transiit, exulcerauit, quia tenui & molli tantum pellicula muniuntur, quæ à rebus acribus, inprimis putridis, eo deuenientibus & diutius ibi remanentibus facillime exulcerari potest, cum aliæ partes firmiores huiusmodi corruptioni melius resistant.

V. Quia verò illa pellicula oris interiora inuestiens se per fauces & totum œsophagum extendit usque ad ventriculum, hinc etiam cum faucibus œsophagus similibus aphthis interius obsidetur, ut ex eo liquet, quia deglutitionis adest difficultas, & potus non sine dolore & impedimento ad ventriculum descendit.

VI. Gustus oblæsus est, quia pellicula oris interior, cui nervi gustatorii inseruntur, & qua mediante gustus fit, ab illis ulcusculis adeo obsidetur, ut obiecta gustabilia ad eam integra peruenire, & ab ea percipi vix possint. Adde, quod lingua ab ulcusculis dolens, & iam pravis humoribus infecta, de saporibus assumptorum bene iudicare nequeat.

VII. Hæ aphthæ sunt magis signum, quam causa periculi indicant enim febrem malignam & valde periculosam, à cuius curatione earum curatio maxima ex parte dependet.

VIII. Corpore igitur expurgato, vena secta, aliisque febri conuenientibus remediis adhibitis, os sæpe colluat & gargariset ægra hac decoctione.

Rec. *Hordei mundati, radic. bistortæ, tormentillæ, ana unc. ß. glycyrrhizæ rasæ drach. iii. herb. plantaginis, portulacæ, polygoni, foliorum querci, ana m. j. flor. malvæ arborescentis, rosarum rub. balaustiorum, ana m. ß. aquæ q. s. fiat decoctio ad lib. j. Adde syrupi diamori. diacodii, ana unc. j. ß. misceantur pro collutione.*

IX. Post collutionem lambat ægra, totumque os interius oblinat hoc syrupo:

Rec. *Syrupi cydoniorum, granatorum acidor. de rosis siccis, ana unc. j. misceantur.*

X. Si dolor acrior cuadat, ægra in ore detineat lac dulce, vel potius serum lactis, idque sæpius mutet. Deinde solum syrupum cydoniorum vel de rosis siccis lambendo assumat, inprimis cum aphthæ iam separantur.

XI. Victus sit refrigerans & malignæ putredini resistens. Cibi sint euchymi, eupepti & liquidi. Potus sit cerevisia tenuis aut ptisana. Alvus bene respondeat, & absint animi emotiones.

HISTORIA II.

De Aphtis.

INfans duorum mensium, cum matri lac deficeret, nutrici commissus fuit, temperamento bilioso præditæ, sed alioqui bene valenti multoque sanguine & lacte abundanti. Huic cum per octiduum adfuisset, cæpit lac coagulatum cum pituitosis & biliosis humoribus mixtum sæpius euomere, inquietius dormire, biliosa flaua ac viridia multa per alvum deiicere. Tandem etiam os interius aphthis albicantibus undique obsitum est, ita ut tam propter dolorem hinc procedentem vix amplius sugere posset, licet mammam cum desiderio appetat & ore amplectatur. Interea tamen nulla manifesta febris accedit, nec pulsus quicquam immutatus est.

I. CAusa harum aphtharum est lac nutricis serosius, calidius & acrius, quod in debili ventriculo infantis non satis bene concoquitur, sed multa bilis inde generatur, è qua acres halitus sursum ad os ascendentes, tenellas totius oris interioris pelliculas exulcerant.

II. Bilem copiosam inde generari liquet ex bile flaua & viridi, quæ copiosa per interiora deiicitur.

III. Lac autem in ventriculo coagulatur ob acrimoniam bilis & cruditatum ibi genitarum. Coagulatum vero euomitur, quia natura illo, alisque crudis humoribus grauata, & ab acrimonia irritata, molestiam illam per vomitum, quantum potest, deponere nititur.

IV. Febris non adest, quia bilis illa putredinem nondum concepit, neque etiam ad venam cauam delata est, sed hactenus sursum deorsumque satis copiosa excernitur.

V. Infans vix amplius sugere potest, quia dolor, quem ex aphthis habet, sugendo exasperatur. Mammam tamen appetit, quia maiorem oris calorem humiditate lactis lenire & extinguere desiderat.

VI. Hæ aphthæ quia recentes & sine febre sunt, neque malignam causam habent, facile sanabuntur; si remedia tempestiue adhibeantur. Alioqui si differatur curatio, metuendum est, ab aucta, & tandem putrescente bile, non tantum aphtharum profundiorem & periculosam exulcerationem, verum etiam alui fluxu cum tormini bus & febri grauiore secuturum.

VII. In curatione ante omnia ratio habenda est nutricis, utpote quæ ob temperamentum biliosum lac acrius generat, quam infantis ventriculus bene ferre aut digerere potest. Deinde ratio habenda est ipsius infantis.

VIII. Nutrix igitur semel atque iterum bene purganda est medicamento cholagogo. Deinde vena secanda; & apozema aliquod refrigerans, ex cichorio, endiuia, lactuca, boragine, acetosa, tamarindis, semi-

ribus frig. mal. aliisque similibus, per aliquot dies exhibendum. Etiam puppa ex rhabarbari drach. iij. in pinta cereuisiæ tenuis suspendenda, de qua bis terue in septimana haustum bibet: hinc non tantum ipsa, sed etiam infans bilioſa deiciet.

IX. Curandum vtcibis vtatur boni succi, conditis cum hordeo mundato, endiuia, lactuca, asparagis, pomis citriis, cerasis, fructu ribes, &c. Abstineat ab alliis, cœpis, raphano, synapi, aromatibus, omnibusque multum calefacientibus; etiam à melle & saccharo copioso, aliisque quæ facile bilescunt. Potus sit cereuisia tenuis, aut mediocris noræ: cuiret vinum, spiritum vini, melicratum, omnesque potus fumosos & calidos, nec non iram, aliasque animi emotiones.

X. Infanti autem (cui vix quicquam exhiberi potest) sæpe in os ingeratur syrupus de moris & cydoniorum, vel de rosis siccis & granatorum acidorum, aliusve similis, quo totum os interius oblinendum est. Etiam cum cochleare subinde exhibenda pultricula liquida ac tenuis, ex decoctione passularum corinthiacarum ad rupturam coctarum, cum pauxillo sacchari & micæ panis albi parata.

Si his remediis adhibitis tamen perdurent, aut in peius vergant aphthæ, quamprimum mutanda est nutrix, & alia quærenda quæ naturæ infantis conuenientior sit.

HISTORIA XXIV.

De Ranula.

MVlier triginta sex annorum, victu pituitam copiosam generante uti solita, conqueritur de maximo loquelæ impedimento, cum alioqui reliquo corpore mediocriter valere videatur. Sub eius lingua tumor conspicitur mollis, laxus indolens, concolor cæteris sub lingua membranis, venis nigricantibus conspersus, ad linguæ vinculum in dextram sinistramque partem manifeste distinctus, utrimque auellanæ, vel circiter nucis moscatæ magnitudinem adæquans, atque ipsos dentes altitudine tam superans, & os replendo linguam ad palatum impellens, sicque non solum loquelæ, verum etiam deglutitionis impedimentum inferens. Tumor hic à ciceris magnitudine primo incepit, hinc in dies maiora incrementa sumpsit, ita ut spatio trium quatuorve septimanarum ad dictam magnitudinem increuerit, & ægra non sine ratione metuat, ne per illius maius incrementum tandem suffocetur.

I. MOrbus, quo hæc ægra laborat, Βάτραχος Græcis, Latinis vero *Ranula* appellatur; vel quod posteriorem ranæ partem aliquo modo repræsentet; vel potius quod ægri non nisi coaxando instar ranarum loqui possint.

II. *Est autem ranula tumor mollis & laxus, sub lingua collectus, vinculo linguæ in dextram sinistramque partem diuisus.*

III. Afficiuntur in hoc morbo extremitates ductuum salualium, sub lingua latentium, quæ una cum linguæ membrana ibi incumbente, à saliua seu muco crassiore distenduntur, hincque tantam magnitudinem conquirunt.

IV. Quod autem in hac ægra nunc magis quam alias temporibus intumescant, fit, quia per alimenta refrigerantia, quibus longo tempore usa fuit, copiosa, cruda et, & viscidior pituita in corpore fuit generata, quæ ex parte ad saluales ductus decumbens, cum ob suam crassitiem non possit per poros glandularum ramulatum consueto modo effluere, abundantior in iis cumulatur, eosque nimia copia distendens, tumorem mollem efformat, in duas quasi veliculas sibi mutuo cohærentes, & linguæ frenulo distinctas diuisum.

V. Procul dubio, præter dictam pituitosæ saliuæ crassioris & viscidioris copiam, etiam ad hunc tumorem non parum fecit, quod istorum ductuum vel glandularum extremi pori, propter externam aliquam causam, ut frigidam oris colluuionem, potus vel cibos astringentes, &c. fuerint obstructi, vel adeo angustati, ut crassior saliua transire non potuerit, atque ita concurrentibus duabus his causis, tumor sub lingua generatus fuerit.

VI. Mollis & laxus est tumor, propter humoris contenti mollitiem. Indolens est, quia consistit in parte humida, cui propter paucissimos, quos recipit nervulos, sensus valde obtusus est. Concolor est vicinis partibus, quia non adest inflammatio, nec intus contentus humor cum alieno colore tingit. Breui tempore multum adauctus est, quia mucus saliualis per hanc viam ordinariam continuè ad linguam fluit, cumque per poros eius exonerationi dicatos effluere commode non possit, tumorem citò auget.

VII. Signis diagnosticis hic opus non est, cum affectus per se manifestus sit. Quantum ad prognosin,

non-

nondum multum periculi adest, sed quo citius tamen remedia adhibentur, eo facilior erit curatio, quæ alioqui, si differatur, increscente indies tumore, tandem suffocationis periculum incurret patiens.

VIII. Ægra hæc quinta aut sexta quaque die purganda erit pilulis cochiis vel aureis, electuario diaphœnico, hiera picra, diacarthamo, infusione agarici, aliove medicamento phlegmagogo.

IX. Ad pituitæ copiam imminuendam, eiusque generationem impediendam, exhibenda sunt intermediis diebus apozemata, ex radicibus helenii, acori, fœniculi, herb. calamentha, thymo, rosmarino, maiorana, hyssopo, foliis lauri, seminibus carminativis, aliisque calefacientibus, ut & condita, & pulueres calefacientes viscerague corroborantes.

X. Interea dum hæc fiunt, topica adhibenda sunt, quibus viscosus salivalis humor incidi & attenuari, porr ductuum salivalium aperiri, sicque tumor discuti possit.

XI. Ægra os sæpe colluat hoc decocto.

Rec. *herb. hyssopi, calamentha, maiorana, flor chamomilla, ana m* j.
sem. anisi, fœniculi, ana drach. iij.
vini albi q. s. coquantur. f. ars. ad lib. j.
adde colatura, syrupi de prassio, de hyssopo, ana drach. vj.
misceantur pro colluione.

XII. Post collutionem ranulæ adhibeatur & imponatur hic pulvis.

Rec. *byssopi sicci, salii communis, ana drach.* ij.
calamentha, rad. helenii, ana drach j.
fiat pulvis.

XIII. Si his non discutiatur tumor, ad chirurgiam deueniendum & tumor lato vulnere transuersim incidendus est, totaque viscida materia, in eo contenta, educenda, & os eluendum collutione antedicta, aliaue abstergente, cui pauxillum aluminis adiectum sit.

XIV. Si consolidato vulnere, de nouo redeat tumor (quod interdum fit) ubi ad aliquam magnitudinem rursus increuit, facta cruciali & superficiali incisione, sine læsione vesiculæ seu membranulæ interioris superior ei incumbens pellicula ab ea separanda est, totaque vesicula ab utraque frenuli linguæ parte, denudanda, & quam profundissime fieri potest, excindenda est, atque deinde vulnus consolidandum. Quod si ægra hanc chirurgiam sic institui non permittat, alio modo, scilicet per cauterium potentiale, vel etiam actuale (hoc Pareus lib. 7. cap. 5. depinxit) dicta vesicula est absumenda. Neque metuendum est ori magnum incomodum futurum, si per hanc curationem ductuum salivalium transitus in perpetuum occludatur, nam experientia docet, iis viis tali modo occlusis, ad oris humectationem satis multum saliuosæ pituitæ à faucibus aliisque salivalibus ductibus adfluere.

Dieta instituatur aliquantum calefaciens & attenuans, sicut in morbis pituitosis fieri solet.

QVandoquidem hic paradoxon, scilicet nouam *Ranulæ* causam, aliamque partem affectam propono, quam alii Medici hactenus fecerunt, & *Ductuum salivalium* mentionem facio, quales sint illi ductus etiam breuiter adscribere necesse videtur.

Ductus hi antehac prorsus fuerunt incogniti, & tandem primo in Anglia nuper inuenti à D. VVarthono & Glissonio, atque præterita hyeme primo apud nostrates in theatro anatomico publice demonstrati à Clarissimo Viro D. Iohanne ab Horn in Inclyta Leydensi Academia Anatomes & Chirurgiæ Professore celeberrimo.

Substantiam habent venis non multum absimilem, sed sæpe firmiorem. Numero bini sunt, in homine tantæ latitudinis ut stylum mediocrem admittant: in canibus vero venam spermaticam vix adæquant.

Oriuntur lato principio ex magna & insigni glandula supra tendinem medium inter digastrici & Biuentris musculi carnes sita: Hinc oblique sursum delati, ad mediam circiter maxillam se abscondunt inter duas exiles glandulas ibi sitas; quas ubi transierunt, recto ductu feruntur iuxta nervum septimi paris (ad computum Vesalii) quem tandem decussatim transeunt, atque sic paulum versus anteriora, iuxta linguæ frenulum, terminantur & aperiuntur in duas peculiares glandulas (has D. ab Horn *Raninas & hypoglottides* non male appellat) tenui & porosa membranula inuestitas, quæ sitæ sunt sub lingua, prope venas raninas, inter carnem quæ linguam vicinis partibus connectit, & glandulas basi linguæ subiectas. In brutis verò maior est longitudo, propter maxillam longiorem, & oriuntur à peculiaribus glandulis sub parotidibus sitis.

Horum ductuum usus est, salivalem humiditatem in glandulas raninas continue effundere, quæ in iis, tanquam in spongia, continetur, & per latos poros membranæ eas integentis paulatim in os eructatur, ad linguæ & oris humectationem; quam humiditatem, ni influerent ductus,

ctus, per eius poros exire, oculis patet. Sciendum tamen omnem saliuam per hanc viam non profluere, sed magnam partem è faucibus aliisque ductibus in os descendere.

HISTORIA XXV.

De Hydrocephalo.

PVello unius & dimidii anni, per sex menses ablactato, cum à parentibus pauperioribus fere negligeretur, nec ei alimenta conuenientia, sed lac pressum crudum, fructus horarii crudi, aliaque similia darentur, & caput etiam hyberno tempore non satis tectum seruaretur, caput in parte capillata & fronte, usque ad oculos cœpit intumescere; qui tumor spatio unius mensis in tantum adauctus est, ut fere ad virilis capitis magnitudinem excreuerit: facies tamen non intumuit. Est autem tumor ille mollis & albicans, eique alte impressa digitorum vestigia inhærent. Puer interea mediocriter edit & bibit, non febricitat, sed somniculosus est, & totius corporis membra languide mouet. Nares præter consuetudinem ficciores sunt, & saliua paucior ab ore profluit. Vrina & liquidæ alui dejectiones satis copiosæ procedunt.

I. HVius pueri affectus Medicis *Hydrocephalus* appellatur, qui *est tumor capitis, quo caput à succi humoris collectione intumescit*.

II. Hic serosus & pituitosus humor collectus est extra cranium, & latet sub cute, quod tactu percipitur, quia nulla ossis duritiei sentitur sed tantum mollis tumor.

III. Serosum, pituitosum & copiosum, esse humorem qui colligitur, patet ex colore cutis albicante, & quod alte impressa digitorum vestigia capiti inhæreant sine dolore.

IV. Causa antecedens huius mali sunt humores frigidi & humidi in toto corpore, & imprimis in cerebro collecti, qui extra cranium elati, & sub cute condensati, causam continentem constituunt.

V. Humores hi generati sunt, tum ob pravum victum pituitam crudosque humores producentem, tum ob frigidam & humidam totius corporis constitutionem: quippe horum ratione viscerum coctiones debiliores euadere, unde multi pituitosi & serosi humores generati sunt: qui partim per urinas & alui liquidas dejectiones euacuati, partim ad caput delati fuerunt, cumque per nares & palatum more solito non effluxerint, à cerebri calore in crassos vapores attenuati, cranii poros & futuras transierunt, atque sub cute rursus condensati, ibidem constiterunt & collecti sunt.

VI. Per nares & palatum euacuari non sunt, quia sua crassitie ductus eo tendentes obstruxerunt. Sub cute autem collecti sunt, quia ab externo frigore eius pori angustiores & humores ipsi densiores eua erunt, ita ut ob crassitiem per constrictos poros permeare non potuerint. Cumque quotidie noui humores ad priores accesserint, & nulli vel admodum pauci per poros dissipati fuerint, hinc factum quod caput spatio unius mensis in tantam magnitudinem intumuerit.

VII. Æger alimenta adhuc assumit, quia ventriculi appetitus à cruditatum saburra non multum impeditur, cum illa per copiosas urinas & liquidas alui dejectiones satis euacuetur.

VIII. Non febricitat, quia humores non putrescunt, nec caloris est nimius excessus aut malignitas.

IX. Somniculosus est ob frigidam & humidam cerebri intemperiem, cuius ratione non tantum nerui sensorii flaccidi, & ad spirituum animalium transitum, atque obiectorum sensibilium receptionem minus apti sunt, verum etiam paucibores spiritus animales generantur, cum à frigida humiditate angustiores seu strictiores factæ sint arteriolæ in plexu choroide, atque hinc pauciores spiritus vitales transmittantur, qui quidem materia sunt è qua animales conficiuntur, sequitur si illa materia pauca sit, necessario quod inde generatur paucum esse debere. Hæc spirituum animalium paucitas etiam in causa est, quod æger totius corporis membra languide moueat; cum enim dicti spiritus pauci ad partes & musculos influant, necessario motus animalis languidus est.

X. Alvus liquida est ob copiam serosorum & pituitosorum humorum, qui in corpore generantur, & magna parte ad intestina defluunt: quorum tenuior pars sanguini permista, & in renibus ab eo separata, urinas quoque facit copiosas.

XI. Hic affectus admodum periculosus est; licet enim collectio seri sit extra cranium, atque hinc magnam sanationis spem promittere videatur, tamen periculo non vacat, cum capitis intemperies, tenuisque corporis cachexia magna sit, serosus humor copiosus,

&

& ægritudinis, quæ facilis remedia non ferit. Quia tamen in re dubia adhuc spes apparet, curatio quamprimum est instituenda, antequam affectio peior fiat.

In curatione serosus & pituitosus in toto corpore redundans humor, inprimis ille qui in capite colligitur, quocunque modo clementer euacuandos, & viscerum corroboratione ac intemperiei sublatione eius copiosior generatio, & in capite collectio impedienda.

XIII. Primo cum cochleari exhibeatur syrupi de cichoreo laxatiui unc. ß. cum puluere is ialappæ gr. v. vel vi. vel pastillarum solutiuarum drach. v. vel vi. comedendæ dentur. Postea subinde exhibeatur pauxillum theriacæ veteris, &, si fieri possit, sudor prouocetur. Offeratur etiam ter quaterve de die pauxillum conseruæ anthos melissæ, aut florum saluiæ.

His præmissis sequenti fomento tepido caput sæpe foueatur.

Rec. *herb. betonicæ, rosmarini, origani, thymi,*
flor. chamomillæ, meliloti,
stachados, ana m. j.
fol. lauri, m. ß.
sem. anisi, fœniculi, cumini, ana drach. ij.
vini albi q. ſ. coquantur ad lib. ij.
pro fomento, cum magna spongia aut panno lineo admouendo, diligenter cauendo ne refrigeretur.

XV. Postquam usu huius fomenti tumor capitis maxima ex parte dissipatus est, ad ulteriorem intemperiei sublationem, inungatur caput mane & vesperi hoc unguento calido.

Rec. *Olei chamamelini, unguenti*
alabastrini, ana unc. ß.
olei nucis moschatæ expressi, scrup. iiij.
pulueris castorei, styracis cal.
benzoini, ana scrup. ß.
misce fiat unguentum.

XVI. Post inunctionem imponatur capiti inde capitium.

Rec. *fol. rosmarini, maioranæ,*
flor. chamomillæ, meliloti, ana m. ß.
benzoini, gariophyllorum,
nucis moschatæ, ana scrup. ß.
fiat pulvis grossus, à quo in seruo rubro conficiatur ſ. art. capitium interſutum.

Postea relicto etiam linimento, hoc solum capitium die in capite gestare debebit.

XVII. Interea etiam ad viscerum corroborationem bis terve de die exhibeatur cochleare huiusmodi mixturæ.

Rec. *aquæ florum tiliæ, lilliorum conuallium, ana unc. ij.*
aquæ cinnamomi drach. vi.
syrupi de stœchade unc. j.
misceantur.

Vel huius loco detur subinde pauxillum melierati: Regioni ventriculi, hepatis & lienis hoc linimentum inungatur.

Rec. *olei laurini, chamamelini,*
unguenti martiati, ana unc. ß.
olei nucis moschatæ expressi drach. ß.
misce fiat linimentum.

XVIII. Si hæc non profuerint, in capitis tribus quatuorve locis maxime tumidis lanceola perforatio exigua per cutem facienda est, non maior quam in venæsectione fieri solet, ut per illa foraminula serum paulatim exstillare possit, quod mappis calidis impositis excipiendum est, usque dum fluere desinat: postea antedictum capitium capiti imponendum est.

XIX. In victu sit aer calidus & siccus. Cibi offerantur paulo siccriores quam ordinarie huiusmodi pueris exhiberi solent: ut panis bis coctus masticatus: ossa ex pane albo cum decocto pastillarum, aut iusculo gallinæ humectatæ, & cinnamomi ac sacchari pauxillo conspersæ. Pulticulæ etiam conficiantur ex farina tritici cum decocto pastillarum, iisque aliquantulum vini addatur. Bibat æger subinde lac amygdalatum cum pauxillo aquæ cinnamomi. Abstinendum ab usu lactis presli acidi, seri lactis, cereuisiæ tenuissimæ, fructuum horatium, & pomorum, licet coctorum. Somnus sit mediocris, non nimis longus. Excreta naturalia si non procedant arte prouocentur.

PRIMARIORVM MORBORVM TOTIVS THORACIS

MEDICATIONES,

Decem Disputationibus

AD

HISTORIAS ÆGRORVM

PROPOSITÆ.

HISTORIA I.

De Pleuritide.

IVuenis 24. annorum, cum in sphæristerio pilæ lusu admodum incaluisset, & valde sitiret, magnum haustum cereuisiæ frigidæ bibit. Hinc paulo post sentit dolorem in thoracis latere sinistro, qui intra semi horam adeo acutus euasit, ut non nisi summa cum molestia & intolerabili dolore respirare potuerit. Accessit febris valida, cum tussicula sicca, qua dolor plurimum exasperatur. Anxietas, nec non sitis magna est. Medicus in principio, circiter quarta vel quinta ab aduentu doloris hora, aduocatur.

I. AFficiuntur in hoc ægro variæ partes, inprimis membrana pleura, musculi mesopleuri, & cor, hincque reliquum corpus.

II. Morbum ipsum infestans *Pleuritidis* dicitur, quæ *est membranæ pleuræ musculorumque mesopleuriorum inflammatio, punctorio lateris dolore, respirandi difficultate & continua febri comitata.*

III. Quod ille morbus sit, patet ex eiusdem signo pathognomonico manifestissimo, scilicet acuto lateris dolore, cum respirandi difficultate & febri continua, cui etiam tussicula sicca accedit. Peripneumoniam non esse docet præsentia doloris acuti, qui in illa non adest. Lienis tumorem, inflammationem, aliumve dolorem non esse, liquet, tum ex doloris summo acumine, tum ex eiusdem situ supra diaphragma versus axillas, & grauissimo respirationis impedimento.

IV. Antecedens hujus morbi causa fuit sanguinis copia in corpore contenta. Causa procatarctica duplex fuit, magnum exercitium, & frigidæ cereuisiæ potus. Causa continens est sanguis in membrana pleura & musculis mesopleuriis nimia copia coacernatus, inflammatus ac putrescens.

V. Ab exercitio intensius incaluit totum corpus, unde pulsus cordis validus & creber tactus est, quo sanguis ab eodem calore attenuatus per arterias copiosus ad omnes partes impulsus est, qui quousque ei liber per venas reditus concedebatur, nihil molestiæ intulit. Sed cum ex repentino actuali cereuisiæ epotæ frigore sanguis in pleuræ lateris sinistri venis aliquantum incrassaretur, & ipsæ venæ nonnihil constringerentur, atque hinc sanguis non satis libere transiret, factum est ut multo plus per arterias influxerit, quam per laxas venas circulari seu transire potuerit: & quia singulis pulsibus aliquid ibi remansit quod venas non transiit, hinc per multos pulsus magna sanguinis accumulatio, hincque insignis ibi tumor in pleura excitatus est: & quia singulæ sanguinis guttulæ è corde propulsæ, suum habent calorem, hinc cum incremento sanguinis eo loco increuit calor & sic facta est inflammatio, unde putredo sanguinis ibi conclusi procellit.

Cuius

Cuius putrescentis sanguinis pars per venas intercostales ad cauam, hincque ad cor contitue delata, febrem continuam excitauit, quæ symptomatica est, utpote non generata ex primaria putredine in vasis maioribus accensa, sed ex tali quæ è parte inflammata continue in vasa maiora effunditur, sicque cordi communicatur.

§. VI. Cum in inspiratione necessario costæ dilatari debeant; & iam propter tumidam inflammationem, ac membranæ pleuræ musculorumque mesopleuriorum tensionem ægre dilatari possint, hinc difficilis fit respiratio, quæ propterea maxime grauis existit, quod pleura acuto sensu prædita nullam ulteriorem tensionem ferat, & quia tamen respirandum est, cum violentia distenditur, sicque acutissimus dolor infertur: quem æger cuitare studens, paruas facit inspirationes, quæ cum sanguinem in pulmone non satis refrigerent, ex eius nimio calore magna cordis anxietas excitatur, nec non faucium totiusque oris siccitas, ingentem sitim producens.

VII. Aeres vapores ex inflammata parte exhalantes vicinum pulmonem etiam infestant, eiusque bronchia vellicando tuliculam siccam excitant.

VIII. Periculosissimus est hic morbus, tum propter affectum cor, & respirationem læsam, qua æger carere omnino nequit; tum propter grauia symptomata, & empyematis metum. Quia tamen medicus in principio aduocatur, & tempestiue conuenientia remedia adhibere potest, magna sanationis spes est.

IX. Curatio à generoso, & in hoc casu primario remedio, scilicet venæ sectione, incipienda, atque statim in alterutro brachio vena secanda, & sanguis liberaliter educendus est. Qua venæ sectione si non leuetur æger, eadem post horam unam aut alteram reiteranda est, atque deinde etiam, si necesse sit; tertio repetenda; habita ratione virium, quarum tamen mediocris detectio non extimescenda.

X. Interea alvus clystere nonnunquam subducenda.

Rec. *decocti emollientis unc.* x.
cass. diacatholici, diaprani solutiui, ana unc. i.
salis drach. j.
misce fiat clyster.

Vel rhabarbari drach ii. infundantur in aqua hordei, eaque colatura, cum unc. i. syrupi de cichoreo cum rheo, aut rotati solutiui pro hausto exhibeatur. A cataracticis fortioribus abstinendum.

XI. Potest etiam ter quaterve de die dari haustus huius apozematis.

Rec. *hordei mundat. radicum asparagi, graminis, ana unc.* j.
glycyrrhizæ rasa unc. ß.
herb. capilli veneris, boraginis, endiuiæ, lactucæ, violariæ, ana m. i.
flor. papaueris erratici, violarum ana p. iij.
sem. 4. frigid. maior. ana drach i. ß.
passularum corinth. unc. i.
aquæ q. s. fiat s. art apozema ad lib. i. ß.
cui admisce syrupi papaueris rheados, violacei, ana unc. i.

Ad tussiculam lenitendam præscribatur hic linctus.

Rec. *syrupi papaueris erratici, capilli veneris, violacei, ana unc.* j.
misce fiat linctus.

Ad doloris sedationem, & sanguinis in parte affecta cumulati attenuationem, ac discussionem, vel citiorem coctionem, partis affectæ regio extrinsecus per magnam spongiam tali decocto tepido foueatur.

Rec. *herb. malua, althea, brassicæ, chærefolii, betæ, violariæ, flor. chamomillæ, sambuci, anethi, ana m.* i.
aquæ q. s. fiat decoctio ad lib. ij.
pro fomento.

Ex iisdem etiam, additis farinis lini & hordei, oleo amygdalarum & butyro recenti, componi poterit cataplasma conuenies, lateri applicandum.

XIV. In dieta sit aer temperatus, vel aliquantum ad frigidum vergens. Cibi sint pauci, euchymi, & facilis digestionis, ex cremore ptisanæ, iusculis pullorum cum endiuia & lactuca paratis, aliisque similibus. Vel detur subinde haustus amygdalati.

Rec. *amygdalarum dulc. depilat. unc.* ij.
sem. 4 frigid. mai. papaueris albi, ana drach j. ß.
decocti hordei. q. s. fiat emulsio ad lib. j.
cui admisce sacchari q. s. ad leuem dulcedinem.

Potus ordinarius sit ptisana, cerevisia tenuis non acida, aut talis iulebus.

Rec. *decocti hordei lib* j.
syrupi papaueris erratici, violacei, ana unc. j.
misce fiat iulab.

Somnus, si fieri possit, longior sit, ut & maxima corporis animique quies,

HISTORIA II.

De Empyemate.

VIro quadragenario, graui sinistri lateris pleuritide detento, remedia non ante tertium diem fuerunt adhibita, quibus postea morbus imminutus non est, sed ultra decimum quartum diem excurrit, febre aliisque magnis symptomatibus comitatus. Ab eo tempore dolor multum imminui, febris mitior fieri, & ponderosa grauitas in latere affecto ad costas sentiri capit. Circa vigesimum quintum diem, febre iam valde praua existente, cum exiguo dolore, molestam grauitatem, ad sinistrum maxime latus diaphragmati incumbentem percepit æger, & si ab uno in alterum latus se repente deuolueret, humorem aliquem desluere sentiit, cuiusetiam fluctuatio in motu corporis antrorsum manifeste obauditur. Adiungitur tussicula sicca, qua nihil effatu dignum exspuitur. Respiratio difficilis est, inprimis si in latere dextro decubitus fiat. Æger anxius & debilis est, facile & sæpe sudat sine leuamine: ciborum fastidio tenetur, & magis potum quam cibum desiderat.

I. AFfligitur Æger *Empyemate, quod est puris in thoracis cauitate collecta.*

II. Dignoscitur hic affectus, partim ex signis præcedentibus, partim ex præsentibus. Præcedentia signa sunt, quod pleuritis præcesserit, quæ ante decimumquartum diem non est imminuta: quod postea dolor cum febre imminui cœperit sine manifesta aliqua euacuatione per sputa, atque hinc grauitas ponderosa ad costas in latere affecto percepta fuerit. Præsentia sunt, quod molesta grauitas diaphragmati incumbat, & in deuolutione corporis fluctuatio humoris in pectore sentiatur & obaudiatur: quod irrita tussis adsit, cum difficili respiratione, anxietate, debilitate, & ciborum fastidio.

III. Causa collectionis huius puris fuit, membranæ pleuræ & musculorum mesopleuriorum inflammatio mutata in abscessum, è quo rupto pus illud in thoracis capacitatem delapsum est, cumque per diaphragma nullus ei daretur transitus, nec per pulmonem commode euacuaretur, ibi detentum & cumulatum est.

IV. Quod per sputa pus non fuerit euacuatum, factum est, 1. quia procul dubio huius ægri pulmo lateri affecto firmiter non adsit, ut in multis contingit, in quibus è rupto abscessu pus facile in pulmonem annexum eructatur. 2. Quia pus in cauitate thoracis contentum, ob suam crassitiem, poros membranæ pulmonem inuestientis subire, sicque pulmonem ingredi non potuit. 3. Quia fortè pori in huius ægri pulmone angustiores sunt, ita ut huiusmodi crassiores humores non admittant.

V. Dolor cum febre imminutus est, inflammationis acri materia iam in pus conuersa, & sic mitiore reddita: cuius puris magna quantitas membrana adhuc concluſa, ad affecti lateris costas ponderosa grauitate molestiam exhibuit. Tandem circa vigesimum quintum diem, rupto apostemate in thoracis cauitatem effluens, molesto pondere diaphragmati incubuit, eiusque, in corporis commotione, manifesta fluctuatio percepta est. Eiusdem etiam pondere depressum diaphragma non satis liberè mouetur, hinc difficilior fit respiratio, inprimis si lateri sano incumbat æger, tum quippe, præter diaphragma, etiam dexter pulmonis lobus à puris cum mediastino incumbentis pondere comprimitur.

VI. Tussicula procedit à vellicatione pulmonis exteriori tunicæ ab acrimonia puris illata. Haneque nihil fere exspuitur, quia materia irritans extrinsecus pulmonem attingit, nec eius quicquam bronchia ingreditur.

VII. Æger anxius est ob impeditam respirationem. Etiam debilis, quia ab acuto præcedente morbo vires admodum sunt prostratæ, unde quoque facile & sæpe sudat sudorem symptomaticum. Ventriculo autem eandem ob causam, una cum hepate, valde debilitato, eius coctio imbecillis, & appetitus delectus enasit, hincque cibi fastidium processit: adde quod etiam pus diaphragmati incumbens, stomachum et annexum languidum faciat. Potus tamen magis desideratur quam cibus, ob aliquam sitim à permanente febricula excitatam.

VIII. Affectus hic periculosus est: 1. Quia respiratio læditur. 2. Quia subsequitur acutum morbum qui vires admodum imminuit. 3. Quia pus in thoracis cauitate concluſum sponte nusquam commode euacuari potest, nam quæ per sputa, vel urinas nonnunquam fit excretio, illa adeo rara est, ut ex sexcentis vix uni contingat. 4. Quia si pus dicto loco diutius subsistat, pu-

putrefceet, ſicque pulmonem ei innatantem corrumpet, febreſque augebit. 5. Si curatio per medicamenta exhibita inſtituatur, incertum erit de felici euentu, quia pus è thoracis cauitate per purgantia non poteſt educi, & per ulcerantia difficulter in pulmonem impellitur. 6. Si ad chirurgiam deueniendum ſit, illa etiam non vacabit periculo. Interim tamen, quia febris exigua eſt, & vires adhuc mediocriter conſtant, atque conuenientes adhibita medela multos huiuſmodi ægros ſeruauit, non eſt omnino deſperandum, ſed curatio quam primum inſtituenda, quippe quo diutius malum protrahitur, eo magis vires collabuntur, & affectus periculoſior euadit, nam corrupto tandem pulmone facilis fieret in phtiſin tranſitus, iuxta 5. *Aphoriſ.* 15.

IX. Præmiſſa igitur clementi euacuatione alui, mox ad expectorantia deuenire ſuadet tuſſicula. Sic enim tentandum anne pus per illam viam poſſit educi, ope talium medicamentorum quæ partim pulmonis poros laxant & dilatant, partim pus ad facilliorem in iſtos poros ingreſſum præparant.

X. Hunc in finem præſcribendum tale apozema:

Rec. *radicum helenii unc.* i.
iridis florent. drach. ij.
glycyrrizæ raſa, unc. ſ.
herb. hyſſopi, praſſii albi, capilli Veneris, violariæ, ana m. i.
braſſicæ rubræ, m. ii.
ſem. aniſi drach. iij.
ſ. q. frig. mai ana drach j. ſ.
paſſularum mund. unc. iij.
aquæ q. ſ. fiat ſ. art. apozema ad lib. i. ſ.
cui admiſce, ſyrupi de praſſio, de hyſſopo, oxymelis, ana unc. i.
dentur tres quatuorve doſes de die.

Per interualla lambat æger hunc linctum.

Rec. *ſyrupi de praſſio, de hyſſopo, de iuiubis ana unc.* i.
troci pulueriſati ſcrup. i.
miſce fiat linctus.

Terebinthina cum vitello oui in aqua hordei ad cremorem redacta & ſaccharo dulcorata, plurimum quoque proderit. Neque horum medicamentorum aliquatis calor propter febrem valde extimeſcendus eſt, quia febris exigua eſt, & cauſæ eius maior ratio habenda eſt, utpote qua ſublata facile euaneſcet febris.

XI. Si his & ſimilibus medicamentis æger ſpatio duarum ſeptimanarum ad puris excretionem non deueniat, ab eorum uſu vix quicquam ſperandum eſt, ac proinde, antequam longiore mora vires magis concidant, & pus corruptelam contrahat, eamque etiam pulmoni inprimat, citior illius euacuatio molienda eſt per chirurgiam.

XII. Igitur in latere affecto, infra axillam, inter quintam & ſextam coſtam, thorax uſque ad interiorem cauitatem cultello perforandus eſt (cauendo læſionem pulmonis, ut & arteriæ, venæ ac nerui intercoſtalis) foramini non valde lato, ſed tali tamen quo tubulum argenteum cauum admittere poteſt, qui facta inciſione ſtatim immittendus eſt, & ita ligandus ut ſponte excidere non poſſit; anteriore autem parte ſit turunda linea obturatus, ut pus præter voluntatem Medici per illum effluere nequeat. Per hunc tubulum bis de die, extracta turunda puris lib. ſ. vel lib. i. (plus minus, pro puris quantitate & facili tolerantia ægri) extrahenda eſt, hinc eiuſdem effluxus immiſſa turunda rurſus ſiſtendus.

XIII. Vbi tandem pus totum euacuatum videtur, & nihil amplius effluit, pulmo & interior cauitas aliquoties abluatur hac mixtura per vulnus iniecta.

Rec. *decocti hordei unc.* v.
ſpiritus vini unc. iv.
mellis roſacei,
ſyrupi de praſſio, ana unc. i.
miſce pro iniectione:
qua per aliquot horas intus relinquenda eſt, & poſtea per dictum tubulum rurſus educenda.

XIV. Si continua & diuturna puris effluxio indicet ulcus interius nondum eſſe perſanatum, præſcribenda erunt decocta abſtergentia & vulneraria, nec non iniectiones modicæ ſiccantes & abſtergentes. Tubulus verò argenteus in dicto vulnere detinendus eſt, quo uſque nihil puris amplius effluit, tunc demum eximendus, & vulnus ſecundum artem conſolidandum.

XV. Victus ratio ſiccior, attenuans & abſtergens inſtituatur, cibique condiantur cum cheretolio, hyſſopo, braſſica rubra, beta, fœniculo, paſſulis, amygdalis, &c. Potus ſit piſana ſaccharo vel melle dulcorata, aut hydromel. Somnus mediocris ſit, & alvus facilis. Ira & triſtia animi pathemata fugiantur.

HISTORIA III.

De Tuſsi.

MErcator florentis ætatis, cum nullam dietæ rationem haberet, & modo frigido, modo calido, modo ſereno, modo tempeſtuoſo & pluvioſo tempore itineri ſe committeret, idque multoties aduerſus externi aeris iniurias non ſatis munitus, cibis etiam quibuſ-

libet uteretur, præcipue frigidis, acidis, salsis, aliisque duræ digestionis, quibus maxime delectabatur, præterito autumno multoties gravedine, circa hyemem vero tussi molesta infestari cæpit, quæ tota hyeme usque ad hoc tempus durauit. Sæpissime magna cum violentia tussit, idque omnium maxime circa noctis principium & diei crepusculum, quibus temporibus per integram horam plus minus fortiter tussit, magnamque viscidi & tenacis muci copiam summa cum molestia eiicit, quem nonnunquam subsalsum esse, gustu percipit. Post sumptum cibum etiam maior euadit tussis, à cuius valida agitatione sæpe quicquid in ventriculo est euomitur, ac dolor multoties in thorace & abdomine excitatur. Post vomitum istum rursus mitescit tussis. Sanguinem nunquam expectorauit. Non febricitat. Corpus emaciatur & vires imminuuntur, nondum tamen omnino collapsæ sunt, nam foras adhuc progreditur, & solita munia peragit. Sæpe alvum nimis laxam habet: & liquida deiicit. Appetitus satis constat, & somnus noctu mediocris est.

PVlmonem in hoc ægro inprimis affici, hinc ventriculum, aliasque varias corporis partes à valida agitatione simul etiam pati, extra dubium est.

II. Affectio hæc *tussis* appellatur, quæ *est vehemens efflatio, à velici thoracis & pulmonum constrictione orta, qua id quod spirandi instrumentis est molestum, vi aeris inspirati expellitur*.

III. Hic affectus ad sui cognitionem signis opus non habet, cum per se satis manifestus sit.

IV. Causa antecedens est frigida ac pituitosa cerebri & pulmonum dispositio, à quibus maximè contracta. Procatarctica est frigus, calor, exercitium intempestivum aut nimium, aliudve, quodcunque spiritum in capite contentum liquefacere, exprimere aut deturbare potest. Continens est pituita in pulmone, vel per defluxum, vel per congestionem cumulata, eumque partim acrimonia vellicans, partim bronchia illius copia obstruens, sicque magnum & molestum respirationi impedimentum iniiciens.

V. A frigidis enim & duræ digestionis cibis multis eruditates in corpore factæ, multique pituitosi subtalsi humores generati, qui ut à debili coctione, sic etiam ab acidorum & salsorum crebro usu, matorem acrimoniam adepti sunt. Ad hæc ab aere frigido, pluvioso & tempestuoso refrigeratum etiam fuit cerebrum, & exteriores capitis pori occlusi sunt, unde pituitosi sero sique vapores ex inferioribus partibus ascendentes, in cerebri iam frigidioris ventriculis fuerunt condensati; atque hinc, neque per angustos & à frigore externo occlusos poros, potuerunt dissipari, neque per ossis cribriformis angustias commode euacuari: unde primo frequens gravedo fuit excitata. Postea vero circa hyemem, propter maius aeris frigus, adaucto illorum frigidorum humorum cumulo, cum iis, ob suam crassitiem, per nares & palatum liber exitus non pateret, per intortas vias defluxerunt in asperam arteriam & pulmonis bronchia eaque sua copia angustando respirationi impedimento fuerunt. Ad hæc interior eorum pellicula, acuto sensu prædita, ab eorundem acrimonia molestam vellicationem passa est, cuius ut & angustationis, molestia menti communicata, spiritus animales copiosi ad thoracis musculos determinati fuerunt, ut per eorum validam & interpolatam contractionem vehemens fieret aeris inspirati excussio, atque ita simul etiam molesti, irritantis & angustantis humoris cum impetu exclusio.

VI. Diu durauit hæc tussis, quia neque diætæ ratio habita, neque frigida cerebri intemperies conuenientibus remediis sublata fuit; atque hinc catarrhorum crebra ad thoracem defluxio hactenus processit: à quorum frigore pulmones quoque tractu temporis multum refrigerati & debilitati sunt; atque hinc ab inferioribus partibus excitati vapores, qui in pulmonem impingunt, in eo facile in viscosum liquorem condensantur ac sistuntur; ita ut nunc eius ductus, non solum à delabentibus catarrhis, verum etiam à tenaci humore, e crassis vaporibus in iis condensato, ac instar visci parietibus bronchiorum adhærente, angustentur. Atque hinc sæpe æger magna cum violentia tussit, antequam tenacem & vellicantem illam materiam extundere possit.

VII. Circa noctis principium & diei crepusculum grauior & longior est tussis, ac plus tenacis pituitæ ejicitur, quia pituitosi humores tota die vel nocte collecti, circa diei & noctis principium tanta copia redundant, ut in capite contineri diutius nequeant, hinc defluunt ad thoracem; & pulmonum bronchia, non solum acrimonia sua vellicando, ad tussim irritant, verum illa etiam, à vaporibus in iis per frigus condensatis, angustata, magis repient, atque hinc respirationi maximam molestiam iniicientes, tussim exacerbant, utpote qua natura molestiam excutere nititur.

VIII. Post assumptum cibum increscit quoque tussis, quia vapores ab ingestis alimentis suscitati, & acrimonia aliqua prædita, mox impingunt in pulmonem, eiusque frigidioribus bronchiis condensati adhærent; quorum, ut & asperæ arteriæ, sensilem, atque à pituitosis humoribus ad facilem irritationem paratam, tunicam interiorem vellicando, tussim exasperant: per cuius validam agitationem & musculorum abdominis eum-

compressionem, ventriculus sæpe omnia contenta euomit; quo facto, aliquantum pro tempore imminuitur tussis, quia tunc nihil in ventriculo remanet, è quo acres vapores ad pulmonem ascendere possint.

IX. Ab eodem valido motu, nimisque crebra musculorum tensione, interdum etiam dolor in thorace & abdomine sentitur. Et propter nimiam aluí à crebra illa tensione compressionem, sæpe etiam cibus & potus vix concoctus è ventriculo in intestina propellitur, per eaque, antequam commoda chyli distributio fieri possit, versus inferiora citius deturbatur, unde tunc alvus laxa fit, & liquida deicit.

X. Non febricitat æger, quia non adest humorum putredo: Interim emaciatur & debilis euadit, 1. Quia propter frequentissimam illam totius corporis à valida tussi concussionem, omnes partes non tantum valde delassantur, verum etiam ob musculorum frequentem contractionem, concussionem & agitationem, sanguinem alimentarium per arterias, modo compressas, modo laxatas, non satis commode & copiose recipiunt, nec receptum satis diu retinere queunt. 2. Quia, ut iam dictum, propter validam istam agitationem ingesta alimenta in ventriculo nec satis retinentur, nec bene coquuntur, & quod coctum etiam est non satis distribuitur, sed multoties per inferiora deturbatur, antequam vasa lactea subire possit; unde tunc corpus & singulæ partes debito alimento fraudantur.

XI. Appetitus satis constat, quia ventriculus bene se habet, nec ad eum delabuntur catarrhi. Quod autem coctio eius interturbetur, & vomitus subinde fiat, id non illius vitio, sed per accidens ab agitatione tussis contingit.

XII. Somnus mediocris est; quia dum pituitosi humores noctu è capite ad thoracem non defluunt, nec tussim faciunt, sed paulatim colliguntur, & in ventriculis cerebri cumulantur; ab eorum frigiditate & copia rapidior spirituum animalium motus ad organa sensuum pro tempore aliquantum cohibetur; atque hinc illa, defectu satis copiosi spiritus, eo rempore quiescunt.

XIII. Licet tussis à muscis parui fieri soleat, tamen in hoc ægro magnum minatur periculum, quia catarrhi delabentes non tantum copiosi, verum etiam subsalsi sunt; (quod æger gustu percipit; à qua acrimonia, ut & tussis magna violentia, facile erodi vel dirumpi possent aliquæ venæ pulmonis, & sic hæmoptysis periculosissima, hincque ulcus, & ab eo tabes pernitiosa oriri. Curatio tamen difficilis erit; quia diuturna illa cerebri & pulmonis frigida intemperies non facile tolli poterit, sed longiore tempore opus habebit; de qua tamen hoc calidiore autumni tempore melius sperare licet, quam si hyeme instituenda foret: hanc spem multum augent ægri vires & ætas.

XIV. Indicationes curatiuæ primariæ quatuor sunt. 1. Vt tussis vehementia, nec non catarrhorum defluxionum acrimonia mitigetur; 2. Vt summa sputorum tenacitas imminuatur, eaque coquantur & ad maturitatem redigantur. 3. Vt frigida temperies, cum pulmonis, tum capitis emendetur, eæque partes corroborentur. 4. Vt omnis catarrhorum delapsus ad pulmones præueniatur.

XV. Præmissa elementi purgatione, per haustum aliquem phlegmagogum, aut pilulas cochias vel aureas, electuarium hieræ piceræ aut diaphœnicum, &c. ut primis tribus indicationibus inprimis satisfiat, huiusmodi apozema præscribendum.

Rec. *Radicum helenii, acori,*
iridis florent. ana unc. ß.
glycyrrizæ rasæ,
hordei mundati, ana drach. vj.
herb. scabiosæ, capilli Veneris, passi albi,
betonicæ tussilaginis, ana m. j.
hyssopi ß.
baccarum iuniperi unc. ß.
fem. anisi, fœniculi, ana drach. ij.
caricarum pinguium n. ix.
passular. mundat. unc. ii.
aquæ q. s. coquantur s. art. ad lib. j. ß.
adde colatur. syrupi de Bachade,
de passio, oxymelis thoracici
magistralis ana unc. j.
misce; fiat apozema.

Huic ad citiorem pituitæ consumptionem non inutiliter postea addentur, *salsaparilla, sassafras, & radix china.*

Vtatur etiam æger hoc linctu.

Rec. *Syrupi de hyssopo, de passio,*
oxymelis magistralis, ana unc. j.
syr. de Bacchade unc. ß.
misce; fiat linctus.

Huius loco subinde sumi potest una ex his tabellis.

Rec. *Pulveris rad. helenii scrup. j.*
iridis florent. scrup. ij.
glycyrrizæ rasæ drach. j.
croci opt. gr. xiv.
sacchari aq fœnic. dissoluti unc. ii.
fiat s. art. tabellarum.

XVI. Si his omnibus adhibitis, æque violenta maneat tussis, detur bis in septimana cubitum iturо talis bolus.

Rec. *Philonii Rom. Requisi Nicolai,*
mithridatii democ. ana scrup. i.
Misce fiat bolus.

Reliquo tempore utatur apozemate, bolo, & tabellis ante dictis.

XVIII. Ad capitis corroborationem præscribatur hoc capitium.

Rec. *fol. maioranæ m. ß.*
rosmarini p. ij.
flor. rosar. rubr. lauendulæ aa p. i.

muscis

nucis moſcatæ, benzoini, garyophillorum, ana ſcrup. j. fiat pulvis groſſus pro cucupha; ſeu capitio.

XVIII. Si his omnibus nihil imminuantur catarrhi defluxus & tuſſis, ut quartæ indicationi ſatisfiat, ad humoris defluentis diuerſionem & euacuationem excitetur fonticulus in brachio, vel potius in ceruice, iſque longo tempore apertus ſeruetur.

XIX. In victu ſit aer mediocriter calidus & ſiccus, fugiatur nebuloſus aut tempeſtuoſus. Caput & thorax aduerſus aeris frigidi & humidi iniurias veſtibus bene præmuniantur. Cibi ſint facilis digeſtionis & boni nutrimenti, conditi cum rapis, cherefolio, hyſſopo, maiorana, betonica, meliſſa, oryza, hordeo mundato, aromatibus, paſſulis, ſaccharo, aliiſque ſimilibus. Potus ſit cereuiſia, mediocris, non antiqua, mel coctum, anthoſatum, aut vinum ſubduce modica quantitate. In cibis & potibus abſtinendum ab omnibus, acidis, auſteris, ſalſis & acribus aliiſque quæ tuſſim irritant. In ſomno & motu corporis mediocritas ſeruetur, quippe nimia quies eruditatis & pituitoſorum humorum copiam auget; nimius vero motus, humores liquefaciendo & agitando, defluxiones citiores facit. Excreta naturalia bene procedant. Fugiantur ira, terror, & triſtia animi pathemata, ut & Veneris uſus.

HISTORIA IV.

De Aſthmate.

VIr triginta ſex annorum, temperamenti pituitoſi, interim ſatis fortis, ſed in dieta negligens, & ſedentariam vitam agens, ante aliquot annos, autumnali tempore, cum à deambulatione maiore admodum incaluiſſet, hincque apertis veſtibus & capite detecto ſe aeri frigido expoſuiſſet, & vinum rhenanum frigidum bibiſſet, incidit in difficilem & anheloſam reſpirationem, cum ſibulo ſeu rugitu aliquo procedentem; qui affectus poſtridie tantopere adauctus eſt, ut tertia die non niſi ſtans aut erectus ſedens reſpirare, & totis quatuordecim diebus in lecto decumbere non potuerit, ſed tot integras noctes & dies ſtans aut ſedens tranſire coactus fuerit; de nocte tamen maiore anguſtia preſſus, quam de die. Poſtea aliqua tuſſi, cum tenacis viſcidique ſputi copioſa reiectione accedente, paulatim illa reſpirandi difficultas imminuta eſt, ſicque tandem ad priſtinum ſtatum rediit. Ab eo tempore ſæpius per intermalla eodem illo malo afflictus fuit, modo paucioribus, modo pluribus diebus; inprimis ſi plus ſolito calefactus ſe aeri frigido exponeret, aut vinum rhenanum frigidum biberet; ac proinde hoc etiam obſeruauit, flante borea, ſe facillime hunc affectum incurrere, niſi curioſiſſime ſibi caueat ab eius iniuriis, idque æſtate & autumno magis, quam hyeme. Durante hoc malo appetitus quidem mediocriter conſtat, ſed præ anguſtia vix poteſt comedere, & poſt ſumptum alimentum etiam exacerbatur reſpirandi difficultas. Procliuis quidem eſt ad ſomnum, ſed vix concidentibus oculis, cum terrore & ſumma anxietate mox expergiſcitur, ita ut durante paroxyſmo dies noctesque, velit, nolit, inſomnes ducere cogatur. Venter & pectus quaſi à flatibus diſtendi videntur. Nonnunquam in capite grauativum quendam dolorem ſentit cum refrigeratione aliqua in poſtica parte, verſus ceruicem. Iam hoc tempore rurſus in ſimilem paroxyſmum admodum grauem incidit, cum magno ſuffocationis periculo. Non febricitat; nec de alarum partium dolore conqueritur.

I. AFfectio, qua hic æger detinetur, & quæ per ſe ſine aliis ſignis facile cognoſcitur, eſt *Aſthma, ſeu difficilis & anheloſa reſpiratio*; & quidem ſummus illius gradus, quem *Orthophnœam* appellamus, *quæ eſt ſumma reſpirandi difficultas, qua ægri non niſi erecti reſpirare queunt, ab anguſtia reſpiratoriarum partium procedens.*

II. Cauſa antecedens huius mali fuerunt pituitoſi humores in corpore redundantes. Procatarctica duplex eſt, calor & frigus. Continens verò eſt pituita viſcida & tenax in pulmonum bronchiis copioſior cumulata, iiſque firmiter agglutinata.

III. Propter pituitoſam totius diſpoſitionem multi frigidi, crudi, & pituitoſi humores in corpore redundant, quorum nimia cumulatio facillime fit in iis partibus, quæ per ſe frigidiores ab externa aliqua cau-

la

la facile nimis refrigerantur; quales inter alias sunt cerebrum & pulmonis bronchia. Corpori igitur per majora exercitia, aliumve quemcunque modum, præter consuetudinem excalefacto, sanguis & humores velocius mouentur, multique vapores in ventribus excitantur; qui, si calor ille sensim imminuatur, ab eodem etiam paulatim dissipantur: at (ut in ægro nostro multoties contingit) repentinum frigus superueniat, mox condensantur, & in cerebro, quod per se frigidius est, maiore copia cumulantur; postea catarrhorum materia futuri. Pulmonum vero bronchiis, substantia frigidiore præditis, & ab inspirati aeris frigiditate magis refrigeratis, instar tenacis visci firmiter agglutinantur, eaque angustant, & respirationem difficilem faciunt quibus deinde accedens crudorum humorum è capite in bronchia defluxio, omnino maxime difficilem respirationem fieri necesse est, propter maiorem viarum angustationem; cuius ratione etiam sibulus seu rugitus in respirando obauditur, & respiratio non nisi erecto corpore fieri potest, cum pulmones penduli, nec aliis partibus incumbentes facilius dilatentur, earumque bronchia in illo situ magis aperta sint, & inspiratum aerem facilius admittant.

IV. Nocte exacerbatur malum, quia per aeris nocturni frigus in pulmone magis crassescunt & tenaciores fiunt pituitosi humores, sicque bronchia magis obstruuntur: in capite etiam eadem de causa plures colliguntur, & copiosiores ad thoracem defluunt. Adde quod nocte per quietem minor etiam fiat vaporum dissipatio.

V. Tandem ubi viscosa materia in pulmone collecta aliquo modo cocta, & illius summa tenacitas aliquantum imminuta est, eaque per tussim ejicitur, tunc obstructio bronchiorum imminuitur, & sic æger ab illa respirandi difficultate paulatim leuatur. Ab ea autem liber remanet, quo usque rursus à maiore calore excitati in corpore copiosiores vapores ab insolito aut repentino frigore externo in pulmone condensatur, eiusque bronchiis agglutinantur, & in capite maiori copia collecti ad thoracem etiam defluunt.

VI. Hinc iam liquet quare septentrionalis ventus ipsi adeo inimicus sit; quia nimirum suo frigore poros constringit, humores ac vapores condensat, caput & pulmones refrigerat. Qui ventus ipsi æstate & autumno damnosior est, quam hyeme; quia tunc à calore externo corpus sæpe nimis incalescit, hincque copiosi vapores excitantur, qui superueniente repentina aliqua refrigeratione bronchiis frigidioribus facile adhærent & agglutinantur. Hyberno vero tempore pulmo, aliaque medii & infimi ventris viscera (constrictis ab externo frigore poris) sunt calidiora (iuxta Hippocratis *aphor. 15. sect. 1.*) habentque calorem æqualem & permanentem, ita ut excitati vapores in dictis partibus non facile condensentur, sed ulteriore coctione attenuati consumantur.

VII. Durante hoc affectu constat appetitus, quia nec inspiratus frigidus aer, nec frigidæ defluxiones è capite ad ventriculum perueniunt; atque hinc eius actio non magnopere impeditur. Ab assumpto tamen alimento exasperatur respirandi difficultas, propter vapores in ventriculi coctione excitatos, qui ad medium & supremum ventrem ascendentes, in utroque condensantur, atque in illo pulmonum bronchiis agglutinantur; in hoc copiosioris defluxionis causa fiunt. Peracta vero coctione ventriculi, rursus mitius euadit malum, quia tunc pauciores eleuantur.

VIII. Licet admodum proclivis sit ad somnum; tamen non potest dormire, quia vigilans summa vi cogitur uti in dilatatione thoracis, ut necessitati respirationis satisfaciat; per somnum verò illam necessitatem tam accurate non persentit, atque hinc tanta vi in dilatando thorace non utitur, qua deficiente, statim deficit respiratio, utpote quæ ob bronchiorum obstructionem sine magna vi peragi nequit, atque sic æger mox cum terrore & summa anxietate expergiscitur, & cogitur vigilare, ut satis respiret, ac cum violentia respirare, ut viuat.

IX. Venter & pectus quasi à flatibus distenta videntur, licet flatus nulli, vel forte pauci insint. Et hoc, quia propter summam respirandi difficultatem & necessitatem spiritus animales copiosissimi continue determinantur in musculos respiratorios, quorum continuus & copiosus influxus dictos musculos admodum distendit, ita ut inde talem aliquam molestiam persentiat ægrotus, ac si ab internis flatibus distenti tenerentur.

X. Grauativus capitis dolor nonnunquam adest, à frigidorum humorum in capite collectorum copia: atque hinc etiam sensus frigiditatis in postica capitis parte procedit.

XI. Febris abest, quia nulla in humoribus aut sanguine est putredo. Neque dolent aliæ partes, quia frigidi illi humores in hoc ægro non sunt acres, neque in aliis partibus, quam capite & pulmone, copiosiores colliguntur.

XII. Admodum periculosus est hic affectus, qui ægro suffocationem minatur, inprimis si durante malo forte noua copiosa defluxio è capite ad pulmonem irruat. Sanationis spem faciunt, ætas florens, virium robur, & aliorum morborum absentia.

XIII. Indicationes curatiuæ sunt. 1. Tolere causam continentem, quæ bronchia obstruit. 2. Impedire catarrhi defluxum ad pulmones. 3. Frigidam capitis & pulmonis intemperiem emendare. 4. Totius corporis pituitosam dispositionem immutare, frigidosque humores in toto redundantes imminuere. Vt autem his indicationibus satisfiat, alia curatio in præsenti iam paroxysmo, alia extra eam est instituenda.

XIV. In præsenti paroxysmo ad respirationem facilitandam, æger erectus sedeat, pectore nullis vestimentis

mentis constricto, idque in aere libero & temperato. Iniicitur clyster communis, vel si cum admittere nolit, suppositorium immittatur. Victu utatur tenui, & cibi condiantur cum hyssopo, salvia, betonica, croco, anisio, fœniculo, passulis, aliisque similibus.

XV. Sumat subinde, quasi lambendo, cochleare huius syropi.

Rec. *syrupi de hyssopo, de prassio, conservationis zingiberis & rad. hel. condit. ana unc. ß. oxymelis compositi magistralis unc. j. misceantur.*

Detur etiam mane, hora quinta pomeridiana drach. j. huius pulueris, cum vino malvatico, hydromelite, aut iusculo.

Rec. *Radic. helenii. drach. j. rad. iridis florent. fem. anisos, ana drach. i. benzoini, croci opt. ana scrup. j. moschi gr. j. sacchari candi albi drach. iij. fiat pulvis, cui admisce olei anisi gut. iv. vel v.*

XVI. Paroxysmo cessante, purgetur æger singulis septimanis semel cum pilulis cochiis, aureis, hiera, picra, vel hausto aliquo phlegmagogo, ex infusione agarici, ialappæ, sennæ, &c. Venæsectio in hoc subiecto pituitoso & frigidiore minus conuenit.

XVII. Reliquis diebus utatur tali Apozemate.

Rec. *rad. helenii, fœnic. ana unc. ß. acori, glycyrrhizæ raja, ana drach. v. maioranæ, scrophulariæ, capill. ven. hyssopi, prassii albi, sabinæ, ana m. j. baccar. salviæ, ana m. ß. bacc. iuniperi unc. ß. fem. anisi, fœnic. ana drach. ij. ß. passularum mundat. unc. ij. aquæ q. s. coquantur s. art. ad lib. j. ß. adde colatura. oxymelis magistralis, syrupi de stachade, de prassio, ana unc. j. misce fiat apozema.*

XVIII. Subinde etiam utatur particulæ huius conditi.

Rec. *specierum dianthos, diambræ, ana drach. i. pulv. helenii condit. conserua flor. salviæ, anthos. ana drach. v. syrupi hulenis q. s. misce, fiat conditum.*

XIX. Ad imminutionem pituitæ in toto corpore conducentes erit usus decocti salsæparillæ & sassafras, cui sub finem decoctionis adiici possunt nonnulla appropriata cephalica & thoracica medicamenta, ad capitis & pulmonum corroborationem. Capiti etiam cucupha, ex cephalicis calefacientibus confecta, est imponenda; & si catarrhus pertinaciter ad pulmonem fuere perstitat, excitandus erit fonticulus in alterutro brachio, aut in cervice.

XX. Vbi æger his remediis aliquamdiu usus fuit, & iam melius valere videbitur, ad ulteriorem causæ mali sublationem, utatur alternis diebus, matutino tempore hausto huius vini medicati.

Rec. *radicum helenii sicc. unc. ß. iridis florent. salappæ, ana drach. j. ß. herb hyssopi, prassii, albi, ana m. ß. bacc. iuniperi unc. ß. sem. anisi. fœnic. ana drach. j. ß. agarici albiss. scrup. v. aloes lucidæ scrup. iv. fiat puppa, suspendenda in vini albi lib. iv vel v.*

XXI Ad præseruationem utatur etiam per tres menses, bis in septimana, bolo ex terebinthina optima.

Rec. *terebinthinæ Venetæ drach. iij. sacchari albi drach. ij. m. fiat bolus in nebula cum vino malvatico deglutiendus.*

XXII. In dieta sit aer calidus, & clarus fugiatur nebulosus, crassus, tempestuosus & humidus. Cibi sint boni succi & facilis digestionis, conditi cum hyssopo, serpillo, salvia, rosmarino, melissa, betonica, rapis semine anisi & fœniculi, croco, nuce moscata, zingibere, garlophyllis, passulis, sacchato, melle, aliisque similibus. Potus sit parcior, usque cereuisiæ mediocris notæ, & subdulcis vel subamara, minime acida, vinum tenue subdulce, aut melicratum, in quo suspendi poterit puppa ex hyssopo, maiorana, salvia, &c. In somno seruetur modus. Corpus leuibus exercitiis mediocriter exerceatur. Alvus sit facilis, & fugantur animi perturbationes.

HISTO-

HISTORIA V.

De Angina.

VIr triginta annorum carnosus, robustus, plethoricus, cum à graui labore admodum incaluisset, plurimumque sitiret, cereuisiam tenuem, è frigida cella depromptam, auidissimè magno haustu bibit, ita ut frigiditatem potus in faucibus ferre nequiens, poculum ab ore deponere cogeretur. Paulo post angustiam quandam cum ardore in faucibus, & hinc respirandi ac deglutiendi molestiam percepit, quæ continuo magis magisque adaucta est. Post septem aut octo horas febris valida accessit, cum pulsu magno, crebro & inæquali, tantumque adaucta est respirandi, deglutiendique difficultas, ut vix stans aut erectus sedens respirare posset, & assumptus potus ilico per nares resiliret. Os siccum est, cum magna siti, quæ, ob deglutiendi impedimentum, nullo potu leniri potest. Lingua obscurioris coloris euasit, eaque oris speculo depressa, posterius in faucibus maxime intensa rubedo seu fuscus color apparet; tumor tamen insignior, quia humiliore loco consistit, conspici nequit. Venæ raninæ sub lingua crassæ ac tumidæ sunt. Loquela etiam adeo impedita euasit, ut vox ægre audiatur. Æger maxime anxius se quaquauersum summa cum inquietudine mouet, & frigidum patulumque aerem continuo captat. Foris nullus tumor, sed insueta aliqua rubedo circa faucium regionem apparet.

I. GRauissimus affectus, qui ægrum nostrum exagitat, vulgo ab angendo *Angina* appellatur; *estque respirandi & deglutiendi difficultas, ab inflammatione & angustia partium summarum gulæ, laryngis, faucesumque procedens, ac breui febrem continuam sibi comitem assumens.*

II. Non est autem notha angina, à tonsillarum ex catarrho tumore cum rubore coniuncto, sed est vera angina, ex mera inflammatione genita. Cui cum pro variæ intensionis magnitudine à neotericis quatuor gradus constituantur, hæc ad gradum tertium referenda videtur, quem παρεκυνάγχην appellant, quippe in nostro ægro inflammatio versus superiores faucium partes se extendit, & depressa lingua quodammodo conspici potest, quæ aliquot in duobus prioribus gradibus, κυνάγχη & συνάγχη, tota occulta latet.

III. Sanguinis redundantia huius mali antecedens fuit causa; hic autem sanguis à causis procatarcticis agitatus, ac in faucibus & laryngis musculis maiore copia coacernatus, ibidemque putrescens, causa continens euasit. Procatarcticæ vero illum partim mouentes, partim circa dictas partes detinentes, duæ fuerunt, nempe grauis labor magnum calorem excitans, & nimis frigida potio subitam refrigerationem inducens.

IV. A graui quippe labore excalefacto toto corpore nec minus corde sanguis per validas crebrasque cordis pulsationes rapidè fuit agitatus, ac celeriter per vasa transiit, idque sine vllo incommodo, quousque in vlis nullum daretur impedimentum. Verum cum ab actuali frigiditate assumpti nimis frigidi potus, qui in minimis venis circa fauces & laryngem hærebat sanguis nonnihil incrassaretur, ipsæque venularum radices & orificia constringerentur, ac cor excalefactum tamen non desineret per crebros magnosque pulsus æque multum sanguinis, atque antea, eo per arterias propellere, non potuit tanta quantitas à venulis, per frigus incrassatumque sanguinem angustatis, tam cito recipi & transmitti, sicque circulari; ac proinde cum singulis pulsibus aliquid transiret, aliquid etiam dictis locis detineretur, hinc per plurimos pulsus multum sanguinis in dictarum partium substantia detentum ac collectum fuit; unde tumor calidus, respirandi deglutiendique vias angustans, paulatim magis magisque adauctus est; ipseque detentus sibi sanguis, cum à corde amplius non regeretur nec moueretur aut elaboraretur, paulatim maiorem inflammationem & putredinem concepit, cuius pars, cordi per venas communicata, febrem continuam accendit, non quidem prima hora, sed inter septimanam & octauam: in ipso enim exordio copia sanguinis paulatim collecta, eiusque nimius calor continue adauctus fuit, sed putredo cum magna inflammatione post aliquot horas primo inuasit, scilicet cum tanta esset copia, quæ naturæ grauis foret, & iam efferuescere inciperet: à qua efferuescentia pulsus maior & crebrior, quam antea, euasit, ac simul etiam inæqualis, à putrescentibus particulis, reliquo sanguini inæqualiter permistis, in cor illabentibus.

V. A febris invasione multo difficilior fuit respiratio, tum, quia effervescens sanguis maiorem locum requirebat, atque hinc tumorem & viarum angustiam plurimum augebat: tum, quia ratione maioris caloris febrilis, maiore opus fuit respiratione; cum per angustas vias procedere vix posset, difficilior evasit, & defectus quoque necessarii refugerit maximam anxietatem & inquietudinem induxitatque hinc est quod æger frigidum patulumque aerem capiat.

VI. Os siccum & sitis maxima est, à calidis vaporibus, partim ex inflammato loco, ori proximo, partim per febrem, ex corde & inferiore corpore sursum in os exhalantibus, idque exsiccantibus. Potus tamen deglutiri nequit, sed in os resilit, quia ab inflammatorio tumore superior œsophagi pars tantopere comprimitur & angustatur, ut nihil amplius transmitti possit, hincque potus deglutitionis impetu versus œsophagum impulsus, cum non possit per eum transire, per superiora palati mox resilit in nares.

VII. Intenta rubedo seu fuscus color, qui in faucibus depressa lingua conspicitur, fit à copia sanguinis ea in parte, ob antedictas causas coacervata, qui color se inde aliquo modo versus linguam extendit: & propter denegatum liberum sanguinis per venas transitum, venæ raninæ sub lingua admodum tument.

VIII. Loquela impeditur, ut æger vix audiri possit, propter respirationis difficultatem & musculorum laryngis inflammationem.

IX. Foris nullus conspicuus est tumor, quia inflammatio tota intus circa laryngem, œsophagum & fauces latet: rubedo tamen aliqua, propter vicinitatem, se versus exteriora protendit.

X. Acutus tunc ac periculosissimus est hic morbus, à quo æger aut cito liberari, aut cito mori debebit; quia si pauxillum adhuc increscat inflammatio & augeatur tumor, respirandi via omnino præcludetur, & æger suffocabitur. Periculum auget febris magnitudo, & quod æger nihil omnino deglutire, sicque ardor internus nullo potu lenire, nec vires ullo alimento corroborari possint. Aliquam tamen sanationis spem facere videtur, quod inflammatio non omnino in interioribus laryngis musculis abscondita delitescat, sed aliquo modo versus fauces extendatur, ita ut topica ad partem affectam paulo melius accedere queant. Adde, quod aliqualis rubedo, foris apparens, videatur etiam promittere aliquam protuptionem inflammationis versus exteriora, quod cum salute ægri fieret.

XI. In curatione, 1. Affluentis sanguinis impetus ad partes affectas est impediendus. 2. Qui iam influxit & ibidem collectus est sanguis, quantum fieri potest discutiendus est. 3. Si ad maturationem tendat, ea quam citissime promovenda est. 4. Si dum hæc tentantur, ægri suffocatio interea metuatur, illa per chirurgiam præveniendæ erit.

XII. In hoc magno igitur morbo statim à generoso remedio auspicanda erit curatio, & venæsectio in brachio instituenda, ac sanguis liberaliter detrahendus. Si prima vice non imminuatur affectus, haud diu post eadem venæsectio in eodem vel altero brachio erit reiteranda: atque illud ipsum etiam tertia vice, si necesse videatur, sine scrupulo tentandum; quoniam ab hoc inprimis remedio salus expectanda. Etiam è venis ranis sanguis bona quantitate per phlebotomiam erit extrahendus.

XIII. Interea clysteribus ordinariis alvus interdum subducenda.

XIV. Utatur æger sæpius hoc gargarismate deseruiente & emolliente.

Rec. *glycyrriza rasa drach.* iij.
rapas duas mediocris magnitudinis,
herb. scabiosæ, violariæ, malvæ,
mercurialis, betæ, ana m. j.
flor. chamomillæ,
rosarum pallid. ana m. ß.
corticum citri unc. ß.
aquæ q. s. coq. s. art. ad lib. j. ß.
adde colaturæ, syrupi dianuci unc. iij.
diamori, unc. ß.
mellis rosacei unc. ß.
misce, fiat gargarismα.

Huic, si tumor ad suppurationem tendere videatur, addantur.

hordei mundati drach j. ß.
foe althææ m. j. ß.
ficus novem.

XV. Extrinsecus imponatur hoc cataplasma:

Rec. *rad. liliorum albor drach* j. ß.
foe betæ, malvæ mercurialis, altheæ,
flor. chamomil. ana m. j.
rosarum pallidarum m. ß.
farinæ fænugraci unc. j. ß.
unius vitæ hirundinis interiorem partem
pulmentatam, aquæ q. s.
coquantur s. art
ad pulticulæ formam,
cui adde olei chamamelini unc. ij.
misce, fiat cataplasma.

Huic, si maturatio expectanda videatur, addi poterunt.

ficus pinguis septem aut octo, farinæ fab.
altheæ, semin. lini, pulpæ cassiæ, olei liliorum,
ana unc. j

XVI. Quam primum æger aliquid deglutire poterit, detur clemens purgans *ex infuso rhabarbari, pulpæ cassiæ, syrupo rosato solutivo, aut de cichoreo cum rheo, &c.*

XVII. Tunc etiam pro potu præscribatur iulebus.

Rec. *decocti hordei lib.* j. ß.
syrupi diamori, dianuci,
violacei ana unc. j.

olei

olei ſulphuris paxillum ad lenum acetum; miſce fiat iuleb.

XVIII. Si abſceſſus rumpatur, æger prono capite purulentam materiam exſpuat, & ulcus abſtergat gargariſmo, ex decocto hordei cum ſaccharo, melle, aut ſyrupo de praſſio vel hyſſopo dulcorato: ex quibus ſyrupis etiam linctus confici poteſt. Poſtea utatur gargariſmate ex ſanicula, plantagine, agrimonia, nucibus cypreſſi, roſis rubris, &c. cum ſyrupo de roſis ſiccis & granatorum dulcorato.

XIX. Si interea dum hæc adhibentur, magis increſcat reſpirandi difficultas, & ſuffocationis periculum iamiam imminuere videatur, antequam materia vel diſcuti, vel ad maturitatem deduci poſſit, viribus nondum plane collapſis, ad extremum concurrendum eſt remedium, ſcilicet, *laryngotomiam*; de qua conſulendi ſunt Iulius Caſſerius *in hiſtoria anatomica vocis* a Aquapendens titulo *de perforatione aſperæ arteriæ*; Sennertus *inſtitutionum lib. 3. part. 1. ſect. 2. cap. 7.* aliique chirurgiæ ſcriptores.

XX. Viuat æger in aere frigidiuſculo. Cum deglutire poterit, concedatur victus tenuis, ex cremore hordei, amygdalatis, iuſculis pullorum vel carnis vitulinæ, decoctis cum lactuca, endiuia, portulaca, acetoſa, prunis damaſcenis, &c. Potus ſit cereviſia tenuis, iulebus refrigerans, priſana. Alvus laxa ſeruetur per clyſteres, aut conceſſa deglutitione, per aſſumpta. Corporis animique ſit quies.

HISTORIA VI.

De Peripneumonia.

IVuenis robuſtus, cum à meracioris vini copioſo potu admodum incaluiſſet, poſt mediam noctem aquæ frigidæ poculum unius libræ exhauſit, ſicque nocturno aeri frigido ſe expoſuit, & domum tendit. Eo cum veniſſet, reſpirandi difficultatem ſentit, quæ de momento in momentum magis magiſque increſcebat, ſine ullo tamen acuto thoracis dolore. Grauatiuam & ponderoſam moleſtiam in medio thorace ſentiebat, maxime verſus ſiniſtrum latus. Tuſſicula crebra irritabat, qua valde parum, ſed ſuberuentum & ſpumoſum exſpuebat. Genas magnus rubor prehendit. Poſt tres quatuorve horas accellit valida & continua febris, cum maxima ſiti, oris ſiccitate, pulſu magno, frequenti ac inæquali, & ſummo capitis dolore, tantumque adaucta eſt reſpirandi difficultas, ut æger pene ſuffocaretur, ita ut ad medicam opem neceſſario concurrendum fuerit.

I. IN hoc ægro pars primariò affecta eſt pulmo, eiuſque imprimis ſiniſter lobus, quod liquet ex reſpirandi difficultate, & ponderoſa moleſtia, quæ in medio thorace verſus ſiniſtrum latus declinans ſentitur, Secundariò vero afficitur cor, & hinc totum corpus.

II. Morbus ægrum infeſtans *Peripneumonia* dicitur, quæ *eſt inflammatio pulmonis cum febre continua, difficili reſpiratione, & ponderoſa in thorace moleſtia*. Quæ tria pathognomonicum eius ſignum conſtituunt.

III. Plethora fuit eius cauſa antecedens: proxima verò eſt ſanguis maiore copia in pulmonis ſubſtantiam impulſus, quam circulari commode poteſt. Cauſa procatarctica duplex eſt, ſcilicet nimia incalefcentia, & ſubita refrigeratio; illam liberalior meraci vini uſus, hanc frigus tam aquæ potæ, quam nocturni aeris induxit.

IV. A vino meraco admodum incaluit totum corpus, hinc pulſus cordis frequens & magnus euaſit, quo ſanguis, calore attenuatus, rapide per arterias in partes propulſus eſt, qui, quo uſque ei per venas ſatis liber concedebatur reditus, nullum exhibuit incommodum: verum, ſuperueniente repentino frigore, ab actuali aquæ potæ & aeris inſpirati frigiditate illato, eoque in pulmones magis quam alias partes impingente, mox ſpirituoſus ſanguis pulmonis ſubſtantiæ & minimis ramulis venæ pulmonariæ inhærens, nonnihil condenſatus ſeu incraſſatus, & ipſæ quoque ex ſeſe venæ pulmonariæ radices, una cum pulmonis poris aliquantum conſtrictæ ſunt; atque hac de cauſa ſanguis, qui per omnes arterias, nec non per pulmonarem valida crebraque pulſatione cordis rapidè mouebatur, non ſatis bene per has impeditas vias tranſiit, ſed plus per arteriam pulmonarem è dextro cordis ventriculo in pulmonem fuit impulſum, quam è venæ pulmonaris radicibus commodè admitti, & ad ſiniſtrum ventriculum dimitti potuit: hinc ſingulis pulſibus aliquid ibi remanſit, quod per venas non permeauit, unde poſt multos pulſus, magna ibi ſanguinis accumulatio ab eaque inſignis tumor in pulmone excitatus fuit; cui adiuncta inflammatio, quia partim ab incremento ſanguinis,

partim ab incremento sanguinis, partim ab eiusdem putredine sortique effervescentia, calor præter modum adauctus est.

V. Ab hoc pulmonis tumore, multum compressis & angustatis bronchiis, valde difficilis evasit respiratio; eaque difficultas magis magisque increscit, quia singulis pulsibus aliquid sanguinis ad partem tumidam opponitur, quod tumorem comprimentem & inflammationem auget.

VI. Quia autem pulmo tumidus & tensus gravior fit, hinc ponderosa molestia in medio thorace sentitur, eaque maxime versus sinistrum latus, procul dubio quia inflammatio sinistrum lobum inprimis occupat. Magnus tamen seu acutus dolor non adest, licet æger cum violentia quoque respiret, & thoracem ac pulmonem distendat, quia ipsa pulmonis substantia caret nervis majoribus, atque hinc vix sentit, & exterior eius tunica solummodo valde obtusum sensum habet, ab exili ramulo sexti paris eam ingrediente: interior vero bronchiorum tunica, quæ acuti sensus est, hic vix afficitur; solummodo acris calor sanguinis putrescentis eam nonnihil vellicans, & tenuiores sanguinis particulæ in eam expressæ, tussiculam proritant, qua parum & subcruentum exspuitur.

VII. Genæ admodum rubent (quod in hoc morbo familiare) à spirituoso sanguine in pulmone effervescente, qui se, suosque vapores in fungosam genarum substantiam facilius insinuat, tantumque ruborem infert; idque magis in huius, quam aliorum viscerum inflammatione; quia præter dictum sanguinem, ex ipso pulmone inflammato fit feruens exspiratio, cum qua feruentes fuligines & vapores è faucibus erumpunt, & interius in ore in genas impingunt, easque multo adhuc magis excalefaciunt, sicque ruborem multo plus augent, quam in aliorum viscerum inflammatione fieri potest.

VIII. Febris continua valida accessit, à sanguine in pulmone putrescente, & cordi continue communicato. Qui sanguis, cum in ipso mali principio nondum putresceret, sed primo paulatim in quantitate & calore increscret, & non nisi post tertiam horam inflammaretur, ac verè putredinem conciperet, hinc febris ab ipso mali exordio non adfuit, sed post tertiam quartamve horam superuenit, magnamque oris siccitatem & sitim comitem habuit, ob feruidas exspirationes os interius nimis exsiccantes. In eaque pulsus magnus & frequens est, ob sanguinis copiam & caloris magnitudinem; inæqualis vero, propter sanguinis inæqualem ab admistione particularum putrescentium, quæ modò plures, modò pauciores cum sanguine in cor incidunt, hincque cor, modo facilius modò difficilius eas dilatans, citius tardiusve cum inæqualitate mouetur.

IX. Incipiente febre, respirandi difficultas citissime adaucta est, ferè usque ad suffocationem, partim quia cor per multo crebriores pulsus plus sanguinis in pulmonem impulit, quam antea per rariores; sicque tumorem & inflammationem citissime adauxit: partim, quia sanguis, in pulmone iam putrescens, & effervescens, maiore loco indiget, atque hinc sese in vicinas particulas undequaque extendens, bronchiorum compressionem & angustationem maiorem facit.

X. Capitis summo dolor obortus est, partim ab acribus copiosis vaporibus, è nimio vini potu excitatis, & in membranas cerebri impingentibus, easque vellicantibus: partim à feruido sanguine, eiusdemque acri halitu, in easdem membranas, à nocturni aeris frigore nonnihil refrigeratas, per motum cordis copiosè impulso.

XI. Morbus hic valde periculosus existit, propter summam spirandi difficultatem & febris magnitudinem: adde quod hic affectum sit vitcus cordi maxime vicinum, idque amplectens, cuius usu carere nemo potest. Magnam tamen sanationis spem præbent ætas firma, virium robur, & aliqualis subcruenta excreatio in principio apparens, quæ, *teste Hippocrate* 2. *Prognost. aphor.* 30. magnum salutis indicium exhibet.

XII. Curatio nullo modo differenda, sed mox instituenda est, quia maximum hic periculum in mora. Vena igitur quam citissime in brachio secanda, & sanguis liberaliter extrahendus: eaque venæsectio, si prima vice non imminuatur morbus, postea bis terve reiteranda, qua licet vires aliquantum deficiantur, ea tamen de causa nihil metuendum, quippe præstat ægrum debilem sanari, quam fortem mori.

XIII. Interea etiam moueatur alvus clysmate communi, infusione rhabarbari, syrupo rosato soluiuo, aut cichorei cum rheo, decocto prunorum damascenorum, aut electuario diaprunо soluiuo, aliisve clementibus purgantibus: abstinendum autem à fortioribus.

XIV. Ad sitim detur hoc iulabium:

Rec. *decocti horarii lib.* j. ſ.
syrupi papaueris rhoeados, violacei,
rosarum pallidarum, ana unc. i.
misce fiat iulep.

XV. Præscribatur etiam aporema ter quaterve de die bibendum.

Rec. *rad. cichorei, tussilaginis, asparagi,*
graminis, ana unc. i.
glycyrrhizæ rasæ unc. ſ.
herb. violariæ, endiuiæ, tussilaginis,
lactucæ, capilli Veneris,
boraginis, ana m. j.
flor. papaueris rhoeados, p. ij.
sem. 4. frigid. mai. ana drach. j.
passularum corinth. unc. j.
aqua q. ſ.
coquantur ſ. art. ad lib. j. ſ.
admisce colaturæ,

syrupi

syrupi papaueris rhœados, violacei, rosarum pallidarum, aua unc. ß. misce fiat apozema.

Ex iisdem syrupis æqualibus partibus mixtis addito pauxillo croci, conficiatur etiam linctus ad leniendam tussim.

XVI. Si inflammatio forte ad maturationem veniat, quod ex puruleuto sputo & febris imminutione apparebit, præscribenda primo erunt apozemata abstergentia, ex helenio, prassio, hyssopo, scabiosa, &c. ut & linctus ex syrup. capilli Veneris, de prassio, de hyssopo, &c. Postea ulcere satis abstersо, ad consolidantia deueniendum. Verum si eo res procedat, vix æger phthisi, & mortis periculum effugiet.

XVII. Porrò viuat æger in aere subfrigido vel temperato. Cibis utatur paucis, boni succi, & facilis digestionis, ut cremore hordei, iusculis ex pullis aut carne vitulina, cum hordeo mundato passulis corinthiacis, endiuia, lactuca, prunis damascenis, aliisque similibus paratis, à quibus si abhorreat, detur lac amygdalatum. Pro potu ordinario bibat cerevisiam tenuem, aut tulebam ante præscriptum. Sit corporis & animi quies, & somnus subin le capietur.

HISTORIA VII.

De Sanguinis Sputo.

IVuenis fortis, nullam dietæ rationem habens, cibis salsis, duris & acribus vesci solitus, postquam hyberni aeris frigori nudatum caput multoties exposuisset, atque hinc primò magnam grauedinem cum aliquo grauatiuo capitis dolore contraxisset, & postea validissima tussi, ab acribus catarrhis in thoracem delabentibus, aliquamdiu exagitatus fuisset, tandem incidit in sanguinis sputationem, qua copiosum sanguinem, per intervalla tussiendo, reiecit, idque sine dolore. Medicus in principio aduocatus venam in brachio secuit, & mediocrem sanguinis quantitatem detraxit, qui refrigeratus, admodum tenuis & male coloratus apparuit, ac vix pauxillum coagulabatur. A venæsectione sputum sanguinis per biduum subsitit, sed postea rediit. Appetitus deficitur & vires debilitantur, sed nulla febris adest.

I. HVius ægri primaria affectio, quæ per se satis cognoscitur, Græcis αἱμόπτυσις Latinis *Sanguinis sputum*, & *reiectio* nuncupatur. Quæ nomina licet quamcunque sanguinis euacuationem per os significent, specificè tamen apud Medicos per αἱμόπτυσιν intelligitur illud sanguinis sputum, quando cum tussi, ex partibus respirationi dicatis, sanguis reiicitur, sine illarum inflammatione.

II. Est igitur symptoma in genere excretorum, præter naturam è pulmone & vasis eius profluentium. Morbus autem, quem symptoma illud sequitur, est solutio continui.

III. Pars primariò affecta est pulmo cum suis vasis, quod patet ex tussi, & ex sanguine cum tussi reiecto; qui sine dolore prodit, quia pulmo est valdè obtusi sensus. Præterea caput quoque affici, docent grauedo & catarrhorum descensus. Secundariò etiam nonnihil patiuntur aliæ partes, quatenus à valida tussi delatantur, ab eaque & sanguinis euacuatione debilitantur.

IV. Causa antecedens sunt humores acres & crudi in capite collecti, qui inde ad pulmones delapsi, acrimonia sua respiratorias illas partes, partim vellicando grauissimam tussim, partim erodendo solutionem continui inducunt, eiusque causa proxima euadunt. Procatarcticæ causæ sunt frigus externum, obstructio pororum capitis, aliæve, quæcunque crudos humores colligi faciunt, aut collectos ex eo deturbant.

V. Ab inordinato victu, multorumque salsorum & acrium usu, copia prauorum & acrium humorum in corpore fuit genita, ac ipse etiam sanguis tenuis & acris euasit, hinc in valida illa calidaque iuuenili ætate multæ acres euaporationes ad caput elatæ sunt, quæ per ordinarios ethmoideos meatus euacuari, ac per ipsos quoque poros discuti solitæ, cum postea à frigore externo condensatæ, per eodem frigore constrictas ordinarias vias transire amplius non potuerint, primò maiore copia in cerebro cumulatæ, sua crassitie & visciditate spongiosa narium olla obstruxerunt, sicque grauedinem excitarunt, quam à copia retentorum humorum, membranas cerebri distendentium, subsecutus est grauativus aliquis capitis dolor. Postea per alienas & insolitas vias ad asperam arteriam & pulmones defluxerunt, in quibus acri vellicatione, viarumque respiratoriarum obstructione, validam tussim, ac vasorum erosionem induxerunt, ex quibus duobus concurrentibus solutio continui subsecuta est, quippe erosa vasa à validissimo tussis impetu facile discussa & aperta fuerunt.

VI. In sanguine multos prauos & acres humores redondare, ex eo patet, quod qui venæsectione detractus est, sit male coloratus & tenuis, ac vix tantillum coaguletur.

VII. Per interualla redit hoc sanguinis sputum, quia ubi aperta vasa semel euacuata sunt, tunc nonnihil concidunt, ita ut rursus aliquo tempore opus sit, antequam tanta sanguinis copia turgeant, quæ cum impetu ex iis erumpere possit, ea autem fata, & vasis nonnihil intumescentibus, iterum pressus sanguis.

VIII. Quod à venæsectione per biduum subsisterit hæmoptysis, inde euenit, quia per illam sanguinis eductionem cor nonnihil debilitatum fuit, hinc pulsus eius minores euaserunt, sicque minus sanguinis è dextro eius ventriculo in pulmones fuit impulsum, qui minuti copia in iis redundans, & per ordinarios meatus seu negotio ad sinistrum ventriculum properans, non minus tam facile per leuiter apertas venulas potuit effluere, sed post duos dies, corde rursus fortius pulsante, in pulmonum vasculis turgescens, facile effluxit, inprimis validiore tussis agitatione impulsus. Ad hæc, eandem ob causam, minus quoque acris sanguinis ad cerebrum impulsum est, & pauciores acres exhalationes sursum eleuatæ sunt, sicque pauciores acres humores in capite colligi, & ex eo ad thoracem delabi potuerunt.

IX. Appetitus deiicitur propter continuam inquietudinem & agitationem à tussi, nec non debilitatem, à sanguinis per sputa euacuatione inductam: quibus de causis etiam totum corpus delassatur, omniaque viscera una cum ventriculo debilitantur. Adde, quod procul dubio etiam multi crudi humores in ventriculo, propter inordinatam dictam, generentur, & colligantur, vel aliunde in eum defluant, qui appetitus stimulum obtundunt, & coctionem debilitant.

X. Vires deteriuntur, partim à sanguinis copiosa euacuatione, partim à delassatione, per tussim inducta. Febris tamen abest, quia humores non putrescunt.

XI. Hæc affectio admodum periculosa existit. 1. Ratione partis affectæ, quæ ad vitam maxime necessaria est, cum nemo respiratione carere possit. 2. Ratione magnæ causæ; quia hæc continui solutio non fit ab aliqua vasis anastomosi, sed à diæresi, seu vasis partim erosione, partim ruptione. 3. Ratione difficilioris curationis; quod solutio hæc in curando quiete opus habet, quæ in parte respiratoria impetrari nequit: quod etiam solutio seorsim tolli nequeat, verum etiam catarrhorum acrium defluxus & valida tussis simul curanda veniant. His pensius consideratis, magna cum ratione à Benedicto Vict. Fauentino hæc duo prognostica de tali hæmoptysi, *prax. tom 2. cap. 6.* conscripta sunt. 1. *Resectato sanguine à pulmone cum tussi, disrupta vena ipsa non solidabitur nisi, magna cum difficultate, & Medici prouidentia ac sollicitudine.* 11. *Vbi ex vena pulmonis vel pectoris rupta sanguis cum tussi exiuerit, ab humore quidem crudente falso procedente, curatione molius non parum difficile est.* Ratio est, quia arrosso aliquo vasculo facile oboritur ulcus, ulcus sequitur phthisis, phthisim mors: teste *Hippocr. 7. aph. 15.* 16. Interim tamen, quia nostro ægro iuuent virium robur mediocriter constat, febris nondum accessit, & malum in principio est, non omnino de felici sanatione desperandum est, cum alias etiam plures à tali affectione optimè curatos fuisse constet.

XII. Curatio igitur quamprimum incipienda, in eaque multis indicationibus satisfaciendum. 1. Tussis sedanda. 2. Sanguis à pulmone reuellendus & auertendus. 3. Vasa aperta constringenda & consolidanda. 4. Catarrhorum delapsus ad pulmones præuertendus. 5. Prospiciendum ne crudi & acres humores in capite colligantur. 6. Sanguinis & humorum praua constitutio emendanda.

XIII. Præmisso igitur clystere aliove lenitiuo per os exhibito, ad venæsectionem deueniendum, quæ postmodum subinde reiteranda est, pro ut necessitas illam urgere videtur, urget autem, cum æger grauitatem aliquem in imo pectore incipit sentire, tunc enim mox instituta venæsectio vasorum pulmonis nimiam repletionem, nouamque apertionem præuenit & impedit.

XIV. Ad sanguinis & catarrhi interstationem, atque tussis sedationem præscribendus talis haustus.

Rec. *pulueris haly contrayerbæ scrup. ij. ß.*
coralli rubri præparati scrup. j.
decocti plantaginis unc. j.
syrupi de symphyto unc. ß.
misce, fiat haustus mane & vesperi exhibendus.

Æger etiam sæpius de die utatur sequenti linctu, ut & amygdalato:

Rec. *syrupi de symphyto, de rosis siccis, de tussilagine, ana drach vj.*
de papauere drach. iij.
misce fiat linctus.

Rec. *amygdalarum dulcium mund. nuc. ij ß.*
seminum lactucæ drach. j. ß.
papaueris albi unc. ß.
decocti hordei q. s. fiat s. art.
emulsio ad lib. j.
cui admisce sacchari albi q. s.
fiat amygdalatum.

XV. Interea etiam ad catarrhi diuersionem fontis eulus in brachio, aut potius in cervice excitetur, & cucurbitulæ scapulis ac dorso applicentur. Præterea, ad crudorum humorum in capite collectionem præuertendam, cucupha cephalica calefaciens, corroborans, siccans, & poros aperiens, capiti imponatur. Vique via per nares rursus pateſiat, clemens aliquis sternutatorius pulvis iis aliquoties immittendus.

XVI. Vbi his mediis tussis sublata est, & sangui-

uis

nis ſputum ſubſiſtit, nondum deſiſtendum, ſed malum illud diu ſuſpectum habendum eſt, ac proinde ad ulteriorem eroſæ aut ruptæ venæ conſolidationem, acrimoniæque humorum ſublationem pergendum; in quem finem æger per intervalla clementer purgandus eſt, ut acres humores per epicraſin paulatim evacuentur. Intermedio tempore ter de die exhibendus hauſtus apozematis.

Rec. *hordei mundati unc.* j.
rad. conſolidæ maioris,
tormentillæ, biſtortæ,
glycyrrhizæ raſæ, ana drach. vj.
herb ſanicul. veronicæ,
pyrolæ, tuſſilaginis, agrimoniæ,
alchymillæ, plantaginis, ana m. j.
roſarum rubrar m. i.
capitum papaveris albi unc. ij. ſ.
paſſularum cum avellis unc. iij.
ficus n. v. *aquæ q. ſ. fiat*
ſ. art. apozema ad lib j ſ.

Huius loco poteſt æger ſubinde ſumere ex hoc condito particulam magnitudinis nucis moſcatæ.

Rec *pulveris haly contra tabem drach.* j ſ.
coralli rubri præparati, lapidis hæmatitis,
cornu cervi uſti, ana ſcrup. j. ſ.
conſervæ roſarum rubrarum unc. ij.
ſyrupi de ſymphyto q. ſ.
miſce fiat conditum.

XVII. In victu abſtinendum ægro ab omnibus acidis: & licet Galenus oxycratum epotum in hoc affectu commendet quam maximè, nos tamen illud nocentiſſimum exiſtimamus; propterea quod talia acida acrem tuſſim irritent, qua nihil peius in hoc caſu, in quo ſumma quies maxime requiritur. Abſtinendum etiam à ſalſis & quibuslibet acribus edulcis & potibus. Aer conveniet modicè frigidiuſculus. Cibi ſint facilis digeſtionis & ſubdulces ac boni nutrimenti, & ſuccivilcidioris, quales ſunt carnes vitulinæ, agninæ, vervecinæ, pulli gallinacei, & ex his parata iuſcula, cum hordeo mundato, oryza, paſſulis, aliiſque ſimilibus. Maximè autem conveniens eſt lac dulce, inprimis caprillum. Potus ſit cereuſia ſubdulcis, mediocris notæ. A vino abſtinendum longo tempore: vel ſi forte ratione ventriculi, aut alterius cuiuſdam debilitatis, neceſſarium vini uſum iudicet, utendum erit rubro ſubaſtringente, eoque ſubdulci, aut alto vino ſubdulci, ſed admodum pauco. Somnus ſolito longior exiſtat. Corpus quieſcat. Abſtineat æger à cantu, alta locutione, vociferatione, & loquatur quam minimum, fieri poterit. Alvus liquida ſervetur, ut ſine multa compreſſione fæces dejiciat. Animus omnino quietus ſit, à grauioribus pathematibus, quantum fieri poteſt, immunis.

HISTORIA VIII.

De Empyemate.

IVvenis validus, 22. annorum, poſtquam longo tempore nullam diætæ rationem habuiſſet; & admodum inordinate vixiſſet, primò grauativum capitis dolorem aliquamdiu paſſus eſt; qui cum circa hyemem imminut videretur, mox catarrhorum acrium crebro defluxu ad pulmones, atque hinc validiſſima tuſſi infeſtari cæpit, qua copioſam tenacem pituitam quotidie rejecit. Cum hæc moleſtiſſima tuſſi per aliquot menſes exagitatus fuiſſet, tandem etiam ſanguinem aliis ſputis immixtum excreuit, imo iam ante tres, quatuorve ſeptimanas etiam purulenta materia in ſputis obſeruata fuit, modò nullo, modò pauxillo ſanguine admixto, eaque in dies copioſior rejecta eſt. Sputa tamen non fœtent. Acceſſit quoque febricula lenta continua, ſymptomatibus non admodum magnis comitata. Nares præter conſuetudinem ſicciores ſunt, per eaſque nihil eſſatu dignum evacuatur. Æger totus valde emaciatur & debilis evadit. Appetitus exiguus eſt. Somnus à tuſſi plerumque interrumpitur.

I. AFficiuntur in hoc ægro plurimæ corporis partes, ſed inprimis *caput*, ut liquet ex præcedente cephalalgia, & præſentibus catarrhis: *pulmo*, ut liquet ex tuſſi ac ſputis: & *cor*, ut liquet ex febri, quæ porro totum corpus affligit.

II. Affectus quo infeſtatur, *Phthiſis* ſeu *Tabes* appellatur; quæ voces licet in genere quamcunque corporis extenuationem ſeu atrophiam, quacunque de cauſa natam, ſigo fixerit, medicis tamen ſpecificè *Tabes ſeu phthiſis eſt totius corporis extenuatio, ab ulcere pulmonis cum febre lenta procedens.*

III. Cauſa remota huius mali fuit victus inordinatus,

tus, à quo multi aeres & vitiosi humores in corpore fuerunt generati: atque etiam ob caput frigidis temporibus non satis tectum, cerebri intemperies frigida fuit inducta, & pori capitis occlusi vel angustati sunt; hincque vapores ex inferioribus partibus sursum ascendentes, partim ob dictam intemperiem, in cerebro fuerunt condensati; partim ob pororum angustiam in eo detenti. A quorum coacervatione & copia dolor capitis primò fuit inductus, isque non acer, sed grauativus; quia istorum humorum coacervatio inprimis facta fuit in ventriculis cerebri, qui minus sentiunt; atque hinc non tam acrimonia, quam pondere & tensione membranæ cerebri affectæ fuerunt.

IV. Coacervati eruditiores humores sua viscositate obstruxerunt vias illas, per quas ad nares & palatum euacuari debebant: hincque denegato ordinario exitu, per insolitas vias, qua data porta, eruperunt, ac sic ad asperam arteriam & pulmones delapsi sunt: easque partestum salsa acrimonia vellicando, tum copia & viscositate obstruendo, grauissimam tussim, cum copiosæ pituitæ exspuitione, induxerunt, eiusque causa proxima euaserunt. Atque tunc temporis imminutus est capitis dolor, quia condensati in frigidiore cerebro vapores, & humores, per inuentam nouam decliuem viam, ilico & continue defluxerunt, & etiamnum defluunt ad thoracem, nec copia, aut distensione capiti vltetiorem molestiam exhibuerunt.

V. Ab acrimonia autem catarrhorum in pulmone erosio aliqua facta est, atque hinc accedente valido tussis impetu, sanguis profusus, & spuris admixtus animaduersus est, non tamen valde copiosus, quia nulla magna vasa erosa aut tussiendo dilacerata sunt. Erosionem insecuta est suppuratio & vlcus, unde purulenta materia cum aliis spuris etiam reiecta est, quæ indies copiosior euadit, propter vlceris incrementum. Nondum tamen fœtet, quia morbus est in principio, atque ad tantum putredinis gradum vlcus non tum deuenit, vt pus ex eo procedens fœtere posset.

VI. Febricula accedit continua symptomatica, ab humoribus circa vlcus putrescentibus inducta: quippe sanguis, è dextro cordis ventriculo in pulmonem impulsus, non potest non in transitu isto ab vlcere aliquid istorum putrescentium humorum secum rapere ad sinistrum ventriculum, quod in eo accensum febrem illam parit. Quæ leuior existit, quia putredo non admodum magna est. Continue tamen affligit; propterea, quod singulis cordis dilatationibus, una cum sanguine, etiam nonnihil dictæ putredinis in sinistrum ventriculum incidit.

VII. Nares ficcæ sunt, propterea quod omnes pituitosi humores per alias vias ad thoracem ruant; nullus verò ad nares perueniant.

VIII. Ægri totum corpus emaciatur, quia à putridis humoribus, in corde continue accensis, & sanguini admixtis, sanguis depranatur, & inutilis redditur ad nutritionem, ita vt partibus assimilari non possit quæ defectu boni nutrimenti, accedente calore præternaturali, iam in corde & sanguine hospitante, necessario extabescunt, hincque ægri vires in dies debiliores euadunt.

IX. Appetitus deiicitur, coctioque prima debilis euadit, partim, quia ventriculus bono sanguine non nutritur, atque hinc debilis euadit, prauosque humores generat & coacervat; partim, quia propter continuam & validam, quæ à tussi fit, agitationem, eius naturalis constitutio læditur, ita vt neque famificam tosionem sentire, neque cibos conuenienter comprehendere aut concoquere possit.

X. Ex modo dictis satis liquet, ægrum vera Phthisi laborare, cuius certissima signa sunt, sputa cruenta & purulenta, febris lenta ac continua, totiusque corporis consumptio seu extenuatio.

XI. Morbum hunc admodum periculosum esse varia docent; 1. Quod vlcus sit in tali viscere, cuius continuo vsu carere non potest æger. 2. Quod sit in parte spongiosa, quæ ægre consoli latur. 3. Quod adiungatur febricula totum corpus exsiccans. 4. Quod vires admodum deficiantur, quibus tamen validis opus est ad sputorum reiectionem, cum ea subsistente æger repletis bronchiis facile suffocaretur. 5. Quod ad vlceris curationem quiete opus sit, quæ in hac parte respiratoria haberi nequit. 6. Quod medicamenta integris viribus ad pulmones non accedant, sed per varias coctiones, multaque itineris ambages plurimum immutentur, antequam eo perueniant. 7. Quod febris & vlcus contraria poscant remedia.

Nihilominus, quia non semel obseruatum est phthisicos feliciter fuisse curatos, & ad sanitatem reductos; quia etiam æger noster iuuenis, nec ad extremum emaciatus est, & morbus in principio, hinc de felici sanatione spes concipienda est, omniaque media quam primum adhibenda sunt, quæ ad curationem eius facere possunt.

XII. Indicationes curatiuæ hic duplices sunt. 1. Vt capitis frigidior intemperies auferatur, sicque frigidorum in eo humorum generatio & collectio, ac simul catarrhorum defluxiones & tussis impediantur. 2. Vt vlcus sanetur, & febricula tollatur.

XIII. Vt primæ indicationi satisfiat, mox catarrhorum defluxus à thorace est diuertendus, per fonticulos in ceruice & brachiis excitatos. Caput etiam corroborandum, redundantes in eo frigidi humores extuccandi, constrictique pori rursus aperiendi sunt. Hunc in finem manè & vesperi inunctio fiat in temporibus & bregmate, cum oleo rosmarini, saluiæ, succini, nucis moschatæ, aliouе simili. Præterea capitium ex cepiarcis confutum in capite continuo gestet.

Rec. *fol. maioranæ, rosmarini, ana drach.* ij *f. florum rosarum lauendulæ, meliloti, ana drach.* ij

nucis mosc. a ſcrup. ij.
gariophyllorum,
ſtyracis cal. ana ſcrup. ß
fiat pulvis groſſus pro capitio.

XIV. Alvus ſubinde lenienda cum manna, ſyrupo roſato ſolutivo, aut ſero lactis dulci.

XV. Ut ſecundæ indicationi ſatisfiat, primo ſtudendum eſt ut ſputa facilitentur, eaque ſine magno impetu reiiciantur, idque faciendum talibus remediis quæ ſimul ulcus ſanant: ut tali linctu;

Rec. *ſyrupi capilli veneris,*
de ſymphyto,
roſis ſiccis, ana unc. ß.
miſce, fiat linctus.

Vel talibus trochiſcis.

Rec. *florum ſulphuris,*
pul. glycyrrhizæ raſæ, ana drach. ß.
rad. iridis florent. ſcrup ij.
pulveris Haly contra tabem, drach. iij.
benzoini, croci opt. ana ſcrup. ſ.
ſacchari albiſſimi unc. v.
cum aqua roſacea q. ſ.
fiant paſtæ, è qua formentur trochiſci.

XVI. Si tuſſis nimis violenta perduret, etiam linctibus nonnihil ſyrupi papaveris albi admiſcendum erit. Præterea ad eiuſdem ſedationem, virium que corroborationem, ſæpe utatur æger lacte amygdalato.

Rec. *amygdalarum dulc. mundat. unc. ij. ſ.*
ſem. 4. frig. mai. ana drach. ß.
ſem. papaveris albi drach. iii.
aqua hordei q. ſ.
fiat ſ. art. emulſio ad lib. ß.

cui adde ſyrupi papaveris albi drach. iij.
ſacchari roſati. q. ſ.
miſce fiat amygdalatum.

XVII. Poſtea ad citiorem ulceris conſolidationem, tale conditum præſcribendum.

Rec. *pulveris Haly contra tabem drach. iij.*
conſervæ roſarum rubrarum antiquæ unc. ß. ℥
ſyrupi de ſymphyto q. ſ.
fiat conditum.

XVIII. Quantum ad dietam, cuius ſumma quoque ratio habenda eſt; viuat æger in aere calidiuſculo & ſicco. Cibi ſint boni ſuccі, concoctu faciles & multi nutrimenti, ut ova ſorbilia, iuſcula ex carnibus vitulinis, vitulinis, pullis, cum hordeo mundato, paſſulis, oryza, amygdalis, cherefolio, betonica, aliiſve ſimilibus parata: item gelatinæ ex dictis carnibus confectæ. Inter alia autem omnium maximè convenit uſus lactis, præcipue caprilli, cuius manè & veſperi aliquot uncias recenter mulctæ ſtatim tepidè ebibendæ, neque intra duas, treſve ab aſſumpto lacte horas aliquid edendum vel bibendum, ne admixtione aliorum aſſumptorum lac in ventriculo acceſcat, coaguletur, vel corrumpatur. Abſtinendum à cibis pravi nutrimenti, aut difficilis concoctionis, item antiquis, ſalſis, fumo ſiccatis, piſcibus marinis, fructibus horariis, &c. ab omnibus etiam aciidis rebus. Potus ſit ptiſana, aut decoctum hordei, cum multo ſacchаro roſato dulcoratum: cauendumque ab omni potu forti, fumoſo, acri, aut ſubacido. Somnus ſit longior, & corpus quieſcat. Alvus & ſputa conuenienter procedant: omniaque triſtitia animi pathemata vitentur; ut & curæ, ira, terror, ſeriæ occupationes mentis, &c. Ad lætitiam & hilaritatem animus compo nendus.

HISTORIA IX.

De Syncope.

VIr quadraginta annorum temperamento pituitoſo præditus, poſtquam lactucas, cucumeres, fructus horarios, lac preſſum, aliaque ſimilia durante æſtate copioſa ingeſſit, tandem appetitu paulatim omninò proſtrato, admodum debilis euaſit, cum quadam ſomnolentia & torpore, ac ſyncope multoties redeunte, inprimis ſi aliqua de cauſa contriſtetur vel exterreatur: qua Syncope, cum extremarum partium magna refrigeratione & ſudore frigido, interdum per ſemi horam, aut longius detinetur, ita ut illum iam mortuum eſſe putent aſſtantes; quia tunc pulſus modò vix, modo nihil amplius ſentitur, & nulla manifeſta reſpiratio percipitur. Ad ſe reuerſus æger conqueritur de languore cordis, & nauſeabundus pituitæ mucoſæ copiam ea ore dimittit. Nulla febris adeſt, ut nec ullus dolor.

I. AFficientur in hoc ægro variæ partes, & multoties totum corpus: malorum autem scaturiginem præbent ventriculus & cor, unde reliquarum affectiones proceduntur.

II. Affectio hic maximè urgens est crebra *Syncope*, *quæ est, ingens & præceps virium prostratio, ex caloris & spirituum vitalium defectu procedens.*

III. Syncopen, non verò apoplexiam esse, liquet ex pulsu & respiratione, quæ duo hic deficiunt ab ipso initio, cum in apoplexiæ principio aliquamdiu perdurent; & sic etiam iisdem signis facile ab aliis soporibus distinguitur.

IV. Causa remota huius Syncopes est victus inordinatus, quo multa frigida & cruda sunt ingesta, à quibus in corpore pituitoso per se ventriculus admodum debilitatus primam coctionem malè peregit, ex iisque ingestis magnam pituitæ copiam generauit, antecedentem causam constituentem, quæ viscosa pituita superiori orificio ventriculi pertinacius adhærens, & in ipsa quoque eius cauitate copiosior collecta, valde magnam frigidam, humidamque intemperiem ei impressit, sicque huius intemperiei, & simul defecti appetitus causa proxima euasit: & quia magnus consensus est stomachi cum corde, tum propter viciniam, tum propter nervos sextæ coniugationis stomacho, cordis orificio & pericardio insertos, hinc etiam modò magis, modò minus languet cor, atque interdum deficiens syncopen patitur. Idque propterea, quod sanguis pituitosus, ventriculos eius transiens, partim ob eius languorem, partim ob ipsius sanguinis frigiditatem & ineptitudinem, in corde parum attenuetur, ex eoque paucissimi spiritus generentur, quorum parcior effluxus vires debiles, ac multoties omnino prostratas reddit.

V. Concidunt autem actiones non minus animales quam vitales: deficientibus enim spiritibus vitalibus in corde, nulli etiam generantur animales in cerebro, utpote quorum materia è qua sunt spiritus vitales. Ad hæc, deficiente motu cordis, etiam deficit cerebri motus, utpote qui à cordis motu dependet, atque hinc, licet fortè aliqui spiritus animales in cerebro supersint, tamen propter defectum motus cerebri non possunt moueri in neruos, & impelli ad partes animalibus actionibus inseruientes; atque hinc, etiam extra syncopen, à spirituum animalium paucitate, corpus torpidum est, cum quadam somnolentia.

VI. *In* ipsa syncope iacet æger tanquam mortuus, ob summam virium & actionum omnium prostrationem. Externæ partes frigent, quia nullus sanguis calidus è corde, tam deficiente, & fere in totum quiescente, ad illas impellitur. Sudor adest frigidus & viscosus, quia halitus tenuissimus, qui alioqui per poros cutis insensibiliter exhalare consuevit, à subito caloris defectu repente incrassatur, sicque viscosus cuti adhærens frigidum sudorem parit. Respiratio vix ulla manifesta percipitur, quia deficiens cor sanguinem calidum è dextro ventriculo ad pulmonem non impellit ad refrigerandum: ad hæc, deficiente cordis, & per consequens cerebri motu, paucissimi vel nulli spiritus animales ad musculos respiratorios impelluntur.

VII. Desinente syncope, superest languor cordis; propter pituitæ in ventriculo contentæ copiam; quæ cum aliqua nausea etiam ab ore effluit. Nulla febris, nullusque dolor adest, quia hæc pituita caret putredine & acrimonia.

VIII. Periculosus admodum est affectus, tam ratione principis visceris affecti, quam ratione curationis, quæ in subiecto viribus fere destituto difficulter peragi poterit.

IX. Curatio alia debet esse cum æger syncope detinetur, alia cum est extra syncopen.

X. In ipsa syncope extremarum partium frictiones fortiores sunt instituendæ, moschus, ambra, benzoinum, styrax, melissa viridis contrita, aliave similia odorata naribus admouenda, vel sola, vel vino, aut spiritui vini immixta. Pauxillum aquæ vitæ Matthioli, spiritus vini, aquæ cinnamomi, aut vini hippocratici cum cochleari ori infundendum. Cordis & ventriculi regio tali epithemate calide fouenda.

Rec. *Rosmarini, melissæ, mentha,*
fol. lauri, ana m. j
nucis moschatæ, cinnamomi,
cariophyllorum, ana drach. j. ß.
sem. fœniculi drach ij
vini generosi q. s.
coquantur s. art. ad lib. j.
adde colatura, spiritus vini unc. ij.
misce, fiat epithema.

XI. Extra syncopen, pituita in ventriculo cumulata clementer est subducenda, in quem finem dandus talis bolus.

Rec. *Electi. hiera picra drach. ii.*
fiat bolus.
Vel hic pulvis:
Rec. *Rad. salappæ, cinnamomi*
electi, ana scrup i
diagridij gr. iv. fiat pulvis.

XII. Postea ad cordis & ventriculi corroborationem, ac simul clementem pituitæ absterſionem, præscribendum vinum medicatum, de quo æger quotidie, vel alternis diebus matutino tempore haustum sumet,

Rec. *Rad. helenii unc. ß.*
acori, galanga, ana drach. iij
herb. melissæ, maiorana,
summitat. absinthii, ana m ß.
cortic. aurantiorum
hacc. iuniperi, ana m. ß.
sem. fœniculi, anisi ana drach. j. ß.
agarici, aloes lucidæ ana drach. j.
cinnamomi electi drach. ii. ß
cariophyllorum scrup. ii

fiat

fiat ex his puppa, suspendenda in vini albi odoriferi lib. iv.

XIII. Interdiu utatur æger subinde pauxillo vini Hippocratici, vel melicrati, in quo puppa ex cinnamomo, gariophyllis, nuce moscata, zingibere, & granis cardamomi est suspensa: vel particula talis conditi:

Rec. *Specierum diambra, diamoschi dulcis, ana drach. j. ſ.*
cortic. aurantiorum, rad. helenii, & zingiberis condit. ana unc. ſ.
conserva anthos unc. v.
olei cinnamomi,
gariophyllorum, ana gut. iij.
syrupi conservas. zingib. q. ſ.
misce, fiat conditum.

Vel utatur his tabellis:

Rec. *Cinnamomi electi scrup. ij.*
macis, gariophyllor.
zingiberis albi, ana scrup. j.
specierum diambra drach. j.
sacchari vino odorifero dissolati unc. iij.
bant. f. art. tabella.

XIV. Extrinsecus regioni cordis & ventriculi applicetur hic sacculus.

Rec. *Gariophyllor. cinnamomi, nucis moscatæ,*
styracis cal. benzoini ana scrup. i. ſ.
fol. maiorana, rosmarini, ana m. ſ.
fiat pulvis grossus, à quo in serico consuatur sacculus ſ. art. intersutus.

Denique pomum ambræ appellatum; vel styrax, benzoinum, cardamomi grana, cinnamomum, garyophylli, aliave aromata odorifera nonnihil contusa, & in tenui serico instar noduli colligata, vel pomo eburneo aut argenteo perforato inclusa, sæpe naribus admoueantur.

XV. Cum virium lapsus famem imminere videtur, mox exhibendum cochleare unum aut alterum huius mixturæ:

Rec. *Vini rhenani generosi unc. iv.*
aquæ cinnamomi unc. j.
aquæ vitæ Matthioli drach. vj.
confectionis alkermes drach. i. ſ.
sacchari perlati, q. ſ.
ad lenem dulcedinem, misceantur.

Defectu huius compositi, dandum aliquantulum vini generosi, aut spiritus vini, aut aquæ vitæ Matthioli, aliudve simile quod ad manum est.

XVI. In dieta sit aer temperatus vel calidiusculus. Pauimentum cubiculi herbis odoriferis conspergatur, ut melissa, mentha, calamentha, thymo, rutha, rosmarino, maiorana, &c. Vel ex aromatibus suffumigia fiant.

Cibi sint pauciores, sed facilis digestionis & boni ac multi nutrimenti; quales sunt succi ex pullis aut perdicibus assis expressi, iusculum carnis vitulinæ, aut vitulinæ, aut gallinarum, præparata & condita cum melissa, rosmarino, salua, betonica, foliis lauri, radice raphani syluestris, semine fœniculi & anisi, nuce moscata, gariophyllis, pipere, zingibere, cinnamomo, passulis, aliisve similibus.

Potus sit vinum mediocre, modica quantitate sumptum, aut melicratum, vel cereuisia mediocris notæ, non acida, in qua pauxillum absinthii suspensum est. Subinde etiam pauxillum vini absinthiis vel Hippocratici, vel cochleare aquæ vitæ Matthioli, aut spiritus vini iuniperini, cinnamomati, aut fœniculati sumere conducet.

Somnus breuior existat. Corpus leui aliquo exercitio, pro virium ratione, exerceatur. Excreta alui, si sponte non satis procedant, arte nonnihil promoueantur. Animus quietus sit, immunis à curis & tristibus pathematibus.

HISTORIA X.

De Palpitatione Cordis.

VIr triginta quatuor annorum, fortis, sed melancholicus, & simul nonnihil scorbuticus, cibis salsis, fumo siccatis, aceto conditis & seruatis, aliisque duræ digestionis a longo tempore assuetus, ante hac multoties de aliqua ponderosa sinistri hypochondrii molestia conquestus est; iam verò aliud quid accessit, nam sæpe tribus quatuorve horis post pastum, magnam cordis palpitationem persentit, quam pulsus tortior, admodum inæqualis, & nonnunquam spatio unius aut duorum ictuum intermittens, comitatur, quo tempore magna anxietate præmitur. Durat hac vehemens palpitatio per semi horam, vel paulo longius, postea tortius cessat, redeuntibus subinde leuibus quidem, sed breuibus palpitationibus. Cum æger cursus

aliove exercitio corpus plus solito mouet, mox palpitationes molestissimæ redeunt, eædemque per quietem rursus sedantur. Appetitus satis constat, & ventriculus benè digerit. Somnus etiam sufficiens est, excepto quod propter terriculosa insomnia multoties turbatur.

PRæter alias partes, omnium manifestissimè in hoc ægro afficitur Cor, hæcque dicta eius affectio Medicis appellatur *Palpitatio cordis, quæ est inordinatus & nimis vehemens cordis motus.*

Causa proxima est humor salsus & acris sanguini permixtus, qui chylo, ex salsis acribusque cibis confecto, tribus quatuorve post pastum horis in venam cauam effuso, permixtus, cum eoque in cor elapsus inordinatæ & vehemens in chylo sanguificando fermentationis causa est, propterea quod acres salsæque chyli particulæ, una cum sanguine venoso, acri isto humore impregnato, in cor delapsæ fermentationem nimis augeant: unde tunc illa nimis vehemens & inordinata cordis præter modum dilatati & contracti concussio procedit, quam fortis & inæqualis arteriarum pulsus necessariò sequitur.

III. Quia in illo salso & acri humore particulis tenuioribus hic illic admiscentur multæ particulæ crassiores, magis fixæ, & ægrè dissolubiles, quæ in corde tam citò dissolui & attenuari nequeunt, hinc fit, quod, dum cor in earum dissolutione & dilatatione opus habet longiore tempore, illis in ventriculos illabentibus, pulsus ad tempus unius aut duorum ictuum intermittat, unde etiam tunc anxietas oritur, nam quo tempore pulsus intermittit, nulli spiritus ad partes propelluntur.

IV. Durat hæc vehemens palpitatio per semi horam, aut paulo longius; quia isto internallo totus chylus uno pastu confectus, aut maxima eius pars sanguini cauæ permixta, per cor transit, & pro ut postmodum aliquæ pauciores residuæ eius partes adhuc transeunt, ita nonnullæ leues & breues palpitationes postea oboriuntur.

V. Quod verò acris ille humor, continue ad cor cum sanguine venoso profluens, non faciat continuam palpitationem, ex eo fit, quod sanguinis, illiusque acris humoris iam multoties in corde fermentati & dilatati particulæ sint æqualiores, multum mitigatæ, & minus acres, atque hinc in eo tam vehementes effervescentiæ in corde excitari nequeant, si modò quantitate mediocri & paulatim in ventriculos illabatur. Quod si verò cursu, aliove graui exercitio corpus admodum mouetur & incalescat hincque sanguis copiosior cum suis acribus immixtis particulis rapidè per cor transeat, mox cum ab aucto calore, tum ab acrium particularum in cor illabentium maiore copia, nimis increscit dicta effervescentia, hinc cordis palpitatio excitatur, eaque per quietem rursus imminuitur & cessat, imminuto scilicet calore, & nimio sanguinis motu, cor proinde transitu per cor.

VI. Hic autem salsus & acris humor peculiari vitio lienis generatur, ex eoque per ramum splenicum in hepar effunditur, in quo cum sulphureo succo in chymum excoquitur, atque in caua sanguini ad cor fluenti admiscetur. Vitium illud lienis, est quædam prava salsaque eius intemperies, cum aliqua obstructione, ponderosam molestiam inducente, coniuncta.

VII. Ventriculus satis felicius est, beneque alimenta assumpta digerit; quia primario non laborat, & acres succi sanguini immixti per arterias ad eius tunicas cum sanguine delatis fermentationem in eo faciunt.

VIII. Somnus sufficiens, sed terriculosus est, quia satis copiosi quidem, sed nonnihil acres vapores ad cerebrum feruntur, qui somnum quidem prouocant, sed membranas cerebri & principia neruorum subinde nonnihil vellicantes, sicque phantasiam præter ordinem excitantes, terriculosa insomnia procreant.

IX. Affectus hic licet ægrum non repentè prosternat, tamen periculo non omnino vacat, partim quia afficitur princeps viscus cor, partim, quia lienis illa prava dispositio non tam citò & facile tolli poterit; ægri tamen robur & morbus non admodum inueteratus sanationis spem faciunt.

X. In curatione ad tres scopos collimandum est. 1. Vt lienis vitium corrigatur. 2. Vt salsi acresque humores in sanguine redundantes partim attenuentur & melius coquantur. 3. Vt cor omni modo corroboretur.

XI. Vt his tribus indicationibus satisfiat, primò bis terve medicamentis melanagogis & phlegmagogis humores crudi, salsi & acres è corpore sunt euacuandi, *ut pilulis cochiis, de hiera, aureis, electuario diaphœnico, hiera picra, confectione hamech, infusione foliorum sennæ, agarici, &c.*

XII. Postea huiusmodi apozema præscribendum. Rec. *rad. helenii, fœniculi ana unc. ij.*
capparum, tamarisci, ana unc. ß.
Herb. chamædryos, cuscutæ,
fumariæ, boraginis, cardiacæ,
trifolii palustris, ana m. i.
melissæ, m. ij.
Corticum citri,
bacar. iuniperi, ana drach. v.
Sem. fœniculi drach. iij.
Passularum corinth. unc. ij.
Aquæ & vini, ana part. æq.
Coquantur. f. art. &
fiat apozema ad lib. j. ß.

XIII. Huc ablumpto, bibat æger singulis matu-

tinis

ciuis haustum huius vini medicati.

℞. *radic. aceri, belenii, ana unc. ſ.*
cappar. tamariſci, ana drach. ii.
Herb. trifolii paluſt.
chamedryos, ana m. ſ.
Cortic. aurantiorum unc. ſ.
baccar. iuniperi drach. vi.
Cinnamomi electi drach. j. ſ.
cariophyllorum, ſcrup. j.
Sem. fœniculi drach. ii.
aloes lucida, Agarici albiſſ. ana ſcrup. ivſ
fiat ex his puppa.

XIV. Poſt meridiem bis terve uratur huius confitti particula magnitudinis nucis moſcatæ.

℞. *Speciorum diambræ,*
diamoſchi dulc. ana drach. j.
cort. aurantiorum, & rad.
belenii condit. conſerva ambos.
flor. ſaluiæ, meliſſæ, ana unc. ſ.
ſyrupi belenis q. ſ.
miſce, fiat condium.

XV. Iuprimis autem accelle eſt ut æger conuenientem victus rationem inſtituat. In aere verſetur calidiuſculo. A cibis abſtineat ſalſis, antiquis, rancidis, acidis, fumo ſiccatis, aluſque quibuſuis duræ digeſtionis & acribus. Item à braſſicis & quibuſuis leguminibus, à lactucis, cucumeribus, melonibus, malisque fructibus horariis, aluſve praui nutrimenti. Cibi ſint euchymi & facilis digeſtionis, ut carnes vitulinæ, vetuſtinæ, agninæ, gallinarum, cuniculorum, perdicum, &c. quarum iuſcula præparentur, cum roſmarino, boragine, meliſſa, betonica, hyſſopo, calamentha, ſerpillo, folus lauri, radice zaphani ſylueſtris, corticibus citri, & aurantiorum, ſeminibus aniſi & fœniculi, paſſulis, nuce moſcata, cinnamomo caryophillis, zingibere, &c. Item piſces ſaxatiles, rapæ, oua recentia.

Potus ſit cereuiſia mediocris notæ, non antiqua vel acida. In paſta etiam vinum album bene maturum.

Somnus & corporis exercitia mediocria ſint.

Excreta naturalia curandum ut bene procedant.

Fugienda ira, terror, cura, omnisque triſtitia animi perturbatio.

MEDICATIONES,
Tribus Disputationibus
AD
HISTORIAS ÆGRORVM
PROPOSITÆ.

HISTORIA I.
De Fame Præternaturali.

IVvenis 28. annorum, qui toto corpore sanus, sed nonnihil melancholicus esse videtur, & duris, salsis, acidisque alimentis oblectatur, nonnunquam repente maxima atque intolerabili fame corripitur, & nisi mox vinum aut cereuisiam fortiorem largo haustu bis terve bibat, ac nonnihil panis alteriusque cibi comedat: de visus aliqua obscuritate, cum leui vertigine coniuncta conqueritur, adeoque protinus debilitantur, ut se sustinere nequiens in lipothymiam incidat: è qua ad se nonnihil reuersus, vino & pane dato iterum reficitur, ac post refectionem aliquot diebus ab illa fame immunis manet. Hic affectus interdum tempore matutino, cum æger ieiunus est, interdum hora una aut altera post pastum, ventriculo nondum inanito, cum inuadit subitò; nulla præcedente nausea, nullo comitante vomitu.

I. AFficitur in hoc ægro ventriculus secundum partem superiorem, appellaturque eius affectus *Bulimus, qui est, Maxima fames præter naturam, bestialis subitò inuadens, cum debilitate & lipothymia.*

II. Causa remota fuit melancholica corporis dispositio, & talis dicta quæ lienis coctionem nonnihil vitiauit, sicque multos acres acidosque humores, à liene malè coctos (antecedentem causam constituentes) in corpore genuit, qui inde ad ventriculum delati, eiusque superiori parti prope stomachum adhærentes, eam peculiari modo vellicarunt, & acida quadam intemperie ac constrictione famem vehementem induxerunt, sicque causa continens euaserunt.

III. Lipothymia subsequitur, virtumque prostratio, propter eximium consensum stomachi cum corde & cerebro, per neruos sextæ coniugationis, seu vagos, qui multiplici ramificatione stomacho ac superiori parti ventriculi inseruntur, hinc que in circa stomachum malè affectis, mox per sympathiam afficiuntur cerebrum & cor. Hoc, quia ab eodem pari vago suos nervulos habet, & quam proximè stomacho incumbit. Illud, quia ex eo neruli illi vagi progrediuntur, quorum mala circa stomachum affectione cerebro communicata, mox spirituum animalium motus & è cerebro effluxus turbatur, atque inordinatus fit, unde visus aliqua obscuritas & leuis quædam vertigo obortitur; ac propter spiritus eandem ob causam pauciores in musculos influentes, corpus eremit, ægerque se sustinere vix potens, interdum concidit. Adde, quod propter eundem inordinatum & parciorem spirituum animalium influxum, etiam cor debilitetur & inordinatè moueatur

rut, sanguinemque arteriosum pauciorem & inordinatè ad cerebrum transmittat, unde & illud non conuenienter dilatatum pauciores spiritus gignit, atque ex se propellit.

Æquè paucis horis post pastum, atque ieiuno stomacho inuadit hic affectus, quia quocunque tempore subacidus ille succus in ventriculum influit, & superiorem eius partem vellicat, ingens illa fames obritur. Succum autem illum aliquandiu post pastum influentem, non protinus ab alimentis in ventriculo contentis obtundi, sed iis sæpe innatare, sicque superiorem ventriculi partem vellicare, imò nonnunquam cum aliqua nausea ad os ascendere, docet usus.

V. Vino generoso aut cereuisia optima roboratur æger, affectusque mox mitigatur, quia talis potus spiritus, cum vitales, tum animales reficit, & humorem acidum ventriculi tunicis adhærentem diluit, imò & digerit ac concoquit, suaque admistione acerbam eius vim refringit, unde fit, ut semel sic sedata fames non statim redeat, sed aliquot dierum spatio opus sit, antequam alius similis collectus humor ad ventriculum feratur, eumque vellicet ut ante.

VI. Nullis hic opus est signis diagnosticis, cum affectus se ipsum prodat, & ex ægri relatu sciri possit. De euentu autem statuendum, quod periculosus existat, & metuendum sit, ne aliquando hac fame tali loco corripiatur æger, quo potus & cibus ad manum haberi non potest, atque sic horum defectu grauiore lipothymia prostratus extinguatur.

VII. Ea propter curatio quam primum instituenda, iubendumque ut æger nusquam foras procedat, nisi pane & vino generoso comitante, ut hostis subitò inuadentis vires talibus armis mox infringere, suasque collabentes vires protinus reficere possit.

VIII. Præterea corpus subinde clementer purgandum cum elect. hiera picra, pilulis cochiis, Raffi, aliisve similibus, abstinendo à valde tortiuis. Si tamen æger facilis sit ad vomitum, non inutiliter exhibebitur vomitorium ex asaro.

IX. Ad ventriculi & lienis corroborationem, ac colationis emendationem, præscribendum apozema.

Rec. *Rad. tamarisci, capparum,*
helenii, ana drach. vi.
galanga, unc. ß.
Herb. chamædryos, cuscutæ, capparis,
scolopendriæ, melissæ, ana M. j.
fol. lauri m ß.
Cort. aur. antiorum, unc. ß.
Bac. iuniperi, drach. vj.
Sem. fœniculi, drach. ij. ß.
Passularum corinth unc. i. ß.
Aquæ & vini, ana part. æq.
fiat ſ. art. apoz. ad lib. i. ſ.

Eundem in finem etiam præscribendum conditum:

Rec. *Specierum diambræ,*
diarrhodonis abb. ana drach. ß.
Rad. Helenii, & cort. aur. antior.
condit., conserv. anthos,
& flor. salviæ, ana unc. ß.
syrupi helenii q. ſ. fiat ſ.
art. conditum.

XI. In victu prohibenda alimenta duræ digestionis, salsa, acida, & acria: & præscribendi cibi euchymi & eupepti, ut carnes veruecinæ, agninæ, vitulinæ, gallinæ, cuniculi, pisces saxatiles, &c. quorum iusculæ condienda sunt cum cherefolio, boragine, melissa, rosmarino, betonica, semine anisi & fœniculi, nuce moscata, gariophyllis, raphano rustico, &c. Potus sit minimè acidus, sed subdulcis, ut cereuisia bene defœcata, unius aut duarum septimanarum, & vinum mediocre. Versetur æger in aere lucido, minime nebuloso: corpus mediocriter exerceat, nec somno nimis indulgeat, fugiatque iram & quælibet tristis animi pathemata.

HISTORIA.

De appetentia Canina.

IVuencula 30. annorum, melancholica, subtristis, cibos salsos, fumo siccatos, acres, acidos, aliosque duræ digestionis edere consueta, per integrum annum ingenti fame laborauit, sine lipothymia. Quælibet edulia ingenti copia auidissime comedit, & mediocriter potum superbibit: repleto ventriculo fames non omnino cessat, sed aliquanto mitior euadit. Paulo post pastum omnia assumpta rursus euomit, quæ isto exiguo temporis interuallo adeo acida in ventriculo euaserunt, ut adstantibus valde acidum nidorem offerant, & ægra dicat illa sapore succi limonum aciditatem superare. His eiectis præ ingenti fame mox iterum

edere

edere cogitur, assumpta paulo post rursus euomendo. Atque dies noctesque modò edere, modò vomere posset, nisi res angustior domi subinde molestissimam abstinentiam, & dolorosum famis perpessionem iniungeret. Interim paulatim emaciatur ægra.

I. AFfectus huius ægræ est *Canina appetentia*, id est, *Maxima fames sine lipothymia, ab acida inferioris ventriculi intemperie procedens, qua alimenta copiosa auidissimè assumuntur, ac non diu post rursus euomuntur (varò per inferiora deturbantur) & iterum alia comeduntur, sine insigni famis imminutione.*

II. Differt à bulimo, quod in hoc adsit virium prostratio sine vomitu, sed multoties cum lipothymia, in illo vomitus sine insigni debilitatione.

III. Afficitur in hac ægra ventriculus, inprimis secundum inferiorem partem: eiusque affectus ex relatu ægræ satis cognoscitur.

VI. Causa continens est humor acidus ac viscidus, vitio lienis genitus, & in ventriculum infusus, eiusque tunicæ rugosæ inferiore parte firmiter inhærens, qui aciditate sua ventriculum simili intemperie afficiens, ac peculiari modo vellicans, inducit appetitum vehementem ad sumenda alimenta in molestæ vellicationis remedium. Quibus cum ab eodem humore etiam valde acida constituto imprimatur (sicut vinum quod in aceti vas infusum statim acescit) sicque vellicatio molestior fiat, mox è cerebro copiosis spiritibus ad ventriculi inferiores fibras determinatis, sic inferiorum tunicarum ventriculi contractio, sicque ope musculorum abdominis valida contentorum expulsio seu euomitio; qua quia dictus acidus humor ventriculi tunicis firmiter impactus, nec dissoluitur, nec eicitur, imò potius à liene fouetur, fit ut post vomitum eadem ingens fames adhuc infestet & perduret.

V. Non adiungitur lipothymia, quia inferioris partis ventriculi non est eximius consensus cum corde & cerebro.

VI. Quia hæc vehemens fames cum vomitione coniuncta, nutritionem debitam fieri impedit, non parvus atrophiæ, ac tandem deiectionis virium metus incumbit.

VII. In curatione corpus subinde euacuandum cum aloe, hiera picra, infuso absinthii, aliusve amaris: item vomitus bis terve promouendus cum soliis asari.

VIII. Postea deueniendum ad talia, quæ lienem & ventriculum corroborant & abstergunt, coctionesque promouendo acidas eruditates consumunt, qualia sunt illa modò ad bulimum præscripta, aliaque similia, ut & similis dieta, qualis bulimo dicata.

HISTORIA II.

De ventriculi difficili coctione.

VIr quinquagenarius, salsis, acidis, fumo duratis, aliisque duræ digestionis cibis uti consuetus, postquam cum febre quartana intermittente per octo menses conflictatus fuit, tandem ab ea liberatus, & conualescens, vires lente recuperat, propterea quod ventriculus assumptos cibos ægerrime digerat; quippe post pastum valde angitur à magna tensione, quæ ipsi in ventriculi, & hypochondriorum regione oboritur, nonnunquam cum leuamine ructus aliquos, magno cum impetu & sono eructat, quos quo pauciores excutit, eo magis angitur. Interdum nullos ructus emittit, & tunc cibos comestos diu in ventriculo fluctuare sentit, eosque non raro postridie plane crudos & incoctos, cum aliquo leuamine anxietatis euomit, sicque ab anxietate illa liber manet, quo usque ventriculus inanis est, eaque post assumptos cibos redit. Vrina crassa & subpallida est; cum sedimento crasso, copioso, subpallido, nulla febris percipitur; sed pulsus est debilis atque inæqualis, vires languent, & animus deiectus est.

Affici-

I. AFficitur in hoc ægro pars primæ coctioni seu chylificationi inseruiens, nempe ventriculus, in quo admodum difficilis sit alimentorum assumptorum coctio, quam uno Græco vocabulo Δυσπεψίαν appellant Medici à frigida intemperie ventriculi & viscerum chymificantium procedentem.

II. Causa proxima huius mali est, fermenti ad fermentaceam coctionem in ventriculo promouendam ineptitudo, inde procedens, quod eius particulæ subacidæ & subsalsæ sint minus fixæ, nec, ad istam fluxibilitatem & tenuitatem deductæ ut alimentorum particulas permeare, spiritusque in iis latentes suscitare, & è crassiore massa dissoluere queant.

III. Illud fermenti vitium contrahitur propter viscerum chymificationi inseruientium (hepatis, lienis, pancreatis, &c.) pravam, ac minus nimis frigidam dispositionem, cuius ratione fermentum præparandum non satis concoquunt, nec ad iustam tenuitatem ac fluxibilitatem deducunt, sed nimis fixum crudumque conficiunt, quod per circulationem toti corpori communicatum ubique cruditates parit. 1. In sanguine, qui hinc difficulter, & propter inæquales particulas, inæqualiter in corde dilatatur (unde pulsus debilis, & inæqualis) paucique & crassiores spiritus, cum vitales, tum animales, ex eo suscitantur, unde virium languor, & animi deiectio. 2. In glandulis faucium salualibus, aliisque capitis, in quibus etiam generatur succus fermentaceus salualis crudus, qui in ventriculum delapsus, ineptus est ad debitam fermentationem alimentis inducendam. Huc accedit, quod succi fermentacei per ductum cholidochum & pancreaticum in duodenum intestinum defluentes, ac sui aliqua parte ad ventriculum ascendentes, ad promouendam fermentaceam coctionem, aut non, aut parum iuuent, propter ineptitudinem, quam à nimia cruditate & fixitate habent, atque hinc aut nullam fermentationem faciant (innocibi diu in ventriculo fluctuant, & postmodum plane crudi vomitu eiiciuntur) aut solummodo flatuosam quandam alimentorum dilatationem inducant, unde ventriculi magna distentio cum anxietate, & interdum crassi ructus procedunt, cum magno sonitu erumpentes, ob materiæ crudæ, qua continentur, viscositatem. A quorum eruptione distentio, cum hinc procedente anxietate, pro tempore immi nuitur.

IV. Mala dispositio viscerum chymificantium contracta fuit per inordinatam diætam, multumque & longum usum ciborum crassorum, acrium, concoctu difficilium, è quibus chylus non satis excoctus, ex eoque sanguis crudior, ac minus dilatabilis genitus fuit, qui ad viscera chymificantia delatus, ab iis conuenienter subigi nequiuit, atque sic paulatim, cum à docto sanguine, tum à fermentaceo succo malo genito, debilitas & vitiosa dispositio iis impressa est, cuius ratione chymum nimis fixum ac crudum, & minus efficacem conficiunt, quo etiam non parum contulit longa febris quartana præcedens, quæ succi melancholici vitio orta, viscerum debilitatis, ac digestionis lienis ac pancreatis haud parua causa fuit.

V. A chymo male excocto, hincque in ventriculo genitis, ac collectis crudis humoribus, frigida intemperies ipsi ventriculo est impressa, cuius ratione etiam ille suo munere non satis perfungitur, & neque fermentaceam materiam, cunctis suis adhærente m, ad ulteriorem perfectionem deducit, neque huius imperfectionis ergo alimentorum concoctionem conuenienter molitur ac perficit.

VI. Ob pituitosorum humorum in sanguine redundantium copiam, etiam bona eorum pars cum sero per renes transit, hincque urina est crassa ac sub pallida cum consimili sedimento.

VII. Nulla comitatur febris, quia neque putredo neque excellens sulphurea effervescentia adest.

VIII. Admodum molestum malum est, quod defectu conuenientis nutritionis, paulatim vires immi nuendo periculum minatur, cui proinde conuenientibus remediis cito est occurrendum.

IX. In curatione corpus subinde purgandum cum hiera picra, diaphœnico, pilulis cochiis, infusione agarici, fol. sennæ, aliisque similibus.

X. Deinde præscribendum apozema, de quo ter quaterve de die haustus exhibendus.

Rec. *Rad. helenii, calami aromatici: ana unc. j.*
rad. Zedoaria, tamarisci ana unc. ß.
herb. calamenth. rosmarin.
chamedryos, cusculæ, meliss. ana m. ß.
fol. laur. maioran. ana m. ß.
baccar. iuniperi
cortic. aurantiorum ana unc. ß.
sem. anisi, fœniculi ana drach. ij.
pæonl. mundat. unc. ij.
aq. & vin. alb. ana partes æquales
F. s. a. apozema ad lib. i. ß.

XI. Ventriculus & reliqua viscera corroboranda tali condito.

Rec. *Zingib. condit.*
rad. helen. condit.
cor. aurant. condit.
conserv. anthos, flor. salu. ana unc. ß.
ol. iuniperi scrup. ß.
anis. gut. viii.
gl. cinnamomi, gariophyllor. ana gut. ij. vel iij.
syr. helen. q. s.
m. f. conditum.

XII. Si his non imminuatur affectus, exhibendum vomitorium.

Rec. *Fol. asar. recent. drach. iv.*
aq. raphan. unc. ij.
exprimatur s. a. succus. adde
vin. vomitini. drach. iij.

exymel. scyllitic. unc. ſ.
m. ſ. hauſtus.

XIII. Poſtea veniendum ad uſum vini medicati, de quo ſingulis mantinis hauſtum bibet, intermediis horis ſubinde ſumendo particulam antedicti conditi.

Rec. *Rad. helen. unc. ſ.*
Zedoariæ drach. ij.
herb. chamedr. maioran.
cardui ben. ana m. ſ.
cort. aurant. hac, inniper. ana drach. iiß.
ſem. aniſ. fœnicul. ana drach. j.
gariophyllorum.
cinnamomi ana ſcrup. ij.
aloes lucid. ſcrup. iv.
fiat puppa, ſuſpendenda in vini albi lib. iv.

XIV. In victu prohibendi ſunt omnes cibi difficilis concoctionis, carnes porcinæ, & quælibet aliæ muria ſeruatæ, aut fumo ſiccatæ, ſimiliter piſces ſaliti, aliique difficilis coctionis aut praui nutrimenti. Præſcribendi cibi facilis digeſtionis, & boni ſucci, conditi cum radice raphani ſylueſtris, maiorana, roſmarino, ſaluia, foliis lauri, ſeminibus aniſi, & fœniculi, pipere, gariophyllis aliiſque aromatibus, paſſulis, rapis, &c. potus ſit vinum mediocre, cerceſia mediocris notæ, interdum poſt paſtum cochleare ſpiritus vini, aut aquæ vitæ Matthioli: viuat æger in aere, mediocriter calido, in ſomno modum ſeruet.

Corpus mediocriter exerceat, & ventriculi regionem ac hypochondria interdum inungat oleo nucis moſchatæ, & contegat pelle vulturis, aut felis ſylueſtris, excrementa corporis procurandum, ut bene euacuentur. Animi triſtitia, & terriculoſa pathemata canis, petus & angue fugienda.

HISTORIA III.

De Affectione Hypochondriaca cum nauſea & vomitu.

VIr florentis ætatis, duris, ſalſis, acidiſque cibis diu aſſuetus, otioſus viuens, à longo tempore naulea quorumcunque alimentorum detentus, modò planè innaperens, modò nimis appetens fuit, ſed ingeſta alimenta cum rugitu, tenſione, ac dolore ventriculi ægrè tulit & digeſſit: per inteſtina quoque totumque ventrem inferiorem plerumque tormina cum magno murmure percepit. Hæc tamen mala ſtatuum copioſiſſimorum ſurſum deorſumque eruptione pro tempore multum imminuta ſunt. Subinde liquor quidam ſubſalſus ſponte cum ſumma nauſea vel leuiſſimo vomitu, ab ore effluere ſolet, præcipuè matutino tempore, quamuis etiam aliis diei temporibus illud non raro contigerit; hoc euacuato nonnihil melius ſe habet. Nunc tandem ante mentem hæc omnia in petus verti cœperunt, quippe vomitus frequens & violentus acceſſit, quo omnia aſſumpta magno cum impetu eiicit, quæ licet non diu aſſumpta fuerint, tamen valde acida euomuntur: & quod mirandum, interdum paulo poſt aſſumptum prandium euomit duas treſve uncias ſolius liquoris cuiuſdam pellucidi, nonnihil (ut dicit) ſubſalſi ſubacidive vel auſteri, omneſque aſſumptos cibos & potus in ventriculo retinet, quos, iſto liquore euacuato, bene fert & digerit. Cum non vomit tunc multo moleſtiores ſunt ventris tortiones & rugitus. Æger non febricitat, ſed cogitabundus ac ſubtriſtis eſt, eique ſcorbutica macula hic illic in cute ſubinde apparent, totumque corpus paulatim emaciatur.

I. VAriæ partes in hoc ægro malè afficiuntur, præcipuè autem ventriculus inteſtina, & pancreas: de ventriculo res nota eſt ex nauſea & vomitu, ac & ex appetentia ciborum modò nimis aucta, modò nimis imminuta. Inteſtinorum affectio ex rugitibus, flatibus, & torminibus innotuit. Affectionem pancreatis effecta docent.

II. Appellatur hic morbus AFFECTIO HYPOCHONDRIACA, *quæ eſt intemperies acida pancreatis, ventriculi, inteſtinorum, partiumque vicinarum.*

III. Cauſa primaria ſymptomatum in hiſtoria enarratorum procedit ab acida ac ſubſalſa quadam intemperie pancreatis, ex inordinato victu inprimis con-

contracta, cuius ergo succus pancreaticus in hoc ægro nimis acer & salsus subacidusue gignitur, idque uno tempore magis quam alio, prout scilicet per hæc illave assumpta alimenta isti malo maior minorue fomes adiicitur.

IV. Hic succus ex pancreate in duodenum intestinum defluens, & aliqua sui parte versus ventriculum ascendens, paulatim fermentum ventriculi corrumpit, sicque vitiosæ coctionis causa fit. Quippe si praua fœdave qualitate præditus (in animalium viuorum affectionibus maximè fœdum saporem nonnunquam habere compertum est) in ventriculum irrepat, tunc inappetentiam ac nauseam, & interdum vomitum inducit: si verò nimis acidus is fluat, tunc nimiam famem, malam coctionem, & nonnunquam, ob acidam vellicationem ventriculi, etiam vomitum suscitat, idque magis aut minus, prout excedens qualitas maior minorve fuerit, & ipse succus maiore vel minore quantitate ventriculum ingreditur.

V. Ex illa vitiosa coctione ac fermentatione oriuntur tensiones, dolores, & rugitus, plurimique flatus suscitantur, qui nonnunquam sursum per ructus erumpendo, tensiones nonnihil imminuere, sicque leuamen aliquod pro isto tempore inducere solent.

VI. Si verò vitiosus ille succus ad ventriculum non ascendat, sed totus ad intestina defluat, tunc coctio ventriculi in ægro nostro melior, & nausea minor, sed vitiosa effœrescentia in intestinis excitatur, cum in coctis alimentis è ventriculo elabentibus, tum in pituitosis ac mucosis succis in intestinis contentis; atque hinc in intestinis flatus, rugitus, dolores, ac tensiones cum anxietate suscitati, inque sæpe alui detectione flatuumque plurimorum excretione multum imminuti sunt.

VII. Liquor ab ore subinde cum nausea effluens, est succus pancreaticus sursum ad ventriculum delatus, & per nauseam, una cum ei in ventriculo admisto salinali liquore, per os erumpens.

VIII. Tandem succo pancreatico temporis progressu peiore, ac simul acriore euadente, & ventriculum magis, quam antea, vellicante, accessit frequens vomitus violentus, quando scilicet in ventriculum ascendit: & si hoc contingat paulo post assumpta alimenta, isque affatim per illa alimenta sursum cum impetu ad superiorem ventriculi partem prorumpat, magnam ibi nauseam faciens, sæpe leui cum vomitu (quia alimentis nondum est admistus) solus euomitur, alimentis intus subsistentibus, quæ tunc, vitioso illo succo fermentaceo euacuato, bene digeruntur.

IX. Non febricitat æger, quia nulla putredinosa effœrescentia in corde excitatur,

X. Cogitabundus ac subtristis est, quia propter acidos humores sanguini admistos, spiritus animales minus tenues seu subtiles, sed paulo fixiores in cerebro generantur, qui minus alacriter & inordinate per pororum cerebri angustias transeuntes, ægrum cogitabundum ac subtristem, & rebus suis minus intentum faciunt.

XI. Corpus emaciatur, propterea quod alimentorum prima coctio non bene peragatur, atque hinc sanguis paucus & parum laudabilis, sed scorbutica qualitate infectus, sicque ad partium nutritionem minus aptus, generetur.

XII. Ex modo dictis, quid de prognosi statuendum, sit, facile iudicari potest, scilicet quod hic affectus periculo non careat, & metuenda sit maxime corporis atrophia, cum summa vitium prostratione, paulatim ægrum deiectura.

XIII. In curatione primum æger purgandus, cum infusione fol. sennæ, agarici, &c. addendo aliquantum elect. hieræ picræ, aut diapruni: aut cum pilulis cochiis, extracto catholico, puluere diacurbith, aliisque similibus, eaque purgatio postea singulis octo vel decem diebus reiteranda. Venæsectio hic parum ad rem factura videtur, si tamen febris aliave aliqua magna excandescentia accesserit, pro ratione necessitatis instituri poterit.

XIV. Si vomituriendi conatus permanserit, non inutiliter tale vomitorium dabitur.

Rec. *fol. asari recent. drach.* iij. ſ.
aquæ raphani unc. ii.
fiat ſ. art. expreſſo ſucci,
adde, vini antimoniati drach. iij.
oxymelis ſcyllitici unc. ſ.
miſce fiat hauſtus.

XV. Postea conueniens apozema præscribendum, eiusque ter de die hausus exhibendus.

Rec *radic. tamariſci, capparum,*
polypodij querc. helenij, ana drach. vj.
herb chamedryos, m. j ſ.
meliſſæ, betonicæ, boraginis,
cuſcuta ana m j.
fol. lauri triſolii paluſtris, ana m. ſ.
cortic. aurantiorum drach. vj.
ſem. anisi, fœnic. ana drach. i. ſ.
paſſular. mundat. unc. ij.
aquæ q. ſ.
fiat ſ. art. apozema ad lib. j. ſ.

XVI. Loco apozematis, vel inter mediis horis subinde dari poterit particula huius conditi,

Rec. *rad. helenis,*
corticum aurantior. condit.
conſerua boraginis, meliſſæ,
flor. ſaluiæ ana unc. ſ.
olei anisi gut. xij.
ſyrupi helenii q. ſ.
miſce, fiat conditum.

XVII. In magna ventriculi aut intestinorum tensione cum anxietate aut dolore, conueniet exhibere talem bolum.

Rec. *theriacæ drach.* i.
oculorum cancri ppter. scrup. ß.
olei amissi gut. v.
misce, fiat bolus.

XVIII. Interdum mane ieiuno stomacho, loco apozematis, exhibenda dosis huius pulueris, cum pauxillo cereuisiæ aut iusculi.

Rec. *oculorum cancri ppter. drach.* ii.
coralli rubri ppti. drach. ß.
succini ppt. drach. ß.
fiat pulvis,
dividendus in quatuor dosses.

XIX. In victu sit aer mediocriter calidus. Cibi sint facilis digestionis & boni nutrimenti, & abstineat æger ab omnibus cibis salsis, acidis, acribus, fumo siccatis, antiquis, rancidis, crudis, aliisque difficilis coctionis aut praui nutrimenti. Potus sit cereuisia communis bene defœcata, nonnihil subamara, minimè acida: item vinum tenue minime acidum. Somnus & exercitia corporis sint mediocria: fugiantur otium & nimia quies. Excreta naturalia bene procedant, si non sponte, saltem arte. Fugienda quælibet tristia animi pathemata: lætitiæ & hilaritati, quantum fieri potest, indulgendum.

FINIS.

Summo Opt. Max. Creatori Deo sit laus, honos & gloria per omnia Sæcula.

INDEX RERVM

IN LIBRO

DE PESTE

ET DE

VARIOLIS ET MORBILLIS

Contentarum:

A

Abortum frequentium causa in Peste. Pag. 14.
Aceti vires & usus in praeservatione & curatione pestis. 117. 120. 122. 141. 150. 205. 141.
Acetum Bezoarticum nostrum 101
Ernesti. 104. Magistrii. 105. Matthioli. 104
D. de Spina. ibid. Vnzeri. 149
Acida an conveniant in variolis. 118
Aer an putrefcat. 42. 48
Infectus quare non omne inficiat. 64. 65
Aeris inquinamentum pestis causa 48
Venenositas sine putredine. 54
Correctiones. 117. ad 123
Ædium infectarum expurgatio.
Alexicaca olea & linimenta. 158. 159
Alexipharmaca multa dari. 143
Allium damnosum tempore pestis. 145
Alvus quando movenda in agris. 164
Alvus suppressa in agris pestiferis non semper mala. 89. 93. 171
in variolis ante septimum diem non facile citanda. 332
Alvi fluxus periculosus in peste. 81. 93. 221. 280
Curatio & remedia. 221, 222, 273. 274. 340
Sanguineus lethalis. 221. 228
Amuleta venenata varia 153.
omnia reiscienda. 152. 154
Amuletorum vastitatio. 154. 157
Amuleta superstitiosa. 152. 157
Naturalia. 152. 158. ex lapidibus pretiosis. 157
Anbelitus fator malum. 89. 93
Animalcula invisibilia an sint pestis causa 46
An nis metus quid faciant in peste. 58. 131
An ad hunc morbum divinum liceat uti remediis naturalibus. 118
Anthrax vide Carbunculus.
Antidotum certum contra pestem an detur? 141. 178
Antidota sunt vera pestis remedia. 175
quando, quomodo, & quibus praescribenda. 175. 180
interna praeservantia. 139
Antidota externa praeservantia 152
simplicia curativa. 175
varia recentiorum. 196. ad 200
Antidotorum sudoriferorum formulae. 177. ad 179
Antimonii usus internus damnosus. 172. 175. 241. 314
Antimonii butyrum ad anthracas. 235
Anxietatis causa. 76. remedia 216
Apertio variolarum an conducat. 341. 356
Aqua putrido an pestis causa. 41
potus an communi at agris. 165
Saponata fator damnosus 99. 101
Aqua vitae abusus. 140
Aquarum stagnantium noxae. 107
Aqua infecta an coctione deponat venenositatem. 118
Aqua theriacalis Vltrajectina. 175
Nostra 176. conducit etiam in variolis. 347
Langii. 200. Bauderoni. 201. Sennerti. ibid.
Leydensis 202. Crollii. ibid. Cratonis. 203
Matthioli. ibid. Paracelsi. ibid.
cinnamomi est praeservativum faciei in variolis. 355
Aquilonius ventus salubris. 119
Aranea an aerem corrigant. 118
Argentum vivum noxium in peste. 153
Astra an pestem inducant. 26
Auricula sui mortu pestem praesagientes 14
an aerem corrigant. 120
Auster insalubris. 119

Auste-

INDEX RERVM.

Aufliones subpellectilium prohibenda. 100. 103
Aurium curatio in variolis. 341
Auxilia Chirurgica in variolis. 333

B

Balnea fugienda tempore pestis. 330
in variolis periculosa. 350
Baccarici lapidis vires. 183
Bolus Armena vires. 186
Brassica vires ad bubones & anthraces. 230. 232. 305
Bubo quid sit. 79. signum pestis. 15 19
quomodo generetur. 78. 80
in quibus partibus emergat. 80
cum anthrace. ibid.
Bubo sine febre. 68 quare desperatus. 80
quare citius vel serius proveat. 81
ubi maneat vim venenum. 81
qui salutaris, qui malus. 90
Bubonum curatio. 223. Per discussionem. 225
per diversionem. ibid. per attractionem. 223. 226
per emplastra. 230
Bubones curandi methodus D. Barbette. 231. 232
Bubonis vires in curatione pestis. 206. 227. 228
Butyrum antimonii ad anthraces. 235
Butyrum ad praservationem pestis. 134
ad linguæ ariditatem in peste. 217. 218

C

Acochymi an magis inficiantur peste. 8
Cadavera pestiferorum sint ne magis vel minus contagiosa. 104
Cadaverum cita corruptio. 296
Caparum usus ad bubones. 229
Calor in peste sæpe nimis. 15. 19
Camphora vires & encomia in peste. 181
Camphorata medicamenta varia. 181
Capitis dolores in peste curatio. 215
Carbunculus pestis signum. 15. 19
an sit crusta. 84. sine febre. 68. 321
à causa externa. 5. 321. an à febre excitetur. 85
vasta magnitudinis. 95. 258. 307
in quacunque parte. 78. 85
in ventriculo, hepate, pulmone. 76
in rene. ibid. in digitis. 295. 298.
in lingua. 261. in scroto. 319.
an etiam in cerebro fiat. 86
Carbunculi nomina & definitio. 82
Causa. 78. 79. 82. vesicula unde fiat. 83
venenum ubi maneat, cum excidit. ibid.
prognostica. 90. 93. curatio. 232
Separatoria remedia. 232. 233. 235
Carnes assata an præstent elixis. 126
porcina damnosa in peste ibid.
Cassius viridis ad præservationem pestis. 124
Cataplasma ad bubones. 224
Cathartica vide purgantia.
Causa pestis Divina. 28. 46
an de novo crentur. 33
an ab astris generetur. 26
an incantamentis inducatur. 35
an à putredine procedat. 36. 50. 54
an à tempestatum constitutionibus. 45
an à venenis. 45
an ex congeries bestiolarum invisibilium. 46
Causa secundaria pestis. 28. 51
infectionis. 65. symptomatica pestis. 76
Causa variolarum & morbillorum. 325. 345
Cauteria ad præservationem pestis. 134
Cerevisia qua bona qua mala 123. 138
Cerevisia medicata præservans à peste. 140. 146
Chirurgica remedia curativa in peste. 167
Cibus & potus ad præservationem pestis. 123
in variolis & morbillis. 330. 331
Cibi pestiferis liberalius offerendi. 163. 164
Citrii mali vires antidotales. 165
Coitio an tollat aquæ vitia. 118
Commercia cum infectis prohibenda. 100. 101
Contagium quid sit. 54. 55
quomodo fiat. ibid. an adsit pesti. ibid.
Contagium an oriatur ex putredine. 60
quare non omnes inficiat. 302
ejus requisita ad communicationem. 54. 55
an aque efficax exeat ab omnibus pestiferis. 61. 64
an in corpore aliquandiu latere possit. 63. 210. 290
an à sano circumferri, & alium inficere possit. 64
an pestem generatem faciat. ibid.
quo temporis intervallo in fomite moriatur. 66
in fomite brevi extinguitur. 30. 31
in variis rebus latens. 316. 321
Contagii occasiones fugienda. 100. 106
Conventus publici periculosi in peste. 199
Conversatio cum peste infectis fugienda. 104
Convulsivi motus lethales in peste. 89. 91
etiam in variolis & morbillis. 351
Cornu, & cornium usum aeruginem corrigens. 117. 122
Cornu cervi vires. 154
Corroborantia remedia. 214
Crises fallaces in peste. 88. 98
Sexta die lethales. 91
Croci usus tutus in peste. 180
in variolis. 355
Cubiculum ægri quale. 207. 208
Cucurbitula bubonibus male applicantur. 224. 227. 291
Curationis nostra methodus in peste. 207
in variolis. 330. ad 336

D

Debilitatis curatio. 216
Decoctum antidotale sudoriferorum. 203
Democriorum historia. 319. 361. 383
Delirium in peste periculosum. 76. 92. 302
Diæta præservativa in peste. 125. 140
curativa in peste. 165. 174

INDEX RERVM.

in variolis & morbillis. 331
Diætam mutare in peste periculosum. 125
Dia cordium. 199
Differentia inter variolas, & morbillos, & febrem petechialem. 314
Dispositio ad pestem. 65
Dolor gutturis lethalis in peste. 89. 92.
Doloris capitis curatio. 213
Draco vomitu ejectus. 288
Dulcia in peste noxia. 124. 126

E

Ebrietas tempore pestis damnosa. 130
Ebrietate fugata pestis. 376
Eclypses an pestem inferant. 28
Electuarium de quo. 196
theriacale Vvieri. 199
Elixir pestilentiale Crollii. 186
Emplastrum paracelsi ad bubonem. 230
Angeli Sala. ibid
Enula campana. Vide Helenium.
Epistola ad D. Patinum de Timirista. 193
Error medicorum in curatione variolarum. 339
Euchymi an facilius inficiantur peste. 8
Exanthemata pestis signa. 13. 17
eorum nomina. 86. causa. 79 86. eorum. 66. 232
curatio. 232. prognosis. 125. 95. 232. 279
Exercitia moderata. 131. 132
Exhalationes fœdæ an pestem inducant. 21
Extractum antidotale. 176. 104

F

Facies præservatio in variolis. 342
Fames noxia tempore pestis. 125. 123
an pestem inducat. 39. 54
quanam pestem præcedant. 34
Famis in integra peste infecta. 9
Fœtentium remedia in variolis. 241.
Febris an sit de essentia pestis. 11. 12. 69. 245
lenta fallax in peste. 11. 12. 31. 310
signa præsidentia. 11. 12
Febris pestilens an detur sine peste. 73
quemadmodum differat ab aliis putridis. 74
quomodo fiat à peste. 74
ad quam classem referenda. 75
an à carbunculo. 85
qua pestem comitantur vel sequuntur quemodo fiat. 54
Febris pestilentis causa. 54. 58. 73. curatio. 212
Febris semper adnascitur variolis. 328
Fœtus ad bubones. 229
ad propulsionem variolarum conducunt. 337
Flavum fulgentis vires. 286
Fœtores cadaverum noxii. 102
Fomes quid sit. 55. quales debeat esse corpus. 59. 62
Fomes quamdiu perdaret. 23. 26. 61. 63
Fonticuli præservant à peste. 134 314
exaresentes mala. 89. 274
Fraxini mira vis. 119
Fructus ab inquinamentum pestilenti corrumpuntur 54
Fuga qualis, quibus, quando. & quorsum conveniat. 111. 113. 116. an licita sit Christianis. 114

G

Galina peste infectis. 316
Gelatina nutriens & corroborans. 164
Gravida mulieres periclitantur. 11
Guttur is dolor funestus in peste. 89. 92. 170. 303
remedia in variolis & morbillis. 342

H

Hæmorragia causa. 77
omnes fere lethales. 89. 92. 194
an sint critica. 219. curatio. 220. 294
Halices noxia tempore pestis. 127
Halitus moribundorum periculosissimi. 64. 269
Helenii radices ad præservationem pestis. 137. 145
Helleborus ad curationem pestis. 221. 225
Hepatis auxilia in variolis. 340
Hilaritate fugata pestis. 134. 161
Homines soli variolis & morbillis obnoxii. 328

I

Jactationis corporis causa. 25
Jaspidis vires ad Hæmorrhagias. 220
Jejunium in peste malum. 125. 126
Ientaculum quale debeat esse. 125. 126
Ignis correctorium aeris. 116. 119
qualis quantus, & quando struendus. 119. 120
Imaginationis vires in peste. 32. 133
in variolis & morbillis. 350
Inanitiones noxia in peste. 125. 116
Incantamentis an pestis inducatur. 35
Indusiorum mutatio agris noxia. 102. 258
Infusio bezoartica Crasonis. 202
Matthioli. 202. Paracelsi. 202
Infecta pestem præsagientia. 13. 14
Inquinamentum an sit venenum. 5. 6
Inquinamenti pestilentis processus. 53
Ira quid faciat ad pestem. 32. 68. 230

L

Lac dulce an attrahat venenum aeris. 125
Lanea vestes in peste damnosa. 131
Lapidis Bezoartici vires. 182. 183
Lapis hæmatites & Jaspis ad Hæmorrhagias. 220
Lapides pretiosi quid præstent. 190
Lassitudines damnosa. 131. 132. 279
Lingua siccitatis causa. 76
nigredo. 86. 89. remedia. 164. 217. 218. 330
Linimenta præservantia. 257. 258
Linteaminum mutatio agris noxia. 102
Lumbricorum curatio. 222
Lumbrici vomitu ejecti. vide vermes.
Luna qualis magis noxia. 10

Macis

INDEX.

M

Macula pestilentes, vide exanthemata.
Magica curationes fugienda. 99
Magistratus officium in peste. 99
Magnes arsenicalis ad bubones. 236. 241
Mali citrii vires antidotales. 165
Medici quales, & quando eligendi. 110
Medicamentis an uti liceat. 111
Medicamenta preservativa. 138. ad 151
Mediocritas optima in victu. 124. 128
Mellis usus noxius in peste. 127
Menstruorum fluxus in peste periculosus. 89. 144. 223
etiam in variolis periculosus. 358
curatio. 219 244
Methodus curandi nostra in peste. 207
alterius inaudita in peste. 211
Mercurii usus damnosus. 229
Metus & mestitia an pestem inducant. 52
Metus vivendi modus in peste. 160
Miasmata quid sint. 55. 61
per quas vias exeant à corpore. 61
quibus communicentur. 55. 61
quo tempore operentur. 61. 62
quando non constituant fomitem. 62
quomodo se explicent. 61. 65
quo temporis intervallo extinguantur. 52. 55. 64
Mithridatium minus præservans. 141. 149
Morbi alii silent in peste. 20
Morbillorum nomina, & origo. 322
definitio. 344. differentia à variolis. ibid.
Causa. 345. Signa. ibid.
Curatio. ibid. & 358
Morbilli variolis coniuncti. 359
Moribundorum halitus exitiosus. 63. 169
Morsuli A. Sala pro icterus. 126
Mortes repentina. 68. 305
Mortuus putatus revixit. 297
Moschus noxius in peste. 191
Muscarum horribilis copia. 14
Musica pestis remedium. 134
Mutatio victus periculosa. 125. 125
Myrrha præservat.

N

Narcotica minime tuta in peste. 214. 215
Narcotico occisus. 271
Narium hæmorrhagia periculosa in peste. 89. 92. 294
an critica & quomodo curanda in peste. 219. 294
Narium defensio à variolis. 341
Natationes in fluminibus periculosa. 124. 130. 290
Nicotiana. vide Tabacum.
Nosocomiorum pessimus ordo. 106
Noviluniorum pestem exacerbat. 11
Nubecula contagiosa à moribundis exiens. 64
Numini an contagiosi sint. 62

O

Oculorum medicatio in variolis. 341. 342. 357
Odores suaveolentes noxii in peste. 117. 121. 158. 158
Odoramenta præservativa. 151. 158
Oleum antimonii ad anthraces. 235
præservans Matthioli. 158
Lud. de Iconibus. 159. Braffavola. 156
Oleum Scorpionum. 159. 229. Vitrioli. 197
Orationes supplices summum pestis remedium. 97. 98
Orientalis ventus salubertimus. 119

P

Parei secretum ad alvi fluxus. 222
Partium internarum curatio in variolis. 339
externarum. 341
Paupertes an eiciendi in peste. 107
Pestis nomina. 1. definitio. 2. 3
quale morbi genus. 3. 4. pernicies. 4
Noviomagensis principium vigor & finis. 7
subiecta 8. pecora vaticina. 8. signa. 13. 17
signa post mortem. 259. diu absque signis. 16. 255
causa, vide causa. processus. 47. 55
differentia. 29. 66. prognostica. 88. 90
an sit contagiosa. 55
vehementia secundum tempora. 6. 66
sine febre. 68. 242. 243
omnibus morbis adiungitur. 11. 12
in una sola domo orta & extincta. 16
quare non omnes inficiat. 59 65
an bis invadat eundem. 263. 269
cum bubone. 240. 276. 284
cum hæmoptysi. 295
cum antrace. 244. 281. 285. 301. 309
cum alvi fluxu. 262. 262. 265. 270
cum contractis. 242. 274. 277
Pestis ex insomnio. 283
vulneri adiuncta. 283. 299. in puerpera. 255
à terrore. 259. 295. à tristitia. 268. 311
à contagio. 293. 305. 321
cito curata. 238. 244. 267. 301 310
vino depulsa. 276. tabaco fugata. 249. 265
vomitorio curata. 252. 265
Pestis critice soluta. 252. 255
multum remittens fallax. 309
Pestifera quinam magis contagiosa. 61
Pestilentia & epidemii morbi differentia.
Pestilens inquinamentum est venenum.
differt ab inquinamento putrid
venenum an sit diversum.
Pestiferorum extrema hausine
Pestifera ab aliis separandi.
Peregrini arcendi.
Pernicioſa conversatio cum
Pilulæ Ruffi. 138. a
Alberti Ducis.

INDEX RERVM.

Plantis, vide ostra.
Plateorum expurgatio. 100. 106. 102
Plenilunium pestem exacerbat. 7. 88. 91
Pleuritides in peste lethales. 89. 92. 264
Porcina caro damnosa. 126
Potus agrorum. 164
Potiones agris grata. 165
Præservativa medicamenta. 39. ad 152
Preces optimum pestis præservativum. 97
Prophylaxis theologica. 27
Politica. 99. diætetica pestis. 116. ad 136
variolarum. 330. chirurgica pestis. 136
variolarum 332
pharmaceutica pestis. 137. 139
variolarum. 330
Pulsus qualis det signa pestis. 13. 14. 27. 88. 92
Pulsus intermittens lethalis in peste. 89. 92
Pulticula nostra ad carbunculos. 232
Pulueres antidotales varii. 128
Puluis serpentum ad pestem. 189
Puluis pyrius aerem corrigit. 122
Purgantia ad præservationem. 137. 138
in curatione pestis damnosa. 138. 171. 173. 245
248. 262. 283. 319
quo tempore danda in peste. 171
in variolis. 335. 349
Pulmonis auxilia in variolis 340.

Q

QVies animi & corporis conducit in peste. 131

R

RAnarum vires ad bubones. 227
Rancedo lethale signum in peste. 88, 91. 270. 303
in variolis. 347
Remedia præservativa varia in peste. 146. ad 152
Remedia purgantia in variolis. 334
corroborantia peste. 209
diaphoretica & variolas expellentia. 314. ad
338. 358
Remedia ad superstities variolar ... rationes. 288
Remedia ad superstites variolar ... , & vesi-
gia tollenda. 344
ad pruritum plantarum ... volis ma-
nuum in vario ... 344
fouens faciei ... 354
Repleriones nox ... 123. 125
Respiratio pa ... 132
Rotula pra ... 150
Rubeola ... 347. 360

S

... 175

... 245. 3

urina lethalis in peste. 38, 94. 269. 318
curatio in variolis. 340
Sapphiri vires ad anthraces. 234
Saponis fasor damnosus. 98. 101
Scarificationum usus. 169
Scabiosa vires ad bubones. 229
Secreta quorundam irridenda. 143
Secretum Magistri de busone. 206
Segetes corrupti à pestilente veneno. 14
Senes à peste maxime immunes. 89
Serpentum pulueris usus. 189
Signa pestem præcedentia. 12. 15
concomitantia. 15. plerâque incerta. ibid.
ex pulsu. 17. ex alui excretis. 15. 18
ex urinis. 18. ex maculis. 15. 18
Signa post mortem prodiuntia. 239
prognostica pestis. 87
Signa prognostica variolarum. 329
diagnostica variolarum. 328
Sinarum regnum pestis expers. 27
Sitis noxia sanis & ægris. 123. 126
remedia. 164
Singultus causa. 77
lethale signum. 88. 93. 117
remedia. ibid.
Sobrietas qualis conueniat. 123. 126
Somnium pestem inferens. 285
Somnus moderatus bonus. 130. 132
meridianus quibus conducat. 132
subdio, & supra sanum noxius. 131
ante sudores noxius in peste infectis. 165
Sonitus mortem præsagiens. 281
Soporis causa. 77. 79
periculum. 88. 92. 215
remedia. 215
Spirituum diabolicorum visiones. 239. 260
Sporadici morbi. 2
Sputi cruenti causa. 77. 79
Sputum cruentum lethale signum in peste. 88. 93
incurabile in peste. 219. 220
Sternutationes crebræ lethales. 88 92. 248
Stragula rubra an faciant ad prouocationem variola-
rum 335
Sud ... mnosa. 116. 121
Su ... suffumigiis. 121
S ... uium ad præservationem. 152
... ione pestis, quando, quomodo, & quo-
... ndi. 107. ad 111
... formula in peste. 176. ad 181
... olis & morbillis. 335. 344
... varia. 216. 221
... vires peste. 141. 185
... contagii fomes. 101
... tilium venditio prohibenda. 100. 101
... ica varia. 214. 215

INDEX RERVM.

Symptomatum pestis causa; 76. 79
diuersitatis causa. 77. 76. 79
Syncopes remedia. 216. 217

T

Tabella præseruantes. 141. 150
Tabaci vires in peste. 139. 144. 161
Tabaco fugata pestis. 249. 265
Temperantia præseruat; 124. 125
Tempestates ad pestem inducunt; 43
Terror, Tristitia, & timor damnosa in peste; 28. 51 131. 132. 141
etiam in variolis. 350. 351
Theriaca vires, laudes, & vituperia. 150. 191. ad 196
Theriaca Matthioli; 197
Menanii. 137
Tonitrui quid sit; 45
Topica ad carbunculos; 232. ad 235
ad variolas non conducunt. 189
Trochisci de viperis. 189
Tumores circa ipsa crescentes & molles mali. 89. 90. 94. 251. 301

V

Variolarum nomina & quid sint. 322. 328
Variola vigesimo die morbi erumpentes. 348
Variola morbillis communia. 359
Aliquando bis terue eundem inuadunt. 327
Vena sectio in peste damnosa. 167. 239. 248. 251 258. 275. 289
in variolis. 354. 333
Venenum pestilens an sit diuersum. 25. 91
per menses in corpore latens. 61. 288
Veneni vis an cedione in aqua extinguatur; 128
Venere translata pestis in alium. 242
Venus noxia in peste. 31. 88. 131. 142. 288
Veneris nimia abstinentia noxia. 133
Venti qui salubres sint. 219
Vermes pestilentes vomitu ejecti; 271. 275. 288
Vespertilionum usus. 167. 170
Vestes contagii ferunt; 55. 62. 63
Vestes quæ bonæ, quæ noxiæ; 138
Vespillones quare magis immunes à peste; 301
Vespillonum negotia. 106. 110
Via publica mundanda. 99. 102. 106
Victus subita mutatio periculosa; 223. 135
liberalior conueniens, tenuis noxius; 364
Victus ratio præseruans. 140
Vigilia nimia noxia. 132
in ægris non nocent. 215
Vinum valet ad præseruationem; 124. 129
quale nocet. 124. 291
Aloeticum præseruans. 137
absinthite præseruans. 140. 146
Vini absinthites damna. 146
modicus usus conuenit; 129
potus an ægris sit tutus. 167
spiritus quibus conducat; 124. 125
Vino depulsa pestis. 124. 276
Virium prostratio periculosa. 89
Virium robur usque ad mortem; 292
prostrationis remedia. 216. 218
Vires conseruandæ. 210
Visu an pestis contrahatur; 133
Vitrioli olei vires. 187
Vnicornu incertitudo & vires; 184
Vnguentum præseruans Liddelii; 119
Magiri. ibid.
Vomitus causa. 77. 247
periculosus. 89
an conueniat in curatione pestis; 217
Vomitus remedia in peste. 216 217
in variolis & morbillis. 359
Vomitoria maxime noxia in peste. 170 173. 142 279. 315
feliciter data. 257. 265
Vrina incerta signa. 25. 27. 89. 93. 167
quanam periculosa. 89. 93. 290. 318
potus damnosus. 145
ex urina experimentum; 94
Vulneris admixta pestis. 283. 299

FINIS.

ROMA

Rec. *theriacæ drach.* i.
oculorum cancri pptor. scrup. ß.
olei amisi gut v.
misce, fiat bolus.

XVIII. Interdum mane ieiuno stomacho, loco opozematis, exhibenda dosis huius pulueris, cum pauillo cereuisiæ aut iusculi.

Rec. *ocularum cancri pptor. drach.* ii.
coralli rubri ppti. drach. ß.
succini ppt. drach. ß.
fiat pulvis.

Diuidendus in quatuor dosis.

XIX. In victu sit aer mediocriter calidus. Cibi sint facilis digestionis & boni nutrimenti, & abstineat æger ab omnibus cibis salsis, acidis, acribus, fumo siccatis, antiquis, rancidis, crudis, aliisque difficilis coctionis aut praui nutrimenti. Potus sit cereuisia communis bene defœcata, nonnihil subamara, minimè acida: item vinum tenue minime acidum. Somnus & exercitia corporis sint mediocria: fugiantur otium & nimia quies. Excreta naturalia bene procedant, si non sponte, saltem arte. Fugienda quælibet tristia animi pathemata: lætitiæ & hilaritati, quantum fieri potest, indulgendum.

FINIS.

Summo Opt. Max. Creatori Deo sit laus, honos & gloria per omnia Sæcula.

INDEX RERVM
IN LIBRO
DE PESTE
ET DE
VARIOLIS ET MORBILLIS
Contentarum :

A

Abortum frequentium causa in Peste. Pag. 14.
Aceti vires & usus in præservatione & curatione pestis. 117. 120. 122. 141. 150. 205.
Acetum Bezoarticum nostrum. 101
Ernesti. 204. Magistri. 205. Matthioli. 204
D. de Spina. ibid. Vntzeri. 149
Acida an communiant in variolis. 338
Aer an putrescat. 42. 48
Infectus quare non omne inficiat. 64. 65
Aeris inquinamentum pestis causa. 48
Venenositas sine putredine. 54
Correctiones. 217. ad 223
Ædium infectarum expurgatio.
Alexicaca olea & linimenta. 158. 159
Alexipharmaca multa dari. 143
Allium damnosum tempore pestis. 145
Alvus quando movenda in agris. 164
Alvus suppressa in agris pestiferis non semper mala. 89. 93. 172
in variolis ante septimum diem non facile citanda. 332
Alvi fluxus periculosus in peste. 81. 93. 221. 280
Curatio & remedia. 221. 222. 273. 274. 340
Sanguineus lethalis. 221. 228
Amuleta venenata varia. 153.
omnia reuocanda. 152. 154
Amuletorum refutatio. 154. 157
Amuleta superstitiosa. 152. 157
Naturalia. 152. 158. ex lapidibus pretiosis. 157
Anbelitus fœtor malum. 89. 93
Animalcula inuisibilia an sint pestis causa. 46
An ne mutus quid faciens in peste. 58. 131
An ad hunc morbum diuinum liceat uti remediis naturalibus. 118
Anthrax vide Carbunculus.
Antidotum certum contra pestem an detur? 141. 178
Antidota sunt vera pestis remedia. 175
quando, quomodo, & quibus præscribenda. 175. 180
interna præseruantia. 139
Antidota externa præseruantia. 152
simplicia curatiua. 175
varia recentiorum. 196. ad 200
Antidotorum sudoriferorum formulæ. 177. ad 179
Antimonii usus internus damnosus. 172. 175. 241. 314
Antimonii butyrum ad anthraces. 235
Anxietatis causa. 76. remedia. 216
Apertio variolarum an conducat. 342. 356
Aqua putrida an pestis causa. 41
potus an communi at agris. 165
Saponata fœtor damnosus. 99. 101
Aqua vitæ abusus. 140
Aquarum stagnantium noxa. 107
Aqua infecta an coctione deponat venenositatem. 128
Aqua theriacalis Vltrajectina. 175
Nostra 176. conducit etiam in variolis. 347
Langii. 200. Banderoni. 201. Sennerti. ibid.
Leydensis 202. Crollii. ibid. Cratonis. 203
Mathioli. ibid. Paracelsi. ibid.
cinnamomi est præseruatiuum faciei in variolis. 355
Aquilonius ventus salubris. 119
Arancæ an aerem corrigant. 118
Argentum viuum noxium in peste. 153
Astra an pestem inducant. 26
Auicula sua morte pestem præsagientes. 14
an aerem corrigant. 120
Auster insalubris. 119

INDEX RERVM.

Auctiones supellectilium prohibenda. 100. 103
Aurium curatio in variolis. 348
Auxilia Chirurgica in variolis. 333

B

Balnea fugienda tempore pestis, 130
in variolis periculosa. 350
Bezoartici lapidis vires, 182
Bol's Armena vires. 186
Braslica vires ad bubones & anthraces, 230. 232. 305
Bubo quid sit. 79. signum pestis. 15 19
quomodo generetur. 78. 80
in quibus partibus emergat, 80
cum anthrace. ibid.
Bubo sine febre. 68 quare desperent, 80.
quare citius vel serius prodeat, 81
ubi maneat vim venenum? 81
qui salutaris, qui malus, 90
Bubonum curatio. 223. Per discussionem. 225
per diversionem. ibid. per attractionem. 225. 226
per emplastra. 230
Bubones curandi methodus D. Barbette. 231. 232
Bubonis virosa curatione pestis. 206. 227. 228
Butyrum antimonii ad anthraces. 255
Butyrum ad praservationem pestis. 114
ad linguæ ariditatem in peste, 217. 218

C

Cacochymi an magis inficiantur peste. 8
Cadavera pestiferorum sine quo magis vel minus contagiosa. 104
Cadaverum cita corruptio. 256
Caparum usus ad bubones. 229
Calor in peste sæpe mitis. 15. 19
Camphora vires & encomia in peste, 181
Camphorata medicamenta varia. 181
Capitis dolores in peste curatio. 215
Carbunculus pestis signum. 15. 19
an sit crusta. 84. sine febre, 68. 321
à causa externa. 5. 321. an à febre excitetur. 85
vastæ magnitudinis. 95. 258. 307
in quacunque parte, 78. 85
in ventriculo, hepate, pulmone; 76
in rene. ibid. in digitis. 295. 298.
in lingua. 262. in fœtore, 319.
an etiam in corde fiat. 86
Carbunculi nomine & definitio. 82
Causa. 78. 79. 82. vesicula unde fiat, 83
venenum ubi maneat, cum excidit. ibid.
prognostica. 90. 91. curatio, 234
Separatoria remedia. 232. 233. 235
Carnes assatæ an præsens citrix. 126
porcinæ damnosæ in peste ibid.
Cassius viridis ad præservationem pestis, 124
Cataplasma ad bubones. 224
Catharsis vide purgantia.
Causa pestis Divina. 28. 46
An de novo creetur. 22
an ab astris generetur. 26
an incantamentis inducatur. 35
an à putredine procedat. 36. 50. 54
an à tempestatum constitutionibus. 41
an à venenis. 45
an ab congeries bestiolarum insensibilium. 46
Causa secundaria pestis. 28. 31
infectionis. 65. symptomatum pestis. 76
Causa variolarum & morbillorum. 325. 365
Cauteria ad præservationem pestis, 134
Cerussa quæ bona quæ mala 133. 138
Cerussa medicata præservans à peste. 140. 146
Chirurgica remedia curativa in peste. 167
Cibus & potus ad præservationem pestis, 125
in variolis & morbillis. 330. 331
Cibi pestiferis liberalius offerendi. 163. 164
Citrii mali vires antidotales. 165
Collio an tollat aqua vitia. 118
Commercia cum infectis prohibenda. 100. 101
Contagium quid sit. 54. 55
quomodo fiat. ibid. an adsit pesti, ibid.
Contagium an eruatur ex putredine. 60
quare non omnes inficiat. 302
ejus requisita ad communicationem. 54. 55
an aque efficax exeat ab omnibus pestiferis. 61. 64
an in corpore aliquandiu latere possit. 63. 210. 290
an à fano circumferri, & alium inficere possit. 64
an pestem generalem faciat. ibid.
quo temporis intervallo in fomite moriatur. 66
in fomite brevi extinguitur; 30. 31
in variis rebus latens. 316. 321
Contagii occasiones fugienda. 100. 106
Conventus publici periculosi in peste, 103
Conversatio cum peste infectis fugienda. 102
Convulsivi motus lethales in peste 89. 91
etiam in variolis & morbillis. 351
Cornu, & cornium usum aceto corrigunt. 117. 121
Cornu cervi vires. 184
Corroborantia remedia. 214
Crises fallaces in peste. 88. 91
Sexta diei lethales. 91
Croci usus tutus in peste, 180
in variolis, 355
Cubiculum ægri quale. 207. 208
Cucurbitula bubonibus male applicantur. 224. 227. 231
Curationis nostra methodus in peste, 207
in variolis, 330. ad 336

D

Debilitatis curatio. 216
Decoctum antidotale sudoriferorum. 203
Damonorum historiæ. 259. 261. 282
Delirium in peste periculosum, 76. 92. 302
Diæta præservativa in peste, 123. 100
curativa in peste, 193. 194

INDEX RERVM.

in variolis & morbillis. 331
Diætam mutare in peste periculosum. 125
Diascordium. 199
Differentia inter variolas, & morbillos; & febrem petechialem. 324
Dispositio ad pestem. 65
Dolor gutturis lethalis in peste. 89. 92.
Doloris capitis curatio. 213
Draco vomitu ejectus. 288
Dulcia in peste noxia. 124. 126

E

Ebrietas tempore pestis damnosa. 130
Ebrietate fugata pestis. 276
Eclypses an pestem inferant. 28
Electuarium de ouo. 196
theriacale Vvieri. 199
Elixir pestilentiale Crollii. 186
Emplastrum pro accessi ad bubonem; Angeli Sala. 230 ibid
Enula campana. Vide Helenium.
Epistola ad D. Patinum de Theriaca. 193
Error medicorum in curatione variolarum. 339
Euchymi an facilius inficiantur peste. 8
Exanthemata pestis signa. 13. 17
eorum nomina. 16. causa. 79 86. ortus. 66. 232
curatio. 232. prognosis. 125. 95. 232. 279
Exercitia moderata. 131. 132
Exhalationes fœdæ an pestem inducant. 21
Extractum antidotale. 176. 204

F

Facies præternatio in variolis. 342
Fames noxia tempore pestis. 125. 123
an pestem inducat. 89. 54
quanam pestem præcedant. 54
Familia integra peste infecta. 9
Faucium remedia in variolis. 241.
Febris an sit de essentia pestis. 11. 12. 69. 243
lenta fallax in peste. 11. 12. 31. 310
signa præcedentia. 11. 12
Febris pestilens an detur sine peste. 73
quemadmodum differat ab aliis putridis. 74
quomodo fiat à peste. 74
ad quam classem referenda. 75
an à carbunculo. 85
qua pestem comitatur vel sequitur quomodo fiat. 54
Febris pestilentis causa. 54. 68. 73. curatio. 212
Febris semper adjungitur variolis. 328
Ficus ad buboues. 229
ad propulsionem variolarum conducunt. 337
Florum sulphuris vires. 186
Fœtores cadaverum noxii. 102
Fomes quid sit. 55. quales debeat esse corpus. 59. 62
Fomes quamdiu perduret. 23. 26. 62. 63
Fontinelli præservant à peste. 134 314
exacerbantes mala. 89. 274
Fraxini mira vis. 119
Fructus ab inquinamentum pestilenti corrumpuntur 54
Fuga qualis, quibus, quando, & quorsum commendanda. 111. 113. 116. an licita sit Christianis. 114

G

Gallina peste infectis. 316
Gelatina nutriens & corroborans. 164
Grauida mulieres periclitantur. 11
Gutturis dolor funestus in peste. 89. 92. 270. 308
remedia in variolis & morbillis. 348

H

Hæmorragia causa. 77
omnes fere lethales. 89. 92. 294
an sint critica. 219. curatio. 220. 294
Halices noxia tempore pestis. 127
Hausus moribundorum periculosissimi. 64. 269
Helenii radices ad præservationem pestis. 237. 245
Helleborus ad curationem pestis. 231. 235
Hepatis auxilia in variolis. 340
Hilaritate fugata pestis. 334. 162
Hominem solus variolis & morbillis obnoxii. 323

I

Affectionis corporis causa. 25
Jaspidis vires ad Hæmorrhagias. 220
Jejunium in peste malum. 125. 126
Jentaculum quale debeat esse. 125. 126
Ignis correctorium aeris. 116. 119
qualis quantus, & quando frumdus. 119. 120
Imaginationis vires in peste. 82. 133
in variolis & morbillis. 350
Inanitiones noxia in peste. 125. 126
Incantamentis an pestis inducatur. 35
Indusiorum mutatio agris noxia. 102. 258
Infusio bezoartica Crollii. 202
Matthioli. 202. Paracelsi. 202
Insecta pestem præsagientia. 13. 14
Inquinamentum an sit venenum. 5. 6
Inquinamenti pestilentes processus. 53
Ira quid faciat ad pestem. 52. 68. 250

L

Ac dulce an attrahat venenum aeris. 125
Lanea vestes in peste damnosa. 131
Lapidis Bezoartici vires. 182. 183
Lapis hæmatites & Jaspis ad Hæmorrhagias. 220
Lapides pretiosi quid præstent. 190
Lassitudines damnosæ. 131. 132. 279
Lingua siccitatis causa. 76
nigredo. 26. 89. remedia. 164. 217. 218. 330
Linimenta præservantia. 257. 258
Linteaminum mutatio agris noxia. 102
Lumbricorum curatio. 228
Lumbrici vomitu ejecti. vide vermes.
Luna qualis magis noxia. 50

INDEX.

M

Macula pestilentes, vide exanthemata.
Magica curationes fugienda. 99
Magistratus officium in peste. 99
Magnes arsenicalis ad bubones. 230. 231
Mali succi vires occidentales. 165
Medici quales, & quando eligendi. 110
Medicamentis an uti liceat. 111
Medicamenta præservativa. 138. ad 151
Mediocritas optima in victu. 124. 128
Mellis usus noxius in peste. 127
Menstruorum fluxus in peste periculosus. 89. 244. 282
etiam in variolis periculosus. 352
curatio. 219 244
Methodus curandi nostra in peste. 207
alterius inanis in peste. 212
Mercurii usus damnosus. 219
Metus & mœstitia an pestem inducant. 52
Meus vivendi modus in peste. 260
Miasmata quid sint. 55. 61
per quas vias exeant à corpore. 61
quibus communicentur. 55. 61
quo tempore operentur. 61. 62
quando non constituant fomitem. 62
quomodo se explicent. 61. 65
quo temporis intervallo extinguantur. 52. 55. 64
Mithridatium minus præservans. 141. 149
Morbi alis silent in peste. 10
Morbillorum nomina, & origo. 322
definitio. 344. differentia à variolis. ibid.
Causa. 345. Signa. ibid.
Curatio. ibid. & 358
Morbilli variolis communes. 359
Moribundorum halitus exitiosus. 63. 269
Morsuli A. Sala pro istimis. 126
Mortes repentina. 68. 305
Mortuus putatus revixit. 297
Moschus noxius in peste. 291
Muscarum horribilis copia. 14
Musica pestis remedium. 134
Mutatio victus periculosa. 123. 125
Myrrha præservans.

N

Narcotica minime tuta in peste. 214. 215
Narcotico occisus. 271
Narium hæmorrhagia periculosa in peste. 89. 92. 294
an critica & quomodo curanda in peste. 219. 294
Narium defensio à variolis. 341
Natationes in fluminibus periculosæ. 124. 130. 290
Nicotiana. vide Tabacum.
Nosocomiorum pessimus ordo. 106
Noctilucarum pestem exacerbat. 11
Nubecula contagiosa à moribundis exims. 64
Nummi an contagiosi sint. 62

O

Oculorum medicatio in variolis. 341. 342. 357
Odores fœtulenti noxii in peste. 117. 121. 152. 158
Odoramenta præservativa. 151. 158
Oleum antimonii ad anthraces. 235
præservans Matthioli. 158
Lud. de Leonibus. 159. Braffavola. 159
Oleum Scorpionum. 159. 229. Vitrioli. 197
Orationes supplices summum pestis remedium. 97. 98
Orientalis ventus salubertimus. 119

P

Parei secretum ad alui fluxus. 222
Partium internarum curatio in variolis. 339
externarum. 342
Pauperes an citiendi in peste. 107
Pestis nomina. 1. definitio. 2. 3
quale morbi genus. 3. 4. pernicies. 4
Noviomagensis principium vigor & finis. 7
subjecta 8. pecora inficiens. 8. signa. 13. 17
signa post mortem. 259. diu absque signis. 16. 255
causa, vide causa. processus. 47. 55
differentia. 29. 66. prognostica. 88. 90
an sit contagiosa. 55
vehementia secundum tempora. 6. 66
sine febre. 68. 242. 243
omnibus morbis adjungitur. 11. 12
in una sola domo orta & extincta. 16
quare non omnes inficiat. 59. 65
an bis invadat eundem. 263. 269
cum bubone. 240. 276. 284
cum hæmoptysi. 295
cum anthrace. 244. 281. 285. 301. 309
cum alui fluxus. 212. 262. 265. 270
cum contractis. 242. 274. 277
Pestis ex insomnio. 285
vulneri adjuncta. 283. 299. in puerpera. 255
à terrore. 259. 295. à mœstitia. 268. 312
à contagio. 293. 305. 321
sine curata. 238. 244. 267. 301. 310
vino depulsa. 276. tabaco fugata. 249. 265
vomitorio curata. 252. 265
Pestis critice soluta. 252. 255
multum remittens fallax. 309
Pestiferi quinam magis contagiosi. 61
Pestilentes & epidemi morbi differentia. 1
Pestilens inquinamentum est venenum. 46
differt ab inquinamento putrido. 60
venenum an sit diversum. 26. 92
Pestiferorum excrementa maxime contagiosa. 64
Pestifero ab aliis separandi. 107
Peregrini arcendi. 99. 101
Personata conversatio cum infectis. 57. 104
Pilulæ Russi. 138. antipestilentiales nostræ. 137
Alberti Ducis. 138. Crassi. ibid.

INDEX RERVM.

Planeta. vide astra.
Plantarum expurgatio. 100. 106. 101
Plenilunium pestem exacerbat. 7. 88. 91
Pleuritides in peste lethales. 89. 92. 264
Porcina caro damnosa. 116
Potus agrorum. 164
Potiones agris grata. 165
Praservatiua medicamenta. 32. ad 132
Preces optimum pestis praservatiuum. 97
Prophylaxis theologica. 97
Politica. 99. diatetica pestis. 116. ad 136
variolarum. 330. chirurgica pestis. 136
variolarum 332
pharmaceutica pestis. 137. 139
variolarum. 330
Pulsus qualis det signa pestis. 13. 14. 27. 88. 92
Pulsus intermittens lethalis in peste. 89. 92
Pulticula nostra ad carbunculos. 232
Pulueres antidotales varii. 188
Puluis serpentum ad pestem. 189
Pulueres pyrius aerem corrigit. 122
Purgantia ad praservationem. 117. 138
in curatione pestis damnosa. 138. 171. 173. 245. 248. 262. 283. 319
quo tempore danda in peste. 171
in variolis. 335. 349
Pulmonis auxilia in variolis 340.

Q

Quies animi & corporis conuenit in peste. 131

R

Ranarum vires ad bubones. 227
Rancedo lethale signum in peste. 88. 91. 270. 303
in variolis. 347
Remedia praservatiua varia in peste. 146. ad 152
Remedia purgantia in variolis. 334
corroborantia peste. 209
diaphoretica & variolas expellentia. 334. ad 338. 358
Remedia ad superfluities variolarum exulcerationes. 288
Remedia ad superfluites variolarum cicatrices, & vestigia tollenda. 344
ad pruritum plantarum pedum & in volis manuum in variolis, & morbillis. 344
fouenda facies praeuamentia. 354
Replationes noxia tempore pestis. 123. 125
Respirare pauca conducit. 132
Rotula praservatiua. 150
Rubeola & Rubores quid? 347. 360

S

Sachari usus noxius in peste. 116
Sal est efficax ad praservationem. 132
Salia usualia ad curationem pestis. 175. 186
Sanguis uis missio. vide, vena sectio.
Sanguinea deiectio lethalis. 88. 94. 245. 264. 281
urina lethalis in peste. 88. 94. 269. 318
curatio in variolis. 340
Sapphiri vires ad anthraces. 234
Saponis fator damnosus. 98. 101
Scarificationum usus. 169
Scabiosa vires ad bubones. 229
Secreta quorundam irridenda. 141
Secretum Magistri de bufone. 206
Segetes corrupti à pestilente veneno. 54
Senes à peste maxime immunes. 8. 9
Serpentum puluueris usus. 189
Signa pestem precedentia. 12. 13
concomitantia. 15. pleraque incerta. ibid.
ex pulsu. 17. ex alui excretis. 15. 18
ex urinis. 18. ex maculis. 15. 18
Signa post mortem prodeuntia. 239
prognostica pestis. 87
Signa prognostica variolarum. 329
diagnostica variolarum. 328
Sinarum regnum pestis expers. 27
Sitis noxia sanis & agris. 123. 126
remedia. 164
Singultus causa. 77
lethale signum. 88. 93. 217
remedia. ibid.
Sobrietas qualis conueniat. 123. 126
Somnium pestem inferens. 285
Somnus moderatus bonus. 131. 132
meridianus quibus conducat. 132
subdio, & supra somnum noxius. 131
ante sudores noxius in peste infestis. 165
Sonitus mortem prasagiens. 281
Soporis causa. 77. 79
periculum. 88. 92. 215
remedia. 214
Spirituum diabolicorum visiones. 239. 260
Sporadici morbi. 2
Sputi cruenti causa. 77. 79
Sputum cruentum lethale signum in peste. 88. 93
incurabile in peste. 219. 220
Sternutationes crebra lethales. 88. 92. 248
Stragula rubra an faciant ad prouocationem variolarum. 335
Suauelentia damnosa. 116. 121
Succini vires in suffumigiis. 121
Sudare an conueniat ad praservationem. 152
Sudores in curatione pestis, quando, quomodo, & quoties promouendi. 207. ad 211
Sudoriferorum formula in peste. 176. ad 181
in variolis & morbillis. 335. 344
Suffumigia varia. 116. 123
Sulphuris vires peste. 121. 185
Suppellex contagii fomes. 101
Suppellectilium venditio prohibenda. 100. 101
Suppedanea varia. 214. 215

INDEX RERVM.

Symptomatum pestis causa. 76. 79
diuersitatis causa. 77. 78. 79
Syncopes remedia. 216. 217

T

Tabella praseruantes. 141. 150
Tabaci vires in peste. 139. 144. 161
Tabaco fumus pestes. 249. 265
Temperantia praseruat. 124. 125
Tempestates an pestem inducant. 43
Terror, Tristitia, & timor damnosa in peste. 28. 51
131. 132. 141
etiam in variolis. 350. 351
Theriaca vires, laudes, & vituperia. 150. 191.
ad 196
Theriaca Matthioli. 197
Mennii. 137
Τὸ τῶν quid sit. 45
Topica ad carbunculos. 232. ad 235
ad variolas non conducunt. 189
Trochisci de viperis. 189
Tumores sito ip creſcentes & molles mali. 89. 90.
24. 251. 301

V

Variolarum nomina & quid sint. 322. 218
Variola vigesimo die morbi erumpens. 348
Variola morbillis coniuncta. 359
Aliquando bis terue eundem inuadunt. 327
Vena sectio in peste damnosa. 167. 239. 248. 251
258. 273. 289
in variolis. 354. 333
Venenum pestilens an sit diuersum. 25. 91
per menses in corpore latens. 61. 288
Venens vis an collione in aqua extinguatur. 128
Venere translata pestis in alium. 242
Venus noxia in peste. 11. 88. 131. 142. 288
Veneris nimia abstinentia noxia. 133
Venti qui salubres sint. 129
Vermes pestilentes vomitu ejecti. 271. 275. 288
Vespertilionum usus. 167. 170
Vestes contagii fomes. 55. 62. 63
Vestes quæ bonæ, quæ noxiæ. 237
Vespillones quare magis immunes a peste. 301
Vespillonum negotia. 106. 110
Via publica mundanda. 99. 102. 106
Victus subita mutatio periculosa. 123. 125
liberalior conueniens, tenuis noxius. 164
Victus ratio praseruans. 160
Vigilia nimia noxia. 131
in agris non nocent. 215
Vinum valet ad praseruationem. 124. 129
quale noceat. 124. 291
Aloeticum praseruans. 137
absinthite praseruans. 140. 146
Vini absinthites damna. 146
modicus usus conuenit. 129
potus an agris sit tutus. 167
spiritus quibus conducat. 124. 125
Vino depulsa pestis. 124. 276
Virium prostratio periculosa. 89.
Virium robur usque ad mortem. 292
prostrationis remedia. 216. 218
Vires conseruanda. 210
Visu an pestis contrahatur. 131
Vitrioli olei vires. 187
Vnicornu incertitudo & vires. 184
Vnguentum praseruans Liddelii. 139
Magiri. ibid.
Vomitus causa. 77. 247
periculosus. 89
an conueniat in curatione pestis. 217
Vomitus remedia in peste. 216 217
in variolis & morbillis. 359
Vomitoria maxime noxia in peste. 170 173. 142 279. 315
feliciter data. 257. 265
Vrina incerta signa. 25. 27. 89. 93. 267
quanam periculosa. 89. 93. 290. 318
potus damnosus. 145
ex urina experimentum. 94
Vulneri adiuncta pestis. 283. 299

FINIS.

BIBLIOTECA ... VITT... ROMA

Digitized by Google